C. CORNELII
TACITI
OPERA

EX RECENSIONE

JOH. AUGUSTI ERNESTI.

DENUO CURAVIT

JER. JAC. OBERLINUS,

ARGENTORATENSIS,

INSTIT. LITTER. FRANCICI SOCIUS.

TOMI PRIORIS

PARS ALTERA.

OXONII,

E PRELO BARTLETT ET NEWMAN;

(NUPERRIME COLLINGWOOD ET SOCIORUM;)

Veneunt apud J. COOKE, J. PARKER, et ROBERTUM BLISS; LONDINI, apud R. BALDWIN, R. PRIESTLEY, R. FAULDER, WHITE et COCHRANE, F. C. et J. RIVINGTON, J. CUTHELL, et T. TURNER; et CANTABRIGIÆ, apud J. DEIGHTON.

MDCCCXIII.

C. CORNELII TACITI

A N N A L I U M

L. XI–XVI.

C. CORNELII TACITI

AB

EXCESSU DIVI AUGUSTI

A N N A L I U M

LIBER UNDECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1—3. *Valerius Asiaticus a Suilio et Sosibio accusatus fraude Messallinæ et Vitellii evertitur, et hilare moritur.* 4. *Somnium sævitiæ caussa.* 5. *In perfidiam advocatorum lex Cincia flagitatur.* 6. 7. *Præmiis pro patrocinio modus ponitur a Principe.*

8. *Parthi discordant. Gotarzes pulsus vires reparat.* 9. *Pacem init cum Bardane;* 10. *hic victor a suis cæditur.*

11. *Ludi sæculares. Domitius Nero destinatur imperio.* 12. *Messallina Silium deperit.* 13. *Claudius aliud agit. Leges fert. Novas litterarum formas vulgat.* 14. *De litterarum inventoribus.* 15. *Claudius Haruspices firmat.*

16. *Italicus Rex Cheruscis petentibus datur.* 17. *mox de eo discordia gentis et bellum.* 18. *Rebellantes Chaucos Corbulo reprimit. Is severe agit in milites.* 19. *Frisios componit. Gannascum cædit.* 20. *Ardor ejus a Claudio repressus. Fossam inter Mosam et Rhenum ducit. Insignia triumphi ei indulta.* 21. *Sic et Curtio Rufo.* 22. *Nonius perit. De spectaculo gladiatorum et Quæstoribus.*

23. *Galli civitatem plenam adfectant et,* 24. *Principe patrocinante,* 25. *impetrant, et primo quidem Ædui. Patricii suppleti. Lustrum conditum.*

26. *Messallina, amore vecors,* 27. *Silio palam nubit.* 28. *Turbantur aulici.* 29. 30. *Narcissus per pellices rem defert.* 31. *Claudius trepidat. Messallina bacchatur;* 32. *preces per Vestalem parat.* 33. *Narcissus Principem nutantem incitat,* 34. *preces amolitur,* 35. 36. *sontium, in his Mnesteris, supplicium urget.* 37. 38. *Messallinam, languente Principe, dein ignaro, cædi curat. Hæc gesta annis fere duobus*

C. VALERIO ASIATICO, M. VALERIO MESSALLA,
A. VITELLIO, L. VIPSTANO, COSS.

Hunc librum ἀκέφαλον esse ne moneri quidem necesse est. Desunt autem, a fine libri 6. ad hujus initium, res gestæ annorum circiter decem. In quibus C. Caligulæ principatus in universum, et Claudiani imperii primores anni sex perierunt. Olim adolescens contexui Caianam historiam, et initia Claudii Corneliano exemplo stiloque. Distuli aut sprevi edere: postea in migrationibus meis, ut alia quædam, periit mihi hic labor, fraude an casu, non dicam. Lips.

A. U. 800. A. C. 47. NAM Valerium Asiaticum, bis Consulem, fuisse quondam adulterum ejus, credidit: pariterque hortis inhians, quos ille, a Lucullo cœptos, insigni magnificentia extollebat,

1 Suilium accusandis utrisque inmittit. Adjungitur Sosibius, Britannici educator, qui, per speciem benevolentiæ, moneret Claudium, *cavere vim atque opes Principibus infensas:*

Adulterum ejus] Poppææ, ut apparet. LIPS.

Credidit] Messallina scilicet.

A Lucullo cœptos] Libri vett. *a Lucullo emptos.* iidem *extollebat*, non, quod Rhenano supponere visum, *excolebat.* Luculliani horti infra sæpius nominati: et in Principis res pervenerunt, manseruntque ad ætatem Trajani. De iis quidem Plut. in Luc. c. 81. p. 518. Ὅπου καὶ νῦν, ἐπίδοσιν τοιαύτην τῆς τρυφῆς ἐχούσης, οἱ Λουκουλλιανοὶ κῆποι τῶν βασιλικῶν ἐν τοῖς πολυτελεστάτοις ἀριθμοῦνται. LIPS. Alii tamen codd. a Pichena et Schotto inspecti *cœptos:* quod verum est. Atque hoc est etiam in prima ed. (quanquam vitio operarum est *captos* pro *cœptos*) item Puteol. Rivii. Mox pro *extollebat* frustra Rhenanus scripsit *excolebat*, ut etiam est in ed. Puteolani, quam haud dubie veteris editionis nomine intelligit Rhenanus ad h. l. nisi Rivianam dixit, quæ pariter sic habet. *Extollebat* est augebat, insigniores reddebat, ornabat. 6, 42. *Tiridaten extollunt veterum Regum honoribus.* Adde ad 13, 21. Rhenanum tamen secutus est Aldus, Gryph. ERN. Cod. Bud. clare habet *ceptos. . . extollebat.* De hortis cf. c. 32.

Sosibius] Nescio, an ille sit, qui Arnobio nominatus l. 4. p. 144. *Nam ab Hippocoontis liberis ipsum Sosibius Herculem cruciatum rettulisse pronunciat.* itemque Clementi Alex. Ad gentes p. 10. Suidas etiam literatoris meminit hoc nomine in Σωσίβιος. LIPS. Libertus, pædagogus, sive etiam servus adhuc. Anicetus libertus, Neronis olim educator, est 14, 3. Tales *educatores* ap. Cic. Planc. 33. Mentio etiam educatoris in inscriptione ap. Murat. p. 1021, 1. ERN.

Vim atque opes pr. infensas] *Vis* est potentia, quo sensu non uno loco dixit noster: *vis Parthorum* 2, 60. est potentia Parthorum. de *infensas* vid. ad 6, 34. ERN.

Auri vim atque opes] In vulgatis est, *caveri vim.* et turbant in restituendo loco Rhenanus et Maurus. Mihi veræ lectionis auctor Farnesianus liber in quo *cauri.* *e* littera superius adpicta: et historia ipsa, quoniam auri vis Asiatico caussa necis. Dio 60, 27. Ὁ δ' Ἀσιατικὸς ἀφῆκε τὴν ἀρχὴν ὑπ' αὐτοῦ τοῦ πλούτου, ὑφ' οὗπερ καὶ ἀπέθανεν. et, si otium est, adde reliqua, cum iis quæ apud Zonaram 11, 9. excerpta. *Auri vis*, optima dictio, quam iterum usurpat noster 16, 1. *Specum altitudine immensa, quo magna vis auri continetur.* Quod Vertranius interpunctione juvari locum existimat, *per speciem b. moneret, Claudium caveret, vim atque opes.* quasi Sosibius Asiaticum monuisset, non Claudium: clare sequentia adspernantur. Denique, quid hoc sit, vim esse Principibus infensam? quasi non cuivis etiam e plebe. Nam omnis certe vis omnibus mala. LIPS.

ADD. Repugnaverunt mihi quidem e supervacuo, in verissima emendatione, quam probet iis vel Aristoteles Polit. 4, 11. Οἱ μὲν ἐν ὑπεροχαῖς εὐτυχημάτων ὄντες, ἰσχύος καὶ πλούτου, καὶ φίλων, καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων, ἄρχεσθαι οὔτε βούλονται οὔτε ἐπίστανται. Ex quo vides, Sosibium nimis vere monuisse, *aurum et opes Principibus infensa.* LIPS. Sic (*auri vim*) esse in cod. Flor. Pichena confirmat, negant alii, et ibi esse *caveri*, quod restituit Jac. Gron. estque in ed. pr. Puteolani etc. Sed *moneret* desiderat aut *caveret*, quod est in cod. Agr. aut cum Guelf. *cavere.* Sic 4, 67: *qui monerent perfugere ad Germanicos exercitus.* Video quidem a Salinerio laudari *orabant caveri insidias*, e 13, 13. Sed ibi Flor. *cavere*, idque recte repositum a Pichena. Igitur non dubitavi et hic sic rescribere. Si quis tamen malit e cod. Agr. *caveret*, non valde repugnem. Sed tamen *caveret* videtur esse correctio librarii, ita affecti, ut Pichena ad 13, 3. h. e. putantis, infinitivum vitiosum esse. ERN. Fallitur egregie Rhen. quum priorem codicis Bud. lectionem fuisse tradit: *caveri indeque.* Sunt hæc a secunda manu, restantque vestigia, quæ docent, adfuisse *auri vim atque.* Simile quid in cod. Flor. versari, dissensus Pichenæ et Gronovii

præcipuum auctorem Asiaticum interficiendi Cæsaris: non A. U. 800.
extimuisse concionem Populi Romani, fateri, gloriamque faci- A. C. 47.
noris ultro petere. clarum ex eo in urbe, didita per provincias fama, parare iter ad Germanicos exercitus; quando genitus Viennæ, multisque et validis propinquitatibus subnixus, turbare gentiles nationes promptum haberet. At Claudius, nihil ultra scrutatus, citis cum militibus, tamquam opprimendo bello, Crispinum, Prætorii præfectum, misit: a quo repertus est apud Baias, vinclisque inditis, in urbem raptus. neque data 2
Senatus copia: intra cubiculum auditur, Messallina coram, et Suilio *corruptionem militum, quos pecunia et stupro in omni*

ostendit. Ingeniose Bipontini ex cod. Farn. lectione exsculpunt *Valerii*, ubi *moneret* idem, quod *doceret*. Putant, Sosibium ista geminatione nominis augendæ invidiæ et fidei gratia usum; fuisse quippe Valerio opes gentilitias et Asiatici cognomen majores spiritus et ferociam Principibus infensam signare. Addunt, solere nostrum et alias eos, de quibus dicit, mox gentilitio nomine, mox cognomine efferre, ut 5, 4. *Neronem Cæsarem, Germanici f.* H. 3, 11. *Aponium Saturninum.* Mihi recepta lectio bonum fundere sensum videtur.

Interficiendi Cæsaris] Interpunxi post *Cæsaris*, ne sequentia a præcedentibus pendeant. Nam caput est duplex: primum, quod auctor præcipuus fuerit Cæs. interficiendi; alterum, quod id etiam palam tulerit in concione; idque non animadversum, quia Tacitus non dixit, *nec ext.* Sed id non erat necesse. ERN.

Non extimuisse concionem] Ex scriptis legas, *non extimuisse concione Populi Rom. fateri, gloriamque.* Id est, in concione. Quod autem ait, præcipuum auctorem interficiendi Cæsaris Asiaticum, addicit ei Seneca de Tranq. 2, 18. *Ea referam, quæ illum* (Caium) *exitio dederunt: Asiaticum Valerium in primis amicis habebat, ferocem virum et vix æquo animo alienas contumelias laturum. Huic in convivio, item in concione,* (forte, *cognitione*, cum videlicet adsessor ei consiliariusque Asiaticus esset,) *clarissima voce, qualis in concubitu esset uxor ejus, objecit. Di boni! hoc virum audire, Principem scire, et usque eo licentiam pervenisse, ut non dico Consulari, non dico amico, sed tantum marito, Princeps et adulterium suum narret et fastidium?* Vide Josephum Ant. 19, 1, 20. LIPS. Rhenanus e cod. Bud. volebat *concionem*, quod est etiam in ed. princ. sublato mox *fateri:* quod non quidem ab ipso, sed ab aliis tamen in textum receptum, etiam Lipsio. Quod nunc est, restituit Pichena e libris, estque in MS. Guelf. etiam in ed. Puteolani, et Rivii. De re ipsa vide narrationem Dionis 59, 30. Ceterum res hic invidiose augetur. Nam proprie non fassus est tale quid, sed se optare dixit, ut interfecisset ipse Caium. Locus Senecæ a Lipsio allatus extat de Constantia c. 18. ERN. Sequor Bipontinos, qui *concionem* codicis Bud. admittunt, et recte distinguunt.

Dedita per provincias] Sive mavis, *didita.* Lucretius 4, 240. —*rerum simulacra feruntur Undique, et in cunctas jaciuntur didita partes.* Virgilius 8, 132. *Cognatique patres, tum terris didita fama Conjunxere tibi.* LIPS. Sic Faernus, et MS. Guelf. a pr. manu, et cod. Flor. unde recte receptum. Confunduntur hæc verba a librariis non raro. Ap. Virgil. Æn. 7, 144. pro *diditur* libri permulti *deditur.* Vide ibi viros doctos. ERN. Cod. Bud. *didita* a r. m.

Promptum haberet] Alter Vatic. *porpretii haberet.* Nihil elicio, quod anteferam vulgatæ. LIPS. Bip. forsan *pro pretio* aut *operæ pretium.*

Crispinum] Vide de hoc 12, 42.

Neque data Senatus copia] Interpunctio vulgata indicat, pro ablativis accipi verba: quod etsi non plane abhorret: tamen potius pro nominativis accipienda. ita et elegantior oratio, et Tacito dignior. Ei rei interpunctionem accommodavi. ERN.

Suilio corruptionem militum] Sic cod. Flor. Guelf. ed. pr. Puteolan. Riv. Beroaldi, Alciat. Rhen. Ald. Gryph. ERN. Item Bud.

In omni flagitio] Rhen. malebat *in omne flagitium*, ut supra *ad scelus corrupta* 4, 10. *ad facinus omne* H. 1,

A. U. 800. A. C. 47. *flagitio obstrictos* arguebat, exin *adulterium Poppææ*, ac postremum *mollitiam corporis* objectante. ad quod victo silentio, prorupit reus, et, *interroga*, inquit, *Suili, filios tuos: virum me esse fatebuntur:* ingressusque defensionem, commoto majorem in modum Claudio, Messallinæ quoque lacrimas excivit. quibus abluendis cubiculo egrediens, monet Vitellium, ne elabi reum sineret. ipsa ad perniciem Poppææ festinat, subditis, qui terrore carceris ad voluntariam mortem propellerent; adeo ignaro Cæsare, ut, paucos post dies, epulantem apud se maritum ejus, Scipionem, percunctaretur, *cur sine uxore discubuisset?* ad quod ille, *functam fato,*

72. Verum puto. Melius certe, quam quod Grutero placebat: *omni flagitio:* quod tamen ferrem, si ante τὸ *et* abesset. Ern. Vulgatæ lectioni favent 15, 44. *in crimine convicti.* 13, 36. *in contumelia detenti.* Plaut. Cas. 2, 8. 71. *tenere in noxa.* Bip.

Ac postremum] Adverbialiter, 1, 74. *perniciem aliis ac postremum sibi invenere.* Guelf. habet *ad postremum.* non male: sed τὸ *ad* videtur natum ex eo, quod mox sequitur *ad quod.* Ern. Bud. *ac p.*

Mollitiam corporis] impudicitiam: *probra corporis* dixit 6, 24. Sic *mollis* ap. Suet. Cal. 56. V. Burm. ad Phædr. 4, 14. Adde 15, 49. Ern.

Victo silentio] Veteres, *indicto.* recte: ut prorupisse ad loquendum intelligamus, etsi silentium ante jussum. Lips. Quia codd. optimos auctores habet τὸ *victo*, quid moramur alterum, quod utcumque versabis, nihil ex eo sani exsculpes? Nec placet tamen, quod Salinerius et Pichena scribunt Asiaticum *vicisse silentium.* Qui enim ἀποκαρτερεῖ, nec se continet diutius, is vincitur, non vincit. Itaque silentium ejus victum est ab impudentia Suillii. *Victo silentio* est victa patientia. Gron. Ed. pr. *inito.* An *finito* fuit? Confunduntur enim in libris *inire* et *finire.* Vid. Drakenb. ad Liv. 35, 7. 44, 34. *Finis silentii* est ap. Cic. Marc. 1. Sed *victo* melius, eo sensu, quo Gronovius vult. Ea lectio præter cod. Flor. et Guelf. est in ed. Puteol. Ber. Alc. Rhen. Ald. *Indicto,* quod in scr. et edd. quibusdam reperitur, nihili est. Ern. Bud. et Covarr. *victo.* Sic et 4, 8. *victo gemitu.*

Filios tuos etc.] Quos indicat, mollicie infames esse. *Vir* opponitur *pathicis, cinædis.* sic ap. Sueton. Vesp. 13. *ego tamen vir sum.* Ern. Brot. ex codd. *virum esse me.* Ast *v. me esse* Bud. et alii.

Sine uxore discubuisset] Discis hinc, uxores vulgo adhiberi solitas ad convivia. Æm. Probus in præf. *Quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium?* Et olim quidem cubantibus viris sedere solitæ, (ut Servius ex Varrone notat, ad Virg. 7, 176. *Perpetuis soliti patres considere mensis.* et Valer. Max. 2, 1, 2. De matrim. ritu:) postea etiam accumbere. In accubitu ille mos, ut recumberent in sinu virorum. Ovid. ad puellam, quæ cum viro cœnatura Am. 1, 4, 5. *Alteriusque sinus apte subjecta fovebis? Injiciet collo cum volet ille manum?* Iterumque v. 35. *Nec premat indignis sinito tua colla lacertis, Mite nec in rigido pectore pone caput.* Sed et amicæ puerique meritorii non aliter jacebant apud amatores. Id vocabant interiorem jacere. Scipio in Orat. adv. Gallum ap. Gell. 7, 12. *Qui in conviviis adolescentulus cum amatore, cum chiridota tunica interior* (etsi Agelli in libris *inferior* scriptum: non item male) *accubuerit . . . cumne quisquam dubitet, quin idem fecerit, quod cinædi facere solent?* Itaque arguit ecce mollitiam a decubitu ipso. Suet. in Cæs. 49. Cæsarem a Dolabella dictum ait, *spondam interiorem regiæ lecticæ:* non ab alia caussa, ne interpretes ultra alucinentur. Eodem faciunt Tranquilli verba de Caii libidinibus c. 24. *Cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit, plenoque convivio singulas infra se vicissim collocabat, uxore supra cubante.* Nam sorores infra se, id est in sinu, collocabat, quasi justas uxores: legitima consorte loco pulsa. Nec aliud Cicero significat ad Div. 9, 26. *Infra Eutrapelum Cytheris accubuit.* Livius 39, 43. de scorto: *Tum illam infra eum accubantem negasse, umquam vidisse quemquam securi ferientem.* Ubi liber optimus, *in terra eum.* ut videatur fuisse, *intra.* et forte sic in prioribus. Lips.

Atque ille f. f. responderet] Non

responderit. Sed consultante super absolutione Asiatici, A. U.
flens Vitellius, commemorata *vetustate amicitiæ, utque Anto-* 800.
niam, Principis matrem, pariter observavissent, dein, percur- A. C. 47.
sis *Asiatici in Remp. officiis, recentique adversus Britanniam* 3
militia, quæque alia conciliandæ misericordiæ videbantur, *liberum ei mortis arbitrium* permisit: et secuta sunt Clau-

potest hoc cum præcedente ita cohærere, ut *responderet* ab *ut* pendeat. Nam ignorantia Cæsaris non potuit facere, ut Scipio sic responderet. Sed Scipio sic respondit, rei tegendæ caussa, ne Cæsarem epulantem perturbaret aut Messallinam irritaret. Scribendum arbitror, *respondebat*, vel *respondit*. Acidalius vidit, qui corrigit *respondere*. Ern. Bene, credo, Heinsius: *ad quod ille . . . responderit.*

Sed consultanti — commemorata] Vid. mox notam ad v. *permisit*. Ern. Bud. *consultanti.*

Antoniam] De qua lapis Romæ (ap. Grut. p. 236.) ANTONIAI AVGVSTAI DRVSI SACERDOTI. DIJI AVGVSTI MATRI. TI. CLAVDI. CAISARIS. AVG. P. P. Lips.

Liberum ei] Satis confuse ista, ut pleraque omnia hoc libro: quem scio interpolatum a mala et imperita manu. Sententia tamen hæc ex Dione 60, 29. ut subornatus Vitellius, quasi Valerii nomine, culpam agnoscentis, peteret mortis arbitrium: idque a Claudio concessum. Lips.

Ei] Bud. *illi*. Heins. volebat *reo*.

Permisit] Interpres est, qui mavult *super supplicio*, quam *super absolutione*: neque enim se capere, quo colore Vitellius potuerit effundere lacrimas ob novissimum amici casum, et mortem ejus decernere, si Princeps ostendisset, se ad mitiora inclinare. Non legerat, aut intellexerat parum, quæ præclare hic Mercerus. Et miror, ipsum Lipsium admonendum fuisse. Tacitus enim suavissimo lepore, in re inexspectata narranda, verbis quoque utitur, quæ illudunt παρὰ προσδοκίαν, et fallunt exspectationem legentis: et tamen suum illud σεμνὸν servat. Etiam Messallina commota erat, quæ jure injuria perditum volebat Asiaticum; nedum Claudius, cui nullum in eum proprium erat odium. Ergo, auditis partibus, rogaturus sententias, aliquid jecit, ex quo apparebat, placatum, et absolventes æquis auribus admissurum esse. Hic Vitellius, memor præcepti Messallinæ, docuit, quid esset apud Tacitum alibi, *pessimi inimicorum laudantes*, quid *ornandum et tollendum*, mirificaque machina hominem μετέωρον et instabilem circumegit. Lacrimæ enim illæ detestabiles, et commemoratio amicitiæ meritorumque rei, et captatio misericordiæ fidem ei fecere benevoli: qui mox idem petens pro beneficio et rei et suo nomine voluntariam mortem, duplici miserum præjudicio gravat, tanquam, qui semetipse, et quem homo benevolentissimus ac precator supplicio dignum agnosceret. Id satis fuit Claudio, perinde hic, ut prius, *nihil ultra scrutato*, et jamdudum, quæ dixisset ipse Asiaticus, oblito. Sed quemadmodum hic eventus, contrarius principio totique actioni Vitellii, frustratus est haud dubie, quotquot in consilio erant, fraudis ignari, multosque Romæ, dum fama facti seritur: ita Tacitus etiam facete supplantat legentem, atque eo ipso ejus attentionem excitat, mirantemque ac destitutum, indignitatem negotii, scelus Vitellii, vanitatem cruentam Claudii aut cogitando invenire, aut aliunde exquirere compellit. Illa enim omnia, consultans super absolutione Princeps, flens Vitellius, amicitia, patrona communis et eadem Principis mater, res gestæ domi bellique, misericordia implorata, calculum album large promittebant; quum subito, velut scorpii cauda, niger apparet: *liberum ei mortis arbitrium permisit.* hoc est, rogavit Principem et suo et Asiatici nomine, ut ei tanquam confesso convictoque concederetur sponte mori, non sub carnifice. Rursus εἰρωνευόμενος: *Et secuta sunt Claudii verba in eandem clementiam.* Itaque locus hic mihi videtur singularis, et cui antiqua illa L vel X præfigi debeat: tantum abest, ut accusandus aut labefactandus sit. Gron. De re nihil habeo, quod contra dicam. Sed, an istius facetæ supplantationis Cornelianæ pars etiam est, recedere a regulis grammaticis, et fallere lectorem, verbum adjungendo, quod superioribus nullo modo conveniat? Miri sunt interdum doctissimi homines. Cum in mentem venit, omnia possunt non modo defendere, sed etiam exornare, ut pulcherrima sint. Ego nullo modo inducere possum ani-

A. U. 800. A. C. 47. dii verba, in eandem clementiam. Hortantibus dehinc quibusdam inediam et lenem exitum, *remittere beneficium*, Asiaticus ait: et usurpatis, quibus insueverat, exercitationibus, lauto corpore, hilare epulatus, cum, se *honestius calliditate Tiberii, vel impetu C. Cæsaris periturum*, dixisset, *quam, quod fraude muliebri, et inpudico Vitellii ore*

mum, ut credam, Tacitum dixisse, *Claudio, consultanti super absolutione Asiatici, Vitellius ei liberum mortis arbitrium permisit.* Viri docti omnes tantum in verbo *permisit* adhæsere; quod ego non repugnem accipi posse pro *petit ut permittatur*. Sed constructio tota vitiosa est, idque voluit Lipsius, qui alioqui et ipse sensum loci satis perspexit: neque narratio perfecta est. Itaque saltem *consultante* legendum, vel *consultantibus*, quod prope magis placet: et tum *permisit* erit permittendum censuit: quamquam id ipsum aptius foret, si de damnatione Asiatici consultatio esset. Cui hoc non placet, poterit cum Acidalio, *commemorat vetustatem amic.* qui tamen ultima etiam sic ordinat: *secuta sunt Claudii verba in eandem clementiam; et liberum ei mortis arbitrium permisit.* ex quo nova difficultas oritur. Neque enim apparet, quid Vitellius voluerit, et quomodo absolutionem impedierit, quod sane nec lacrimis nec meritorum commemoratione fieri potuit. Nec ei rei conveniunt sequentia, quæ arguunt, duriora consilia fuisse. Quorsum enim Cæsari opus de clementia dicere, si de absolutione actum erat? An, quia ante dictum, commotum Cæsarem fuisse, putarunt librarii, *condemnationem* esse alienam, et e *condemnatione* vel *damnatione* fecere *absolutione?* Sin hoc durius est, possis conjicere *accusatione*. Ern. Sall. Catil. 51. *Leges ... exsilium permitti jubent.* Ne quem τὸ *absolutione* offendat, Dio hac occasione utitur verbo ἀπολύειν l. c.

In eandem cl.] Sic 6, 49. *alia in eundem dolorem mœsta et miseranda ferret.* Ern.

Hortantibus dehinc quibusdam] Excidit vocula, puto: scribendumque *quibusdam ad inediam.* si non imposuit olim mihi Orbilius meus. Lips. Veteres dixere et *hortari aliquem* et *hortari ad aliquid* et *hortari aliquid*. Dedimus auctoritates ex Attio, Ovidio, Justino vel Trogo, Seneca, Statio ad duos horum, postremum nominatos. (ad Senec. ep. 121. Diatrib. in Stat. c. 35.) Accedat Gellius 13, 23. *Hæc mera veritas Tusculani hominis ... plus hercle promovet ad exhortandam parsimoniam sustinendamque inopiam, quam Græcæ præstigiæ.* Accedat, ut etiam defendatur, Vegetius 1, 28. sic proscribens: *De adhortatione rei militaris Romanæque virtutis.* Lemma ridiculum, inquit P. Scriverius. adhortatur auctor ad rem militarem Romanamque virtutem; non virtus aut militia ipsa loquitur. quare scribe, *ad rem militarem Romanamque virtutem.* At, o bone, qui adhortatur ad rem militarem Romanamque virtutem, is juxta commode, et exquisitius etiam, dicitur *adhortari rem militarem Romanamque virtutem*, aut facere vel scribere *hortationem rei militaris et Romanæ virtutis.* Quid ipso de Cicerone dicam? ad Att. 7, 14. *Pacem quidem hortari non desino.* Sic certe lectum olim: et sic in MS. est Helmæstadiensi. Quare vellem, quibus MSS. plurium copia fuit, non tam negligentes transiisse hunc locum, et verbo attigisse, qua fiducia subjecerint: *Equidem ad pacem hortari non desino.* Nam et sic ad Att. 6, 2. *partes istius officii sunt pueri Ciceronis, sive jam adolescentis; quod quidem illum soleo hortari.* Et ad Q. fratrem 1, 1. *Sed quid ego te hæc hortor, quæ tu facere potes tua sponte?* Gron.

Lenem exitum] *Levem* ed. princ. Puteol. Riv. Aldi: vitio, ut opinor, operarum, in prima quidem. Ern. Bud. *lenem.*

Et usurpatis] Copulam Pichena restituit e vet. libris.

C. Cæs.] Bud. *G. Cæs.* more Græco. Sic ubivis.

Periturum] Int. *fuisse*, cujus sane hic durior ellipsis est. Ern.

Quam quod fraude muliebri, et impudico Vitellii ore caderet] Gruterus rotundiorem longe fore putat orationem, si recisis *quod* et *caderet*, scriberemus; *quam fraude muliebri, et impudico Vitellii ore.* De particula subscribo: et vitium est, quale apud Livium 28, 43. curavimus: Verbum facile tolero. Gron. Sed *quod* etiam ferri potest, et loco Justini 19, 3. defenditur a Jac. Gron. qui tamen huic

caderet, venas exsolvit: viso tamen ante rogo, jussoque A. U.
transferri partem in aliam, ne opacitas arborum vapore ignis 800.
minueretur. tantum illi securitatis novissimæ fuit. Vocan- A. C. 47.
tur post hæc Patres, pergitque Suilius addere reos Equites 4

non similis est: nam ibi præcedit *ferre*, post quod necessario requiritur *quam quod*. Ern.

Impudico Vitellii ore] Quiane inter Ligures Vitellius? an quia, ut Suetonius ait Vit. 1. *amore libertinæ perinfamis: etiam salivis ejus melle commistis, cottidie ac palam arterias et fauces pro remedio fovebat.* Lips.

Securitatis nov.] Vacuitatis a timore, constantiæ, tranquillitatisque. MS. Guelf. Edd. pr. Alciati, J. F. Gron. *novissime.* Melius *novissimæ* puto, respicique ad Virgilii 6, 231. 11, 825. *mandata et verba novissima.* Ern.

Pergitque Suilius addere reos] Neque corrigendum est *agere*, cum Ursino, neque hoc magis ex antiquo auctore sumptum, quam ex quotidiana Romani oris consuetudine, nobis ex sat certis auctorum locis observanda, qua *addere* est augere, vel alios aliis addere. Infra c. 13. *Ac novas literarum formas addidit*, id est, invenit et prioribus addidit. 1, 54. *Idem annus novas cærimonias accepit, addito Sodalium Augustalium sacerdotio.* i. instituto et addito iis, quæ antiquitus habebantur. Tale Plinii 22, 7. *Addidere vivendi pretia deliciæ.* Quod etiam non cepere, ut ibi docemus. Sic igitur *addere reos* est alios corripere et Poppææ atque Asiatico addere. Gron.

Equites Romanos illustres] Qui sunt Equites illustres? Neque enim temerarium est certe, quod totiens is titulus repetitus. Ut 4, 58. *Eques Romanus ex illustribus Curtius Atticus.* 6, 18. *Pater quoque illustris Eques Romanus ac frater Prætorius.* 15, 28. *Die pacta Tiberius Alexander, illustris Eques Romanus, minister bello datus.* Mox c. 35. *Eadem constantia et illustres Equites Rom. cupidos maturæ necis fecit.* Suspicor ego sic dictos, qui non quidem Senatores, sed et censum habebant et spem Senatoriæ dignitatis: immo etiam ordinis ejus insigne, id est latum clavum. Colligo, quod Tacitus Equites illustres cum Senatoribus conjungit pari gradu. 2, 59. *Acerrime increpuit, quod contra instituta Augusti .... Alexandriam introisset. Nam Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi Senatoribus aut Equitibus Rom. illustribus, seposuit Ægyptum.* Et clare 16, 17. *Mella et Crispinus Equites Romani, dignitate Senatoria.* Hæreo, an ad hanc rem Dionis verba accommodem 59, 9. Τοῦ τε τέλους τοῦ τῶν ἱππέων ὀλιγανδροῦντος, τοὺς πρώτους ἐξ ἁπάσης καὶ τῆς ἔξω ἀρχῆς τοῖς τε συγγένεσι καὶ ταῖς περιουσίαις μεταπεμψάμενος κατελέξατο, καί τισιν αὐτῶν καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ βουλευτικῇ, καὶ πρὶν ἄρξαι τινὰ ἀρχὴν, δι' ἧς ἐς τὴν γερουσίαν ἐσερχόμεθα, χρῆσθαί τι ἐπὶ τῇ τῆς βουλῆς ἐλπίδι ἔδωκε. Πρότερον γὰρ μόνοις, ὡς ἔοικέ, πως τοῖς ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ φύλου γεγενημένοις τοῦτο ποιεῖν ἐξῆν. Hæreo, inquam, an ea faciant istuc. apta quidem, sed a Caio id statutum Dio ait: illustrium autem titulus ante eum. Refero ergo potius ad Augustum, (etsi de veste negare non possumus, quin sit a Caio) qui a. 742. legem tulit, ut ex Equitibus, qui non minus decies sestertio possiderent, eligerentur a magistratibus, e quibus Tribuni Senatoresque fierent: qui gesto Tribunatu aut retinerent Senatorium ordinem, si vellent, aut iterum redirent ad Equestrem. Verba sunt Dionis 54, 30. Τὴν δὲ δημαρχίαν ὀλίγων σφόδρα .... αἰτούντων, ἐνομοθέτησεν, ἐκ τῶν ἱππέων, τῶν μὴ ἔλαττον πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας κεκτημένων, προβάλλεσθαι τοὺς ἐν ταῖς ἀρχαῖς ἕνα ἕκαστον, κἀκ τούτων τὸ πλῆθος τοὺς ἐνδέοντας αἱρεῖσθαι. εἰ μὲν καὶ βουλεύειν μετὰ τοῦτο ἐθέλοιεν, εἰ δὲ μὴ, ἐς τὴν ἱππάδα αὖθις ἐπανιέναι ἐξεῖναι. Qui ergo in hoc seminario Senatus Equites, dicti illustres. Reperio et insignes, ut c. 5. *Samius insignis Eques Romanus.* iterumque c. 22. *Cn. Novius insignis Eques Rom.* Item splendidos, ut Plinius Ep. 6, 15. *Passienus Paullus splendidus Eques Rom.* et ep. 25. *Scribis, Robustum splendidum Equitem Rom.* Et Cicero ipse non semel in Verrem, ut 2, 71. Sed hi duo tituli infra illum non dubie: et a fama ducti opibusque. Alii ab istis illustres sunt: qui in codice Justin. l. 1. t. 29. et Cassiodoro in Epp. passim et Var. 6, 11. Lips. Equites illustres jam liberæ Reip. temporibus occurrunt apud Ciceronem Verr. 3, 24. Sed ibi opponuntur obscuris, ut inspicienti locum patebit, et sic dicuntur etiam ap. Livium 30, 18. ubi vide

A. U. 800. A. C. 47. Romanos inlustres, quibus Petra cognomentum. at caussa necis, quod domum suam Valerii et Poppææ congressibus præbuissent. Verum *nocturnæ quietis species* alteri objecta, *tamquam vidisset Claudium spicea corona evinctum, spicis retro conversis: eaque imagine gravitatem annonæ dixisset.* Quidam

Dukerum. Sub Imperatoribus autem dicti, qui censum Senatorium haberent, et lato clavo, permissu Imperatoris, uterentur, idque institutum ab Augusto, dictique etiam *Equites laticlavii.* Vide in pr. Ryckium ad Ann. 2, 59; qui tamen Livii Equites illustres male huc trahit cum Pichena. ERN.

Quibus Petra cognomentum] A quibus ala Petrina, opinor, nominata H. 4, 49. itemque in Notitia imperii c. 89. LIPS. Ibi *Petriana* vocatur.

At caussa necis ex eo] Flor. cod. *ac.* Non sane satis aptum h. l. *at*, quod deleri, aut pro eo *et* legi volebat Acidalius: nec magis *ac* placet. Fortasse Tacitus scripsit: *quibus P. cognomentum*, vel *cognomen* (ut habet ed. pr.) *erat. caussa etc.* Terminatio verbi *cognomen* potuit absorbere primam syllabam *τοῦ erat.* Neque semper verbum substantivum omittit Tacitus. Ann. 5, 1. *quorum utrique cognomentum Geminus erat.* Deinde delevi *ex eo*, quod non est in Guelf. ed. Puteolani, Beroaldi, Alciati, Rhenani, Aldi etc. nec satis dignum Tacito. ERN. Bud. habet.

Mnesteris et Popppææ congressibus] Veterum editionum lectio, *Valerii et Poppææ*, apta sane ad historiam, quia Valerio Asiatico objectum adulterium Poppææ: et forte Equitibus istis, quod interpretes et administri. Libri tamen scripti *Nesteris*, aut *Nestoris.* Ex quo Rhen. *M. Nestoris*, nec recte. Germanum illi Pantomimo nomen *Mnester;* vel lapidis fide, qui in ædibus Crepanicorum Romæ (ap. Grut. p. 615.) TI. IVLIO. AVG. L. MNESTERI. Nescio ergo, an Poppææ etiam adulterium objectum dilecti hujus mimi: in quo et Messallina deperiit. Ceterum hæc Poppæa illa est, quæ, cunctas ætatis suæ feminas pulchritudine supergressa, gloriam reliquit filiæ, quæ scortum sive uxor Neroni. Quam genuit ex priore marito, T. Ollio. LIPS. Rhenanum secutus est, ut solet, Aldus. Ego veterem lectionem, quæ etiam Ryckio placebat, restitui: estque in Guelf. De Valerii et Poppææ adulterio quæstio erat, non Mnesteris. Is nec accusatus, nec damnatus tum erat; quod necessarium foret, si hic nomen ejus locum haberet. ERN. Bud. *mnesteris* habet, vel *in nesteris*, non *nestoris*, ut Rhen. refert. In marg. recentior manus *Valerii.*

Spicea corona evinctum] Quæ Cereris propria, et Sacerdotum item Arvalium, ut Plinius notat 18, 2. Corona ea, alias non infelix, omen triste habuit, quod spicis esset retro conversis: sicut quod ante pugnam in Philippis, corona inversa Cassio imposita. LIPS. Cf. Plut. in Bruto c. 56. p. 1002.

Gravitatem annonæ dixisset] Frustra *prædixisset*, vel *significari dixisset* Rhenanus, et *prædixisse* Heinsius. Nam et *dicere* ponitur pro *prædicere*, ut Heinsius ipse docet ad Virgil. Ecl. 1, 17. et locis ibi citatis. Huc referebat etiam Burmannus locum Virg. Æn. 7, 370. *Sic dicere Divos.* ubi tamen hoc sensu dici non puto. Porro illud quoque non probandum, quod pro *gravitatem* Ursinus et Muretus volunt legi *caritatem*, quomodo etiam hunc locum laudat Burm. l. c. Nam *gravitas annonæ* est etiam 6, 13. Nempe, *gravitas* dicitur de omnibus, quæ male affecta sunt, non bene se habent: unde *gravitas corporum* ap. Cicer. Tusc. 3, 1. Adde Acad. 2, (4) 17. quod bene contra Bentleium, *pravitas* corrigentem, defendit Schultens ὁ μακαρίτης in Comm. ad Prov. Salom. c. 25. extr. Id. de Fin. 4, 12. *gravitate membrorum et cruciatu dolorum siquis quem levet.* V. Davies. ERN.

Quidam pampineam coronam] Consentit cum interpretatione hujus somnii Artemidorus 1, 79. ubi observat, coronam e vite præter Dionysiacos artifices mortem ac vincla significare, propter pampinos implicatos et inflexos. Similia crimina valuisse apud Constantium, non inscite Ammianus narrat 15, 3. *Mercurius solemniorum appellatus comes . . . . si per quietem quisquam vidisse aliquid amico narrasset, id venenatis artibus coloratum in pejus, patulis Imperatoris auribus infundebat. et ob hoc homo, tamquam inexplicabili obnoxius culpæ, gravi mole criminis pulsabatur. Hæc augente vulgatius fama, tantum aberat, ut proderet quisquam visa nocturna, ut ægre homines dormisse sese præsentibus faterentur externis; mærebantque docti*

pampineam coronam albentibus foliis visam, atque ita interpretatum, tradidere, *vergente autumno mortem Principis ostendi.* Illud haud ambigitur, qualicumque insomnio ipsi fratrique perniciem adlatam. Sestertium quindecies, et insignia Præturæ Crispino decreta. Adjecit Vitellius sestertium decies Sosibio; *quod Britannicum præceptis, Claudium consiliis, juvaret.* Rogatus sententiam et Scipio: *cum idem,* inquit, *de admissis Poppææ sentiam, quod omnes, putate, me idem dicere, quod omnes:* eleganti temperamento inter conjugalem amorem, et Senatoriam necessitatem. Continuus inde et sævus accusandis reis Suilius, multique audaciæ ejus æmuli. nam cuncta legum et Magistratuum munia in se trahens Princeps materiam prædandi patefecerat. nec quidquam publicæ mercis tam venale fuit, quam advocatorum perfidia: adeo, ut Samius, insignis Eques Romanus, quadringentis nummorum millibus Suilio datis, et cognita prævaricatione, ferro in domo ejus incubuerit. Igitur, incipiente C. Silio, Consule designato, cujus de potentia et exitio in tempore memorabo, consurgunt Patres, legemque

A. U. 800. A. C. 47.

quidam, quod apud Atlantæos nati non essent, ubi memorantur somnia non videri. Lips. In h. l. lege *somniorum ap. c.* et p. p. *inexpiabili.*

Vergente autumno] Farnes. *vertente.* Lips. Illud melius. Ceterum verbum *ostendi* eleganter de prædictionibus et significationibus futuri. Mox Guelf. *ambigebatur.* Ern. Bud. *vergente.*

Sentiam] Si hæc scriptura Taciti, in qua nemo hæreat: unde monstra lectionum, quæ sunt in MSS. Florentinis *assenessentiam:* ex quo in ed. pr. *assenescentiam* expressum. Alii duo codd. Medic. *assentiam.* MS. Guelf. *Sententiam. sentiam* ed. Puteol. Riv. Ern. Bud. *assentiam.* Bip. forsan *uxoris sentiam.*

Eleganti temperamento] Etenim hæc duplicem sensum habent. alterum dignum amore conjugali: nemo credit vera esse, quæ Poppææ objecta sunt, nemo probat factum, nec ego: alterum periculo vitando aptum: credo, quæ objecta sunt, et eadem, quæ ceteri Senatores, decerno. *Elegantia* autem est in eo, quod *figura* est in his verbis, ut Suetonius vocare solet, eaque prudenter adhibita; in quo ipso est elegantia. tirones videant Clavem Cicer. in h. v. Rivius, deceptus vitiosa interpunctione, *idem dicere: quod omnes* etc. addidit de suo *interpretati sunt.* Omnino pessime in hac editione textus interpunctus est: sed fere ut in Puteolani editione. Ern.

Magistratuum munia] Farnes. *nece* refert pro *munia.* Deleo vero utrumque, ut glossema: scriboque, *cuncta legum et magistratuum in se trahens.* Lips. Male. Supra 1, 2. de Augusto: *munia Senatus, mag. legum in se trahere.* Ern.

Incubuerit] Ed. pr. *succubuerit.* et mox *potentiæ exitio.* Sed vulg. est jam ap. Puteolanum. Ern. Bud. *incubuerit.*

Memorabo] Vide c. 12. et 35.

Legemque Cinciam flagitant] Certa ea scriptura ex libris et historia. Legem de donis et muneribus (muneralem apte Plautus dixit ap. Festum) tulit M. Cincius trib. pl. a. u. 549. Retulit iterum Augustus evanescentem vetustate, et firmavit novo consulto Senatus. Dio 54, 18. *Καὶ τοὺς ῥήτορας ἀμισθεὶ συναγορεύειν, ἢ τετραπλάσιον, ὅσον ἂν λάβωσιν, ἐκτίνειν ἐκέλευσε.* Noto eo, nequis miretur, cum plebiscitum fuerit, vocari Senatusconsultum a Tacito 13, 42. *Ejus opprimendi gratia repetitum credebatur SC. pœnaque Cinciæ legis adversus eos, qui pretio caussas oravissent.* Et Plinio ep. 5, 21. *Caussa dilationis Nepos Prætor, qui legi de muneribus præposuerat breve edictum, admonebat accusatores, admonebat reos, exsecuturum se, quæ SC. continerentur. Suberat edicto SC. hoc omnes, qui quid negotii haberent, jurare, priusquam agerent, jubebantur, nihil se ob advocationem cuiquam dedisse, promisisse, cavisse. His enim verbis et mille præterea et venire*

A. U. Cinciam flagitant: qua cavetur antiquitus, *ne quis, ob caus-*
800. *sam orandam, pecuniam donumve accipiat.* Deinde, obstre-
A. C. pentibus his, quibus ea contumelia parabatur, discors Suilio
47. 6 Silius acriter incubuit, *veterum oratorum exempla* referens,
qui famam in posteros, præmia eloquentiæ cogitavissent pulcher-
rima. alioquin et bonarum artium principem sordidis ministeriis
fœdari. ne fidem quidem integram manere, ubi magnitudo quæ-
stuum spectetur. quod si in nullius mercedem negotia tueantur,
pauciora fore: nunc inimicitias, accusationes, odia et injurias
foveri, ut, quomodo vis morborum pretia medentibus, sic fori
tabes pecuniam advocatis ferat. meminissent C. Asinii et Mes-

advocationes, et emi, vetabantur. Sed id, SC. credo fuisse a Trajano. Cetera super hac lege vide apud Manutium de legg. 18. cujus scrinia non compilo. Legem Titiam quisquis hic reposuit (ea enim scriptura in vulgatis) Rhemmiæ pœna dignus ipse. Lips. *Cincia* ed. princeps. Sed Guelf. edd. Puteol. Beroaldi, Alciati, Rhen. Aldi etc. *Titia.* male. Notus est Fr. Brummeri de h. l. commentarius. Adde Schulting. Jurispr. Just. p. 561. ed. Lips. Ern. Bud. *Titiam.* V. et Augustin. de Legg.

Discors Suilio] Hæc verba non significant, hac in caussa Silio aliud, aliud Suilio visum, ita ut nihil exprimant, nisi quod ex sequentibus satis noscitur, et jure prætereantur interpreti; sed volunt, nobiles publicasque inter Silium et Suilium fuisse simultates, quod dedita opera interjecit Tacitus, ut intelligeremus, actionem eam, etsi foret in commune utilis, non tamen tam amore egregii publici, quam odio et cupidine inimicum ulciscendi, a Silio inceptam esse. Gron.

Fœdari] Ovid. Am. 1, 10, 39. *Turpe, reos emta miseros defendere lingua.*

Ne fidem quidem integram manere] Quum Rhenani lectionem, e Budensi proditam, *nec fidem integ.* neque ex Vaticanis Vertranius et Lipsius, neque ex Florentinis Pichena sollicitarint, vero simile est, eos codices istam adfirmasse. Illa autem non infimæ notæ editio, non magis quam Frobeniana a. 1519. quam Aldina 1534, et omnes, quæ præcesserunt Rhenani recensionem, habent et hanc et alias audaciæ primitus edentium notas: quos eadem, opinor, efficaciæ objecta inanis species a veteri scriptura discedere compulit. *Nec fidem* est quod alii exprimerent, *sed nec fidem*, vel, *nec vero fidem.* Gron. Aldina ed. non præcessit Rhenani recensionem, sed anno post secuta est, eamque plerumque sequitur. Hic tamen ab ea recedit et habet *ne quidem.* et hoc habent MSS. laudati Ryckio (in his Flor.) item Guelf. et ed. princeps, Puteol. Itaque recte defendunt Ryckius et Jac. Gron. Ern. Male cepere critici verba Rhenani. Is enim recte refert, in Bud. legi, *ne fidem int.* (omisso *quidem*), unde ipse fecerit: *nec fid. int.*

In nullius m.] Acid. *nullius in m.*

Negotia tueantur] Facile credo, esse hic aliquid scabri. Lipsianæ ad marginem ostendunt in MSS. esse *negotiantur.* Forte. *Quod si in nullius mercedem negotia eant, pauciora fore.* Sic 3, 50. *qui neque servatus in periculum Reipublicæ, neque interfectus in exemplum ibit.* 14, 61. *Itur in principis laudes.* Gron. *Tueantur* a barbarica ætate et manu esse Jac. Gronovius judicat, qui e cod. Med. *quod si in nullius mercedem negotia sint*, legi vult: quod et recepit Broterius. Ea si est Taciti manus, scire velim, quomodo inde *tueantur* factum: quod non erit barbarum, si intelligas *oratores* vel *advocati.* Si nec sic placet, lege *curentur. Curare* et *tutare* confunduntur in MSS. V. Cortius ad Sallust. Jug. 14, 19. idque est verbum proprium. Ern. Bud. *negotiantur.* Heins. volebat: *quod si sine ullius mercede neg. tueantur* vel *sustineantur.* Bip. *vertantur.*

Pauciora fore] In marg. cod. Bud. alii *potiora.*

Meminissent C. Asinii] Omisi verba, quæ non repperi in libris scriptis, aliunde inculcata. Lips. Nempe *T. Galbæ*, quod est in vett. In MS. Flor. est *gali Asinii Messalæ:* ex quo J. Gron. fecit *Galli, Asinii, Messallæ*, itaque edidit. Adjuvat ed. pr. in qua est *Gauinii Assinii M.* Nam *u* potest esse factum ex *ll*, ut contra in eadem 13, 14. pro *demouet* est *demolliet*, et *nii*

sallæ ac recentiorum, Arruntii et Æsernini. ad summa provectos A. U.
incorrupta vita et facundia. Talia dicente Consule designato, 800.
consentientibus aliis, parabatur sententia, qua *lege repetun-* A. C.
darum tenerentur; cum Suilius, et Cossutianus, et ceteri, 47.
qui non judicium (quippe in manifestos) sed pœnam statui videbant, circumsistunt Cæsarem, ante acta deprecantes.
Et, postquam adnuit, agere incipiunt: *Quem illum tanta* 7
superbia esse, ut æternitatem famæ spe præsumat? usui et rebus subsidium præparari, ne quis inopia advocatorum, potentioribus obnoxius sit. neque tamen eloquentiam gratuito contingere: omitti curas familiaris, ut quis se alienis negotiis intendat.

adhæsisse e sequente nomine, ut supra in *ludibria pericularia.* Contra dici potest primum illud *gali* factum videri e *Gaii*: deinde vel maxime hoc, quod c. 7. in responsione ad hanc sententiam *Asinius* et *Messalla* commemorantur soli, nec credibile, eum, qui primo loco propositus esset, omissum fuisse in refellendo, cum etiam cetera nomina recentiorum accurate repetantur. Itaque retinui lectionem a Lipsio inductam. Corruptelæ locum illud dedisse potest, quod librarii putarent, nomen, non prænomen, hic esse debere, quod Messalla sine prænomine poneretur: cum etiam recentiores critici hoc non semper concoxerint, ut nota proxima, et infra in Hist. libris videbimus. Ern. Bud. *Galli, Asinii, Messalæ.*

Messalæ] N. Heinsius volebat *M. Messallæ*: probat Ryckius. Sc. quia in vulgatis erat ante *C. Asinii*: quod tamen non esse consequens, patet vel ex eo, quod sæpe in Consulibus edendis alterum sine, alterum cum prænomine, ponit, v. c. 6, 1. Ern.

Ad summa provectorum] Videtur quidem rotundiorem facere periodum *τὸ provectorum*: et ideo sic ausi corrigere, qui primas editiones curaverunt. Sed neque spernendum est, quod constare membranis clamat mihi silentium eorum, quibus harum copia fuit. Livium imitatus dixisset: *Quos ad summa provectos.* Id pronomen omissum brevitatem Taciti haudquaquam dedecet. Gron. Adde ad Plin. 35, 4. Ed. princeps plane habet *prævectos*, haud dubie vitio operarum pro *provectos*. Hoc cum et cod. Bud. Flor. et alii ap. Ryckium habeant, et ipse secutus sum. *Provectorum* est in ed. Puteol. et seqq. plerisque. Et sic est etiam in Guelf. Ern.

Consentientibus] MS. ap. J. Gron. *censentibus*. Absolute *censere* etiam est 13, 26. *nec deerant, qui censerent*; sc. quod alii dixissent. Consentit Guelf. Ern.

Et, postquam annuit tacens] Veteres, *tacere*. Lego, *postquam annuit, agere incipiunt.* Lips. Sic cod. Reg. ap. Ryckium. Cod. Agric. *dicere*. Flor. *postquam annuit, tacere incipiunt*, quod est in ed. pr. Inde Freinsh. corrigit *jacere*, quod placet Ryckio. male. Sequitur enim justa oratio, de qua *jacere* non dicitur. Sed nec melius Jac. Gronovii *facere*, intellecto *gratiam*, cujus ellipseos exempla desidero. Puteolanus autem ex eo fecit *tacens*, quod Beroaldus, Alciatus, Rhenanus, Aldus ceterique secuti sunt. est tamen in Guelf. Ego *agere* probo et recepi. Melius enim puto lectionem MS. sequi, quam conjecturam Puteolani. Ei lectioni favet etiam interpunctio cod. Flor. et cod. Agr. cujus lectio est glossa *τοῦ agere*. Corruptela est nata e duplicatione finalis in *annuit*, quod genus frequens est in codd. Ern. In Flor. cod. alia manus, sed antiqua, superne adposuit *agere*. Bud. habet *tacere*. ex quo r. m. fecit *tacens*. Boxh. volebat *placere*. Hillerus Racem. 34. *aspere*, ut ap. Cic. de Orat. 1, 53.

Quem illum tanta superbia esse] Sic MSS. et ed. pr. At Guelf. Puteolanus *ullum*, vitiose: quis enim ita loquitur? et id tamen Beroaldus, Alciatus, Rhen. Aldus aliique secuti sunt. 12, 36. *avebant scire, quis ille tot per annos opes nostras sprevisset.* Ern. Bud. *illum.*

Usui et rebus subsidium præparari] Scil. eloquentia comparanda. Eloquentiam comparari hoc consilio, ut prosit amicis, Reip. Ed. pr. *præparare*. Mox Guelf. *potentibus*. Ern. Bud. *præparare . . . potentibus.*

Ut quis se a. n. intendat] Id *se* abundare judicabat Heins. item Acid. qui legi volebat *impendat se.* Sed bene res habet, dicimus *intendere animum*,

A. U. *multos militia, quosdam exercendo agros tolerare vitam. nihil a*
800. *quoquam expeti, nisi cujus fructus ante praviderit. Facile Asi-*
A. C. *nium et Messallam, inter Antonium et Augustum bellorum præ-*
47. *miis refertos, aut ditium familiarum heredes Æserninos et Ar-*
runtios, magnum animum induisse: prompta sibi exempla, quantis mercedibus P. Clodius, aut C. Curio, concionari soliti sint. se, modicos Senatores, quieta Rep. nulla, nisi pacis, emolumenta petere. Cogitaret plebem, quæ toga enitesceret. sublatis studiorum pretiis, etiam studia peritura. Ut minus decora

quidni et *se?* Imo id verbum ubi absolute ponitur, talis accusativus subauditur.

Multos militia] Ad eam sententiam Sallustius: ***Humillimus quisque in arvis, aut militia, nullius honestæ rei egens, satis sibi, satisque patriæ erat:*** ut vere emendavit nobilissimus noster Dousa. Lips.

Exercendo agros] Poeticum est, e Virgilio sumtum Æn. 7, 798. Dixit tamen etiam Columella 8, 1. *exercere rus.* Noster iterum Germ. 29. et alii, ut plura alia, a poetis dicta. Ern.

Nisi, cujus fructus ante providerit] Sic ed. pr. Post inductum a Puteolano ***providetur:*** quod in ***providerit*** rursus mutavit e cod. Bud. Rhenanus. Pichena e cod. Flor. ***præviderit*** scripsit, quod est etiam in Guelf. id Ryckius secutus est et J. F. Gron. Sed. J. Gronovius docet, in cod. Flor. esse ***providerit.*** Ern. Et in cod. Agric. Planius tamen mihi hic videtur ***prævi-derit.*** Sic et Bip.

Refertos] Bud. *refectos.*

Qui a Republica] Quidam scripti, *qui et a:* ex quo Pichena, *quieta Rep.* et mox deinde, *petere.* Assentior. Lips. At J. Gronovius sic mavult: ***Se modicos Senatores: quieta Rep. nulla nisi pacis emolumenta. Petere ut cogitaret.*** Etenim omnes scr. et edd. habent ***peterent:*** quod non est de nihilo. Nec antiquam lectionem arbitror spernendam ***qui a Rep. nulla nisi pacis emol. peterent.*** MS. Guelf. ***qui et a Rep.*** Ern. Sic et Bud. et Flor.

Cogitare plebem] Displicent quæ scripsi olim, et induco. Vett. *cogitaret.* Scribo, ***cogitare et plebem,*** *qua toga* ***enitesceret.*** id est, etiam quemvis e plebe occupatum esse, ut emergeret se, et nitidiore toga uti posset. Sed revera (iterabo hunc animi mei sensum) et narrationes et orationes istæ, turbatæ, concisæ. Confer sodes, hunc XI. librum cum uno quovis e primoribus: jurabis, elapsum eum imperitorum manibus, velut e pugna aliqua Cannensi. Lips. Scripsit omnino Tacitus: ***cogitaret plebem, quæ toga enitesceret.*** Nec satis faciunt interpretes. ***Togam*** utique Freinsh. accipit laxe nimis. Ea enim pacem pacisque artes omnes etsi aliquando possit complecti, tamen hic arctius nihil aliud significat, quam eloquentiam forensem. Ut Livio 22, 26. de C. Ter. Varrone: ***togaque ac forum placuere, proclamando pro sordidis hominibus caussisque.*** Plinius epist. 1, 22. ***in toga negotiisque versatur: multos advocatione, plures consilio juvat.*** Florus 4, 12. ***ut primum togas et sæviora armis jura viderunt.*** Reliquus autem sensus: meminisset, magnam partem plebeios ac de plebe esse, qui enitescerent atque in lucem se proferrent toga et causidicina: qui non possent tam magnum induere animum, et operam illam gratuitam præstare, nisi esurire domi et fame perire velint, dum alios beatos faciunt. Nam, quod dicere Tacitum faciunt, plebi non esse aliam viam ad dignitates, falsum est, ut norunt rerum Romanarum periti. Pejus et ridicule, qui proprie accipit, quasi vellet Tacitus, ut plebs cogitet, quomodo niteat toga, sic oratorem cogitare quomodo niteat oratio. Gron. Rectissime hæc. Et plane ed. pr. et Puteol. sic habent. Guelf. ***cogitaret—qua.*** Ceterum ***enitescere*** ætas hæc sic dixit. Plin. Pan. 4. et alibi. Ern. Lipsium sequuntur Heins. et Bip. Mihi potior videtur lectio a Gron. recepta, quæ et Ferrario placet de re vest. 1, 33. Bud. ***cogitaret p. qua.***

Ut minus dec.] Hæc interpunctio debetur Freinshemio. Ante male interpungebatur post ***decora.*** Ceterum in reliquis hæreo: quæ si sine vitio sunt, ***frustra*** est, sine idonea caussa, qua moveri debeat ad decernendum secundum ea. Sed ita ***frustra*** non dicitur. Arbitror, Tacitum dedisse, ***ut m. decora hæc, ita haud frustra dicta. Princeps cap. p. p. modum,*** deleto ***ratus,*** quod est ab interpolatore, qui vitiosa interpunctione deceptus, ex-

hæc, ita haud frustra dicta Princeps ratus, capiendis pecuniis posuit modum, usque ad dena sestertia, quem egressi repetundarum tenerentur. A. U. 800. A. C. 47.

8 Sub idem tempus Mithridates, quem imperitasse Armeniis, et ad præsentiam Cæsaris vocatum memoravi, monente Claudio, in Regnum remeavit, fisus Pharasmanis opibus. Is Rex Iberis, idemque Mithridatis frater, nuntiabat, *discordare Parthos: summaque Imperii ambigua. minora sine cura haberi.* Nam inter Gotarzis pleraque sæva (qui necem fratri Artabano conjugique ac filio ejus præparaverat, unde metus ejus in ceteros) accivere Bardanen. Ille, ut erat

plendæ sententiæ addidit *ratus*: nisi id factum e *motus*. Ern.

Usque ad dena sestertia] Eandem summam Nero etiam definiit, credo. de quo Suet. 17. *Item, ut litigatores pro patrociniis certam justamque mercedem darent.* Sæpius enim relata hæc lex, cum perrumperet improbitas forensis. Eandem summam capere et Trajanus advocatis permisit, sed dumtaxat post negotia peracta. Plinius ep. 5, 21. *Peractis tamen negotiis permittebantur pecuniam dumtaxat decem millium dare.* Nam decem millia *HS.* idem quod dena *HS.* idem quod centum aurei; ut alibi docebo. Quod honorarium patrono Ulpianus tribuit in singulas caussas, l. 1. D. De variis et extr. cognit. Lips. Vide, ad hunc locum quæ scripsimus Pecuniæ Veteris 2, 5. Gron. Suetonium Neroni tribuere, quod Claudio erat tribuendum, judicat Grævius ad l. cit. Verum Claudius modo terminum constituit, quem egredi nefas esset; Nero contra pro uno quoque genere caussæ certam mercedem definiisse videtur. Ita Ernesti ad Suet.

Quem egressi] *Quem*, id est, modum. Sic e Flor. Pichena vett. edd. *quæ*. Ern. Bud. *quæ*.

Vectum memoravi] In libris scilicet, quibus descriptæ res Caii. Dio 60, 8. rem breviter tangit: Τὸν Μιθριδάτην τὸν Ἴβηρα, ὃν ὁ Γάϊος μεταπεμψάμενος ἐδεδέκει, οἴκαδε πρὸς ἀνάληψιν τῆς ἀρχῆς ἀπέπεμψεν. Quod hic in Tacito est, *vectum*; manuss. *vinctum*. Legerim, *ad præsentiam Cæsaris vectum vinctumque memoravi.* Quamquam Seneca non vinctum modo, sed in exsilium missum fuisse significat, de Tranquill. 11. *Ptolemæum Africæ Regem, Armeniæ Mithridatem, inter Caianas custodias vidimus. Alter in exsilium missus est,* (Mithridates scilicet:) *alter, ut meliore fide mitteretur, optabat.* Lips. Restitui *vinctum*, quod MSS. quidam et ed. pr. habent, et hic desiderari etiam Lipsius vidit. Quæ forma loquendi *ad præsentiam alicujus vehi?* Omnino nescio, quid sit *ad præsentiam*, quod cum *vectum* jam est in ed. Puteol. reperique et in Guelf. Ab ed. pr. abest. Tacitum quidem sic scripsisse non credo. Ern. Bud. *victum* et in marg. al. *vectum*. Bene Bip. *vocatum*, quo redditur Dionis μεταπεμψάμενος. *Vinctum* admitti posset, si adderetur *adductum, vectum* vel simile quid.

Præparaverat] Nihil certius mihi, quam Tacitum scripsisse *properaverat*, quod et Mureto visum. Ut libro 2, 31. *petiturum se vitam quamvis nocenti, nisi voluntariam mortem properavisset.* l. 1. Cod. de his qui par. *Si quis parentis aut filii aut omnino adfectionis ejus, quæ nuncupatione parricidii continetur, fata properaverit.* Virgilius 9, 400. *an sese medios moriturus in hostes Inferat, et pulcram properet per vulnera mortem.* Vulgatum vix Latinum est, neque elegantius *paraverit.* Gron. Sic noster etiam alibi loquitur. 13, 17. sed tamen vulgatum non adeo absurdum aut contra analogiam dictum puto. *Præparare alicui necem* est moliri, per venena, ut *profectionem præparare* apud Sueton. Tib. 38. pro moliri. Quod si tamen vi aperta sustulit, *properare* necessarium est. Verum ab initio hujus parentheseos legendum puto *quippe necem.* Syllaba *ne* absorpsit ultimam τοῦ *quippe.* Semper Tacitus in tali parenthesi hac particula utitur: ut ante c. 6. Acidalius etiam *ejus* post *metus* deleri vult. Recte. Noster alibi: *unde metus in omnes.* Exemplum Jac. Gronovii alienum est. Ern. Bud. *præparaverat.*

Accir. Bardanen] Paullo aliter Jos. Ant. 20, 2.

A. U. 800. A. C. 47. magnis ausis promptus, biduo tria millia stadiorum invadit, ignarumque et exterritum Gotarzen proturbat: neque cunctatur, quin proximas Præfecturas corripiat, solis Seleucensibus dominationem ejus abnuentibus. In quos, ut patris sui quoque defectores, ira magis, quam ex usu præsenti, accensus, inplicatur obsidione urbis validæ, et munimentis objecti amnis, muroque, et commeatibus firmatæ. Interim Gotarzes, Daharum Hyrcanorumque opibus auctus, bellum renovat: coactusque Bardanes omittere Seleuciam,
9 Bactrianos apud campos castra contulit. Tunc, distractis Orientis viribus, et, quonam inclinarent, incertis, casus Mithridati datus est occupandi Armeniam, vi militis Romani ad excidenda castellorum ardua, simul Ibero exercitu campos persultante. Nec enim resistere Armenii, fuso, qui prœlium ausus erat, Demonacte, Præfecto. Paullulum cunctationis adtulit Rex minoris Armeniæ, Cotys, versis illuc quibusdam procerum; dein litteris Cæsaris coercitus, et cuncta in Mithridaten fluxere, atrociorem, quam novo regno conduceret. At Parthi Imperatores, cum pugnam pararent, fœdus repente iciunt, cognitis popularium insidiis, quas Gotarzes fratri patefecerat, congressique primo cunctantur, deinde complexi dextras, apud altaria

Biduo] Deest in Bud.

Tria millia] Est ingens cursus in biduo: sed noctes etiam haud dubie assumptæ. Faciunt *trecenta septuaginta quinque* milliaria Romana. est idem cursus, quem Annibal confecit, a Scipione victus: et vide me, si voles, Centuria Epist. ad Italos, epist. 59. Lips.

Gotarzen proturbat] Sic jam ed. princ. Id deinde mutatum in *perturbat*, quod est in ed. Puteolani. restituit Rhenanus. Consentit Guelf. Ern. Bud. *perturbat*.

Præfecturas] Satrapias, ut Herodotus appellat 1, 192. *Præfecti* satrapæ. Ern.

Viribus] Bud. *copiis*.

Vi militis R.] Int. conversa, aut simile quid, quod latet in *persultante c.* Συλλήψεως hujusmodi exemplum jam non unum vidimus. *Campos persultare* e Livio est 34, 20. quam *sæpe in agro eorum impune persultavissent*. Ern.

Nec enim resistere Armenii] Sic ed. pr. Puteol. et e cod. Bud. Rhenanus, Aldus. Alii *restitere*. Ern.

Dein literis Cæsaris coercitus] Sic e Flor. Pichena: sic ed. pr. Ern. et Bud.

Fœdus repente faciunt] Non ut in libris hodie, *jaciunt*. Bene etiam Maurus, *iciunt*. Porro an hic *Bardanes* sit, quem in eo tractu, Regem a se visum et conventum Apollonius apud Philostratum dicit 1, 21. nescio. Ætas patiatur: sed et ibi notatur, *pulsum eum Regno fuisse, et tertium tunc annum iterum regnasse*. Lips. *Iciunt* cod. Agr. quod non spernendum puto. Suet. Claud. 25. *fœdus in foro icit*. Vid. ad 12, 62. Ex eo factum *jaciunt* in MSS. et edd. pr. sqq. Ern. Bud. *jaciunt*. *Iciunt* cum Bip. in textum recipio.

Gotarzes fratri patefecerat] Ita reposuit Rhenanus, quod Aldus ceterique secuti sunt. MSS. ed. pr. ceteræque ante Rhen. *patefecit*. Broterius edidit *fratris f.*, quod, auctore Josepho A. J. 20, 3. frater Gotarzis Artabanus fuit, cujus filius Bardanes. Non ausim imitari: quia filius Artabani interfectus cum patre dicitur c. 8. ita, ut eum unum habuisse videatur; et potuit duos fratres, alterum Artabanum, alterum Bardanem habere. Ern. Bud. *patefecerat*. Muretus volebat *patri*.

Cunctanter] Ed. pr. *cunctantur*. quod mihi longe melius videtur. Dubitant primo, quid agant: deinde confirmati dextras complectuntur. Forma

Deum pepigere, *fraudem inimicorum ulcisci, atque ipsi inter se concedere.* Potiorque Bardanes visus retinendo regno: at Gotarzes, ne quid æmulationis exsisteret, penitus in Hyrcaniam abiit. regressoque Bardani deditur Seleucia, septimo post defectionem anno; non sine dedecore Parthorum, quos una civitas tamdiu eluserat. Exin validissimas Præfecturas invasit. et reciperare Armeniam avebat, ni a Vibio Marso Syriæ Legato, bellum minitante, cohibitus foret. Atque interim Gotarzes, pœnitentia concessi Regni, et, revocante nobilitate, cui in pace durius servitium est, contrahit copias. et huic contra itum ad amnem Erinden: in cujus transgressu multum certato, pervicit Bardanes, prosperisque prœliis medias nationes subegit ad flumen Sinden, quod Dahas Ariosque disterminat. Ibi modus rebus secundis positus. nam Parthi, quamquam victores, longinquam militiam adspernabantur. Igitur exstructis mo-

A. U. 800.
A. C. 47.

etiam narrandi Tacito convenientior. Ern. Recte.

Deinde c. d.] *Dein c. d.* Bud. contra c. 2. pro *exin* habet *exinde.*

Exin validissimas præfecturas invasit] MSS. ed. pr. *invisit:* quod tamen in exemplo nostro antiqua manus correxerat *invasit:* et sic edidere Beroaldus, Alciatus, Rhenanus etc. Sed ante jam Puteolanus. Et ita est in Guelf. Ern. Rhen. in Bud. legi ait *invisit.* debebat addere, id esse a r. m.

Et reciperare Armeniam *] Non sanus locus; de quo velut in tenebris micabo. Libri scripti voce auctiores, *reciperare Armeniam habebat.* Et rectumne illud? ut sit Græcorum ἴχω, ἀντὶ τοῦ δύναμαι: quomodo Cicero, Appuleius, Agellius, aliique e Latinis interdum. An *havebat?* an *audebat?* verbum quidem infarciendum est, ruenti sententiæ sustentandæ. Veneta editione, *reciperare Armeniam parabat,* expressum invenies. In Vat. opt. (siquid hoc ad rem) *habeat:* scribitur. littera alia superne adjecta. Quid si etiam, *reciperare Armeniam ibat?* sive *vadebat.* Lips. Optime Rhenanus et Salinerius, qui *reciperare* pro *reciperabat* volunt. Vide Obs. 2, 14. Gron. *Habebat* est etiam in ed. pr. *parebat* in MS. Guelf. Codex Agr. adeo addit *in animo.* Mihi dicta a Gronovio l. c. nondum satisfaciunt. Nam exemplum infinitivi desidero in hac structura, sequente *ni.* Taciti quidem perpetua est consuetudo, in hac forma orationis verbum finitum usurpare. Hæc dubitatio dum idoneis exemplis tollatur, liceat mihi credere, legendum esse *reciperabat.* Verbum *parabat* in MSS. tribus reperit Broterius, ediditque Puteol. et inde Ber. quos Broterius secutus est. Ego eos imitari non ausus sum, quia in eo verbo minus est, quam res requirit; ideoque interpolatorem redolet. Ern. Bud. a r. m. *recuperare* et in marg. *parabat.* Bip. *habebat* h. e. poterat. Sed id *habebat* in codd. ortum videtur ex *avebat,* ut recte Heinsius. Cui hoc non placet, legat *reciperabat.*

A. Vibio] Præpositio est in MSS. ed. pr. Omisit Puteolanus, non demum Beroaldus, ut vult Jac. Gron. qui restituit. Ern. Bud. *nisi a V.* Sed hoc *a* a r. m.

Foret] Bud. *esset.* et mox *vocante.*

Amnem Erinden] Ed. pr. *Eriden.* Ryckius conjicit: *Charindam,* qui a Ptolemæo 6, 2. inter Hyrcaniam et Mediam ponitur, memoratus etiam Ammiano 23, 6. Ern. Bud. *Erindem.*

Ad flumen Ginden] Vett. *Sinden.* Gyndes fluvius nominatur etiam Senecæ Ira 3, 21. *Cyrus cum Babylonem oppugnaturus festinaret ad bellum, Gynden late fusum amnem vado transire tentavit,* et quæ sequuntur: e quibus hauris sententiam Tibulliani versus 4, 141. *—aut rapidus Cyri dementia Gyndes.* Ubi male vett. libri, *Cydnus.* Nam et Herodoto Gyndes, 1, 189. Lips. Ed. Puteol. aliæque vett. edd. *Gynden.* At ed. pr. MSS. etiam Guelf. *Sinden:* quod restituit Broterius; nam *Gyndes* Babylonius est alienus, de quo v. Broukh. ad Tib. p. 372. Ern. Bud. *Sinden.*

Longinquam militiam] Sic ed. pr. quod restituit (ex Bud.) Rhenanus,

A. U. 800. A. C. 47. nimentis, quibus opes suas testabatur, nec cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parta, regreditur; ingens gloria, atque eo ferocior et subjectis intoleratior: qui, dolo ante composito, incautum, venationique intentum, interfecere, primam intra juventam, sed claritudine paucos inter senum Regum, si perinde amorem inter populares, quam metum, apud hostes quæsivisset. Nece Bardanis turbatæ Parthorum res inter ambiguos, quis in Regnum acciperetur. multi ad Gotarzen inclinabant; quidam ad Meherdaten, prolem Phrahatis, obsidio nobis datum. dein prævaluit Gotarzes. potitusque regiam, per sævitiam ac luxum adegit Parthos, mittere ad Principem Romanum occultas preces, quis, *permitti Meherdaten patrium ad fastigium*, orabant.

11 Iisdem Consulibus ludi sæculares octingentesimo post Romam conditam, quarto et sexagesimo, quam Augustus ediderat, spectati sunt. Utriusque Principis rationes prætermitto, satis narratas libris, quibus res Imperatoris Domi-

inducto inde a Puteolano *quamque*. Guelf. *longinquam amicitiam*. Ern. In Puteol. non est *quamque*, sed *quanquam*. In Frob. 1519. *quamque*. quod Rhen. omisit.

Nec cuiquam—parta] Sic dedit e cod. Bud. pro *nec enim cuiquam—parata* Rhenanus. *Enim* etiam ab ed. princ. abest. Rhenanum statim secutus est Aldus. Ern. Bud. a 1. m. habebat *parata*. Rhenanus male ad eum provocat.

Subjectis intolerantior] Jam diximus ad 3, 45. *curis intolerantibus* pro *intolerandis* dixisse Lævium: ut *intolerantior* possit esse minus tolerandus. Gron. Mox pro *apud hostes* ed. pr. *inter*. Ern. Grotius volebat *intoleratior*, quod placet. Cf. 12, 11.

Turb. P. res, inter etc.] Muretus ita: *turb. P. res. Inter a. q. i. r. acciperetur, multi* etc.

Prolem Phrahatis] Non filium, ne erres, sed nepotem ex Vonone. Ipse Tacitus infra 12, 10. Lips.

Obsidio n. d.] Ryckius suspicatur, *obsidium* dici per appos. pro *obsidem*, et ex Agr. cod. citat 51, 1. *temeritate obsidii*, ubi in aliis *obsidis*. *Obsidium* pro statu obsidis sumi notat Gesnerus in thes.

Potitusque regia] Vat. opt. *regiam*. Itaque scripsit. Lips. Sic et Flor. ed. pr. *Regia* dedit Puteol. et seqq. sic MS. Guelf. Ern. Cod. Agr. *rerum*.

Permitti Meherdaten] Vide Obs. 2, 13. Gron. i. e. ut potestatem daret eundi in patriam et capessendi regni. Adde Gruter. ad Martialem 10, 12. Drak. ad Liv. 3, 70. Ern. Scil. nonnulli legendum suadebant *remitti*, quod Grut. inprobat.

Quarto et sexagesimo] Plinius 7, 49. *Eo minus miror Stephanionem, qui primus togatas saltare instituit, utrisque secularibus ludis saltasse, et D. Augusti, et quos Claudius Consulatu suo quarto fecit; quando sexaginta tres non amplius interfuere anni.* Lips.

Rationes prætermitto] Quæ tamen claræ sunt. Augustus enim priscam institutionem secutus est, et edidit quinctos ludos sæculares anno centesimo et nono (decimo debuisset, si paruisset artæ legi) exacto. Claudius ita rationem instituit, ut centesimo quoque anno censuerit celebrandos: quasi sæculum rotundo centum annorum numero definiens. Itaque, insuper habita computatione Augusti et prisca, rettulit nunc octingentesimo urbis anno, se IV. et L. Vitellio III. Coss. Plura si cupis, vade ad Onufrii Panvinii ea super re libellum: viri industrii, diligentis, et cui Romanæ memoriæ (curam tantum ferre potuisset aut limam) debent, debebuntque. Lips. Immo Claudius celebravit ludos sæculares urbis conditæ, sæculum centum annis finiens, ut post alii Imperatores fecere, ultimusque Philippus millesimo ab U. C. anno: sed Augustus celebravit ludos sæculares e præscripto oraculi, quod est ap. Zosimum 2, 6. qui etiam c. 5. ritus horum ludorum narrat, primumque celebrati sunt a. U. 353. L. Valerio Potito

tiani composui. nam is quoque edidit ludos sæculares; iisque intentius adfui Sacerdotio Quindecimvirali præditus, ac tum Prætor. quod non jactantia refero, sed quia conlegio Quindecimvirum antiquitus ea cura, et magistratus potissimum exsequebantur officia cærimoniarum. Sedente Claudio, circensibus ludis, cum pueri nobiles equis ludicrum Trojæ inirent, interque eos Britannicus, Imperatore genitus, et L. Domitius, adoptione mox in Imperium et cognomentum Neronis adscitus, favor plebis acrior in Domitium, loco præsagii acceptus est. vulgabaturque, *adfuisse infantiæ dracones in modum custodum*; fabulosa et externis miraculis adsimulata. nam ipse, haudquaquam sui detractor, unam omnino *anguem in cubiculo visam*, narrare solitus est. Ve- 12
rum inclinatio populi supererat, ex memoria Germanici, cujus illa reliqua suboles virilis: et matri Agrippinæ miseratio augebatur, ob sævitiam Messallinæ: quæ semper infesta, et tunc commotior, quo minus strueret crimina et accusatores, novo et furori proximo amore detinebatur.

A. U. 800. A. C. 47.

quartum Trib. mil. Cos. pot. ab Augusto a. U. 737. C. Furnio et C. Junio Silano coss. quintum. Quibus rationibus autem Augustus usus sit, non constat. Nam, si initium numerandi duxisset ab a. 353. cecidissent in a. 793. sive a quartis a. U. 605. incidissent in a. 715. in quo ponit Zosimus c. 4. sed falso, et dissentiente Censorino c. 17. qui in a. 737. ponit. Sed hæc disputare non est hujus loci. Videant, qui volunt, Pagium Diss. Hypat. P. 2. c. 10. et qui de ludis sæcular. scripsere. Ern.

Collegio Quindecimvirum] Ideo Horatius in Carm. sæc. 70. *Quindecim Diana preces virorum Curet.*—— Et in nummis Augusti: IMP. CAES. AVG. LVD. SAEC. XV. S. F. id est, *Quindecimviri sacris faciundis.* Quamquam ad eos et aliorum ludorum curam pertinuisse, alibi mihi dictum. Lips.

Magistratus potissimum] Hoc ad id spectat, quod Prætorem se tunc præmisit: eoque, inquit, gnarum hujus rei et permixtum. Lips.

Pueri nobiles] Male Spanh. de Pr. NN. diss. 12, 2. ad Britannicum et Neronem hos restringit. Inter eos fuisse clare Tacitus refert.

Ludicrum Trojæ] Cf. Serv. ad Virg. Æn. 5, 545. Suet. Jul. 39. Aug. 43. Dio 43, 23.

L. Dom. adoptione] Huc Vaill. NN. Col. in Ner. trahit numum Babbæ cusum c. epigr. NERO CLAVDIVS CAESAR.

Infantiæ ejus] Abest a Guelf. *ejus.* bene. Ern. et a Bud. Bip. conjiciunt: *adf. infanti duos dr.* ingeniose. firmatur per sequens *unam*.

In modum custodum] Genios enim specie anguium apparere opinio erat, ut multis locis poetarum patet. v. Heins. et Drakenb. ad Silium 2, 585. Gorius ad Donii Inscr. ant. p. 44. Ern.

Miraculis adsimulata] Flor. *adsimilata:* quod recepit Pichena. Ego hanc notam potius ætatis in librario puto, qui Tacitum et æquales ejus nunquam *assimilare*, ut sequiorem ætatem, scripsisse arbitror, et de eo ad Statium c. 6. dicere cœperim. Gron. MS. Agr. ed. Puteol. et seqq. *assimulata.* Sed Guelf. ed. pr. *assimilata.* de verbo jam supra dictum. Ern. Bud. *adsimilata.*

Sui detractor] Burm. ad Ov. Met. 5, 246. putat fuisse *detractator*, et pro eo in MSS. datum *detractor.* Verum puto. Sic H. 1, 83. libri quidam *detractione* pro *detractatione.* Ern.

Unam omnino anguem] Paullo aliter Xiphil. 61, 2. qui exuvias dumtaxat serpentis ad caput Neronis pueri inventas ait: idque vates ita interpretatos, magnam potentiam ab homine sene capturum, quia serpentes positis exuviis senectutem exuerent. En vanitatem! Lips. Adde Sueton. Ner. 6. Ern.

Detinebatur] *Distinebatur* edd. omnes, quas inspexi, præter primam, quæ habet *detinebatur.* Verba illa sæpe in MSS. confundi constat, v. Drakenb. ad Liv 5, 20. atque etiam in

A. U. 800. A. C. 47. Nam in C. Silium, juventutis Romanæ pulcherrimum, ita exarserat, ut Juniam Silanam, nobilem feminam, matrimonio ejus exturbaret, vacuoque adultero potiretur. Neque Silius flagitii aut periculi nescius erat: sed certo, si abnueret, exitio, et nonnulla fallendi spe, simul magnis præmiis, opperiri futura et præsentibus frui, pro solatio habebat: illa non furtim, sed multo comitatu ventitare domum, egressibus adhærescere; largiri opes, honores: postremo, velut translata jam fortuna, servi, liberti, paratus Principis apud adulterum visebantur.

13 At Claudius, matrimonii sui ignarus, et munia Censoria usurpans, *theatralem populi lasciviam* severis edictis increpuit, *quod in P. Pomponium, Consularem*, (is

editis. Proprie quidem *detinere* est retinere, quocum etiam confundi solet, ab aliqua re abstrahere. *Distinere* autem in diversas partes trahere. Itaque in distinendo duæ ad minimum res intelligi debent, in detinendo sufficit una. Hinc fit, ut, cum res sit una, trahatque non in diversas et plures, sed unam partem, *detinere* dicendum sit. Hæc si ita sunt, ut puto, h. l. *detinebatur* est vera lectio, non *distinebatur*, quam quia ed. pr. habet, non dubitavi reponere. Similis locus est ap. Cicer. Phil. 9, 2. *putat nos alio bello detineri*, sc. quo minus eum coerceamus: sic ibi vulgo bene legitur: male alii *distineri*. Si dixisset simpliciter *putat nos distineri*, rectum esset: intelligeretur enim, duobus bellis: sed additum *alio bello* desiderat *detineri*. noster dicit *attineri* 13, 27. Sic hic Messallina *distinebatur* studio ultionis et amore: sed amore *detinebatur*. Consideret quis exempla verbi *distinere* a Drakenb. l. c. Heins. ad Ovid. Her. 8, 69. et aliis, collecta, ita esse reperiet. Atque hinc facile in aliis locis judicabit. Grævius observatiuncula de hoc verbo captus, id interdum male obtrudit scriptoribus. Sic Justino 29, 2. recte restituit *distineri*, male obtrusit 6, 6. Ern. Bud. *detinebatur*.

C. Silium] De hoc c. 5. et 35. et 4, 18, 19. et Juven. 10, 330. De Junia Silana 13, 19.

Vacuo adultero] Vide ad 6, 34. Cic. Catil. 1, 6. *domum novis nuptiis vacuefecisses*. Liv. 1, 46. *cum domos vacuas novo matrimonio fecissent*. Guelf. ed. pr. *adulterio*, ut infr. c. 26. init. *adulteriorum* pro *adulterorum*. Sed MS. Guelf. etiam in fin. cap. *adulterium* pro *adulterum*. Ceterum hæc sententia non pendere potest a præcedente supra *ut*, sed a tota præcedente sententia. Nam Messallina exturbavit uxorem e matrimonio Silii, quo sola frueretur adultero. Itaque suspicatus sum legendum esse, *vacuo quo ad. p.* vel, *quo vacuo a. p.* Ern. Sic jam Ryck.

Illa] Si sequens statim periodus non ab *at* inciperet, crederem hic intercidisse *at* per finalem præcedentis verbi syllabam. Silius sperabat rem latere posse, at illa, quomodo res lateret, nihil curabat. Vix dubito, Tacitum scripsisse *ipsa*. Ern.

Egressibus adhærescere] Qui mos Romæ colendi potentiores. Lips. Idem factum interdum pantomimis supra proditum, item a Plinio juniori, scimus, amore, sicut h. l. Ern. Bud. *et gressibus*.

Paratus Principis] Cf. c. 30. et 35.

Munia Censoria usurpans] De anno cœptæ a Claudio Censuræ v. Pagium Crit. Bar. a C. 48. de Censura ipsa dicta ad Suetonii Claud. 16. Ern.

Severis edictis increpuit] Pichena et Gruterus velut e MSS. restitutum jactant *severis edictis*. At ego in omnibus meis edd. pr. Puteol. Ber. Alc. Rhen. Aldi *edictis* reperi. In Lipsianas vitio operarum irrepsit *dictis*, quod et in ultimæ recensionis exemplo (1600. 4.) reperi. In iis, quæ post mortem facta sunt, *edictis* reperi, ut 1645. Ern. Cod. Covarr. et Bud. *edictis*.

In P. Pomponium Consularem] Qui Consul fuit a. 782. iterum sub Caio, a. 794. Sed de prænomine illustris viri et poetæ, quæro. Hic Publius dicitur: infra 12, 27. Lucius, *Deinde L. Pomponius Legatus auxiliares Vangiones ac Nemetas*, etc. Loqui enim eum de hoc poeta, docent quæ subjunxit: *decretusque Pomponio triumphalis honos, modica pars famæ ejus apud posteros, in quis carminum gloria præcellit*. At Dioni 59, 6. est Quintus: Ἔπειτα τοὺς ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ

carmina scenæ dabat) *inque feminas inlustres, probra jecerat.* A. U.
Et lege lata sævitiam creditorum coercuit, *ne in mortem pa-* 800.
A. C. 47.

ὄντας ἀπέλυσεν· ὧν εἷς ἦν Κύιντος Πομπώνιος, ἑπτὰ ὅλοις ἔτεσιν ἐν τῷ οἰκήματι μεθ' ὑπάτειαν κακωθείς. Quæ ipsa de hoc vate accipienda, clarum ex iis, quæ Tacitus 5, 8. Ubi cum descripsisset custodiam hujus Pomponii apud fratrem, addit: *At Pomponius multa morum elegantia, et ingenio illustri, dum fortunam æquus tolerat, Tiberio superstes fuit.* Et sunt ab eo tempore ad liberationem e custodia anni septem. Hanc nominis litem dabam secundum Dionem (quippe integre perscriptum apud eum prænomen est:) nisi submonuisset Tacitus fratrem poetæ fuisse Quinctum, 6, 18. *Sanciæ aqua et igni interdictum, accusante Q. Pomponio. Is, moribus inquies, hæc et hujusmodi a se factitari prætendebat, ut, parta apud Principem gratia, periculis Pomponii Secundi fratris mederetur.* Itaque nihil constituo. Est autem hic, non Atellanarum scriptor, (qui L. Pomponius Bononiensis dictus, Ciceroni, Senecæ, Macrobio, Nonio, Festo, laudatus:) sed tragœdiarum. Quintil. 10, 1, 98. *Eorum, quos viderim, longe princeps Pomponius Secundus, quem senes parum tragicum putabant, eruditione ac nitore præstare confitebantur.* Plinius epist. 7, 17. *Pomponius Secundus, scriptor tragœdiarum, siquid forte familiarior amicus tolleret, dum ipse retinendum arbitraretur, dicere solebat, Ad populum provoco.* Hic est, quem tanti Plinius alter fecit, ut vitam ejus miserit in scripta. 14, 6. *Nobili exemplo docuimus, referentes vitam Pomponii Secundi vatis, cœnamque quam Principi dedit.* Et 13, 26. *Ita sunt longinqua monumenta Tiberii Caiique Gracchorum manus, quæ apud Pomponium Secundum vatem civemque clarissimum vidi annos fere post ducentos.* LIPS. De Consulatu Pomponii primo, nondum mihi res liquida. In fastis quidem Coss. suffecti traduntur eo anno *Q. Pomponius et Sanquinius* ab Onufrio, sed nullo argumento. In ed. Almeloveenianorum Fastorum pro testimonio laudatur inscr. ap. Grut. p. 1087. n. 1. Sed ibi *A. Plautius* et *L. Nonius* eduntur, quos suffectos eo anno facit etiam Muratorius in Thes. Inscr. p. 302. Sed tota illa ἔκδοσις vitiis plena est, omninoque optandum, ut aliquis vir in his rebus accurate versatus, nominatim Hagenbuchius, hanc curam in se suscipiat, et fastos Consulares constituat potius illustretque universos, quam epistolam Consularem tantum scribat, cujus edendæ spem ab eo fieri video.—Sed de Hagenbuchio irrita vota fuere. Cui nunc provinciam hanc deferri cupiamus, non reperimus. ERN.

Lege lata] Tirones caveant, ne hæc e prisco more intelligant, velut ad populum de eo relatum fuerit. Comitia populi tum nulla. Senatus consultum intelligendum est. Sic ap. Suet. Claud. c. 23. dicitur *obrogasse* legi Papiæ Poppææ: id factum SCto. Ceterum *lata* non aptum videatur esse his temporibus, quibus leges *fiunt, dantur* etc. sed non *feruntur.* Sufficiebat *lege sævit. cr. coercuit.* Sed tamen et H. 4, 47. legem tulisse Domitianus dicitur, cum relationem de lege sanciendа in Senatu fecit. ERN.

Sævitiam creditorum] Exquisite sic vocat avaritiam et lucri sordidum studium, quam et *acerbitatem* vocant, unde *acerbissimi feneratores* Cic. ad Att. 6, 1. Simile est, quod *cruentas usuras* dicunt. Ceterum verba *lege —coercuit* excidere in MS. Guelf. ERN.

Ne in mortem parentum] Quæ circumscriptio juventutis jam ante vetita, Lætoria lege. Sed paullo aliter. Nam Lætoria lex saltem caverat iis, qui intra 25. annos; alios insuper habuerat: Claudius universe constituit de omnibus filiisfamiliarum, etiam supra legitimam ætatem. Lætoria etiam lex, fenoris aut pecuniæ nulla mentione, simpliciter vetabat, *minorem, vigintiquinque annis stipulari*, id est ἐπερωτᾶσθαι, ait Priscianus, sive stipulanti respondere. De ea non dubie Plautus sensit Pseud. 1, 3, 68. *Perii! an non tum me lex perdit quinta vicenaria? Metuunt credere omnes.* Et Rud. 5, 3, 25. *Ni dolo malo instipulatus sies. nive etiamdum siem Quinque et viginti natus annos.* Asperius eamdem Claudii legem rettulit Vespasianus Suet. c. 11. *ne filiorumfamilias feneratoribus exigendi crediti jus umquam esset, ne post patrum quidem mortem.* Satis multa JCti ad SC. Macedonianum. LIPS. MS. Guelf. *in morte*, male. ERN. Sic et Bud.

A. U. 800. A. C. 47. *rentum pecunias filiisfamiliarum fœnori darent.* Fontesque aquarum, ab Simbruinis collibus deductos, urbi intulit. Ac novas litterarum formas addidit vulgavitque; comperto, Græcam quoque litteraturam non simul cœptam absolutamque.

14 Primi per figuras animalium Ægyptii sensus mentis effingebant; (ea antiquissima monimenta memoriæ humanæ inpressa saxis cernuntur) *et litterarum semet inventores* perhibent; *inde Phœnicas, quia mari præpollebant, intulisse Græciæ, gloriamque adeptos, tamquam repererint, quæ acceperant.* Quippe fama est, *Cadmum, classe Phœnicum*

Ab Simbruinis collibus] Vett. *Sub imbruinis.* Lego, *sub imbrivinis.* Prorsum addi eam voculam placet. Non enim ex ipsis collibus deductam aquam vult: sed fontes aquarum, qui sub collibus, Romam perductos. Locus ipse in melioribus Livii libris, *Imbrivium*, 8, 30. et Silio 8, 370. —*gelidoque rigantur Imbrivio.* Apud Celsum tamen Simbruinas item aquas legas 4, 5. *Consistere in frigidis medicatisque fontibus, quales Cutiliarum Simbruinarumque sunt, salutare est.* Lips. *Sub imbruinis* omnes vett. libri (in his et Bud.) ad Rhenanum, qui e Taciti A. 14, 22. correxit *Simbruinis.* Veterem lectionem reduxit e Flor. Pichena, quem secuti sunt Gronovii: Ryckius autem Rhenanum. E Lipsii correctione laudat hunc locum Sigonius ad Livium l. c. Sed Livii locus nil prodest Lipsio. Est enim Livianum *Imbrivium* s. *Imbrinium* potius, diversum ab loco hoc, unde aquæ deductæ, ut monuere Ortelius et Cluverius ap. Drakenb. ad l. c. qui edidit *Imbrinium.* Apud Silium 8, 371. meliores libri habent *Simbruvio:* atque id defendit N. Heinsius, ediditque Drakenb. Ergo non dubitandum, hic quoque *Simbruinis* vel *Simbruvinis* scribendum esse, præsertim cum infra 14, 22. hæc scriptura sit in omnibus editis. Sed quia, ut recte monuit Jac. Gronovius, non est de nihilo, quod in MSS. est *sub Imbr.* ex ejus mente edendum curavi *ab Simbruinis.* Non male, ut opinor, Hesselius suspicatur in Vibio Sequ. v. *Anien*, corruptum nomen *Simbruini lacus* in *Velinum* p. 8. Ern. Adde, quæ ipse ad h. l. Vibii notavi p. 53. De stupendo opere ipso, quo Curtium et Cæruleum fontes Claudius urbi intulit, v. Plin. 36, 24. qui *nihil magis mirandum in toto orbe terrarum fuisse* adserit.

Comperto Gr. qu.] Ed. pr. *Comperit quoque Græcam.* Puteol. *comperto quoque.* Ern. Sic et Bud.

Primi per figuras animalium] Non animalium solum, sed et rerum mutarum: quæ hieroglyphicæ notæ dictæ. Litteras tamen postea Ægyptiis sive Isis regina tradidit, sive Mercurius: sed ita, ut priscas illas notas, quas ἱερὰς dicebant, Sacerdotes retinerent: alias, quas πανδήμους, vulgus. Lips. Specimen scripturæ hujus extat in obelisco Ramessis, de quo 2, 60. Ern.

Et antiquissima monumenta] Lego *ea antiquissima.* Lips. Sic et Freinsh. qui hæc ut in parenthesi dicta accipit: estque durior hic crebra repetitio copulæ, præsertim in oratione Taciti. Ern. Recte vidit Freinshem. sequor.

Fama est etc.] In totum hunc locum de literis Græcis e Phœnice in Græciam perlatis, inde in Italiam, qui velut justum commentarium desiderat, legat disp. Scaligeri in Animadvers. ad Eusebii Græca p. 110. et Montefalcon. Palæogr. Gr. 2, 1. sqq. atque etiam Edm. Chishullum ad Inscr. Sigeam in Antiqu. Asiaticis, ut alios taceam: in primisque inspiciat ap. Chishullum tabulam p. 24. in qua naturæ et orbis alphabetum exhibetur. Ern.

Cadmum] Atque ita creditum plerisque scriptoribus. ut Clementi Alex. Strom. 1, 16. Κάδμος δὲ Φοίνιξ ἦν, ὁ τῶν γραμμάτων Ἕλλησιν εὑρετὴς, ὥς φησὶν Εὔφορος (verius, Ἔφορος), ὅθεν καὶ Φοινικήϊα τὰ γράμματα Ἡρόδοτος κεκλῆσθαι γράφει. Q. Curtius 4, 4. *Si famæ libet credere, hæc gens* (Phœnices) *litteras prima aut docuit, aut didicit.* Isidorus 1, 3. *Græcarum litterarum usum primi Phœnices repererunt. . . . Hinc est, quod Phœniceo colore librorum capita describuntur, quia ab ipsis litteræ initium habuerunt.* Quod ait de colore capitum sive titulorum in libris, verum et vetus est. Ovidius Trist. 1, 1, 7. *Nec titulus minio, nec*

vectum, rudibus adhuc Græcorum populis artis ejus auctorem A. U.
fuisse. Quidam *Cecropem Atheniensem*, vel *Linum Thebanum*, 800.
et temporibus Trojanis Palamedem, Argivum, memorant, *sex-* A. C.
decim litterarum formas; mox alios ac præcipuum Simonidem, 47.
ceteras reperisse. At in Italia Etrusci ab Corinthio Damarato, Aborigines Arcade ab Evandro didicerunt: et forma litteris Latinis, quæ veterrimis Græcorum. Sed nobis quoque paucæ primum fuere: deinde additæ sunt. Quo exemplo Claudius tres litteras adjecit, quæ usui, imperitante eo,

cedro charta notetur. Caussa tamen inepta, et ex pectore Isidori. De Cadmo inventore Agenoris F. vide et Plinium 7, 57. et Suidam in Φοινικήϊα. LIPS.

Cecropem Atheniensem, vel Linum] Cecropem tamen plerique Ægypto ortum fatentur, et illinc intulisse litteras. Linus est Apollinis et Terpsichoræ filius, de quo Suidas: Λέγεται δὲ πρῶτος οὗτος ἀπὸ Φοινίκης γράμματα εἰς Ἕλληνας ἀγαγεῖν. Ita vides in diversitate sententiarum, consentire tamen omnes de Phœnice, aut Ægypto: et bene Plinius, numquam dubitasse ait l. c. quin litteræ ab Assyriis essent. LIPS.

Temporibus Trojanis Palamedem] Videamus. Trojanis temporibus repertæ primum litteræ? Imo, sive Cadmus, sive Cecrops eas repperit, trecentis propemodum ante id bellum annis. Quin et Orpheus Poeta vixit scripsitque major illo ævo. At quidam ita memorant de Palamede. Sed vix tamen aliqui veterum: et ad fidem rerum emendes: *Quidam Cecropem Atheniensem, vel Linum Thebanum, sedecim litterarum formas, et Trojanis temporibus Palamedem Argivum tres memorant, mox alios ac præcipue Simonidem ceteras repperisse.* Ita res habet. Sedecim litteræ primo: Palamedes tres addidit, ut Isidorus l. c. censet: sive quatuor, ut Plinius 7, 57. Suidas in Παλαμήδης (et per me quidem in Tacito etiam legeris, *Palamedem Argivum 4. memorant.* nam ex notis omissis confusisque hic error.) alias Simonides Pythagorasque. Possis etiam verbis non trajectis scribere: *Quidam Cecropem Atheniensem vel Linum Thebanum. Et temporibus Trojanis Palamedem Argivum memorant 4. litterarum formas*, etc. Etsi fateor tamen, in Gorgiæ declamatione pro Palamede eum dici *auctorem litterarum* ἁπλῶς et indefinite. Itaque non nimis pertendo. etsi pro mea sententia licet Irenæum etiam addas advers. Hæres. 1, 12 (15). LIPS. Taciti lectionem vulgatam defendit Casaubonus ad Sueton. Claud. c. 41. prolatis Græcorum scriptorum locis, idem de Palamede tradentium. ERN.

In I. E. ab C. Dam.] Id falsum videtur. Nam ante habuere litteras Pelasgicas, ut e monumentis antiquis docuere doctissimi viri, quæ sunt Cadmeis antiquiores. ERN.

Arcade ab Evandro] Sive a Carmenta ejus matre, ut visum aliis. LIPS.

Et forma] Sic MS. Guelf. ed. pr. et Puteol. Itaque frustra Jac. Gronovius obloquitur Rhenano, qui hanc lectionem antiquiorem vocat. Postquam Beroaldus *formæ* dedit, sive lectionem cod. Flor. *formas* sic corrigens, sive errore operarum, ut credo, id secuti sunt ceteri. *Forma* recte restituta. Male J. Gronovius defendit *formas*. Etenim directa oratione uti cœpit Tacitus. ERN. Bud. *forma.*

Veterrimis Græcorum] Intelligit Phœnicias. Rem ita esse, videbit, qui Chishulli tabulam ante laudatam, aut etiam ceteros, quos laudavi, inspiciet. Swintonus autem diss. 5. c. de priscis Rom. literis p. 13. veterrimas intelligit Pelasgicas s. Etruscas, et literas Latinas non recentes, quæ Taciti ætate fuere, sed antiquiores, quæ eædem cum Etruscis. Falso. Nam Tacitus diserte Phœnicias h. e. Cadmeas antiquissimas facit. ERN.

Sed nobis quoque paucæ] Latinis primo non nisi 16. litteræ. Kappa Sallustius ludimagister invenit: gamma Spurius Carvilius: litteram X. ætas Augusti. LIPS.

Claudius tres litteras adjecit] Suet. 14. *Novas etiam commentus est litteras tres, ac numero veterum quasi maxime necessarias addidit.* Uterque esse litteras tres ait. Sed quærimus eas: et quibusdam visum promptius, dubitare de Suetonii scriptura. Non adhibebo id mantelium ignaviæ meæ ego. Planissime tres Claudius repperit,

A. U. 800. A. C. 47.

post oblitteratæ, adspiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiscitis per fora ac templa fixo. Retulit deinde ad

Æolicum digamma, cujus facies litteræ Ⅎ. inversæ. Quinctil. 1, 7, 27. *Nec inutiliter Claudius Æolicam illam Ⅎ. ad hos usus litterarum adjecerat.* Et 12, 10, 29. *Æolicæ quoque litteræ, qua cervom servomque dicimus, etiamsi forma a nobis repudiata est, vis tamen manet.* Hanc non Claudius solus inter litteras habendam censuit, sed et Varro: si credimus Annæo Cornuto. *Hanc litteram*, inquit in Orthographia ap. Cassiod. n. 1. in Putschii sylloge p. 2281. *Terentius Varro dum vult demonstrare, ita præscribit.* VA. *Qui ergo in hac syllaba sonus est, idem litteræ erit.* Hoc digamma etiam hodie in lapidibus Claudianis (ap. Grut. p. 196. 236. 238.) TERMINAℲIT AMPLIAℲITQVE. et DIℲI. AVGVSTI. De hac ergo clarum. Secundam eruo e Prisciano 1. p. 557. antisigma. Ait; *Huic S præponitur P et loco Ψ fungitur. Pro quo Claudius Cæsar antisigma X hac figura scribi voluit: sed nulli ausi sunt antiquam scripturam mutare.* Antisigma ideo, quia duo sigma obverso dorso ↃC. Hac enim semilunæ figura prisci Græci sigma formabant. In tertia littera hæremus. nec auxilio est Grammaticorum manus. Non ille, qui AI. diphthongum fuisse censet, quia in Claudii ævo lapidibus, ANTONIAI. DIAI. et similia scripta. Constat enim, antiquitus creberrime usurpatam hanc diphthongum. Non etiam ille, qui litteram nescio quam inventam a Claudio leniendo R. putat, ex corruptis Velii Longi verbis: in quibus prioribus de Æolico digamma saltem egisse Velium scio. Sed nec Martianus Capella, qui sic scribit l. 3. *Huic litteræ S Divus Claudius P adjecit aut C propter ψ et ξ. Græcas, psalterium, saxa.* Censet enim ille, a Claudio novum x. repertum, quod vanum puto, quia x. in usu temporibus jam Augusti, ut diserte monet Isidorus 1, 4. Sed et x. inter eas a Varrone et Quinctiliano 1, 4, 9. censetur, quæ non necessariæ. Varro in Fragmento quopiam ex libro de Grammatica. *Litterarum partim sunt, et dicuntur, ut* A. B. *partim dicuntur, et non sunt, ut* H. *et* X. *partim sunt, neque dicuntur, ut* φ. ψ. Ex quibus verbis non absurde collegeris, duabus his litteris, quæ necessariæ Varrone teste, novam formam induisse Claudium nomenque. Et de ψ. quidem clarum, cui Antisigma respondit: de φ. Claudiano neglexerunt tradere Grammatici, et ego non divino. Phi quidem littera, non dubie necessaria, et alius ejus sonus quam F. uti monuit etiam Quinctil. 12, 10. 29. Hæc in re Grammatica nugamur: et omittere licuisset, si Claudii liber exstaret, quem de ratione harum litterarum edidit. LIPS. Vide Interpretes Suetonii et Claudii locum, et Taylorum in primis ad Marm. Sandvic. p. 48. ERN. *Propter syllabæ finalis, quæ per duo u scribenda est, sonum declarandum, repertam esse novam litteram, quæ digamma adpellatur*, scribit Gellius 14, 5. Cf. et Priscianus 1, 4. De hac littera nullum dubium; nec vero ætatem tulisse, jam ex Quinctil. l. c. patet. De secunda et tertia Crollius ex his istius auctoris verbis 1, 4, 7 et 8. *An cujuslibet auris est* etc. infert, litteras, a Claudio introductas, fuisse et necessarias et Latinæ scriptioni proprias, quod de digammate valet. Earum alteram medium inter I et V, alteram inter I et E, sonum exhibuisse. Priorem hariolatur ex antisigmate Ↄ et littera I junctis sic ↃI fuisse conflatam, alteram esse eam, quæ in quibusdam monumentis occurrat, hanc II, ut in FIICIT pro FECIT. Exemplum dabit Museum Schœpflini p. 34. Broterius tres Claudii litteras esse statuit Ⅎ pro V. ↃC pro PS vel Ψ et Ⱶ pro sono inter I et V medio. Sed heus! sic conjecturarum satis.

In ære publicandis plebiscitis] Ego vero cum Imperatoribus tollo hæc plebiscita: quæ vim usumque Claudii temporibus habere non potuerunt, omni potestate tralata ad unum. Quære exempla in historia Principum, non invenies. Legerim, *publicandis scitis.* Sciti nomen generale est, et ad decreta omnia pertinet ac jussa. Et haud dubie ea scriptura observata non solum in plebiscitis (ut demus ea fuisse) sed in legibus aliis edictisque. LIPS. Grotius longe melius, qui sic scribi locum volebat: *publicandis plebi SCtis.* quod mihi verissimum videtur cum Ryckio. Librarii cum compendium scribendi *SC.* non intelligerent, satis constat vel mediocriter in his literis versatis, quam varie corruperint hoc verbum. Sic et Hœschelius volebat et Schefferus Ἀνεκδ. Gr. p. 291. Obs. Misc. vol. 8. p. 291. De re adde Sueton. Claud. 41. qui eas litteras etiam

Senatum, super collegio Haruspicum, *ne vetustissima Italiæ disciplina per desidiam exolesceret: sæpe adversis Reip. temporibus accitos, quorum monitu redintegratas cærimonias, et in posterum rectius habitas: primoresque Etruriæ sponte, aut Patrum Romanorum impulsu, retinuisse scientiam, et in familias propagasse: quod nunc segnius fieri, publica circa bonas artes socordia, et quia externæ superstitiones valescant. et læta quidem in præsens omnia; sed benignitati Deum gratiam referendam, ne ritus sacrorum, inter ambigua culti, per prospera oblitterarentur.* Factum ex eo SC.: *viderent Pontifices, quæ retinenda firmandaque Haruspicum.* A. U. 800. A. C. 47.

16 Eodem anno Cheruscorum gens Regem Roma petivit, amissis per interna bella nobilibus, et uno reliquo stirpis Regiæ, qui apud urbem habebatur, nomine *Italicus.* Paternum huic genus e Flavio, fratre Arminii, mater ex Cattumero, Principe Cattorum erat: ipse forma decorus,

in multis libris, actis diurnis et titulis operum restitisse suo tempore tradit. Inscriptiones antiquas, in quibus digamma adhuc visitur, laudavi ad Sueton. l. c. ubi v. Intt. ERN. De plebiscitis v. Gell. 10, 20.

Vetustissima] Quam ipsi Romani liberos suos capere volebant, ac publice mittebantur. Vide Valerium de Relig. 1, 1. et Ciceronem de Divin. 2, 23. LIPS.

Temporibus accitos] *Accitis* MSS. vett. edd. omnes. Sed *accitos* verum est, idque constructio desiderat. Sic volebat etiam Groslotius in Syll. Burm. t. 1. p. 350. ERN. *Accitos* ex cod. vet. dedit Ursinus. Bud. *accitis.*

Valescant] Ed. Puteol. *invalescant,* et omnes deinceps ad Pichenam, qui e MS. Flor. restituit *valescant,* quod etiam ed. princeps habet. Tacitum simplicibus delectari supra notatum. ERN. Bud. *valescunt.*

Referendam, ne] Non videtur cepisse vir insignis, Freinshemius, quum judicavit, hoc membrum a proximo τελείᾳ ὑποστιγμῇ separandum. Neque enim novum argumentum est, aut stimulus hortationis differens ab eo, quo jam usus est: sed id ipsum, quod brevius attigerat, persequitur explicatius. *Gratia,* quam Diis referri censet, hæc est una, ut cerimoniæ, rebus Romanis multo minoribus aut in arcto servatæ diligenter, temporibus secundis ne negligantur. Intelligimus enim *gratiam,* non quæ verbis haberetur, aut aliis suppliciis, sed si fieret tum, ex quo appareret, in hoc genere cultus gratos esse erga Deos. Ut 2, 13. milites promittunt Germanico se *gratiam in acie* relaturos. Deinde *τὸ gratiam* accipiendum, quasi dixisset *eam gratiam* vel *hanc gratiam.* GRON. Freinsh. scil. a *ne* novum duci argumentum putabat, quod secus est.

Quæ retin. firm. Haruspicum] Intelligo sane. Sed non videtur Claudius voluisse delectum fieri, quid negligendum, quid servandum: sed disciplinam priscam retineri et servari. Itaque videtur decretum esse, ut Pontifices de disciplina illa retinenda et firmanda viderent. Suspicatus sum excidisse *disciplina:* quæ essent disciplina Haruspicum retinenda firmandaque; phrasi antiqua et bona, quam sæpe corruperunt librarii inscitia priscæ Latinitatis. Et intelligendum *forent.* ERN.

Roma petivit] MS. vett. edd. *Romæ.* Aldus e Rhenani conjectura recepit primus *Roma* (ut 12, 14.), quem ceteri recte secuti sunt. ERN. Bud. *Rome.*

Italicus] Ryckius e cod. Agric. profert probatque *Italicus,* et sic in sequentibus etiam exhibere MS. Flor. Et sic, quoad posteriora loca, etiam ed. pr. Itaque non dubitavi restituere. Vulgo *Italus.* ERN. Bud. *Ytalus.*

E Flavio] Cf. 2, 9.

Ex Catumero] In Vatic. est, *Actumero:* Strabone 7. p. 292. Οὐκρόμιρος ἡγεμὼν Κάττων, id est, *Ucromerus.* vel ad etymon Germanicum verius, *Acromerus.* LIPS. *Actumero* etiam ed. pr. MS. Bodl. *Cactumero.* ERN. Bud. *Actumero.* Ex Bodl. videtur scribendum *Cattumero.*

A. U. 800. A. C. 47. et armis equisque, in patrium nostrumque morem, exercitus. Igitur Cæsar auctum pecunia, additis stipatoribus, hortatur *gentile decus magno animo capessere. Illum primum, Romæ ortum, nec obsidem, sed civem, ire externum ad Imperium.* Ac primo lætus Germanis adventus, atque eo magis, quod, nullis discordiis inbutus, pari in omnes studio ageret: celebrari, coli, modo comitatem et temperantiam nulli invisam, sæpius vinolentiam ac libidines, grata barbaris, usurpans. Jamque apud proximos, jam longius clarescere, cum potentiam ejus suspectantes, qui factionibus floruerant, discedunt ad conterminos populos, ac testificantur, *adimi veterem Germaniæ libertatem, et Romanas opes insurgere: adeo neminem, iisdem in terris ortum, qui principem locum impleat; nisi exploratoris Flavii progenies supra cunctos adtollatur? Frustra Arminium præscribi: cujus si filius, hostili in solo adultus, in Regnum venisset, posse extimesci, infectum alimonio, servitio, cultu, omnibus externis. at, si paterna Italico mens esset, non alium infensius arma contra patriam ac Deos Penates, quam parentem ejus, exercuisse.*
17 His atque talibus magnas copias coegere: nec pauciores Italicum sequebantur. *non enim inrupisse ad invitos, sed accitum,* memorabant. *quando nobilitate ceteros anteiret, virtutem experirentur, an dignum se patruo Arminio, avo Cattumero præberet. nec patrem rubori, quod fidem adversus Romanos, volentibus Germanis, sumptam, numquam omisisset. falso libertatis vocabulum obtendi*

Atque eo magis, quod nullis] Veteri Covarr. abesse *magis*, Gruterus testatur. Abest etiam ab ed. pr. *Celebrari, coli* pro celebrabatur, colebatur. Ern. *Magis* abest a Bud.

Jamque apud proximos, jam longius clarescere] Sic vett. edd. usque ad Rhenan. qui e cod. Bud. recepit: i. *apud pr. longius* (omisso altero *jam*); quod secutus est Aldus. *Apud*, quod e Flor. se restituere ait Pichena, in omnibus veteribus est, primumque in Lipsiana reperi *ad*. Ern. Bud. *apud*.

Principem locum impleat] Hoc ex Flor. dedit Pichena, et sic Tacitus alibi. Vett. edd. omnes et MSS. alii *principis*. Ern. Sic et Bud.

Supra cunctos adtollatur] Rhenanus se castigasse dicit *attollatur*, et *solo*, et *posse*, pro *extollatur, loco, posset*. At omnia ista sunt in ed. pr. nisi quod *attollitur* vitio operarum, et *venisse posse Testimesci*. Puteolanus induxit *extollatur, loco*, et *posset*; sed tamen e MSS. Nam et Guelf. *loco* et *posset*. Ern. Bud. habet *attollatur. solo. . posset. Temitesci.*

Arminium præscribi] Qui illi patruus: et tamquam in ejus gratiam honoremque Principatu ornatus esset. Lips. Cf. 4, 52.

Infectum alimonio] Ita e Flor. Pichena. Sed sic etiam ed. pr. Puteolanus mutavit in *alimonia*, ut est in Guelf. unde in ceteras edd. fluxit. Add. Burm. ad Sueton. Calig. 42. Mox Guelf. *ac*. Ern. Bud. *alimonio. . at.*

Quam parentem ejus exercuisse] Omnes volunt *parentem* scribi. Non paruissem, nisi plane sic esset in ed. pr. Puteolanus dedit *parentes* cum ceteris omnibus. Ern. Sic et Bud.

Cattumero] Hic Bud. *Catumero.*

Nec patrem rubori] Quia sic est in MS. Flor. et ed. princ. *esse* etiam abest a MS. Covarruv. non dubitavi hoc præferre vulgato: *nec patrem illi rubori esse*. Et sic placebat Jac. Gronovio. Sic e cod. Agric. laudat probatque Heinsius in Obs. Misc. t. 9. p. 383. ad 2, 2. Forma loquendi iterum occurrit 14, 55. et est a Livio 45, 13. Ern. Bud. *nec patrem robori.* De re ipsa v. 2, 9, 10.

ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei, nisi A. U.
per discordias, habeant. Adstrepebat huic alacre vulgus; et 800.
magno, inter barbaros, prœlio victor Rex; dein secunda A. C.
fortuna ad superbiam prolapsus pulsusque, ac rursus Lan- 47.
gobardorum opibus refectus, per læta, per adversa, res Cheruscas adflictabat.

18 Per idem tempus Chauci, nulla dissensione domi, et morte Sanquinii alacres, dum Corbulo adventat, inferiorem Germaniam incursavere, duce Gannasco: qui natione Canninefas, auxiliaris et diu meritus, post transfuga, levibus navigiis prædabundus, Gallorum maxime oram vastabat, non ignarus, dites et inbelles esse. At Corbulo provinciam ingressus, magna cum cura, et mox gloria, cui principium illa militia fuit, triremes alveo Rheni, ceteras navium, ut quæque habiles, per æstuaria et fossas adegit: lintribusque hostium depressis, et exturbato Gannasco, ubi præsentia satis composita sunt, legiones, operum et laboris ignaras, populationibus lætantes, veterem ad morem reduxit; ne quis agmine decederet, nec pugnam, nisi jussus, iniret. stationes, vigiliæ, diurna nocturnaque munia, in armis agitabantur. Feruntque *militem, quia vallum non ac-*

Ab iis] Bud. *ab his.*

Magno inter barbaros prœlio victor Rex] Forte, *magno ut inter.* Lips. Sed etiam alibi et apud alios *ut* interdum in tali forma omittitur. Ern. Acid. conjicit *magnus.*

Dein] Sic cod. Flor. Guelf. ed. pr. *dehinc* a Puteolano venit. Ern. Bud. *deinde.*

Morte Sanquinii] Sanquinii Maximi, de quo ad 6, 4. Lips.

Canninefates] Plin. 4, 29. *Cannenufates.* Apud Grut. p. 385. *Cannanefates.*

Auxiliaris, et diu meritus, post transfuga] Vaticana scriptura, *auxiliare esd in meritis.* Fortasse, *auxiliaris, dein emeritus.* Nam et auxilia, illo ævo, credam adstricta ad militiæ certum modum. Mercero placet, *Auxiliare æs diu meritus.* Lips. Farnesianus codex MS. *auxiliare ex drumentis:* unde conjiciebat olim Lipsius, *auxiliaris ex frumentariis:* postea omnem hanc annotationem expunxit. Quod in conjectura facile fero: sed scripturam vetusti codicis insuper haberi nolim: quippe in qua videam vestigia veritatis adhoc usque latentis. Eam esse credo: *auxiliaris et dux gentis.* Juvat quod legitur 4, 46. de Thracibus: *ne Regibus quidem parere, nisi ex libidine, soliti, aut, si mitterent auxilia, suos ductores præficere.* Gron. Cod. Flor. *auxiliare ex diu meritis,* unde Jac. Gronovius faciebat *auxiliare æs diu meritus* cum Mercero. Cod. Bud. et Agr. *auxiliaris ex diu meritis,* quod probat Ryckius. Reg. *auxiliares diu meritis.* Ed. pr. *auxiliare esd in meritis:* quod favet et ipsum Mercero. Puteolanus: *auxiliaris et diu meritus:* unde hæc lectio in ceteras edd. fluxit. MS. Guelf. *et ex diu m.* Lectionem quidem textus vitiosam esse, facile est sentire. Ern. Bud. plane ut Flor. nam *auxiliaris* est a r. m.

Gloria] Bud. cum *gloria.*

Cui principium illa militia fuit] Referendum hoc ad *gloriam,* non ad Corbulonem pro *cujus gloriæ princ. i. m. f.* Ern.

Ceteras navium] Rhen. ita se emendasse dicit pro *ceteras naves.* at *ceteras navium* est in ed. pr. et Puteol. *Naves* dedere Beroaldus, Alciatus: nescio unde. Ern. Bud. *navium.*

Æstuaria et fossas] Per Drusianam fossam, et lacus, qui plures tunc, in unum meridionalem coiverunt. Lips. Mox Guelf. *deprehensis.* Ern. Bud. *depressis.*

Operum et laboris ignaras] Farnes. *ignavas.* Lips. Sic et ed. pr. MSS. Guelf. et alii. quod recepit Broterius. *Ignaras* est, non adsuetas labori. Ern. Bud. *ignavas* a 1. m.

Vallum non accinctus] Aliud est, ac si dixisset, *discinctus.* Non accinctum fodere, est sine gladio fodere: discio

A. U. *cinctus, atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet,*
800. *morte punitos.* quæ nimia, et incertum an falso jacta, origi-
A. C. nem tamen e severitate Ducis traxere: intentumque et
47. magnis delictis inexorabilem scias, cui tantum asperitatis
19 etiam adversus levia credebatur. Ceterum is terror milites
hostesque in diversum adfecit. nos virtutem auximus:
barbari ferociam infregere. Et natio Frisiorum post rebel-
lionem, clade L. Apronii cœptam, infensa, aut male fida,
datis obsidibus consedit apud agros, a Corbulone descri-
ptos. Idem Senatum, magistratus, leges imposuit. ac, ne
jussa exuerent, præsidium immunivit; missis, qui majores
Chaucos ad deditionem pellicerent, simul Gannascum dolo
adgrederentur. nec irritæ aut degeneres insidiæ fuere ad-

ctum fodere, est soluta fluxaque tunica in morem muliebrem. At ex disciplina erat, cum gladio opus facere. Vegetius 3, 8. *Milites gladio cincti fossam aperiunt.* Lips.

Foderet] Freinsh. vult *cæderet* aut *ferret*. Sed, si *vallum* pro aggere castrorum accipimus, qui e terra et cespite fit, nihil impedit, quo minus *foderet* rectum sit. Ern.

Quæ nimia et incertum an falso jacta] Ed. pr. *quæ nimia e. i. a. f. acta*, vitiose sive pro *jacta*, sive pro *aucta*, sed illud potius credo, atque hanc esse lectionem cod. Flor. testatur Pichena. Sic et est in MS. Guelf. nisi quod *actam* scripsit librarius, ad *originem* temere referens. Non igitur Rhenanus demum sic dedit, ut vult videri. nec *nimia* pro conjectura debebat a Pricæo rejici. Mox Puteol. *munia* et *jacta vel aucta* edidit, quod secuti sunt Beroald. Alc. Rhenanus autem, Aldus, Lipsius edidere *nimia et falso jacta*, quod nescio cur a Gronovio mutatum, et *vel aucta* additum sit. Mihi autem *jacta* vel potius *jactata* magis placet, quam *aucta*. Nam τὸ *augere* jam est in *nimia*: deinde *falso* aptum est τῷ *jactata* non τῷ *aucta*: huic enim frustra additur, cum per se intelligatur, nec addi soleat. Aliud est *in falsum augere*, h. e. augendo falsum efficere, aliud *falso augere*. Porro aliud est *jacere*, aliud *jactare*. Illud dicitur, cum aliquis interdum aliquid, obiter, suspicionis movendæ, pungendi, irridendi caussa, dicit: vide nostrum A. 1, 10. 2, 55. 4, 7. 68. 6, 31. 46. 11, 13. 12, 64. etc. Adde quæ de h. v. viri docti ad Livium 25, 4. et alibi dixerunt: hoc, cum palam, crebro, apud omnes: in primisque *jactari* dicuntur res, quæ fama celebrantur. Pro *jactatus* a librariis subinde scriptum *jactus* docebit Drakenb. ad Liv. 10, 37. item *actus* pro *jactus* ap. Quintil. 9, 2, 37. Liv. 25, 4. etc. Ern. Pricæus ad Appul. Met. 1. p. 7. τῷ *nimia* substituebat *immania*.

Falso jacta] Venet. editio *jacta, aucta*, hæsitante librario utrum præferret, utrumque adscripsit. Ego quidem hic malim, *falso aucta*. Lips. Veneta editio est Riviana, in qua sic est. Ed. Put. *jacta vel aucta*. Ern. Bud. *acta*, ut Flor. Puteol. *jacta vel aucta*. Sic et Alciati. Sed Rhen. *jacta*. Bip. præferunt *aucta*.

Nos virtutem auximus] Vereor ut scripserit, *virtute auximus*. Augendi verbum patiendi significatu, ut infra. Lips. Recte dissentit Mercerus. Ern.

Post rebellionem] Non, ut receptum, *per rebell.* Historia ipsa narrata 4, 73. Lips. *Post* cod. Flor. ed. pr. *Per* a Puteolano inductum. Idque habet etiam Guelf. mox *et male f.* Ern. Bud. *post.*

Præsidium immunivit] Ita MSS. At vulgi lectio, *inde munivit*. Suspicari possis, antique fuisse *endomunivit*. Uti apud Livium 5, 39. *Juventutem militarem Senatusque robur in arcem capitoliumque conscendere: armisque et frumento collatis, ex loco inde munito Deos hominesque et Romanum nomen defendere.* scripserim, *endomunito*. Lips. Nihil hic sollicitandum. Nam eadem vis est verbi, quam correctionibus quærunt. Sic Suet. Tib. 39. *in prætorio, cui Speluncæ nomen, incœnante eo, complura eaque ingentia saxa fortuito superne delapsa sunt.* Ut *incœnante eo*, est quum ibidem cœnaret ille, sic *immunivit* est ibidem munivit. Gron. Acidalius conjecerat: *inibi munivit*. Ern. Bud. *inmunivit.*

Degeneres insidiæ] Non indignæ nomine Romano, aut ipso Corbulone:

versus transfugam et violatorem fidei. Sed cæde ejus mo- A. U.
tæ Chaucorum mentes, et Corbulo semina rebellionis præ- 800.
bebat; ut læta apud plerosque, ita apud quosdam sinistra A. C.
fama. *cur hostem conciret? adversa in Rempublicam casura;* 47.
sin prospere egisset, formidolosum paci virum insignem, et ignavo Principi prægravem. Igitur Claudius adeo novam in Germanias vim prohibuit, *ut referri præsidia cis Rhenum* juberet. Jam castra in hostili solo molienti Corbuloni hæ 20
litteræ redduntur. Ille, re subita, quamquam multa simul offunderentur, metus ex Imperatore, contemptio ex barbaris, ludibrium apud socios, nihil aliud prolocutus, quam *beatos quondam Duces Romanos!* signum receptui dedit. Ut tamen miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque trium et viginti millium spatio fossam perduxit, qua in-

quia nempe in transfugam, et militiæ desertorem. Hoc enim est, quod *fidei violatorem* dicit: id est, sacramenti. Lips. MS. Guelf. *ac degen.* Ern.

Cum prospere egisset] Josiæ Merceri lectio verior, *sin prospere,* et approbata quibusdam libris. Sententia: adversa Reip. nocitura; prospera, ipsi Corbuloni. Lips. Recte. Cod. Flor. *casuras inprospere,* quod expressit ed. pr. nisi quod, sive vitio operarum, sive quod ita descriptum e cod. esset, habet *casurus in.* Puteol. habet *casura: cum,* ut est in Guelf. sensum autem potius cum Freinshemio puto, homines calumniatos dixisse, Corbulonem animos majores sumturum et Claudio periculosum futurum. Ern. Bud. *casura ni.* Sed r. m. ex *ni* fecit *cum.*

Igitur Claudius adeo] Sic cod. Flor. Oxon. Guelf. edd. pr. Puteol. Beroaldi, a qua hic discedit ed. Alciati exhibens *Ideo Cl. adeo,* vitio haud dubie operarum, nam sequi Beroaldum solet: atque hinc *ideo* in ceteras venit, Rhen. Aldi, etc. Restituit *igitur* Jac. Gron. Ern. Bud. *Igitur Claud. adeo.*

Prolocutus] Rhenanus ita se emendasse ait pro *perlocutus,* quod sc. in Alciati ed. repererat. Sed ed. pr. et Puteol. sic jam habent. Ern. Bud. *prolocutus.*

Beatos quosdam Duces] Corruptione litteræ periit huic dicto Venus. Scribe, *quondam,* id est, olim libera Rep. Persuadet Dio, qui sic extulit 60, 30. ὦ μακάριοι οἱ πάλαι ποτὲ στρατηγήσαντες. Lips. Recte. Sed edd. omnes *quosdam.* Ern. Pro *quosdam,* quod et in Bud. pugna Salinerius.

Ne tamen miles] Sententia scripturam eam damnat. Lege ergo *Ut tamen.* Lips. Sic et Gruterus et Pichena volebant: recte. In cod. Flor. est *vi,* quod confundi solere cum *ut,* docet post alios Drakenb. ad Liv. 4, 51. Ed. pr. et MS. Reg. plane habet *ut.* Puteolanus *ne* invexit, quod est et in Guelf. Ern. Et in Bud. De otio v. c. 18.

Inter Mosam Rhenumque] Dio consentit 60, 30. διετάφρευσε, inquit, πᾶν τὸ μεταξὺ τοῦ τε Ῥήνου καὶ τοῦ Μόσου, σταδίους ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν μάλιστα. Nam stadia centum LXX. milliaria conficiunt XXIII. duobus stadiis et semi minus: ita ut septem stadia cum dimidio pro milliari capias. quod Plutarchus, Suidas, aliique monuerunt. Interpres tamen Dionis milliaria XXI. vertit: et addit, non convenire illi cum Corneliana ratione. Lips. Quæ de hac fossa varie a viris doctis disputantur, commemorare nihil attinet. v. Ryckium ad h. l. Cellar. G. A. t. 1. p. 211. Altingium t. 1. p. 47. et 114. qui sequitur Cluverium, qui putabat esse fossam, quæ a Leida Delphos, hinc ad vicum Mæseland ducta, tandem ad propinquum vicum Sluys Mosæ jungitur. Ern. Plura et ipse olim in Diss. de jungend. mar. fluviorumque moliminibus, et Lalande in traité des canaux navigables. Par. 1778.

Fossam perduxit] Hæc est lectio ed. pr. quam et MS. Guelf. exhibet, quam restituere non dubitavimus. Est verbum proprium in ea re. Cæsar B. G. 7, 36. *fossam — a majoribus castris ad minora perduxit.* Dio l. c. διετάφρευσε πᾶν τὸ μεταξὺ τοῦ τε Ῥήνου, καὶ τοῦ Μόσου, quod est ipsissimum *perduxit fossam* etc. Nam *perducere fossam* dicitur ut *perferre legem.* Puteolanus deinde pro *perduxit,* dedit *produxit,* unde in omnes edd. venit *produxit,* Jac. Gro-

A. U. certa Oceani vetarentur. insignia tamen triumphi indulsit
800. Cæsar, quamvis bellum negavisset. Nec multo post Cur-
A. C. tius Rufus eundem honorem adipiscitur, qui in agro Mat-
47. tiaco recluserat specus quærendis venis argenti; unde tenuis fructus, nec in longum fuit: at legionibus cum damno labor, effodere rivos, quæque in aperto gravia, humum infra moliri. quis subactus miles, et quia plures per provincias similia tolerabantur, componit occultas litteras, nomine exercituum, precantium Imperatorem, *ut, quibus per-*
21 *missurus esset exercitus, triumphalia ante tribueret.* De origine

novius autem valde pugnat pro *præduxit*, sic compendium MS. Flor. legit, idque in textum recipit. In quo falli virum clarissimum putamus. Verbum *præducere* dicitur illud quidem de fossis sæpe et ap. nostrum 14, 32. sed semper cum vi muniendi, in castris, in obsidionibus, arcendi caussa, intercludendi etc. factis, ut patet ex omnibus exemplis, quæ collegit præter Lipsium, quem ipse laudat de Mil. 5, 5. Heinsius et Drakenb. ad Silium 10, 411. aliique: unde ipse comparat cum Græco προβάλλεσθαι: quod est ab h. l. alienissimum. Est pacis opus, non belli, recipiendæ aquæ factum, non arcendæ. Ern. Bud. *produxit.*

Qua incerta Oceani vetarentur] Recte, non *vectarentur*. Dio l. c. interpretatur, ἵνα μὴ οἱ ποταμοὶ ἐν τῇ τοῦ ὠκεανοῦ πλημμυρίδι ἀναῤῥέοντες πελαγίζωσιν. Fuisse ergo, necessum est, fossam eam inferioris Bataviæ parte, inter Rhenum veterem Mosamque: ubi fere ubique inter duos fluvios XXIII. milliarium intervallum. Supra agrum Batavum, inter Mosam et adhuc integrum Rhenum, esse non potuit: quoniam illic certe periculum nullum ab æstu. Vertranius, cui legi placet *vitarentur* (hoc sensu, ut fossam eam perduxerit, qua commeari a Mosa ad Rhenum posset, ne Oceani pericula necessum esset subire) non placet. Multo minus Ferretus: qui μετέωρος certe fuit, cum Mosam hic cum Mosella confudit, et ea scripsit quæ rideant Batavorum pueri. Lips. Recte Lipsius. *Vetarentur* est arcerentur, prohiberentur, ne restagnando terris nocerent. Adde Observ. 1, 5. Gron. Et sic edd. vett. Ern. Flor. Agr. Bud. etc. *vetarentur.*

Qui in agro] Muretus volebat *quia*. minus bene.

In agro Mattiaco] Suspectum esse, et potius *Maciaco*, vel *Mazyaco* legendum videri (qui populi Africæ sunt) docui in Saturn. 2, 1. Lips. Vide quæ diximus de Pec. Vet. 4, 9. Gron. *Mattiaco* placet Rhenano, defenditque Cluver. Germ. Ant. 3, 7. Non in Africa ista gesta. quod e c. 21. patet, triumphi insignia nactum ante, quam in Africam venisset. Ern. Bud. *machiacho*. In Hassia argenti fodinas extare hodieque, notum.

Effodere rivos] Omnes MSS. et edd. ante Lipsium habent *et fodere*. Ceterum melius puto, intelligo fossas, quibus aquarum rivi e metallis deducantur. Ern.

Triumphalia ante tr.] Nempe ne triumphalium consequendorum caussa militibus molestias crearent, quales Corbulo et Rufus creassent. Ern.

De origine Curtii Rufi] Est, qui hunc censeat esse illum, qui memoriam scripsit rerum Alexandri, pure mehercules et Latine. Modius certe noster, cujus censuræ Curtius non leviter debet, testatum reliquit, cognomen ei Rufi tribui a libris. Pugnare tamen ætas videatur, siquidem ad Augustum referenda illa sunt e libro ejus 10, 9. *Proinde jure meritoque Populus Rom. salutem se Principi suo debere profitetur, cui noctis, quam pæne supremam habuimus, novum sidus illuxit. Hujus hercule, non solis, ortus lucem caliganti reddidit mundo, cum sine suo capite discordia membra trepidarent. Quot ille tum exstinxit faces? quot condidit gladios? quantam tempestatem subita serenitate discussit? Non ergo revirescit solum, sed etiam floret imperium. Absit modo invidia, excipiet hujus sæculi tempora ejusdem domus utinam perpetua, certe diuturna posteritas.* Sed non sunt: nec quidquam hic de sidere Julio, ut nugantur. Refutant sequentia: quoniam Augustus cum ad imperium venit, non exstinxit bellorum faces, non gladios condidit: sed accendit, eduxit. Refutat et ille locus e 4, 4. de urbe Tyro. *Multis ergo ca-*

Curtii Rufi, quem gladiatore genitum quidam prodidere, A. U.
neque falsa prompserim; et vera exsequi pudet. Postquam 800.
adolevit, sectator Quæstoris, cui Africa obtigerat, dum in A. C.
oppido Adrumeto, vacuis per medium diei porticibus secre- 47.
tus agitat, oblata ei species muliebris ultra modum humanum, et audita est vox: *tu es, Rufe, qui in hanc provinciam pro Consule venies.* Tali omine in spem sublatus, digressusque in urbem, et largitione amicorum, simul acri ingenio, Quæsturam, et mox, nobiles inter candidatos, Præturam Principis suffragio adsequitur: cum hisce verbis Tiberius dedecus natalium ejus velavisset, *Curtius Rufus videtur mihi ex se natus.* Longa post hæc senecta, et adversus superiores tristi adulatione, adrogans minoribus, inter pares difficilis, Consulare imperium, triumphi insignia, ac postremo Africam obtinuit: atque ibi defunctus, fatale præsagium
inplevit. Interea Romæ, nullis palam, neque cognitis mox 22

sibus defuncta, et post excidium renata, nunc tamen, longa pace cuncta refovente, sub tutela Romanæ mansuetudinis acquiescit. Nam ait et agnoscit *longam pacem* in re Romana. An ea sub initia Augusti? imo viginti annorum bella. Itaque priora illa refero ad C. Caligulæ cædem, et confusionem quæ secuta: Senatu imperium abrogante, milite et plebe stabiliente. Hæc sunt illa sine capite discordia membra; et Claudius ipse, novum sidus. Tamen incerta hæc mihi, fateor: et facile manum dedero, siquis adferet verisimiliora. Lips. Esse historiæ scriptorem putat etiam Ryckius. Non est hujus loci aut consilii nostri ista disputatio. Ern. Non esse historicum, ex silentio Taciti post alios infert Brotier.

Sectator Quæstoris] Vatic. *Sector.* nec sperno. Ad hastam enim sectiones exercebant. Vulgatam tamen firmat Plinius de hoc ipso Curtio Rufo ep. 7, 27. *Tenuis adhuc et obscurus obtinenti Africam comes hæserat.* Ait enim, comes. Lips. Non solet sectoris nomen magistratibus jungi. *Sectatores* et *assectatores* magistratuum dicuntur tenues homines, qui se adjungunt, quæstus alicujus caussa. V. Cicer. pro Rab. Post. 8. *Gabinii comes vel sectator.* Gabinius autem Proc. Syriæ. Verr. 2, 26. 11. *Africanus vetus assectator.* Cf. Balb. 2. Sector autem alicujus est, qui ejus bona sub hasta emit, ut Antonius in Philippica 2, 15. *sector Pompeii.* Ern. Bud. *sectator.*

Oblata ei species muliebris] Plinius super eodem miraculo l. c. *Inclinato die spatiabatur in porticu. offertur ei mulieris figura, humana grandior pulchriorque. perterrito, Africam se futurorum prænunciam dixit. iturum enim Romam, honoresque gesturum, atque etiam cum summo imperio in eamdem provinciam reversurum, ibique moriturum.* Quod ait ultra modum humanum: semper ita antiqui, ut fidem Divinitatis adstruant ejusmodi idolis. Virgilius Æn. 2, 773. *Visa mihi ante oculos, et nota major imago.* Juvenalis 13, 221. — *tua sacra et major imago Humana, turbat pavidum cogitque fateri.* Xenophon 8, 7. παιδείας. Ἔδοξεν αὐτῷ προσελθὼν κρείττων τις ἢ κατ' ἄνθρωπον, εἰπεῖν· συσκευάζου, ὦ Κῦρε. ἤδη γὰρ εἰς Θεοὺς ἄπει. Tacitus H. 1, 86. *Erupisse cella Junonis majorem humana speciem.* Lips.

Videtur mihi ex se natus] MS. Guelf. ed. pr. *esse natus.* quod est illud ipsum, quod Rhenanus e cod. Budensi dedit *ex se natus.* Puteolanus dederat *ex senatu.* Est autem ambiguitas in verbis. Nam *ex se nati* dicuntur, qui majores ciere non possunt, obscuri homines genere; verum etiam, qui ipsi sibi nomen peperere, non a majoribus accepere. Ergo indicavit Tiberius, Rufum obscuro loco ortum, et sibi aliquid nominis peperisse. Ern. Sic Cicero *ex se ortus.* Phil. 6, 6.

Mox] Heinsius vult *noxæ* ad Vellei. 1, 12. probat Græv. ad Flor. 3, 10. non Jac. Gronovius, nec ego. Respicit ad tormenta mox adhibita ad reperiendam caussam. Ern.

A. U. caussis, Cn. Nonius, Eques Romanus, ferro accinctus re-
800. peritur in cœtu salutantium Principem. nam, postquam
A. C. tormentis dilaniabatur, de se non inficiatus conscios non
47. edidit, incertum an occultans. Iisdem Consulibus P. Dolabella censuit, *spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui Quæsturam adipiscerentur*. Apud majores virtutis id præmium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere Magistratus: ac ne

Cn. Nonius eques Rom.] Ed. pr. *S. N. Nonius*, quod est ortum e scriptura cod. Flor. *Gn. Nonius;* abestque *insignis*. Puteol. *Cn. Novius eques Rom.* et sic sequentes veteres; item MSS. plures ap. Broterium, qui restituit. In Lipsianis *insignis* additur, quod recte Gronovii et Ryckius omisere. *Nonius* prætuli. Ern. Bud. *Novius Eques Rom.* prænomen *Gn.* a r. m. — *insignis* abest.

Ferro accinctus reperitur] Ideo Claudius primus (et fortasse hac occasione) scrutatores instituit, qui promiscue omnes ad Principem salutandi vel qua alia caussa venientes excuterent. Suet. 35. *Salutatoribus scrutatores semper apposuit, et quidem omnibus, et acerbissimos.* Quos tamen Vespasianus iterum sustulit, narrante eodem Suetonio 12. Verba Dionis ad hunc morem digna legi 60, 3. *Κλαύδιος τάτε ἄλλα ἀκριβῶς ἐφυλάττετο, καὶ πάντας τοὺς προσιόντας οἱ καὶ ἄνδρας καὶ γυναῖκας ἐρευνᾶσθαι ἐποίει, μή τι ξιφίδιον ἔχωσιν. ἔντε τοῖς συμποσίοις πάντως τινὰς στρατιώτας συνόντας εἶχε. καὶ τοῦτο μὲν ἐξ ἐκείνου καταδειχθὲν, καὶ δεῦρο ἀεὶ γίγνεται. ἡ δὲ δὴ ἔρευνα ἡ διὰ πάντων διὰ Οὐεσπασιανοῦ ἐπαύσατο.* Mansit igitur de militibus: at de scrutatione Vespasianus sustulit. Mos iste scrutandi vetus, et Græcis quoque. Tangit Plutarchus in Timoleonte 21. p. 245. ubi Dionysium, jam exsulem, irrisum a quodam ait, *qui intrans ad eum vestem excussit, ut tyrannis fieri solet.* Lips.

De se non in—conscios] Non integer locus vel indicio libri Farnesiani, qui cum lacuna refert: *De se novi* : : : : : : *conscios*. Videmur non incommode explere posse: *de se Novius confessus, conscios non edidit.* Lips. Edidi scripturam codicis Flor. potius quam conjecturam *Novius*, quam primus Puteolanus edidit, extatque in Guelf. Farn. cod. *novi - - -* quod edidit Ryckius. Ed. pr. habet *de sonni* vitiose pro *de se non in:* (nisi virgula est alieno loco, edique debuit *n-i*, ut in eodem libro 12, 58. *-itesceret* pro *nitesceret*) nulla sequente lacuna. Quicquid sit, etiam hinc confirmatur Jac. Gronovii conjectura, quam verissimam puto: *de se non inficiatus.* Bene Pichena comparat locum Livii 24, 5. *de se ipso haud cunctanter fassus, conscios celabat:* quem in animo habuisse nostrum facile patet. Heinsius conjecit e cod. Farnes. vestigiis *de se novissime confessus.* Sed illud *novissime* friget, ut bene monuit idem Gron. Ern. Bud. *de se novius conscios n. ed.* absque lacuna. Sanum sic esse locum, judicat Broterius post Gruterum. Ellipsin scil. admittunt et ita distinguunt: *de se Novius: c. n. e.* Lipsii conjecturæ favet cod. Agric. qui, teste Ryckio, habet *de se confessus c. n. e.* Displicet hoc Acidalio, quod in re manifesta confessione non esset opus. Ex hac ratione Bip. conjiciunt: *de se noxiam fassus.* Verum in ista confessione non potest alius esse sensus, nisi noxiæ. Hinc non spernenda lectio cod. Flor. mihi videtur, a Gronovio, quem sequor, egregie suppleta. Barth. Adv. 45, 3. expungit *de*, reliqua sana perhibet: *se Novius, conscios non edidit.*

Spectaculum gladiatorum] Suet. c. 24. *Collegio Quæstorum, pro stratura viarum, gladiatorium munus injunxit.* Quod mutavit Nero, qui censuit, *ut ne designatis quidem Quæstoribus edendi gladiatores necessitas esset*, ait Tacitus 13, 5. Iterum induxit Domitianus, notante Suetonio c. 4. et perseveravit. Tertull. de Spectac. 12. *Transiit hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores viventium, Quæsturas dico, et magistratus, et Flaminia et Sacerdotia.* Plura de his, proprio libro. Lips.

Qui Quæsturam apiscerentur] Pro peterent, apisci vellent: contextus facile docet: et esse deberet; *adepti essent*, si sensu vulgari diceretur. Ern. Rhen. e Bud. *adipiscerentur*. prius legebatur *adipiscentur*. Ceterum v. Lips. ad 13, 5.

Ne ætas quidem dist.] Ut post factum est, inductis legibus annalibus:

ætas quidem distinguebatur, quin prima juventa Consulatum ac Dictaturam inirent. Sed Quæstores, Regibus etiam tum imperantibus, instituti sunt: quod lex curiata ostendit, ab L. Bruto repetita. Mansitque Consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem Populus mandaret. creatique primum Valerius Potitus et Æmilius Mamercus, LXIII. anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem

A. U. 800. A. C. 47.

de quibus dicere h. l. nihil attinet. Mox cod. Fl. et ed. pr. *et* non *ac*, ut ceteræ. Ern.

Ac Dictaturas] Bud. *et Dictaturam.* bene. Rarior dictaturæ usus; nulla ergo ratio pluralis numeri.

Sed Quæstores, Regibus] De Quæsturæ origine, ratione etc. qui volet cognoscere plura, adeat inprimis Pighium in Annal. ad a. U. 244. *Tum* abest a MS. Guelf. Ern. In Bud. adest *tum*, abest *etiam*.

Quod lex curiata] Intelligitur lex de modo potestatis, quæ Regibus esset in populum: repetita est a Bruto, ut Coss. eadem potestas esset, quæ Regibus fuisset. Eam Taciti temporibus adhuc superfuisse ex h. l. clare patet. Ern.

Mansit Coss. potestas deligendi] Videtur dissentire Plutarchus in Valer. Popl. c. 38. p. 110. sed vide notam ad verba *LXIII. a. p. T. e.* Ern.

Valerius Potus] Ita libri scripti. Lego, *Potitus*, quod Valeriæ gentis cognomen est. In vulgatis Valerius Postumius, imperite. Est autem ille ipse, qui Consul postea a. u. 284. Quod clare ex Dionysio hauries 9, 51. Lips. Ed. pr. *Potus*, Puteol. dedit *Postumius*, ut est in Guelf. quod omnes secuti sunt ad Lipsium usque. Eadem editio habet copulam *et*, quæ e cod. Flor. accessit, neglecta inde a Puteolano, usque ad Pichenam, qui restituit. Pro *Potus* recte restitutum *Potitus*. Ern. Bud. *Val. post. et emilius.*

LXIII. *anno post*] Error numeri. nisi placet de primis Quæstoribus totos XL. annos a Livio et Dionysio discrepare Tacitum. Nam a. u. 269. Q. Fabio Ser. Cornelio coss. Livio 2, 41. primi Quæstores nominati L. Valerius et Cæso Fabius: itemque Dionysio 8, 77. At ex hac Taciti putatione, circa a. demum u. 308. Quæstores statuamus, necesse est. Quod falsum esse, liquet vel ex eo, quod Livius et Dionysius post annum illum 269. sæpius jam Quæstores nominant. Corrige hic ergo, XXIII. *anno.* ut ratio constet. In altero tamen Quæstore manet adhuc dissensus: qui Livio et Dionysio est Cæso Fabius, non Mam. Æmilius, ut nostro. Nam Plutarchus plane diversus, qui P. Veturium et M. Minucium nominat. Lips. Eadem repetit Ryckius ad h. l. nec se expedit. In ed. pr. non per LXIII. exprimitur numerus, sed est *sexagesimo tertio anno.* Ceterum Tacitus cum Livio et Dionysio, Plutarcho item, facile componetur sic: Plutarchus tradit Quæstores primos, a Regibus exactis: Livius et Dionysius nihil, nisi qui illo anno Quæstores fuerint, qui diem dixerint Sp. Cassio; qui fuit annus XXIII. a Regibus exactis: Tacitus autem qui primi Quæstores a Populo creati sint; quod attendenti facile patebit, monuitque jam Drakenb. ad Liv. 4, 41. Plutarchus dissentit in hoc, quod jam Valerium Poplicolam concessisse populo creationem Quæstorum dicit, a Populoque creatos Veturium et Minucium. Verum aut alios auctores secutus est uterque, aut ea tantum liberalitas Valerii fuit, quam ceteri Consules non sunt imitati, donec lege Populo creatio Quæstorum vindicata aut permissa est. Abramius ad Ciceronis Phil. 2, 20. sic conciliat Tacitum Plutarcho et Junio Grachano, qui etiam sub Regibus a Populo creatos scripsit, ut Reges quidem Consulesque ipsi elegerint, sed Populus lege curiata probarit electionem. Sed ea ratio per legem curiatam sanciendi jam constituta serior est, et instituta ad usurpandam vetustatis memoriam. Lata disp. ad h. l. est viri docti in Miscell. Obs. t. 10. p. 257. in pr. p. 287. qui per transpositionem conciliari Livio et Plutarcho posse Tacitum existimat sic: *Creatique primum, qui Romæ curarent: dein, gliscentibus negotiis, duo additi, Potitus et Æmilius Mamercus,* 90. *anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. Mox* etc. Videntur, quibus otium est, hæc excutienda. MS. Guelf. habet *annos.* Ern. Bud. verbis expressis: *sexagesimo tertio.* Bip. nodum bene solvunt. Tacitus suos sibi auctores habuisse putandus est.

Ut rem militarem comitarentur] Tacitum a Livio et aliis discrepare,

A. U. 800. A. C. 47. comitarentur. Dein, gliscentibus negotiis, duo additi, qui Romæ curarent. Mox duplicatus numerus, stipendiaria jam Italia, et accedentibus provinciarum vectigalibus. Post, lege Syllæ, viginti creati supplendo Senatui, cui judicia tradiderat. et, quamquam Equites judicia recuperavissent, Quæstura tamen, ex dignitate candidatorum, aut facilitate

monet Pighius l. c. quod primum duos militares Quæstores creatos dicat, deinde demum additos duos urbanos, cum Livius tradat 4, 43. ab initio duos urbanos tantum fuisse, additos deinde duos alios, qui Consulibus in bellum profectis adessent. Verba sunt: *Moles discordiarum inter plebem ac Patres orta est; cœpta ab duplicando Quæstorum numero, ut, præter duos urbanos Quæstores, duo Consulibus ad ministeria belli præsto essent.* Ego rem omnem sic concipio. Fuere Quæstores semper, sed a Coss. ab initio creati, nisi ubi magistratuum ambitio, ut Poplicolæ, Populo permitteret. Sed, cum Coss. opus videretur in bellis ministerio Quæstorum, propter rem pecuniariam, necessarium visum est, Quæstores creari a Populo comitiis curiatis, ut rem militarem possent attingere, quod injussu Populi et sine lege curiata non licet. Id apparere videtur, ut arbitror, ex eo, quod etiam semper Quæstoribus, Consulem, qui imperium haberet, secuturis, lege curiata, dicis caussa, ut ipsis Procons. opus fuit, ut existimat Gruchius, quamquam dissentiente Sigonio. Cicero Phil. 2, 20. objicit Antonio, quod, Quæstor creatus, statim ad Cæsarem in provinciam cucurrerit *sine SC., sine sorte, sine lege.* Ergo Quæstores cum ante semper in urbe curassent ærarium, cœperunt jam etiam bellis interesse: ideoque, cum prope perpetua bella essent, prope semper aberant ab urbe Quæstores. Hinc consilium natum est, ut præter duos illos, quibus liceret in bellum ire cum Consulibus, crearentur alii duo, qui assidui in urbe essent, quique Quæstores urbani dicerentur, cum antea Quæstores simpliciter dicerentur. Ceterum MS. Guelf. habet *commilitarem,* corrupte. Vide ad 1, 43. Ern.

Curarent] Sic 4, 36. et Sall. Catil. 9. *Rempubl. curarent.*

Mox duplicatus numerus] Epitome Livii 15. *Quæstorum numerus ampliatus est, ut octo essent.* Quod accidit circiter a. u. 488. Lips.

Viginti creati supplendo Senatui] Uti a Cæsare Dictatore quadraginta, eadem, ni fallor, caussa. Vide Dionem 43, 47. Lips.

Post lege Syllæ viginti creati supplendo Senatui] Nam Senatores fiebant maxime, qui magistratum inferiorem gessissent. Solos Quæstorios in Senatum lectos a Censoribus, ut cum Sigonio vult Pichena, non credo. MS. Guelf. *supplemento.* Ern.

Equites judicia recuperavissent] Non ut adimerentur omnino Senatui, sed ut cum Equitibus etiam communicarentur, quod factum esse constat lege Aurelia L. Cottæ. Ern.

Facilitate tribuentium] Steph. Pighius ad a. U. C. 672. hæc verba accipit, quasi Sulla tulerit, ut quotannis isti XX. Quæstores, partim Populi suffragio, partim Consulum beneficio crearentur. nam Tacitus, inquit, profecto dixisset *Populi,* non *tribuentium facilitate,* si solus Populus Quæsturam tunc dedisset. Idem ei apertius ostendere Cicero videtur in Interrogatione, quum c. 5. ait Vatinium Quæsturæ candidatum, *invitis omnibus, non Populi, sed Consulis beneficio extremum adhæsisse.* Ea enim verba docere, uno Quæstore Populi suffragiis creato, alterum mox renuntiatione Consulis e turba candidatorum adjici potuisse: atque alternatim usque ad extremum. Et id fortassis eo instituisse Sullam, ne nimis diu extraherentur comitia in tanto Quæstorum numero. Hæc somnia sunt inanissima. *Beneficium Consulis* Ciceroni nihil est aliud, quam Consulis, qui comitiis præerat, studium et contentio in commendando Vatinio, et vehemens pro eo supplicatio, quod rogandi genus cum semper sit gratiosum, tum sunt interdum, quibus nihil sit, quod rogantibus non jure se concessurum Populus putet, hi multis sæpe indignis profuerunt et suffragia quamvis invitis extorserunt. Neque inepte Nic. Abramus, posse et fraudis suffragiorum punctis adhibitæ suspicionem motam credi. Nam Tacitum non solum intellegere populum, et solita sua subtilitate usum, quum *tribuentium* maluit, facile largimur: quippe et Populum et Senatum et Principes comprehendens verbum ponere debuit. Ita *facilitate tribuentium* libera Re-

tribuentium, gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellæ velut venundaretur.

A. Vitellio, L. Vipstano coss. cum de supplendo Senatu agitaretur, primoresque Galliæ, quæ *Comata* adpellatur, fœdera et civitatem Romanam pridem adsecuti, jus adipiscendorum in urbe honorum expeterent, multus, ea super re, variusque rumor. Et studiis diversis apud Principem certabatur, adseverantium, *non adeo ægram Italiam, ut Senatum suppeditare urbi suæ nequiret. suffecisse olim indigenas consan-*

A. U. 801. A. C. 48.

23

publica et jure comitiorum penes Populum est studiis tribuum; postea partim Senatus, ad quem translata comitia sub Tiberio; partim Principum suos candidatos sine metu repulsæ obducentium. GRON.

Velut venundaretur] Quod jam nemo, quamvis dignus, Quæstor fieri vel auderet, vel posset, nisi qui valde dives, et perferendis munerum impensis esset. ERN.

L. Vipsanio] Sic edd. omnes. Ryckius cum Ruperto ep. 48. ad Reines. vult *Vipstano* e vestigiis codd. Flor. et Agr. quorum ille *Vipsana*, hic *Vipsano* habet. *Vipsana* etiam Guelf. mox c. 25. *Vipsanus*. Infra quidem hoc nomen eodem argumento pluribus locis receptum. Quidni ergo et hic recipiamus? ERN. Bud. *Vipsana*.

Fœdera et civitatem] Duplex Gallia, Cisalpina, Transalpina. Cisalpini iterum duplices, Cispadani, Transpadani. Ex his, qui cis Padum, jus civitatis assecuti sunt post bellum Marsicum: qui trans Padum, jus Latii eodem tempore, ferente Pompeio Strabone, qui pater Magni. Ea lex, Pompeia dicta. Sed, non contenti Latinitate, Transpadani turbas sæpe moverunt: incitante etiam post Quæsturam C. Cæsare. Nec enim de aliis Suetoniana illa capio Jul. 8. *Decedens ergo ante tempus colonias Latinas, de petenda civitate agitantes, adiit, et ad audendum aliquid concitasset, nisi Consules conscriptas in Ciliciam legiones paullisper ob idipsum retinuissent.* Donec ille Cæsar Dictator primum transtulit eos in civium jus, narrante Dione 41, 36. Τοῖς Γαλάταις, τοῖς ἐντὸς τῶν Ἄλπεων ὑπὲρ τὸν Ἠρίδανον οἰκοῦσι, τὴν πολιτείαν, ἅτε καὶ ἄρξας αὐτῶν, ἀπέδωκε. At de Transalpinis non liquide pureque aliquid scriptum reperio, nisi quod Strabo ostendit Cavaros Salyesque civitate donatos, tempore tamen non expresso l. 4. p. 186. Πάντας, inquit, οὕτω προσαγορεύουσι (Cavarorum nomine, scilicet) τοὺς ταύτῃ βαρβάρους, οὐδὲ βαρβάρους ἔτι ὄντας, ἀλλὰ μετακειμένους τὸ πλέον εἰς τὸν τῶν Ῥωμαίων τύπον καὶ τῇ γλώττῃ, καὶ τοῖς βίοις, τινὰς δὲ καὶ τῇ πολιτείᾳ. Donatos tamen non dubium est ab Augusto: tuncne, cum Italiam ad Alpes promovit? an potius in diuturna illa peregrinatione, cum ad res Galliæ constituendas biennium continuum ille egit? Quod obiter suadere Dio videtur 54, 25. qui Augustum in ea peregrinatione libertatem et jus civitatis aliis dedisse ait, aliis ademisse. Civitatem autem accipimus, sine jure suffragii, quod nunc a Claudio demum adsecuti. LIPS. De loco Strabonis v. Spanh. de O. R. 2, 15. p. 92. qui per πολιτείαν male vult intelligi Reip. formam. ERN.

Apud Principem] Sic cod. Bud. et alii, item edd. vett. Recentiores quædam *Principes*, male.

Indigenas consanguineis] Sensus videatur. Olim Latinos (qui indigenæ) suffecisse Romanis, sanguine et affinitate cum iis junctis: cur non nunc tota Italia? Possis etiam, *indigenas consanguineos populos:* eodem sensu. LIPS. Accipio interpretationem Pichenæ: *indigenas* sc. Italiæ, Romanis *consanguineis* suis olim suffecisse: sed ei obstat τὸ *populis*. *Populum Romanum*, non *Populos Romanos* novimus. Ergo aut inducenda vox ea, ut sit: *suffecisse olim indigenas consanguineis:* aut *populos* faciendum, ut sit, *suffecisse olim indigenas consanguineis populos*, aut denique scribendum: *suffecisse olim indigenas consanguineo populo.* nempe Italicos populo Romano, qui Etruscos, Latinos, Sabinos etc. miscuerit, et unum ex omnibus sanguinem ducat; ut ait Florus libro 3, 18. Et hoc præfero. GRON. Lipsius in prioribus edd. conjecerat *cum consanguineis populis:* sed hanc conjecturam post damnavit et sustulit in posterioribus edd. Jac. Gronovius *indigenas consanguinei populi:* quia in

A. U. 801. A. C. 48. *guineis populis, nec pœnitere veteris Reip. Quin adhuc memorari exempla, quæ priscis moribus ad virtutem et gloriam Romana indoles prodiderit. An parum, quod Veneti et Insubres curiam inruperint, nisi cœtus alienigenarum, velut captivitas, inferatur? quem ultra honorem residuis nobilium, aut si quis pauper e Latio Senator, fore? oppleturos omnia divites illos, quorum avi proavique, hostilium nationum Duces, exercitus nostros ferro vique ceciderint; D. Julium apud Alesiam obsederint. Recentia hæc. quid si memoria eorum inoriretur, qui*

cod. Flor. *consanguines.* mira ratio. ERN. *Consanguineis populis* sexto casu dici Heins. putat, quod arrisit Bahrdtio.— Bip. postremam Gronovii conjecturam in textum receperunt. Mihi *consanguinei populi* sunt, qui in Romanam Rempubl. confluxere e vicinia et sanguinem cum Romanis miscuere. sic dandi casus subsistere potest. Ita fere et Hillerus Rac. 34.

Veneti et insubres] Qui populi Transpadani. Ex his colligas, Cavaros, de quibus Strabo l. c. pleno civium jure non fuisse. Eos enim potius hic nominassent. LIPS.

Nisi cœtus alienigenarum] Quod sane haud diu post evenit. adeo ut Augustinus vere scripserit: *Numquid non multi Senatores in aliis terris, qui Romam ne facie quidem norunt?* De civit. 5, 17. LIPS. Cod. Ursini *inseratur.* Verum captivitati non convenit.

Aut si quis pauper] Negandi vim habet. quasi dicat: an aliquis etiam pauper e Latio Senator fiet? non fiet. posset etiam *aut ecquis.* LIPS. Non male Acidalius conjicit: *quem — nobilium, aut, si — senator, fore* i. e. quem honorem ultra fore nobilibus aut Senatoribus pauperibus e Latio. Sed vulgatum etiam defendi potest, et intelligi dictum pro pauperibus Senatoribus e Latio. Ed. pr. *senatus.* ERN. Acid. conjectura optimum sensum exhibet. Adsumsere Bip. Recepi et ego.

Ferro vique ceciderint] Ita in meis libris, et recte. Vulgo, *ferro ignique.* Simile mendum scio esse in Suetonii Claudio 21. *Diu cunctatus, an omnes igni ferroque absumeret, tandem e sua sede prosiluit.* Lege, *vi ferroque.* LIPS. Sic cod. Flor. Guelf. et alii ed. pr. At Puteol. et sequentes *ignique.* ERN. Bud. *ferro vique*, ut Flor.

Inoriretur] MSS. Flor. Agr. Guelf. ed. pr. *moreretur.* Puteol. et seqq. *inoriretur.* Ex illo J. Gronovius facit *moveretur.* Heins. *renovaretur.* Illud melius. Putem *inoriretur* ferri posse, quamquam est verbum insolens. Librarii ex *inoreretur* fecere *moreretur*, ut alibi *multus* ex *inultus* et similia. *Oreretur* pro *oriretur* sæpe est in libris antiquis. Vid. Burm. ad Sueton. Cæs. 64. Aptius h. l. videtur verbum, quod significet *veniret in mentem*, quam quod, *commemoraretur.* Adde not. seq. ERN. Bud. *moreretur.* Acid. pro *inoriretur* dabat *iniretur* et pro *ara*, *arce.* Infrequens est *inoriri*; apud Frontin. tamen Strateg. 2, 1. in plur. codd. legi *inoriente . . die* testatur Oudend. nec proinde id verbum compositum Latio ejiciendum.

Qui capitolio et ara Romana] Locus fractus corruptusque, uti oratiuncula hæc tota. Nec ista Attius Navius pater Augurum restituerit, sine libris: nedum ut Beatus nobis persuadeat germanam lectionem esse, *qui capitolio et ara Romana? manibus eorundem parceretis?* Est enim, *inquit*, aposiopesis: subaudiendumque, potiti sunt. qua figura medius fidius vellem ipse usus esset. Mei libri, *memoria eorum memoretur qui capitolio et ara Romana manibus eorumdem per se satis.* LIPS. Tentabam: *Recentia hæc: quid si memoria eorum inoriretur, qui capitolium et arcem Romanam, mœnibus eorundem prostratis?* Intelligo, obsederint, ædificiis urbis adflictis incensisque. Ista, quæ recensuerat, ferro vique cæsas legiones, D. Julium apud Alesiam obsessum, recentia et memoriæ nondum exoletæ. At, quanto graviore invidia premi posse Gallicum nomen, quanto minus dignos curia Romana visum iri, si mentio etiam fiat illorum, qui mœnibus incensis ac prostratis circa montem Tarpeium et arcem per sex menses minacissimi pependerint. GRON. Hæc saltem commodum sensum habent. Sed alias rationes afferemus, et lectoribus electionem relinquemus. MSS. Flor. Guelf. Vat. habent *per se satis;* ita editio pr. exhibet. Sed Jac. Gronovius scripturam codicis Flor. aliter legendam putat, atque ex ea conjicit *pestem minati sunt,* pro *ara*, *arci.* Ceterum Puteo-

*capitolio et ara Romana manibus eorumdem per se satis * fruerentur sane vocabulo civitatis: at insignia Patrum, decora Magistratuum, ne vulgarent.* His atque talibus haud permotus Princeps, et statim contra disseruit, et, vocato Senatu, ita exorsus est: *Majores mei (quorum antiquissimus Clausus, origine Sabina, simul in civitatem Romanam, et in familias patriciorum adscitus est) hortantur, uti paribus consiliis Remp. capessam, transferendo huc, quod usquam egregium fuerit. Neque enim ignoro, Julios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo, et, ne vetera scrutemur, Etruria Lucaniaque, et omni Italia, in Senatum accitos. Postremo ipsam ad Alpes promotam, ut non modo singuli viritim, sed terræ, gentes, in nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi quies, et adversus externa floruimus, cum Transpadani in civitatem recepti,*

A. U. 801. A. C. 48. 24

lanus edidit *prostratis*, quod omnes secuti sunt præter Ryckium, qui *per se satis* dedit. Nerius in Analect. l. 4. conjiciebat *prostrati*. Heinsius in ep. ad Periz. in Coll. Burm. t. 4. p. 783. sic locum totum refingit: *quid si memoria eorum iteretur, quis pro capitolio et arce Romana manubias Deorum pensastis* vel *depensastis*, vel *repensastis*. Perizonius respondens Heinsio p. 788. probat *manubias Deorum:* et est sane elegantissima conjectura: et præterea conjicit *pensastis:* ceterum veretur, ne hic lacuna sit: quod valde probabile est. ERN. Bud. *per se satis*. Qui hic adlegatur, Nerius, estne Jos. Nerius, cujus commentaria in Tacitum extant, an potius Salinerius? huic saltem eam conjecturam tribuit Gron. Reddit autem *capitolio et ara prostrati* per *strati pro cap. et ara*. Heinsii *manubias* non est ex ipsius ingenio; in cod. Agr. legitur *manubiis eorum per se satis*. Addo, quæ insanabili curando vulneri a variis frustra licet sunt adlata. Freinsh. *Q. si m. eor. inoriretur, qui, capta olim et arsa Roma, manibus eorundem prostrati fuerint*. Justus G. Vossius G. F. *Q. si m. e. inor. qui, cap. et ara Rom. mœnibus eorundem prostratis fruerentur? Sane vocab. civ.* (omisso *sed*) *ins. P. d. m. ne v.* Broterius: *Q. si m. e. renovaretur, qui, cap. et arce Rom. manibus eorundem fere superatis, pretium P. R. mille pondus auri fecerint*. Bip. *Quid si m. Senonum recoleretur, qui, captis olim a se Romanis, manubiis eorum dein processerint satis*. Sub *eorum* latere *Senonum* jam Heinsius conjecerat. Sic conspirare hæc putant Bip. cum iis, quæ cap. seq. leguntur. Hiller. Rac. 34. *Q. si m. Senonum moveretur, qui, capitolio et arce Rom. per se salvis, manibus ædes prostrarint.*

Sed insignia patrum) Addidi *sed*, e vestigiis ed. pr. quæ habet: *et insignia*. *et* ortum est, cum finalis præcedentis verbi absorbuisset literam *s*; quod satis constat huic particulæ sæpe accidisse. Si quis tamen malit *at*, non valde repugnem. Locus similis supra 3, 5. *sane corpus—quoquo modo crematum: sed tanto plura decora mox tribui par fuisse*. Vide tamen infra ad c. 30. ERN. Aptius *at*. Bud. copula caret.

Ita exorsus est] Quæ oratio Principis, memoriæ caussa, Lugduni habita, celeberrima urbe Galliarum, et in æs incisa. Tabula manet illic etiam nunc; et dignum lectu exemplar ejus, quod, exscriptorum fide, proposui in Exc. A. eo magis, quod multa in eo ad Taciti lucem. LIPS. Mox ed. pr. *Claudius*. Puteol. *Clausus* cum seqq. ERN. In nupera quoque urbis obsidione salva suo loco perstitit tabula, quod rei antiquariæ amicis gratum fore confido.

Orig. Sabina] Cf. Suet. Tib. 1.

Coruncanios Camerio] Cicer. Planc. 8. Tusculanos facit, ut jam monuit Ryckius, item pro Sull. 7. In quibus locis nihil movendum bene monet Perizon. An. Hist. p. 193. quod in rebus tam antiquis varios auctores sequi potuerint Cicero et Tacitus. ERN.

Postremo ipsam] Romanam civitatem. ERN.

Sed terræ gentesque] Codd. Flor. Agr. et ed. pr. absque copula, *sed terræ, gentes*. Heinsius conjiciebat *integræ gentes*. ERN. Copulam non habet Bud. nisi a r. m.

A. U. 801. A. C. 48.

cum, specie deductarum per orbem terræ legionum, additis provincialium validissimis, fesso Imperio subventum est. Num pœnitet, Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi transivisse? Manent posteri eorum, nec amore in hanc patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedæmoniis et Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi, quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor noster Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit. Advenæ in nos regnaverunt. Libertinorum filiis Magistratus mandari, non, ut plerique falluntur, repens. sed priori populo factitatum est. At cum Senonibus pugnavimus. scilicet Volsci et Æqui numquam adversam nobis aciem instruxere! Capti a Gallis sumus. sed et Tuscis obsides dedimus, et Samnitium jugum subivimus. Attamen, si cuncta bella recenseas, nullum breviore spatio, quam adversus Gallos, confectum. continua inde ac fida pax. Jam moribus, artibus, adfinitatibus nostris mixti, aurum et opes suas inferant potius, quam separati habeant. Omnia, P. C. quæ nunc vetustissima creduntur, nova fuere. plebei Magi-

Deductarum per orbem] In colonias nempe deductarum. Iisque misti e provincialibus fere semper aliqui, eodem jure. Lips.

Num pœnitet] Sic edd. omnes quas vidi, præter Gronovianas, in quibus est *non:* vereor ut consulto. Sic tamen est in MS. Guelf. qui et *non* exhibet vitiose pro *num* c. 29. Ern. Bud. *num.*

Viros] Sub hac voce familiæ cujusdam nomen latere putat Muretus: placet et Acidalio.

Dein cives] Bud. *eodem cives.* non male. Sed r. m. ex *eodem* fecit *dein.*

Libertinorum filiis] Hoc illud est, quod Suet. notat in Claudio 24. *Appium Cæcum Censorem, proauctorem generis sui, libertinorum filios in Senatum allegisse docuit: ignarus, temporibus Appii et deinceps aliquamdiu libertinos dictos, non ipsos, qui manu mitterentur, sed ingenuos ex his procreatos.* Et notat vere. Nam libertorum filii adeo a curia remoti temporibus priscis, ut nec in militiam sint admissi. et bello Italico libertini primum militare cœperunt, ut notat Epitome Liviana 74. Lips. Ed. pr. *mandaret.* Ern.

Non, ut plerique falluntur, recens] Non hercle antiquius, quam a Cæsare. Primus ille libertorum filios allegit in Senatum, et magistratu ornavit. Dio 43, 47. καὶ παμπληθεῖς μὲν ἐπὶ τὴν γερουσίαν, μηδὲν διακρίνων, μήτ' εἴ τις στρατιώτης, μήτ' εἴ τις ἀπελευθέρου παῖς ἦν, ἐσέγραψεν. Lips. MS. Guelf. *fallimur.* Ern.

Non, ut plerique falluntur, repens] Sic cod. Flor. et ed. pr. Ceteræ usque ad Pichenam *recens.* quia etiam sic est in MS. 6, 7. nec credibile librarios *recens* mutasse in *repens*, cum contra sæpe factum sit. *repens* etiam hic servavi. Vid. ad 6, 7. Mox iisdem auctoribus libris dedi *instruxere* pro vulg. *struxere.* Præcedens littera, ut sæpe, absorpsit primam syllabam. Sic etiam cod. Reg. apud Ryckium, et Vatic. ap. Lipsium in margine. Ern. Bud. *repens*, unde r. m. *recens.* mox idem *instruxere.* Sic et Vat.

Breviore spatio] Ita, si Galliam Comatam spectas, de qua hic agitur: nam decimo anno a Cæsare perdomita est. Aliter in aliis, quod historiæ dicent. Lips.

Omnia, P. C. quæ nunc] Pulchram et acutam sententiam reperio a Synesio Cyrenensi Episcopo, haud disparibus sane verbis, expressam in epist. 57. πολλὰ τῶν δεόντων ὁ χρόνος ἐξεῦρε, καὶ διωρθώσατο. οὐχ ἅπαντα πρὸς παραδείγματα γίνεται, καὶ τῶν γενομένων ἕκαστον ἀρχὴν ἔσχε. . . . ἡμεῖς ἀρχὴν δῶμεν ἔθει βελτίονι. Simile, sed breviter, Tertull. adv. Marc. 1, 9. *Omnis res anterior posteriori normam præministravit.* Lips.

stratus post patricios: Latini post plebeios: ceterarum Italiæ A. U.
gentium post Latinos. Inveterascet hoc quoque: et quod hodie 801.
exemplis tuemur, inter exempla erit. Orationem Principis A. C. 48.
secuto Patrum consulto, primi Ædui Senatorum in urbe jus 25
adepti sunt. datum id fœderi antiquo, et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum Populo Romano usurpant. Iisdem diebus in numerum patriciorum adscivit Cæsar vetustissimum quemque e Senatu, aut quibus clari parentes fuerant: paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus *majorum* et

Orationem Principis] Sunt, qui putent, Galliæ Comatæ universæ civitatem optimo jure hoc SC. datam, eoque alludi a Seneca de Benef. 6, 19. idque ipsi Lipsio ad Senec. l. c. videtur. Id falsum esse, verba Taciti sequentia arguunt, e quibus patet, ad solos primores Æduorum beneficium pertinuisse. Non vero exemplo utitur ibi Seneca, sed ficto, ut Philosophi solent. Itaque etiam Hispanias adjungit, quibus Senecæ temporibus jus civitatis datum non constat. V. plura contra disserentem Spanhem. in Orb. Rom. 1, 15. init. Ern.

Soli Gallorum fraternitatis nomen] In Panegyrico Flaviensium nomine ab Eumenio apud Constantinum dicto 2. *Quænam igitur gens toto orbe terrarum in amore Romani nominis Æduis se postulet anteponi? qui primi omnium inter illas immanes et barbaras Galliæ gentes plurimis Senatus consultis fratres Populi Rom. appellati sunt; et, cum a ceteris Rhodano ad Rhenum usque populis ne pax quidem posset nisi suspecta sperari, soli consanguinitatis nomine gloriati sunt.* Et postea 3. *Imputavere se origine fabulosa in Sicilia Mamertini, in Asia Ilienses: soli Ædui non metu territi, non adulatione compulsi, sed ingenua et simplici caritate fratres Populi Rom. crediti sunt.* Bene ait, crediti. Neque enim aliunde, ut credo, fratres, quam ex sermone communi Gallorum Germanorumque, quo fideles socii, fratres amicique dicuntur. non quia ab Iliaco sanguine, ut suggerunt quidam. Sed, quod Tacitus dicit, solos Æduos id nomen usurpasse: repugnat Lucanus, qui tribuit etiam Arvernis 1, 426. *Et docilis rector monstrati Belga covini, Arvernique ausi Latio se fingere fratres Sanguine ab Iliaco populi.* Et lapis antiquus, qui Batavis (ap. Grut. p. 499, 13.) GENS. BATAVORVM. AMICI. ET FRATRES. ROM. IMP. quæ inscriptio eruta armamentario Britannico, ad ostium veteris Rheni. Tamen Diodorus etiam pro Tacito 5, 25. Ἡ Γαλατία κατοικεῖται μὲν ὑπὸ πολλῶν ἐθνῶν διαφόρων τοῖς μεγέθεσι . . . ὧν ἔστιν ἓν πρὸς Ῥωμαίους ἔχον συγγένειαν παλαιὰν καὶ φιλίαν, τὴν μέχρι τῶν καθ᾽ ἡμᾶς χρόνων διαμένουσαν. Lips. Adde Cicer. ep. ad Div. 7, 10. et ibi Manut. Ern.

Usurpant] Bud. *usurpabant.*

Vetustissimum quemque e Senatu] Aliud patricii, aliud Senatores. Senatores multi e plebe, ut septuennibus pueris notum. Claudius igitur, ne exstingui, et intermori patriciorum familias pateretur, antiquissimum quemque e plebeis Senatoribus rettulit in Patres. Dico antiquissimum; sive ætatis ratione, seu potius temporis, quo in Senatu fuit. Hæc clara Taciti mens. At vir juris et antiquitatis consultus, (Vertranius) quasi in Cimmerios delatus esset, ita hic cæcutit. Vertit se in omnes formas, et tandem definit scribendum esse: *vetustissimum quemque e se natum.* Sapis lector, et non rides? Lips.

Romulus majorum] Tacitus sensisse videtur, omnes patricios, qui a Regibus lecti (plures enim Reges post Romulum legerunt) majores fuisse: qui a Bruto, minores. Livius tamen 2, 1. et alii, contra. cujus rei confusam veritatem vide apud Onufrium in Fastis, quem non exscribo. Sed Tacito, ut opinor, auctores sui. Lud. Vives tamen, patrum ævo doctrina celebri, verbis aliquot insertis hic legebat: *Romulus majorum gentium, L. Tarquinius minorum, Brutus conscriptorum appellaverant.* cujus epistolam ea super re publicavit amicus meus, dum vixit, G. Canterus in Notis suis (Nov. Lect, 2, 24. in Grut. Lamp. t. 3. p. 563.). At mihi nondum animus adsentiendi: nec tibi quidem, si cum judicio excusseris, quæ Onufrius per satyram et confuse, ut solet, collegit. Lips. Canteri correctionem refellit Arnzenius ad Victorem 6, 6. Filius ejus in Miscell. c. 1. p. 11. a Livio non dissentire Tacitum disputat, existi-

A. U. 801. A. C. 48. L. Brutus *minorum gentium* adpellaverant; exhaustis etiam, quas Dictator Cæsar lege Cassia, et Princeps Augustus lege Sænia sublegere. Lætaque hæc in R. P. munia, multo gaudio Censoris inibantur. Famosos probris quonam modo Senatu depelleret, anxius, mitem et recens repertam, quam ex severitate prisca, rationem adhibuit, monendo, *secum quisque de se consultaret, peteretque jus exuendi ordinis. facilem ejus rei veniam. et motos Senatu, et excusatos simul propositurum: ut judicium Censorum, ac pudor sponte cedentium permixti, ignominiam mollirent.* Ob ea Vipstanus Consul retulit, *Patrem Senatus adpellandum esse Claudium. quippe promiscuum* Patris Patriæ *cognomentum: nova in Remp. merita non usitatis vocabulis honoranda.* Sed ipse cohibuit Consulem, ut nimium adsentantem. condiditque lustrum, quo censa

mans et Prisco et Bruto lectos Senatores minorum gentium dictos, Brutinos etiam Conscriptos, ut visum jam Augustino de Legg. c. 7. et a Tacito Bruto uni tribui, quia is posterior tales legit. Contra est, quod Livius Bruti Senatores dicit ex Equitibus fuisse, quia patriciorum numerus non suffecerit Senatoribus legendis: sed gentes tum majores tum minores sunt patriciorum. ERN.

Lege Cassia] De lege hac nominatim nupsiam traditur. Rem tradit Sueton. Cæs. 41. *Patricios allegit:* sed id fecit potestate, quam lex Cassia dederat. ERN.

Augustus lege Sænia] Ille idem Vives scribit *Servia.* Jus et mos Belgæ, dissentiendi ab Ibero. *Sænia* enim vera lectio. Colligo ex Dione 52, 42. extr. qui hunc patriciorum dilectum confert in a. u. 725. *τότε τῶν εὐπατριδῶν γένος*, inquit, *συνεπλήθυσε, τῆς βουλῆς οἱ δῆθεν ἐπιτρεψάσης τοῦτο ποιῆσαι.* Ex quo vides, *SC.* aliquod fuisse ejus rei, sive legem. Legibus nomina a Consulibus: et Consul suffectus prioris anni L. SAENIVS in monumentis. Vertranium ergo, qui *Sentiam* reposuit, non audiemus. LIPS. Non *SC. sive legem.* sed SC. et legem. Monum. Ancyr. Pilæ prioris tab. 2. init. *Patriciorum numerum auxi Consul quintum jussu Populi et Senatus.* Nam legem non Tribunitiam semper præcedit SC. scriptoresque modo legem solam, modo SC. modo utrumque memorant, positoque uno, semper alterum intelligendum, neque ullo modo dissensus inter scriptores fingendus, aut ipsi reprehendendi hoc nomine. Vertranii conjecturam sequitur Hotomannus de Leg. Rom. 1, 1. ERN.

Multo gaudio Censoris inibantur] Sic MSS. Flor. Bud. Guelf. ed. pr. Puteol. Rhen. Ald. aliæque. Sed cod. Farn. edd. Ber. Alciat. *Cæsaris.* male. Vid. c. 13. ERN. Grut. volebat *mutuo gaudio.*

Mitem et recens repertam] Repertam ab Augusto. Habes in Dione 52, 42. in extremo. LIPS. Adde Sueton. Aug. 35. ERN.

Ex severitate prisca] Alucinor, aut scribendum voce addita: *haud ex severitate.* Sententiam eam esse, id mihi certum. Hæc ita scripseram: sed ecce Pichena ex Flor. vere emendat: *repertam quam ex:* sententia illa mea, id est (Corneliana phrasi) *potius quam.* LIPS. Plane sic ed. pr. Sed Puteolanus *quandam* induxit, quod Rivius et alii secuti sunt. ERN. Bud. *quam ex s. p.*

Jus exeundi ordinis] Solos Ciliciæ abite nebulones. Enimvero Latinitas scribi vult *ordine;* aut potius, *exuendi ordinis.* Ita 3, 17. *Piso exuta dignitate in decem annos relegatur.* LIPS. *Exuendi* recepit Ryckius, quem secutus sum. Noster H. 2, 86. *Senatorium ordinem exuerat.* secutus est Broterius. ERN. Bud. *exeundi.*

Et excusatos] Bud. *excusatosque.*

Ut judicium Censorum] Faernus legebat: *ut judicium Censorium,* etc. Sic supra c. 13. *munia Censoria.* sed, quia collegam habuit L. Vitellium, Suet. Vit. 2. infra 12, 4. vulgatum sine libris tentari, non est necessarium. ERN.

Patrem Senatus] Quod imitati sibi sumpserunt Balbinus et Pupienus Augusti. In Nummis: IMP. CAES. PVPIEN. MAXIMVS. AVG. Tum parte versa: PATRES SENATVS. LIPS.

sunt civium LXIX. centena, XLIV. millia. Isque illi finis inscitiæ erga domum suam fuit. haud multo post, flagitia uxoris noscere ac punire adactus, ut deinde ardesceret in nuptias incestas. A. U. 801. A. C. 48.

26 Jam Messallina, facilitate adulteriorum in fastidium versa, ad incognitas libidines profluebat; cum *abrumpi dissimulationem* etiam Silius, sive fatali vecordia, an imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus, urgebat. *Quippe non eo ventum, ut senectam Principis opperirentur. insontibus innoxia consilia; flagitiis manifestis subsidium ab audacia petendum: adesse conscios, paria metuentes. Se cælibem, orbum, nuptiis, et adoptando Britannico paratum: mansuram eandem Messallinæ potentiam, addita securitate, si prævenirent Claudium, ut insidiis incautum, ita iræ properum.* Segniter hæ voces acceptæ, non amore in maritum; sed, ne Silius summa adeptus sperneret adulteram, scelusque, inter ancipitia probatum, veris mox pretiis æstimaret. nomen tamen matrimonii concupivit, ob magnitudinem infamiæ,

LXIX. *centena, et* XLIIII. *millia*] Convenit cum Cassiodori ratione sexaginta novem centena millia exprimentis. cum libris haud plane convenit, e quibus Vatic. ille fidus exprimere videtur *quinquaginta octo centena et octogintaquatuor millia et* LXXII. Nec miremur de granditate numeri: cum jam tunc sub Augusto (nondum tot populis in civitatem acceptis) censa reperiam *quadragies centena millia.* Lapidis inscriptio quam obtrudunt, TEMPORIBVS CLAVDII TIBERII FACTA HOMINVM ARMIGERVM OSTENSIONE IN ROMA SEPTIES DECIES CENTENA MILLIA LXXXVII. parum vera aut fida mihi est. et tamen, cum de his saltem, qui arma ferrent, agat, nihil nobis obstat. LIPS. Ed. pr. LVIIII. LXXXIIII. LXXII. et sic cod. Flor. sed cod. Agr. pro LVIIII. habet LVIII. MS. Guelf. LVIIII. LXXII. Ed. Put. LXVIIII. *centena et* CXLIIII. *millia* et sic quoque Rivius Ber. Alc. Rhen. Ald. Atque hinc effieta est ea, quæ nunc obtinet, lectio. ERN. In Bud. turbati sunt numeri. Cassiodori ratio nec in ed. Fornerii nec Garetii cum Tacito convenit.

Facilitate adulteriorum] Sic edidi ex ed. pr. ceteræ omnes *adulterorum.* Etsi nihil interest admodum; tamen lectionem ed. pr. prætuli, quod et fecit Broterius. ERN. Bud. *adulterorum.*

Sive fatali vecordia, etc.] Acidalius vel deleri *sive*, vel *ipse* legi vult. *Ipse* non patitur τὸ *etiam.* *Sive* sequente *an* est etiam 14, 59. alias sane *sive* omittere noster solet. ERN.

Ut senectam Principis opperirentur] Cod. Flor. (et Bud. a r. m.) *senecta pr. opperiretur*, quod recepit Pichena. Ed. pr. *senecta pr. opperirentur.* Sed Puteolanus *senectam* edidit, quod et Spirensis edere voluisse videtur: idque ceteri secuti sunt, atque haud dubie verum est. Res enim pertinet non modo ad Silium, sed etiam ad Messallinam. Saltem legendum *senectam opperiretur.* Mox frustra Acidalius, Heinsius et Ryckius malunt *flagitii manifestis:* nam et vulgatum sensum bonum habet, nec Tacitus in oppositionibus sibi similis esse solet, ut jam sæpe vidimus. ERN.

Flagitiis manifestis] Sic 1, 3. *subsidia dominationi.* ut non sit opus cum Acidalio, Heinsio et aliis legere *flagitii*, etsi et hoc bonum sensum pareret.

Ne Silius summa adeptus] Sic prim. ed. Beroaldi; nescio an consulto: nam Puteolanum alias sequitur in his libris. Ceteræ omnes *summam*, etiam MSS. Rhen. qui e MS. Bud. dedit *summam*, int. rerum: idque Aldus secutus est, ceterique usque ad Lipsium, qui *summa* reddidit. *Summam* etiam MS. Guelf. ERN.

Ob magnitudinem infamiæ] Elegantissima gnome. cujus acumen non cepit Ferrettus. Explicat unus Seneca ep. 123. (122.) *Nolunt solita peccare, quibus peccandi præmium infa-*

A. U. cujus apud prodigos novissima voluptas est. Nec ultra
801. exspectato, quam dum sacrificii gratia Claudius Ostiam pro-
A. C. ficisceretur, cuncta nuptiarum solennia celebrat. Haud sum
48. 27 ignarus, fabulosum visum iri, tantum ullis mortalium securitatis fuisse, in civitate omnium gnara et nihil reticente, nedum Consulem designatum, cum uxore Principis, prædicta die, adhibitis qui obsignarent, velut suscipiendorum

mia est. ubi tamen male, et præter reliquum judicium, Pincianus, *in fama est*, legi voluit. Ita autem est. hominibus perditis et ad flagitia projectis, ipsa infamia voluptas est. Audi Valerium Max. 6, 9. De mutatione morum: *Perditæ luxuriæ Athenis adolescens Polemo, neque illecebris tantum, sed etiam ipsa infamia gaudens.* Ubi addo voculam e libro veteri, *neque illecebris ejus tantum:* sententia omnino volente. Lips. *Prodigos* int. famæ. Qui famam prodigunt atque contemnunt, tandem eo amentiæ veniunt, ut ipsa infamia delectentur, appetantque ea, unde vel maxima infamia veniat. Ern.

Sacrificii gratia Ostiam] Immo rei frumentariæ gratia, ait Dio 60, 31. pellicum caussa, Victor. Sed sacrificium credo a Claudio institutum rei frumentariæ caussa, in Castorum æde. Id enim numen ibi cultum, ventorum marisque caussa. Ita lego apud Ammianum 19, 10. in summa inopia frumenti, Tertullum qui Præf. annonæ, *apud Ostiam in æde Castorum sacrificasse, tranquillitatemque mare mollivisse.* Id sacrum perpetuum fuit, et suspicor a Claudio institutum, qui portum illum celebrem et farum Ostiæ exstruxit. Celebrabatur sollenni quadam lætitia, mense Maio; ideoque post sæcula Maiuma dictum. Suidas: Μαϊουμᾶς. πανήγυρις ἐγένετο ἐν τῇ Ῥώμῃ κατὰ τὸν Μαΐον μῆνα. τὴν παράλιον καταλαμβάνοντες πόλιν τὴν λεγομένην Ὀστίαν, οἱ τὰ πρῶτα τῆς πόλεως τελοῦντες, ἡδυπαθεῖν ἠνείχοντο, ἐν τοῖς θαλαττίοις ὕδασιν ἀλλήλους ἐμβάλλοντες. Julianus in Antiochico p. 362. Ὑμῶν δ᾽ ἕκαστος ἰδίᾳ μὲν εἰς τὰ δεῖπνα καὶ τὰς ἑορτὰς . . . τοῦ Μαϊουμᾶ χρήματα ἀπολέσαντες, ὑπὲρ δ᾽ ὑμῶν αὐτῶν καὶ τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως οὐδεὶς θύει. Nec aliud intellexit Æthicus in Cosmogr. *Tiberis insulam facit inter portam urbis et Ostiam civitatem, ubi Populus Rom. cum urbis Præfecto vel Consule, Castorum celebrandorum caussa egreditur, sollennitate jucunda.* Ubi vides, Castorum sollenne et Maiumam idem esse. Hanc originem Maiumæ nec inscitam, nec alienam a vero puto. Lips.

Nedum Consulem designatum] Non beneficium Principis exprobrat hic titulus Silio, sed personæ ejus eminentiam respicit, in qua nihil esse poterat obscurum: adeoque magis mirum et minus credibile sit hujus loci hominem ad tantum vecordiæ fuisse progressurum. Cæterum, quod oratio scabra et rudis Vertranio videtur, id facile vitaveris, si memineris, Taciti verba sic esse accipienda, ut ante τὰ *nedum Cons. des.* intelligamus τὰ *et quemquam:* quasi esset: *tantum ullis mortalium securitatis inesse:* et *in civitate omnium gnara et nihil reticente* quemquam, *nedum Consulem designatum, cum uxore Principis,* etc. *convenisse.* His duabus voculis, quas studio brevitatis auctor noster fecit lucri, per intellectum appositis, nihil hac parte restat difficultatis. Gron.

Qui obsignarent] Int. tabulas dotis, sive, ut mox vocat, nuptiales tabulas. V. Sueton. 26. qui Claudium inter signatores fuisse tradit. De tabulis nuptialibus v. Lipsium ad c. 30. Ern.

Suscipiendorum liberorum caussa] Ea formula in nuptiis legitimis sollennis, ad conjugii verum finem. *Nec enim ob aliud*, ait Augustinus de sancta virg. 7. *femina nubit, quam, ut mater fiat.* unde et matrimonium ominis caussa dictum. Ideo Græci definiunt, γάμον, σύνοδον ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς κατὰ νόμον, ἐπὶ γνησίων τέκνων σπορᾷ. Et apud Athenienses (ait Isidorus Pelusiota 3. epist. 243. Ἡ συνάφεια ἡ κατὰ νόμον ἐπ᾽ ἀρότρῳ παίδων ἐλέγετο γίνεσθαι. Menander etiam pulchre, apud Clementem Strom. 2. p. 421. Παίδων σπόρῳ τῶν γνησίων δίδωμί σοί Γε τὴν ἐμαυτοῦ θυγατέρα. Et Augustus senile quoddam conjugium injustum pronunciavit, *quoniam non quærendorum liberum caussa initum*, ait Valerius 7, 7. In ipsis autem tabulis ea verba solita exprimi. Augustin. De civitat. D. 14, 18. *Quid concubitus conjugalis, qui secundum matrimonialium præscripta tabularum, procreandorum fit caussa liberorum?* Adde et Suet. Jul. cap. 52. Lips.

liberorum caussa, convenisse: atque illam audisse Auspicum verba, subisse, sacrificasse apud Deos: discubitum inter convivas: oscula, complexus: noctem denique actam licentia conjugali. Sed nihil compositum miraculi caussa, verum audita scriptaque senioribus tradam. Igitur domus Principis inhorruerat: maximeque, quos penes potentia, et, si res verterent, formido, non jam secretis conloquiis, sed aperte fremere, *Dum histrio cubiculum Principis insul-*

A. U. 801. A. C. 48.

28

Auspicum] Bud. *Haruspicum*.

Subisse, sacrificasse] Verbum *subisse*, corruptum judico. Forteaŋ, *nupsisse*, id est, sollenni luteo flammeo, qui mos novis nuptis, faciem velasse. Scripsi et sensi ita olim. at nunc delibero etiam atque etiam, et ambigo, an subeundi verbum non hic germanum et inter legitima nuptiarum. Quinctilianus suspicionem facit in sermone Declam. 247. *Dicit pars diversa. non fuisti uxor. non subsisti cum illo.* Legerim, *non subiisti.* Et subitionem hanc intellegam, sive cum deducta subiret mariti domum: sive de jugo. modo is ritus tamen satis certus. Lips. *Subisse verba* videtur dici, cui alius *verba præivit*. v. Obs. 2, 4. Gron. Quod satis probabiliter disputatur ibi. Et priori Lipsii conjecturæ favet primo locus e Declamatione, ubi hodie e MSS. legitur *nubsisti*. V. ibi Schultingius: deinde, quod verbo nubendi in ea re etiam utitur Suetonius, nec credibile satis, Tacitum solennissimum ritum, cum ceteros memoraret, omisisse. Ceterum post *Deos* colon posui, ut est in edd. primis, et mox bis. Ern. Heinsius deesse quid putat, ut *templa subisse*. Bip. vel *nupsisse* legendum putant, vel intelligendum *subisse* velum nuptiale.

Discubitum inter convivas] Et quidem forma nuptiali: quæ volebat, ut nova nupta in gremio mariti jaceret. Morem eum exprimit Juvenalis 2, 119. — *ingens Cœna, sed et gremio jacuit nova nupta mariti*. quasi ecce id inter sollennia nuptiarum. Appuleius de nuptiis Psyches Met. 6. *Accumbebat summum thorum maritus, Psychen gremio suo complexus.* Ideo recte in Catullo 61, 171. *Adspice intus ut accubans Vir tuus Tyrio in thoro Totus immineat tibi.* Nec recte magnus ille censor, quem unum æmulor mirorque, *adspice imus*, emendavit. Imusne in illo geniali suo epulo maritus? imo summus, vel Appuleio teste. Intus accubare, ut intus canere. Interior autem maritus, respectu sponsæ ad quam hic sermo. Siquid tamen mutandum, legerim, *unctus*: qui mos Romanis in omni convivio solenni. Lips.

Tradam] Magis pro mente, *trado*. jam enim illa incredenda scripsit. Lips. Ferri potest, si pro conjunctivo præsentis accipiatur. Si quid mutandum, malim: *tradiderim*, e quo, per compendium scripto, *tradam* fieri potuit. Liv. 1, 46. *pluribus tamen auctoribus filium ediderim.* et sic centies idem et alii. Nam cur *trado* in *tradam* mutarint librarii, vix intelligi potest. Ern.

Verterent] Bud. *verterentur*.

Dum industria cubiculum] Regem olim feci, qui emendasset hunc locum. itaque concursum a multis ad coronam, et non unus mihi indicavit scribendum: *Dum histrio cubiculo Principis occultatur, dedecus.* verissime. intellegit enim Mnesterem illum Pantomimum, qui diu in deliciis Messallinæ. Libri scripti non longe abeunt ab hac lectione, *dum instruo cubiculum Principis exultavero, dedecus.* Possis extrema item scribere, *cubiculo Principis exsultat, vere dedecus.* Lips. Simplicissimum: *dum histrio cubiculum Principis exsultaverit, dedecus quidem illatum, sed exscidium procul abfuisse.* Illud Salmasii eruditum, *exsultare* esse ἐξορχεῖσθαι. Quod melius intelliges, ubi consideraveris, quæ vir insignis Hen. Savilius notavit ad Chrysostomum in Psalmos, eo verbo usos veteres, Andocidem, etc. et recentiores Lucianum, Plutarchum, Chrysostomum, pro καταισχύνειν, ὑβρίζειν· metaphora sumpta ἀπὸ τῶν ἐκπομπευόντων τὰ μυστήρια. ut idem sit τῷ Χρυσοῤῥήμονι ἐξορχήσασθαι τὴν πολιτείαν τὴν πατρῴαν, quod Maccab. 1. βεβηλῶσαι τὰ σάββατα καὶ ἑορτὰς καὶ μιᾶναι ἁγίασμα. Quamquam ipsum illud ἐξορχεῖσθαι τὰ μυστήρια etiam translatum putem: et omnia ista dici ex eo, quod saltabatur in scena, ita ut ἐξορχεῖσθαι τινὰ sit κωμῳδεῖν. Proprie *exsultantur* οἱ κωμῳδούμενοι et τὰ κωμῳδούμενα. quemadmodum *saltatur fabula, Cyclops, Niobe*; quemadmodum

A. U. *taverit, dedecus quidem inlatum; sed discidium procul abfuisse:*
801. A. C. *nunc juvenem nobilem, dignitate formæ, vi mentis, ac pro-*

48. *canticum desaltatur* (ut ap. Suet. Cal. 54.). Quæ ab histrionibus et mimis in pulpito repræsentantur; publicantur utique atque invulgantur; inde ἐξορχεῖσθαι τὰ μυστήρια dicuntur οἱ ἐξαγορεύοντες. Sed et derisui sunt ac ludibrio: inde ἐξορχεῖσθαί τινα est ὑβρίζειν, προπηλακίζειν. Hinc etiam Tacitus sumsit, ut diceret *exsultari* ab histrione *cubiculum Principis*, id est, infamari, inhonestari, contaminari, conspurcari: quorum verborum aliquo aut simili usus fuisset, si de quovis alio homine quam scenico loqueretur. Artificium hominis et genus vitæ impetrarunt, ut hoc verbum mallet, qui ubique decora personis animadvertit et tribuit. Nec Lucilius aliter multo videtur dixisse apud Nonium 4, 178. *debelles me atque deuras, exsultes, sollicites.* Dum histrio cubiculum Principis polluit et in eo quasi in scena exsultat, *dedecus quidem illatum.* Intelligo *domui.* Itaque placet *exscidium*, non *dissidium*, non *discidium.* Et hoc ipsum *exscidium* grandius quam *exitium.* Horatius ode 3, 16, 11. *concidit Auguris Argivi domus ob lucrum Demersa exscidio.* GRON. Hæc erudite disputari non negem; sed tamen nondum moverunt, ut me conjecturæ meæ, quæ, cum primum locum hunc consideravi, venit in mentem, et quam postea Franc. Medicis jam tributam reperi apud Pichenam, me pœnituerit: *dum histrio cubiculum Principis persultaverit:* nam hoc quoque verbum est contumeliæ indicandæ usitatum, et ab artificio hominis non alienum. Vide supra c. 9. quamquam ad contumeliam respici non est necessarium, ut mox videbimus. Simile illud Catull. ep. 29. *Et ille nunc superbus —perambulabit omnium cubilia.* et ep. 6. *lecti argutatio inambulatioque.* Ubi *argutatio* non de crepitu lecti cum Statio intelligenda, sed eodem fere sensu, quo *inambulatio. Argutatio pedum* v. c. est saltantium, ut *fullones* etiam dicti in fragm. veteris scriptoris (Titinnii) apud Nonium 4, 34. *pedibus argutari*, quod haud dubie a saltatoribus ductum. Sic *argutiæ digitorum*, de molliori et nimis artificiosa gesticulatione digitorum apud Cicer. in Orat. c. 18. et *arguta manus* de Orat. 3, 59. Gell. 1, 5. *manus inter agendum argutæ admodum est gestuosæ.* In Salmasii et Gronovii ratione non modo est aliquid ad sensum contorti, sed etiam ταυτολογία. Nam si *exsultare cubiculum Principis* est infamare, polluere; quorsum sequitur demum *dedecus allatum?* Nonne hoc ipso patet, in verbo præcedente dedecoris rationem habendam non esse? Itaque non indignor Pichenæ, qui *persultaverit* recepit. Sed age varietatem lectionis indicabimus. Cod. Flor. *histrio* et *exsultavero.* Reg. *instruo, exultavero.* Agr. *inservit c. p. adulterio.* Ed. pr. *instruo c. p. exultavero.* MS. Guelf. ed. Puteol. *industria c. p. occulit adulteros:* quod omnes secuti sunt ad Pichenam usque, qui dedit, ut supra dictum est. J. Fr. Gron. *histrio — exultaverit,* quod Ryckius servavit. Conjecturis aliis onerare librum nil attinet. Vulgatum quomodo explicet Gesnerus, v. in Thesauro L. L. in *exultare.* Aliter quoque Gronovium olim intellexisse hunc locum, patet e nota ad Liv. 29, 6. ERN. Groslot. in Syll. Burm. t. 1. p. 3. lectionem Puteolani tuetur. Rhen. in Bud. adfuisse perhibet *inclusum in . .* Mihi manifesto adparet, scriptum fuisse: *industria c. p. exultavero.* unde r. m. fecit: *inclusa in cubiculum principis exultat cum adultero.* Bip. legunt *insultaverit* i. e. invaserit, ut ap. Ter. Eun. 2, 2, 54. vel ludibrio sibi habuerit, ut A. 4, 59. Sic et Hiller. Rac. 7. Levis hæc mutatio planum sensum reddit.

Sed excidium] In Flor. est, *sed et scidium:* e quo Pichena *dissidium.* Sed profecto plus quam dissidium hic timebatur, et *exitium*, atque extrema. LIPS. Bud. *excidium.* Tac. videtur scripsisse *exscidium.* Lall. præfert *discidium*, ut c. 30. Sic et Bip. quos sequi lubet.

Dignitate formæ, juventa] Ita lego, non *forma.* Dignitas formæ proprie de viris, uti notat vetus litterator Agrætius (ap. Putsch. p. 2269.) illud, *juventa*, suspectum facit Vatic. qui refert, *Vimentis.* Ex quo Palmerius diductum legebat, *vi mentis.* LIPS. *Vi mentis* est in cod. Flor. Ed. pr. *Jumentis* corrupte pro *vi mentis:* ut mox *dejunctum* pro *devinctum* ibidem expressum est: unde natum videtur *juventa*, ut Puteol. et ceteri, donec Pichena *vi mentis* edidit, quod tamen et MSS. habent. *Forma* MS. Guelf. omnes vett. edd. ad Lipsium usque. ERN. Bud. *forma.* Idem habuerat *vimentis*, unde factum *juventa.*

pinquo Consulatu, majorem ad spem accingi. nec enim occultum, quid post tale matrimonium superesset. Subibat sine dubio metus reputantes, *hebetem Claudium et uxori devinctum, multasque mortes jussu Messallinæ patratas.* Rursus ipsa facilitas Imperatoris fiduciam dabat, *si atrocitate criminis prævaluissent, posse opprimi damnatam ante quam ream. Sed in eo discrimen verti, si defensio audiretur, utque clausæ aures etiam confitenti forent.* Ac primo Callistus, jam mihi circa necem C. Cæsaris narratus, et Appianæ cædis molitor Narcissus, flagrantissimaque eo in tempore gratia Pallas agitavere, *num Messallinam secretis minis depellerent amore Silii, cuncta alia dissimulantes:* deinde metu, ne ad perniciem ultro traherentur, desistunt: Pallas, per ignaviam; Callistus, prioris quoque regiæ peritus, et potentiam cautis,

A. U. 801. A. C. 48.

29

Mortes] Sic Lactant. *de mortibus persec.* Aristoph. Plut. v. 483. *θανάτους εἴκοσι.*

Sed in eo etc.] *In eo* abest ab ed. pr. Ceteræ omnes habent. Mox pro *utque* puto legendum *neque:* alias dura ellipsis statuenda. Sensus enim est: hoc modo timendum et cavendum esse, ne Messallinæ defensio audiretur a Claudio, neve, etiam si non defenderet crimen, sed confiteretur, tamen deprecanti et culpæ veniam oranti, facilem se præberet et exorabilem. Si *utque* est a Tacito, intelligendum *timendumque ut c. a.* etc. vel *efficiendumque ut.* Ern. Bud. *utque.* Broter. legi vult *utique*, certe, omnino. Bip. reddunt per *et quomodo;* sic *τῷ verti discrimen* jungitur ap. Quinctil. 6, 1, 37.

Circa necem Cæsaris narratus] C. Cæsaris Caligulæ: cujus necis conscius particepsque fuit hic libertus, narrante Josepho 19, 1, 10. Scilicet autem, Tacitum hoc narrasse in libris, qui de Caligula. Lips. *Circa necem* MS. Flor. Edd. omnes ad Pichenam *circa mortem.* Mox *C. Cæsaris* legendum, quia *Cæsar* simpliciter dici solet Dictator, cum aliis viris doctis credo. Ern. Bud. *necem.*

Appianæ cædis molitor] Vide Sueton. 37. in cujus verbis, *Nec multo post ex composito irrumpere Appius nunciatus, qui pridie ad id temporis ut adesset, præceptum erat: quasi plane repræsentaretur somnii fides, accersi statim, ac mori jussus est,* menda est. Quo enim accersi jubetur, qui jam aderat? Non fugit Torrentium qui ex libris legit, *arcessi*, pro accusari, ut interpretatur. Mihi, *arceri*, verum videatur: ut exclusum eum a Claudio intellegamus, nec admissum. Transscripserim etiam, *arceri, ac statim mori.* Historiam pete a Dione 60, 14. Lips.

Eo in tempore] Ita Flor. Guelf. ed. pr. Vulgo, *eo tempore*, inde ab ed. Puteol. restituit Pichena. Ern. Bud. *in eo tempore.* Sic 13, 47.

Num Messallinam secretis] Obscura examinanti, nec scio an satis nexa. Sententia videtur, deliberasse libertos bifariam: primo, an ad Claudium deferrent, quæ pars prævivit: hic jam, an ipsam Messallinam secreto de Silio monerent, alia adulteria dissimulantes. Destitere ab utroque alii: *Narcissus perstitit*, sed in sententia priore, id est de Claudio admonendo. Lips. MS. Guelf. *non.* male. v. ad c. 24. Mox ed. pr. *ultra* male pro *ultro.* Sed hæc verba crebro etiam in MSS. confusa sunt. Sensus: ne non modo nihil proficerent, sed insuper etiam perirent. Ern. Bud. *ultra* a r. m.

Prioris quoque regiæ] Sub Caio, apud quem in gratia potentiaque fuit. Dio, ubi de Domitio Afro 59, 19. Et eleganter Seneca ep. 47. *Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, et eum, qui illi impegerat titulum, qui inter redicula (rejicula) mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi.* Sed fuit non minus magnus apud Claudium. estque ille ipse, cui Scribonius Largus medicus ejus ævi opus suum inscribit, et appellat C. Julium Callistum. Lips. *Acribus* MS. Guelf. edd. pr. Puteol. Riv. Beroald. Alc. *Acrioribus* Rhen. Ald. etc. *Acribus* restitui, ut volebat etiam J. Gronovius. *Acrioribus* est e conjectura, ducta a consuetudine Taciti. Mox Guelf. *persistit.* similem confusionem supra notavimus. Ern. Bud. *acrioribus.*

A. U. 801. A. C. 48. quam acribus, consiliis tutius haberi. Perstitit Narcissus, et, solum id inmutans, ne quo sermone præsciam criminis et accusatoris faceret, ipse ad occasiones intentus, longa apud Ostiam Cæsaris mora, duas pellices, quarum is corporibus maxime insueverat, largitione ac promissis, et, uxore dejecta, plus potentiæ ostentando, perpulit, delationem subire.

30 Exin Calpurnia (id pellici nomen) ubi datum secretum, Cæsaris genibus provoluta, *nupsisse Messallinam Silio*, exclamat. simul Cleopatram, quæ idem opperiens adstabat, *an comperisset?* interrogat: atque illa adnuente, *cieri Narcissum*, postulat. Is, *veniam in præteritum petens, quod ei cis Vectium, cis Plautium dissimulavisset, nec nunc adulteria objecturum*, ait: *nec domum, servitia, et ceteros*

Et solum id immutans] MSS. Flor. Reg. *ut*, quod habet etiam ed. pr. Puteol. edidit *et*, quem secuti sunt Beroaldus, Riv. Alciatus, Freinsh. Gron. Rhenanus delevit *et*, secutis Aldo, Pichena, Lipsio, Ryckio, nec est in cod. Agr. Mihi *et* verum videtur, tum propter libros, in quibus est et MS. Guelf. tum propter consecutionem. Si *et* deletur, debet esse punctum ante *ipse*, ut est in vett. edd. neque solum in iis, qui *et* non habent, et ed. Beroaldi, ut ait J. Gronovius, sed etiam ceteris, ed. pr. Puteol. Sed quis non sentit, frigere jam τὸ *ipse*, quod sic non ponitur, nisi in oppositione aut distributione: quamquam ne sic quidem satis recte positum est, nisi ante legas vel *facerent*, vel, *ne — præscia — fieret*. Jac. Gronovius vult *at:* quod mihi non placet. Ern. Bud. *ut*.

Quarum is corpori] Vatic. *corporibus*. Lips. Sic et ed. pr. Recepi. aliæ omnes *corpori*. Ern. Bud. *q. is corporibus assueverat*.

Cis Vectium, cis Plautium] Emendavi præeunte Vaticano, qui habebat: *cis Vecticis Plautio*. Et vere. Duo enim famosi in hac Messallina et quasi primorum ordinum adulteri, Vectius Valens et Plautius Lateranus: quos tamen dissimulasse, et siluisse se dicit. Sed, an magis pro hac sententia, *bis Vectium, bis Plautium?* An: *circa Vectium?* Non accusatos quidem illos, aut certe iterum excusatos, sequentia etiam dicunt. Ceterum famosi, ut dixi, hi adulteri. De Vectio, mox noster, et Plinius de medicis 29, 4. *Exortus mox est Vectius Valens, adulterio Messallinæ Claudii Cæsaris nobilitatus.* Item Scribonius Largus c. 22. *Hoc medicamentum Apulei Celsi fuit, præceptoris Valentis et nostri.* De Plautio mox, et 13, 11. *Secutaque lenitas in Plautium Lateranum, quem ob adulterium Messallinæ ordine remotum reddidit Senatui.* At viri docti desperatam hujus loci restitutionem censebant: cum vulgo esset, *cis Vectium Plautium*. Lips. Scribendum: *quod ei cis Vectios, cis Plautios dissimulavisset*. Quid? patrata, sed sistentia, neque ultra tales et hanc fœditatem excurrentia Messallinæ *adulteria*. Quam vocem differt in membrum sequens. Particula *cis* idem vult quod *intra*. Sic *cis Tiberim:* sic Plauto Most. 1, 1, 17. *cis paucas tempestates*. Ut mox 12, 22. *Vis Agrippinæ citra ultima stetit*. Veniam peto, Cæsar, inquit, quod tacui, dum Vectiis, dum Plautiis mœchis contenta fuit Messallina, dum intra hos et horum similes libidinem stitit. Gron. Ut Lipsius e Vat. laudat, ita est in ed. pr. Sic etiam citat scripturam cod. Flor. Pichena. Sed J. Gronovius testatur, ibi esse *cis Vecticis* (ap. Pich. *Vetticis*) *Plaucio*. Cod. Agr. *Cicios, Vectios, Plautios*. Unde conjiciebat Heinsius *Cincios*. Utrum *Cincios*, an *Titios* e c. 35. an aliud quid hic legendum sit, non dicam: ceterum hanc lectionem optimam puto. Illa *cis Vectium* etc. sunt sane duriora: hæc facillima. Broterius edidit *Titios, Vectios, Plautios*. et mox, *nec nunc Silio a. o.* e vestigiis ed. pr. quæ habet *simul* quod sane placet. Nam ad eum ista pertinere res docet. Itaque certe ad eum ista referenda sunt. Ern. Bud. *cis veticioplautio*. Bip. conjiciunt: *quod incestæ uxoris flagitia diss.....* nomenclationem quippe nec esse plenam, nec bene respondere sequenti *nec nunc*.

Ne domum, servitia, et ceteros fortunæ paratus reposceret] Contaminatissimum locum Ferretus esse vult: qui mihi castus, purus. Invidiosa con-

fortunæ paratus reposcere. frueretur immo iis: at redderet A. U.
uxorem, rumperetque tabulas nuptiales. an discidium, inquit, 801.
tuum nosti? nam matrimonium Silii vidit populus et Senatus A. C. 48.
et miles: ac, ni propere agis, tenet urbem maritus. Tum po- 31
tissimum quemque amicorum vocat: primumque rei frumentariæ præfectum, Turranium, post Lusium Getam, Prætorianis inpositum, percunctatur. Quibus fatentibus,

cessione libertus: Fruatur sane, inquit, Silius domo tua, servis, veste, et gaza omni regia (nam hæc tralata ab adultera ad Silium, notante etiam Dione 60, 31.) reddat saltem uxorem. Lips. Freinshemius legi vult: *nec — reposcere.* Verum puto. *Paratus* jam in ed. pr. non demum Rhenani. Puteolanus dedit *apparatus*, quod exhibet Guelf. et ed. Riv. Ern. Bud. *paratus.* Freinsh. emendatio placet et Bip. imo sic jam Acidalius. *Paratus* occurrit et c. 12.

Frueretur immo etc.] Ed. pr. habet: *frueretur immo et his: redderet uxorem.* Puteol. autem edidit, quod nunc obtinet: *f. i. iis, et redd.* Si satis commode hic intelligi posset *et his*, præferrem lectionem ed. pr. *Redderet uxorem*, haberet majorem vim, meo sensu, absolute dictum. Sed quid est, quod Silium præter ista frui vult? Itaque *frueretur immo iis* vel *his* verum puto. Ceterum hic quoque correxi *sed.* Vide supra ad c. 23. simillima hic ratio. Scio, pluribus locis Taciti *et* prope idem esse, quod *sed*, ponique, ubi alii *sed* dicant, ideoque tentanda talia loca negavi. Vide ad 5, 3. 6, 21. Verum aliter est in figura ea, qua hic Tacitus utitur, et c. 23. Broterius dedit *at is.* Sane *at* bene; sed *is*, quod e MS. Regio addidit, languet nimis. Ern. Bud. *et*, rectius *at.*

Rumperetque tabulas nuptiales] Ad legitimum matrimonii actum tabulæ et signatores adhibiti. Tabulis et dos continebatur, et illa sollennis conjugii caussa, liberum quærendorum. Juvenalis 2, 119. *Signatæ tabulæ, dictum, feliciter!* Appuleius Apol. p. 76. ed. Pric. *Quod in villa non in opido tabulæ sint consignatæ, quarto et ultimo loco objecere.* Meminerunt non semel jurisconsulti: et proprio huic rei libro Brissonius, cujus accuratæ diligentiæ doctrinæque non a me, non ab aliis quidquam addo. Ut ergo eæ tabulæ matrimonio firmando, sic eædem ruptæ, disparando. Juvenal. 9, 75. — *tabulas quoque ruperat, et jam Signabat, tota vix hæc ego nocte redemi.* De his tabulis locum accipio, qui in priscis Glossis: Λεγούσης τινὸς γυναικὸς τὴν ἐπίδοσιν τοῦ ἰδίου υἱοῦ ἀφῃρῆσθαι ἀπὸ τινὸς, αὐτόν τε υἱὸν ἴδιον εἶναι, καὶ πρὸς αὐτὴν ἀνήκειν τὴν ἐπίδοσιν, ἠρνήσατο ἄλλος, ἀπεκρίθη γυνὴ, ῥωμαϊκὴν αὐτὴν γεγενῆσθαι. καὶ δέλτους μὲν γεγράφθαι, γάμους δὲ μὴ γεγονέναι. μὴ δυνηθέντος οὖν αὐτὸν ἀποδεῖξαι υἱὸν ἴδιον εἶναι, περὶ οὗ ἐπράττετο, ὁπότε μὴ εἴη σὸς υἱὸς, τὴν ἐπίδοσιν ἀπόδος. Lips.

An dissidium, inquit, tuum nosti?] Et hic Tacitus scripsit, *discidium.* Numquid scis tibi nuntium remissum? divortium tecum fecisse Messallinam? Gron. Quid opus verbis? Ed. pr. habet *discidium*, unde restituimus. Ceterum etiam *an* mihi frigere videtur. Fortius foret *non.* Ern. Bud. et Agr. *discidium.*

Potissimum amicorum] Aut *potissimos* legendum, aut *quemque* addendum, dudum, et vere monuerunt viri docti Lipsius, Mercerus, Freinsh. Ern. Item Acidalius. Cod. Agr. *potiss. quemque*, teste Heinsio.

Rei frumentariæ Præf. Turranium] Dixi aliquid ad 1, 7. et videtur primus in hoc munere fuisse. Tamen ambigo de tota hac sententia, et ne verius legi: *Tum potissimos amicorum vocat, primumque rei fr. Præf.* hac mente: vocat præcipuos amicos, ac primo Turranium, deinde Getam. Lips. *Turranium* jam ed. pr. non primus Rhenanus. Puteol. *Turranus.* Ern. Bud. *Turanium.*

Lusium Getam] Id illi verum et gentile nomen, non *Lucium*, aut *Luscium.* Duo autem hoc tempore Prætorii Præfecti, Lusius Geta et Rufus Crispinus. Lips. *Lusius* h. l. ed. pr. at 12, 42. *L. Geta.* Ern. Bud. *Lusium.*

Quibus fatentibus tum c. c.] Libri mei scripti *tacentibus.* Lips. At MS. Flor. ed. Put. Beroald. etc. *fatentibus. quibus* edd. omnes MS. Flor. J. Gron. *quis.* Sed *tum* hic nullo modo ferri potest, nec est in ed. pr. Ern. Bud. *fatentibus.* Acid. mavult *tacentibus*, ignaris scil. quid Principi consulerent. *Tum* non est in Bud.

A. U. 801. A. C. 48. certatim ceteri circumstrepunt, *iret in castra, firmaret Prætorias cohortes, securitati ante, quam vindictæ consuleret.* Satis constat, eo pavore offusum Claudium, ut identidem interrogaret, *an ipse Imperii potens? an Silius privatus esset?* At Messallina, non alias solutior luxu, adulto autumno, simulacrum vindemiæ, per domum celebrat. Urgeri præla, fluere lacus: et feminæ pellibus accinctæ adsultabant, ut sacrificantes vel insanientes Bacchæ: ipsa crine fluxo, thyrsum quati-

Eo pavore offusum] Cod. Agr. *eo pavoris effusum.* Genitivum probat Heins.

Adulto autumno, simulacrum vindemiæ per domum celebrabat] Adulto autumno, id est mense Octobri. Itaque etiam in horologio veteri Romæ signatum eo mense, VINDEMIÆ SACRUM LIBERO. Et persuasum mihi, non aliud esse hoc vindemiale festum, quam sacra Liberi, quæ C. Cæsar primus Romæ celebravit; etsi Athenienses mense Novembri celebrasse, in Philostrati 4, 21. legi. De ipsa re, Servius ad Virg. ecl. 5. 29. *Daphnis et Armenias*, etc. *Hoc*, inquit, *aperte ad Cæsarem pertinet, quem constat primum sacra Liberi patris transtulisse Romam.* Ideo nummus percussus Cæsari, in cujus parte C. VIBIUS RUFUS. et impressa ara, cui persona histrionia imposita, item thyrsus, et tigris adjuncta. ad memoriam non dubie hujus rei. Lampridius in Heliog. 11. *Cum ad vindemiam vocasset amicos nobiles, et ad corbes sedisset, gravissimum quemque percontari cœpit, an esset promptus in Venerem. . . Posteaquam senes vidit erubescere, contulit se ad juvenes; a quibus cum audiret ætati congrua, gaudere cœpit, et dicere vere liberam* (emendo, *Liberi.* in eo enim lusum, quasi ea libertas vindemialis digna vere Libero Deo) *vindemiam esse, quam sic celebrarent. Ferunt multi, ab ipso primum repertum, ut in vindemiarum festo multa in dominos jocularia et audientibus dominis dicerentur.* Capitol. in Antonino Pio 11. *Vindemias privati modo cum amicis agebat.* Videturque ritus postea Imperii fuisse, ut Princeps extra urbem dies aliquot lasciviret et vacaret huic vindemiali festo. Paullus Diac. De gestis Longob. 3, 12. *Procedente itaque Tiberio ad villam, ut juxta ritum Imperialem triginta dies ad vindemiam jocundaretur, Sophia vocatum ad se Justinianum voluit ad Imperium sublimare.* Idem festum magnam coronam dictum esse, suspicor ex Tertulliani his verbis de cor. 7. *Sed et alias Liberum principem coronæ plane laureæ . . . etiam vulgus agnoscit, cum dies in illum solemnes magnam appellat coronam.* Alia ab hoc festo, ne erres, Liberalia: quæ antiquæ liberæque Reip. et incidebant in XV. Kalend. Apriles. De queis Varro L. L. 5. et Kalendarium Romanum. LIPS. *Adulto autumno*, ut *adulta æstate* 2, 23.

Per domum celebrat] Gregorius Tur. 5, 31. *Procedente autem eo ad villam, ut juxta ritum imperialem* XXX. *diebus ad vindemiam jocundaretur.* GRON. Rhenanus, Aldus, Lipsius *celebrabat.* Ceteri *celebrat*, quod servavimus, etsi sequitur *adsultabant.* In tali genere narrandi nulla in temporibus constantia. 2, 65. se excipiunt *onerat, scripsit, firmabat.* MS. Guelf. habet *simulabat.* ERN. Bud. *celebrabat.*

Feminæ pellibus accinctæ] Codd. Oxon. Guelf. *nebridibus:* quod Jac. Gron. doctius, quam pro librariorum captu, videbatur. *Nebrides*, pelles damnatum, quibus Bacchæ incingebantur: unde ap. Statium Theb. 2, 664. *nebrides* et *thyrsi* junguntur. Sed poetarum illud verbum est, quod aliquis ad marginem codicis sui adscripsit, unde in textum venit. V. ad H. 2, 98. ERN.

Ut sacrificantes vel insanientes Bacchæ] Muretus delet *ut insanientes Bacchæ*, probatque Acidalius, nescio quare. Nam nebridibus incinctæ sacrificabant Bacchæ, ut scholiastes ad Statii l. c. docet. ERN.

Ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, juxtaque Silius, hedera vinctus, gerere cothurnos] Eodem habitu Antonium depingit Velleius, qui Liberum se ferebat 2, 82. *Cum Liberum patrem appellari se jussisset, cum redimitus hedera coronaque velatus aurea, et thyrsum tenens, cothurnisque succinctus, curru velut Liber pater vectus esset Alexandriæ.* De cothurnis etiam Virgil. G. 2, 8. — *nudataque musto Tinge novo mecum direptis crura co-*

ens, juxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, jacere A. U.
caput, strepente circum procaci choro. Ferunt, Vectium Va- 801.
lentem, lascivia in præaltam arborem connisum, interroganti- A. C. 48.
bus, *quid adspiceret?* respondisse, *tempestatem ab Ostia atrocem:* sive ceperat ea species, seu forte lapsa vox in præsagium vertit. Non rumor interea, sed undique nuntii ince- 32
dunt, qui, *gnara Claudio cuncta et venire promptum ultioni*, adferrent. Igitur Messallina Lucullianos in hortos, Silius, dissimulando metu, ad munia fori digrediuntur. Ceteris passim dilabentibus, adfuere Centuriones, inditaque sunt vincula, ut quis reperiebatur in publico, aut per latebras. Messallina tamen, quamquam res adversæ consilium eximerent, ire obviam, et adspici a marito, quod sæpe subsidium habuerat, haud segniter intendit, jussitque, *ut Britannicus et Octavia in complexum patris pergerent.* Et Vibidiam, virginum Vestalium vetustissimam, oravit, *Pontificis maximi*

thurnis. De thyrso, præter alios Justinus ep. ad Zenam c. 6. Ὥσπερ αἱ Βάκχαι διὰ σχήματος εἰρηνικοῦ τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύρσοις περιφέρουσιν. Vide et Plinium 16, 62. Athenæus ejusmodi Bacchi insignia in Pyrrhicha saltatione recepta fuisse ostendit 14, 7. Ἡ δὲ καθ' ἡμᾶς πυῤῥίχη Διονυσιακή τις εἶναι δοκεῖ, ἐπιεικεστέρα οὖσα τῆς ἀρχαίας. Ἔχουσι γὰρ οἱ ὀρχούμενοι θύρσους ἀντὶ δοράτων· προΐενται δ' ἐπ' ἀλλήλους, καὶ νάρθηκας καὶ λαμπάδας φέρουσιν. Ὀρχοῦνταί τε τὰ περὶ τὸν Διόνυσον, καὶ τὰ περὶ τοὺς Ἰνδοὺς, καὶ τὰ περὶ τὸν Πενθέα. Quæ verba lucem dare volo iis, quæ hic præcedunt, *feminæ pellibus accinctæ assultabant, velut sacrificantes vel insanientes Bacchæ.* LIPS. Cod. Oxon. *Crine fuso.* Deinde Guelf. *hedera junctus*, confusione frequenti librariis in istis syllabis. Mox c. 33. idem liber *vis* pro *jus.* Adde ad 12, 16. 29. ERN.

Ferunt, Vectium] Bud. *Fertur, verticium.*

Ceperat ea species] Si vera hæc lectio, intell. *animum.* Sive ea species animo oblata est prospicientis etc. ERN.

Undique nuntii incedunt] Freinsh. frustra *incidunt:* veluti nimis lento altero. *Incedunt* est crebescunt, repente superveniunt. V. ad 3, 26. Alias et *incidunt* aptum, et sæpe pro *incidere* librarii dedere *incedere.* V. Drakenb. ad Liv. 9, 24. ERN.

Lucullianos in hortos] De quibus initio hujus libri. Tamen et Luciliana prædia reperio, et hic in MSS. constanter hortos Lucilianos. Lapis Romæ (ap. Grut. p. 594.) D. M. CRESCENTIS. NEPOTI. FORTVNATI. CAESARIS. N. SER. EXACTORIS. PRAEDIORVM. LVCILIANORVM. LIPS. Quia haud dubie Luculli horti intelliguntur, de quibus c. 1. quod clare patet e loco Jo. Antiocheni, quem ad c. 37. affert J. Fr. Gron. *Lucullianos* etiam contra libros legendum. MS. Flor. h. l. *Fucilianos*, ut Guelf. infra c. 37. *Lucilianos*, ut ed. pr. a qua non longe abit cod. Bud. *Fultianos, Lucianos. Luculliani* horti occurrunt ap. Plut. in Lucull. 81. p. 518. Sed ap. Sext. Rufum et Aurelium Victorem reg. IX. urbis Romæ *Lucullani* dicuntur. v. Ryckius ad h. l. Utrumque rectum. ERN. De cod. Bud. ita cape. hic habet *fultianos*, sed duæ primæ litteræ secundam manum sensere; c. 37. clare *lucianis.*

Dissimulando metu] MS. Guelf. *dissimulato.* Illud melius: dissimulandi metus caussa. Flor. Bud. *metum:* male. ERN.

Digrediuntur] Ita Flor. et ed. pr. Ceteri *digreditur.* Illud recte restituit Pichena. ERN. Bud. *digreditur.*

Quamquam res adversæ consilium eximerent] Sic MSS. Flor. Bud. Agric. Guelf. ed. pr. Ceteri scripti et edd. *adimerent.* Illud merito prætuli. ERN. Cf. 13, 15.

Jussitque, ut] Hoc quoque exemplum adscribetur iis, quibus viri docti hanc constructionem verbi *jubere* defendunt. V. Drakenb. ad Liv. 32, 16. et quos laudat et ipse et Dukerus ad 23, 21. ERN.

Vibidiam] Bud. *urbidiam.*

Vetustissimam] Est eadem, quæ *virgo maxima* dicitur. Nam ab ætate præerat, et sic dicebatur. Nos in *Vesta.* LIPS. *Vetustissimam* esse, quæ

A. U. 801. A. C. 48. *aures adire, clementiam expetere.* Atque interim, tribus omnino comitantibus (id repente solitudinis erat) spatium urbis pedibus emensa, vehiculo, quo purgamenta hortorum eripiuntur, Ostiensem viam intrat: nulla cujusquam mise-
33 ricordia, quia flagitiorum deformitas prævalebat. Trepidabatur nihilominus a Cæsare: quippe Getæ, Prætorii præfecto, haud satis fidebat, ad honesta, seu prava, juxta levi. Ergo Narcissus, adsumptis, quibus idem metus, *non aliam spem incolumitatis Cæsaris*, adfirmat, *quam si jus militum, uno illo die, in aliquem libertorum transferret: seque*, offert, *suscepturum.* Ac ne, dum in urbem vehitur, ad pœnitentiam a L. Vitellio et P. Largo Cæcina, mutaretur, in eodem ge-

maxima est, facile concesserim, cum plerumque, quæ dignatione ac loco, præcederet etiam ætate, certe annis Sacerdotii. Sed *maxima* proprie princeps collegii, ut *Pontifex maximus*, *Augur maximus*, *Curio maximus.* In quo Lipsius de Vesta cap. 7. nudum latus objecit Gutherio de jure Pontif. 1, 4. qui tamen ipse hac occasione ingerit, quæ nunquam defendet. Quid est enim *Pontificem maximum* dici, quod maximi esset imperii; et nuncupatum a potestate et imperio, quod utrumque maximum legibus Romanis sit asequutus. Nugæ de Pontificum imperio: Sigonio, cui obtrectat, manus dare debuerat. *Maximus* autem, qui primum inter eos locum teneret, collegiumque cogeret atque ei præsideret. Pari judicio *Prætorem maximum* facit urbanum, quem M. Tullius dixerit *primum.* Verba Cic. in Pis. 1. *Me cum Quæstorem in primis, Ædilem priorem, Prætorem primum cunctis suffragiis Populus Romanus faciebat.* Quemadmodum nullus nuncupatione propria *Quæstor* est *in primis*, nec *Ædilis prior*, ita nec *Prætor primus*: tantummodo ante collegas se renuntiatum significat. Sed nec in Prætoribus, quales intelligimus, qui jure dicundo præessent, ullus *maximus. Majorem* et *minores* novi. Festus: *Majorem Consulem L. Cæsar putat dici vel eum, penes quem fasces sint; vel eum, qui prior factus sit; Prætorem autem majorem urbanum, minores cæteros.* Quemadmodum autem *Consul maximus* non dicebatur ille major, ita nec major ille *Prætor maximus.* Sicubi autem occurrit hic titulus, *Prætor maximus* est maximus magistratus. Ut apud Livium 7, 3. *Ut qui Prætor maximus sit, idibus Septembribus clavum pangat.* Hunc ut haberent, Dictator dictus L. Manlius. Olim enim *Prætores*, qui postea *Consules*, a Bruto nempe Tarquinioque ad communicatum cum plebe Consulatum, cum magistratui jure dicundo datum hoc nomen; iis autem, qui antehac *Prætores* fuerant dicti, *Consulum.* Festus in *Prætoria porta.* Livius, quem margini Gutherius allevit, 25, 12. ex vate Marcio Prætorem nominat, *qui jus populo plebique dabit summum*, non *Prætorem maximum.* Nihilo magis eum juvat Festi: *Maximum Prætorem dici putant alii eum, qui maximi imperii sit; alii, qui ætatis maximæ.* Veriorem esse priorem sententiam liquet ex Livio. Addit: *Pro collegio Augurum decretum est, quod in Salutis augurio Prætores majores et minores appellentur; non ad ætatem, sed ad vim imperii pertinere.* Hoc aut consentit cum illis verbis, quæ supra adduximus: aut ibi *Prætores majores et minores*, ipsi fuere Consules et Prætores: nam imperium minus Prætor, majus habebat Consul, ut ex Messalla refert Gellius 13, 15. Gron. Mox cod. Agric. *adiret, expeteret.* Ern.

Eripiuntur] MS. reg. *expuuntur.* Ed. pr. *reperiuntur.* ceteræ *eripiuntur.* An *excipiuntur*, vel *egeruntur?* Post forte melius *spem inc. Cæsari.* V. Intt. ad Liv. 1, 36. Ern. Bud. *eripiuntur.* Heins. *excipiuntur* probant et Bip. Hiller. Rac. 8. conjicit *exportantur.*

P. Largo Cæcina] Fratre, opinor, C. Cæcinæ Largi, qui Consul cum Claudio fuit, a. u. 795. et in Consulatu interfectus. Quem intellegit Asconius, in pro M. Scauro: *Scauri domum possidet nunc Longus Cæcina, qui Consul fuit cum Claudio*, scribe *Largus.* et disce hinc, quæ Asconii certa ætas. Lips. Ryckius putat, Consu-

stamine sedem poscit sumitque. Crebra post hæc fama A. U.
fuit, inter diversas Principis voces, cum modo incusaret 801.
flagitia uxoris, aliquando ad memoriam conjugii et infan- A. C.
tiam liberorum revolveretur, non aliud prolocutum Vitel- 48.
lium, quam, *o facinus! o scelus!* Instabat quidem Narcissus, 34
aperire ambages et veri copiam facere: sed non ideo pervicit,
quin suspensa, et, quo ducerentur, inclinatura responderet,
exemploque ejus Largus Cæcina uteretur. Et jam erat in
adspectu Messallina, clamitabatque, *audiret Octaviæ et Bri-
tannici matrem;* cum obstrepere accusator, *Silium et nuptias*
referens: simul codicillos, libidinum indices, tradidit, qui-
bus visus Cæsaris averteret. Nec multo post urbem ingre-
dienti offerebantur communes liberi; nisi Narcissus *amo-
veri eos* jussisset. Vibidiam depellere nequivit, quin multa
cum invidia flagitaret, *ne indefensa conjunx exitio daretur.
Igitur, auditurum Principem, et fore diluendi criminis facul-
tatem,* respondit: *iret interim virgo et sacra capesseret.* Mi- 35
rum inter hæc silentium Claudii: Vitellius ignaro propior:
omnia liberto obediebant. *patefieri domum adulteri, atque
illuc deduci Imperatorem* jubet. Ac primum in vestibulo,
effigiem patris Silii, consulto Senatus abolitam, demonstrat:
tum, quidquid avitum Neronibus et Drusis, in pretium pro-
bri cessisse. incensumque et ad minas erumpentem, castris

lem ipsum illum gratiosum intelligi, legendumque *C. Largo.* Broterius edidit *et P. L. C.* quod in MS. Reg. est *a P. L. C.* non male. Pro *mutaretur* MS. Guelf. *invitaretur.* Ern.

P. Largo Cæcina] Cod. Bud. *P. Cecina.*

In eodem gestamine etc.] Id est, gestatoria sella, quæ a Claudio deducta in vulgi usum, ut docui. Sic 14, 4. *Gestamine Baulos pervectam.* Apparet tamen in uno gestamine plures sellas fuisse, ut hic vides in Narcisso, qui eodem gestamine sellam poscit sumitque. Lips. Nullam necessitatem video sellæ intelligendæ, cum etiam *lecticæ gestamen* sit 2, 2. Sed recte Ryckius monuit, carpentum intelligendum. Neque enim quatuor in sella gestatoria sedes, nec in lectica, ut opinor: nec *sedes* de lectica commode dicitur. *Gestatio* quidem etiam de navi, vehiculo, dicitur ap. Celsum 2, 15. Ceterum *assumitque* cod. Flor. unde lectio vitiosa ed. pr. *positus sumitque.* Ern. De *gestamine* v. Scheffer. de re vehic. Bud. *poscit sumitque.*

Post hæc] Bud. *post hac.*

Cum obstreperet accusator] Acidalius et Freinsh. corrigunt *obstrepere:* et propter structuram orationis, et, quia, si finite ponere voluisset verbum, *obstrepebat* dicendum fuisset. Recte. Ern.

Vibidiam depellere nequivit, quin] *Quin* cod. Flor. Guelf. et ed. pr. restituit Pichena pro vulg. *quæ.* Ern. Bud. *quæ.*

Igitur auditurum] Sic MS. Flor. teste Jac. Gron. ad c. 19. Guelf. et ed. pr. quod cur non et hic restituatur, ut ibi? Vulg. *ergo.* Ern. Bud. *igitur.*

In vestibulo effigiem patris Sil: consulto Senatus abolitam demonstrat] In atrio sive in vestibulo ædium imagines majorum uti hic Silii patris. Sed enim Silius Legatus olim inferioris Germaniæ damnatus crimine majestatis cum uxore Sosia Galla, ut 4, 19. narratum: ideoque et imagines abolitæ, quas tamen filius restituerat. Criminatur ergo id libertus. Lips.

Quidquid habitum Neronibus] Lege, *avitum:* quod monuit me IC. Claudius Chiffletius. Lips. Sic et Faernus volebat. Confundi ista verba in libris notum est. V. Græv. ad Cic. Or. pr. Cluent. et infra 13, 34. Mox MSS. Flor. Guelf. Bud. et ed. pr. *erumpentem,* quod restituimus: vulgo *prorumpentem.* Add. ad H. 2, 70. Ern.

A. U. 801. A. C. 48. infert, parata concione militum; apud quos, præmonente Narcisso, pauca verba fecit: nam, etsi justum, dolorem pudor impediebat. Continuus dehinc cohortium clamor, *nomina reorum et pœnas* flagitantium: admotusque Silius tribunali, non defensionem, non moras tentavit, precatus, *ut mors acceleraretur.* eadem constantia et inlustres Equites Romanos cupidos maturæ necis fecit. Titium Proculum, custodem a Silio Messallinæ datum, et indicium offerentem Vectium Valentem et confessum, et Pompeium Urbicum, ac Saufellum Trogum ex consciis *trahi ad supplicium* jubet. Decius quoque Calpurnianus, vigilum Præfectus, Sulpicius Rufus, ludi Procurator, Juncus Virgilianus, Senator, eadem
36 pœna adfecti. Solus Mnester cunctationem adtulit, dila-

Cohortium clamor deh. cont.] In Guelf. et aliis MSS. ap. Broterium hic ordo: *Continuus dehinc cohortium clamor:* melior, ut puto. Ern. Sic et Bud.

Inlustres Eq. R.] Bud. *illustres viros eq. R.*

Cupidos maturæ necis] *Maturæ* deest in Bud.

Custodem Silio ac Messallinæ datum] Quis dederit Silio custodem? Claudiusne, qui omnium ignarus? Logi. In Vat. est: *custodem Messallinæ dat.* aliena deinde manu adpictum, *ac Silio.* Lego igitur: *custodem Messallinæ datum.* vel etiam: *custodem a Silio Messallinæ datum.* Alterum quidem verum est, ut hic Titius sive a Claudio adpositus uxori custos, sive a Silio, ut amicæ. Utrumque enim solens Romanis. De maritis, Tibullus 1, 6, 9. *Ipse malus docui, quo posset ludere pacto Custodes.* De amatoribus, Propertius 2, 5, 29. *Quos igitur tibi custodes, quæ limina ponam?* Misellus ille custos! cui id monstrum commissum, quod non Argus cum Mercurio custodisset. Vertranius inexplicabilem locum censet, nisi custodem pro exactore interpretemur, scilicet qui mortis pœnas exigat. Verum merumque somnium. Lips. Sine dubio illa, castas imitata, per blanditias hunc ἀοιδὸν a marito novo ipsa exegit. Martialis 10, 69. *Custodes das Polla viro, non accipis ipsa.* Tales ille, qui *dominam nec vir nec fœmina* servabat adversus Nasonem Am. 2, 3. Juvenalis 6, 347. *quis custodiat ipsos custodes?* Gron. Plane sic MS. Flor. Edd. vett. omnes *custodem Silio ac Messallinæ dat.* Lipsius edidit *datum.* Quod nunc est, Pichena edidit. Mox pro *Urbicum* MS. Guelf. *Vibium*, et *tradi* pro *trahi*, utrumque male. Ern. Bud. *Silio et Mesaline dant.*

Indicium offerentem] Bene confessum. Nam indicium, ait in Eunucho 5, 7, 13. Donatus, proprie est ejus, qui una peccaverit. Asconius ad illud Cic. in Div. ad Q. Cæc. 11. *Quapropter si indicium tibi postulas dari.* ait: *Index est, qui facinoris, cujus ipse est conscius, latebras indicat, impunitate proposita.* Quæ tamen impunitas circumscripta est: quia, ut idem notat, *Certa sunt, in quibus impunitas indici datur, ut in caussa proditionis, majestatis, et si quid hujusmodi.* Lips.

Et confessum] Bud. copula caret, quod probat Rhen. In voce *confessum* latere nomen cujusdam e consciis, putat Lall. quod verosimile.

Saufellum Trogum] Vatic. *Saufelium.* Scribo, *Saufeium.* et induxit librarios illud *l* longiusculum, ut *L.* scriberent. Horum omnium mentio Senecæ in Menippæa de Claudii morte. ubi tamen disjunctim scribe *M. Helvius, Trogus.* Qui hic etiam Traulus, male fortasse in Seneca, *Sex. Trallus.* Lips. *Saufelium* ed. pr. Ern. Bud. *Saufelum.* quod Lipsii conjecturam firmat: facilis in ea littera lapsus.

Trahi] Bud. *tradi.* Rhen. in *trahi* mutandum suadet.

Decius quoque Calpurnianus] Scripti libri, *Deorius.* Puto, *Decrius.* quod nomen et infra invenies. Lips. *Deorius* ed. pr. Mox *Luncus Virgil.* Guelf. *Juneius.* Glandorpii Onomasticum laudat ex h. l. *Junium Virgil.* nescio, quo libro auctore. Ceterum verum videtur. Mox de *Procuratore ludi* vid. ad 13, 22. Ern. Bud. *Decrius q. Calphurnianus vigiliis præfectus. . . . Juncus V.*

Mnester] Sic Bud. unde Rhen. male *M. Nestor.*

niata veste, clamitans, *adspiceret verberum notas, reminisceretur vocis, qua se obnoxium jussis Messallinæ dedisset. Aliis largitione, aut spei magnitudine, sibi ex necessitate culpam: nec cuiquam ante pereundum fuisse, si Silius rerum potiretur.* A. U. 801. A. C. 48.
Commotum his, et pronum ad misericordiam Cæsarem perpulere liberti, *ne, tot inlustribus viris interfectis, histrioni consuleretur: sponte an coactus tam magna peccavisset, nihil referre.* Ne Trauli quidem Montani Equitis Romani defensio recepta est. is modesta juventa, sed corpore insigni, accitus ultro, noctemque intra unam a Messallina proturbatus erat paribus lasciviis ad cupidinem et fastidia. Suilio Cæsonino, et Plautio Laterano mors remittitur: huic, ob patrui egregium meritum: Cæsoninus vitiis protectus est, tamquam, in illo fœdissimo cœtu, passus muliebria. Inte- 37
rim Messallina Lucullianis in hortis prolatare vitam, componere preces, nonnulla spe, et aliquando ira: tanta, inter extrema, superbia agebat. Ac, ni cædem ejus Narcissus properavisset, verterat pernicies in accusatorem. Nam Claudius, domum regressus et tempestivis epulis delinitus, ubi vino incaluit, *iri* jubet, *nuntiarique miseræ* (hoc enim verbo usum ferunt) *dicendam ad caussam postera die adesset.* Quod ubi auditum et languescere ira, redire amor, ac, si cunctarentur, propinqua nox, et uxorii cubiculi memoria timebantur; prorumpit Narcissus, denuntiatque Centurio-

Obnoxium jussis Messallinæ] Commentum feminæ lepidum. Mimum istum deperibat Messallina; sollicitat. Ille tergiversari, metuere Imperatorem. Quid ergo, si maritus ipse jubeat? inquit. Et cum marito egit, quasi opera Mnesteris aliqua in re illi usus. Ille vocatum mimum male accipit, jubet in omnibus uxori obediat pareatque. Paruit. et id jussum valere sibi nunc vult ad veniam obtinendam et vitam. Dio 60, 22. LIPS.

Perpulere] Bud. *pepulere.*

Tam magna peccavisset] Reposuisse se e Budensi pro *tam magne peccavisset,* Rhenanus ait. At sic et ed. pr. MS. Oxon. *patravisset.* quod non spreverim. *Magna* MS. Guelf. sed sine *tam.* ERN.

Ad cupidinem et fastidia] Sic MSS. Flor. edd. Puteol. Ber. Alc. Rhen. Ald. Gry. Pich. Gron. Ryck. At ed. pr. Lips. *fastidio:* in ed. pr. et MS. Guelf. est etiam *perturbatus.* male. ERN. Bud. *proturbatus . . . fastidia.*

Ob patrui egregium meritum] A. Plautii, suspicor, qui Britanniam Claudio subegit. Cf. Agr. 14. LIPS.

Passus muliebria] Simile illorum inventum in Suetonii Domit. 10. *Qui se, quo facilius expertes culpæ ostenderent, impudicos probaverant.* Dii Deæque istos, non corpore non animo viros. Adeo turpior omni morte hæc fuga mortis. LIPS.

Lucullianis in hortis] Jo. Antioch. Malala: *τῶν μὲν βασιλείων ἐξωσθεῖσα, περὶ δὲ τοὺς Ἀσιατικοῦ κήπους πλανωμένη, ὧν ἕνεκα τὸν δείλαιον Ἀσιατικὸν μικρῷ πρόσθεν ἀπολωλέκει.* GRON.

Tanta] Bud. a r. 1. *tantum.*

Verterat pernicies in accusatorem] Sic ed. pr. recte. restituit Rhenanus. Puteol. Ber. Alc. *perniciem,* etiam MS. Guelf. Mox MS. idem *incaluit,* et omnes vett. præter Rhen. quem sequitur Lipsius. Porro *ferunt* abest a cod. Oxon. ERN. Bud. *pernicies* a r. 1. Sic *vertere* neutraliter 2, 20. 4, 31. 6, 19. 13, 37. 14, 31.

Temp. epulis] Ad quas temperius s. maturius solita hora conveniebatur. V. Cic. ad Att. 9, 1 et 13. Cf. Manutii Quæs. p. ep. 1, 5. et Salmas. ad Vopisci Flor. 6.

Prorumpit Narcissus] Sic MS. Flor. recte. (Sic et Bud.) Nam sequitur *denuntiatque.* Ante Pichenam omnes

A. U. 801. A. C. 48. nibus et Tribuno, qui aderant, *exsequi cædem: ita Imperatorem jubere*. custos et exactor e libertis Euodus datus. Isque raptim in hortos prægressus, reperit fusam humi, adsidente matre Lepida: quæ florenti filiæ haud concors, supremis ejus necessitatibus ad miserationem evicta erat; suadebatque, *ne percussorem opperiretur. transisse vitam, neque aliud, quam morti decus, quærendum*. Sed animo per libidines corrupto, nihil honestum inerat. lacrimæque et questus inriti ducebantur; cum impetu venientium pulsæ fores, adstititque Tribunus per silentium, at libertus increpans multis ac

38 servilibus probris. Tunc primum fortunam suam introspexit, ferrumque accepit, quod frustra jugulo ac pectori, per trepidationem, admovens, ictu Tribuni transfigitur. cor-

proruplt. Confusio præsentis et perfecti frequens est in his libris, v. ad 15, 5. Mox ed. pr. *pergressus*, vitiose pro *prægressus*, quod habent edd. Puteol. Ber. Alc. Ryck. J. Gron. denique MS. Fl. idque secuti sumus. MS. Guelf. Rhenanus e Bud. *progressus*, item Ald. Lips. Jac. Gron. male, ut etiam contextus docet. similis confusio infra 14, 13. Ern.

Euodus] Scribendum foret *Euhodus*, ut ap. Grut. 611, 12.

Assidente matre Lepida] Quænam hæc Lepida? Ego vero repperisse me censeo famosæ feminæ (Messallinam dico) stirpem et matrem. Suetonius scribit 26. *Post has Valeriam Messallinam Barbati Messallæ consobrini sui filiam in matrimonium accepit*. ubi dissimulant interpretes, quomodo hic Valerius Claudio consobrinus. Dicam ego. Ex L. Domitio et majore Antonia natus est Cn. Domitius, pater Neronis Principis, et item Lepida amita ejusdem, de qua infra. Hæc Lepida est illa ipsa, quæ nupta Valerio Messallæ, et quæ hic Messallinæ dicta mater. At Claudius natus ex Druso et minore Antonia, uti clarum. Stemma istud:

M. ANTONIVS III. vir. OCTAVIA.	ANTONIA *major*. L. DOMITIUS *maritus*.	CN. DOMITIUS AGRIPPINA *uxor*.	NERO IMP.
		DOMITIA LEPIDA. VALERIUS MESSALLA *maritus*.	VALERIA MESSALLINA *uxor Claudii*.
	ANTONIA *minor*. DRUSUS *maritus*	GERMANICUS. CLAUDIUS IMP.	

Vides ergo, Claudium et Lepidam Domitiam (id enim duplex illi nomen fuisse alibi ostendo) vere consobrinos. Atque hac ratione forte maritum ipsum Lepidæ Suetonius dixerit Claudii consobrinum. Tamen tutius putarim legi, *Barbati Messallæ et consobrinæ suæ filiam*. Sententia quidem non alia est: et hæc Lepida Neronis amita, Messallinæ mater. Suet. Claudii c. 26. Lips. In loco Suetonii errasse Lipsium existimat Perizonius in epistola ad Heinsium t. 4. Coll. Burm. p. 801. 802. Sed res ea non est hujus loci. Qui rationem Perizonii cognoscere volent, adeant ipsum. Dissentit etiam a Lipsio Ryckius. Ern. Periz. Lipsio opponit A. 12, 64. ubi *Lepida* dicitur *minore Antonia genita*. Diversum stemma concinnavit Ryckius.

Neque aliud] Bud. *neque quicquam aliud*.

Morte decus] Placet, *morti*, ut in Veneto. (Riviano.) Lips. Sic MS. Guelf. ed. pr. Puteol. Ber. Alc. Rhenanus *morte* dedit, quod Aldus secutus est et cett. Mox *cum impetu* ed. pr. quod e MS. Flor. reposuit et Pichena, ut mox *adstititque*. ceteræ vett. *tum* et *adstitit*. Post ex eodem MS. bene Pichena dedit *at* pro vulg. *ac*. Denique MS. Guelf. *increpitans*. quod non displicet. Amat Tacitus frequentativa. Ern. Bud. *morti*. Forsan operarum vitio ap. Rhen. legitur *morte*; nil enim monet. Porro Bud. *tum impetu . . . astititque . . . ac lib. . . et servit*.

Ictu Tribuni transfigitur] Malim, *transigitur*. Lips.

pus matri concessum. Nuntiatumque Claudio epulanti, *perisse Messallinam,* non distincto, sua an aliena manu. nec ille quæsivit: poposcitque poculum et solita convivio celebravit. Ne secutis quidem diebus, odii, gaudii, iræ, tristitiæ, ullius denique humani adfectus signa dedit, non, cum lætantes accusatores adspiceret, non, cum filios mærentes. Juvitque oblivionem ejus Senatus, censendo, *nomen et effigies privatis ac publicis locis demovendas.* Decreta Narcisso *Quæstoria insignia;* levissimum fastidii ejus, cum supra Pallantem et Callistum ageret. Honesta quidem, sed ex quibus deterrima orirentur, tristitiis multis.

A. U. 801. A. C. 48.

Priv. ac publ.] *Ac* Rhen. ex Bud.

Levissimum fastigii ejus] Hæc cum lineis postumis, corrupta, hiulca, nec juvant aut discrepant libri, nisi quod, *tristitiis inultis,* non *flagitiis,* uti substituisse fatetur Rhenanus. Ego ab ejusmodi ulceribus sanandis, sani hominis censeo, abstinere manum. Nam sine librorum ope irrita abierit Hygia ipsa. Lips. MSS. Flor. Vatic. duo et ed. pr. *fastidii,* quod ego recipere non dubitavi, convenientissimum impotenti et arroganti liberto. Gratia liberti non dicitur Latinis, ut opinor, *fastigium.* Nec obstat, ut Ryckio videtur, quod hic laudare Narcissum voluisse Tacitus videatur. Vult dicere, eum honorem Narcissi superbiæ parum satisfecisse, cum in aula primum gratiæ locum teneret. Plin. pan. 55. *Ut appareat, non superbia et fastidio te amplissimos honores repudiare, qui minores non dedigneris.* Ubi pariter in cod. Vatic. *fastigio* ap. Schwarzium ad h. l. Ceteri scr. (in his Agr. et Reg. Ryckii) et edd. *fastigii.* Enimvero nec sic locum persanatum puto. Quis enim dicat *leve fastidii* vel *fastigii ?* Immo *fastidio* vel *fastidiis* potius legendum. Ern. Bud. *fastigii,* quod Rac. 35. præfert Hiller. Bene quippe id convenire favori, quo libertos ceteros apud Claudium vicerit Narcissus. At potior omnino altera lectio, *fastidii* i. e. arrogantiæ.

Cum supra Pallantem] Sic in MS. Flor. esse testis J. Gron. scripta per compendium voce *supra,* quod etiam in aliis locis, ut supra c. 16. in verbis *supra cunctos attollatur,* occurrit. sane jam, dejecta Messallina, principem locum tenuit inter libertos potentes. Ryckius edidit *super.* V. ad 12, 9. ed. pr. mox *egeret* vitiose pro *ageret.* Ceterum ista in parenthesi accipienda, si *honesta* refertur ad *insignia quæstoria,* ut opinantur; sed vide mox. Ern.

Honesta quidem etc.] Hæc vulgo referuntur ad *Quæstoria insignia,* sed nullo commodo sensu: nec patiuntur sequentia, quæ profecto non orta sunt e Quæstoriis insignibus, omninoque illis Senatus decretis. Primus Ryckius, ut opinor, vidit, esse epiphonema, quale Tacitus, aliique historici, solent addere in fine rerum magnarum. Sed ego insuper existimo, hic verba quædam excidisse, quorum in his ratio reddatur, velut: *hæc tum acta flagitiis Messallinæ ulciscendis:* aut: *hæc supplicia a Messallina et adulteris sumta:* aut simile quid. Inspiciat lector aliarum talium narrationum clausulas, ut A. 3, 19. inpr. hoc ipso libro c. 26. Nam verba *honesta quidem, sed ex quibus* etc. necesse est habeant aliquid, ad quod referantur: quod hic nusquam est. Ern.

Flagitiis inultis] MSS. fere *tristitiis multis* vel *inultis.* Vid. notam Lipsii proxime præcedentem. Ed. pr. *tristitiis ultis,* et paullo ante *quis :* Ed. Puteol. et seqq. *flagitiis multis,* nescio unde. Rhen. Ald. etc. *flagitiis inultis,* e conjectura Rhenani. *Flagitiis multis* nullum commodum sensum habet in hoc contextu. Messallina flagitiosa: sed Agrippina facinorosa et scelerata. Itaque præfero *tristitiis multis :* sed id corruptum videtur e *tristitiæ multis,* sive *tristissima multis :* Sensus: Recte quidem Messallina cum adulteris punita: sed ea origo novorum malorum. nam hinc multa nata sunt publice noxia, et privatis tristissima: quæ deinde in sequentibus libris traduntur. Ern. Bud. *tristitiis inultis.* Bip. conjiciunt *tristitiis mutatis* i. e. ut tristibus tristiora succederent. Hiller. Rac. 35. *astutiis multis.*

C. CORNELII TACITI

AB

EXCESSU DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIBER DUODECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. 2. *Claudius de matrimonio cum libertis deliberat.* 3. *Agrippina, Germanici fratris ejus filia, aliis prælata, L. Silano, cui desponsa Octavia, insidias struit,* 4. *administro Vitellio,* 5—7. *cujus artibus inducti Senatus Populusque infames nuptias probant.* 8. *Silanus mortem sibi consciscit. Seneca ab exilio redux studiis Neronis præest,* 9. *cui despondetur Octavia.*

10. *Parthi Regem Roma petunt Meherdatem,* 11. *quem, missum a Claudio, Cassius in Regnum ducere conatur.* 12. *Obstat fraus Abgari et* 13. *Izatis.* 14. *Victus Meherdates Gotarzi traditur. Hoc mortuo Regnum in Vononem, dein Vologesem transfertur.* 15. *Mithridati, Regnum Ponti reciperare niso, Romani resistunt et Cotys et Eunones.* 16. *Uspe urbe capta,* 17. *Zorsines deserit Mithridatem, qui,* 18. *supplex Eunoni,* 19—21. *per eum a Principe veniam impetrat Romamque perducitur.*

22. *Agrippinæ artibus Lollia cedere Italia jubetur, Calpurnia pervertitur.* 23. *Salutis augurium. Pomerium Urbis prolatum.* 24. *et qui olim protulerint.*

25. *Nero Domitius a Claudio adoptatur auctoritate Pallantis.* 26. *Britannicus depressus.* 27. 28. *Colonia in Ubios deducta. Catti latrocinia agitantes vincuntur.* 29. 30. *Vannius Suevorum Rex a suis pulsus.*

31. *In Britannia turbantes reprimit Ostorius Icenos,* 32. *Cangos, Brigantes.* 33—35. *Silurum Regem Caractacum vincit.* 36. *Is, Romam perductus,* 37. *mascule Cæsarem adloquitur et veniam impetrat.* 38. 39. *Britanni vires reparant. Ostorius, obtentis triumphi insignibus, obit.* 40. *Ei Didius suffectus. Bellum intestinum Venutii et Cartismanduæ.*

41. *Neroni virilis toga maturatur, posthabito Britannico.* 42. *Burrus Prætorio præfectus. Agrippinæ adrogantia. Vitellio favet.* 43. *Prodigia Romæ. Caritas Annonæ.*

44—47. *Bellum Armenios inter et Iberos. Rhadamistus Pharasmanis filius Iberus specie fœderis Mithridatem invadit, vinclis onerat, interimit.* 48. *Quadratus, Syriæ Præses, de ultione deliberat.* 49. *Pelignus Rhadamistum temere Regium insigne sumere hortatur.* 50. *Parthi Armeniam invadunt.* 51. *Rhadamistus a suis pellitur. Zenobia conjunx, ab eo vulnerata, ægre servatur.*

52. *Furius Scribonianus relegatus. SC. de mathematicis.* 53. *SC. Claudianum de feminis, quæ servis conjungerentur. Adulatio in Pallantem.* 54. *Felix et Ventidius turbant Judæam. Quadratus quietem reddit.* 55. *Motus in Cilicia sedat Rex Antiochus.*

56. *Lacus Fucinus emissus et in eo navale spectaculum,* 57. *et convivium cum periculo.* 58. *Nero ducit Octaviam.* 59. *Statilius Taurus eversus.* 60. *Procuratorum in provinciis auctoritas aucta.* 61. *Cois concessa immunitas.* 62. 63. *Byzantiis tributum ad tempus remissum, ejus urbis situs.*

64. *Prodigia Claudianæ necis.* 65. *Lepidæ mors indicta. Narcissi liberæ voces.* 66. 67. *Claudium Agrippina veneno tollit.* 68. *Nero primordia Imperii capit.* 69. *Funus et consecratio Claudii. Gesta hæc annis sex,*

C. POMPEIO. Q. VERANNIO

C. ANTISTIO. M. SUILIO RUFO

TI. CLAUDIO. V. SER. CORNELIO ORFITO

P. CORNELIO SULLA. L. SALVIO OTHONE

D. JUNIO SILANO. Q. HATERIO

M. ASINIO MARCELLO. M'. ACILIO AVIOLA COSS.

A. U. 802. A. C. 49.

1 CÆDE Messallinæ convulsa Principis domus, orto apud libertos certamine, quis deligeret uxorem Claudio, cælibis vitæ intoleranti, et conjugum imperiis obnoxio. Nec minore ambitu feminæ exarserant: suam quæque nobilitatem, formam, opes, contendere, ac digna tanto matrimonio ostentare. Sed maxime ambigebatur inter Lolliam Paullinam, M. Lollii Consularis filiam, et Juliam Agrippinam, Germanico genitam: huic Pallas, illi Callistus, fautores aderant. at Ælia Petina, e familia Tuberonum, Narcisso fovebatur. Ipse modo huc, modo illuc, ut quemque suadentium audie-

Deligeret] Lips. *diligeret.* Istud restituit Pichena. Sic et cod. Bud.

Cælibi vitæ intonanti] In MSS. quibusdam *cælibis:* et vellet Pichena, *cælibis vitæ intoleranti.* Illud vulgatum, nescio quo modo, mihi pro moribus et sermone Claudii videtur. Lips. Recte Pichena: quem omnes postea editores secuti sunt. *Cælibis* ed. pr. Ceteræ omnes *cælibi.* MS. Agric. *insolenti:* quæ est glossa τοῦ *intoleranti. Intonanti* restituit J. Gronovius, defensione et explicatione verborum promissa, non adlata. Ern. *Intonanti* probat et Urs. Lipsius adv. Lampugn. id tuetur ex Liv. 3, 48. *quum hæc intonuisset.* Ryckium perperam in suas partes trahit J. Gron.

Ac digna tanto matrimonio] Forte *dignas.* Gron. Frustra, judice Nic. Heinsio Obs. Misc. t. 9. p. 289. et Burm. ad Sueton. Claud. 38. Cic. Tusc. 1, 24. *tam natura puturem vitam hominis sustentari, quam vitis, quam arboris. Hæc enim etiam dicimus vivere:* non *has.* Sed sæpe de hac re critici, et frequentia sunt exempla in primis apud Græcos. Sed tamen MSS. Flor. Guelf. *dignam,* et ed. Puteol. Beroald. Rhen. Ald. etc. int. *se.* Livius 1, 47. *defuisse, qui se regno dignum putaret.* Ern. Bip. præferunt *dignam.* Brot. et Lall. *digna.*

M. Lollii Consularis filiam] Non prisci illius Lollii, qui moderator C. Cæsari datus, ne erres, sed filii ejus. qui tamen quando Consul fuerit, ignoro. Tempora suadent, et clarissime Plinius 9, 58. qui hanc Lolliam Paullinam neptem illius Lollii appellat. Lips. *Filiam* abest a Guelf. Ern. Et a Flor. item a Bud. Adjecta videtur ab editoribus.

At Ælia] Sic Rhen. e Bud. prius legebatur *et.*

Ut quemque suadentium audierat promptus] Muretus, *pronus.* Non male: sed h. l. facilius *promtus* feram, quam 4, 60. Ern. Acid. *pronus.*

rat, promptus, discordantes in consilium vocat, ac *promere* A. U.
sententiam et adjicere rationes jubet. Narcissus *vetus matri-* 802.
monium, familiam communem, (nam Antonia ex Petina erat) A. C. 49.
nihil in Penatibus ejus novum, disserebat, *si sueta conjunx re-* 2
diret; haudquaquam novercalibus odiis usuram in Britannicum et Octaviam, proxima suis pignora. Callistus *inprobatam longo discidio, ac, si rursus adsumeretur, eo ipso superbam: longeque rectius Lolliam induci, quando nullos liberos genuisset, vacuam æmulatione, et privignis parentis loco futuram.* At Pallas id maxime in Agrippina laudare, *quod Germanici nepotem secum traheret, dignum prorsus Imperatoria fortuna, stirpem nobilem, et familiæ Claudiæ quæ posteros conjungeret;*

***Discordantes in consilium vocat*]** Sic non modo MSS. Agr. et Reg. ap. Ryckium, sed et Guelf. et omnes vett. edd. quas inspexi. Primum *concilium* in ed. Lipsii vidi, in quam haud dubie vitio operarum irrepsit. *Consilium* restituit Ryckius. Frustra illud servavit J. Gron. nixus cod. Flor. Mox ed. pr. *addicere* pro *adjicere* e scr. vetere *adicere.* Ern.

Familiam communem] Muretus *filiam:* probant Acidalius, et Ryckius. Recte. *Familiam* de uno capite dici, nondum reperi. Ern.

Antonia] V. Suet. Claud. 26, 27.

Novercalibus odiis usura in Britannicum] Sic ed. Puteol. aliæque vett. MSS. edd. pr. Lips. Pich. *visura Britannic.* unde Heinsius corrigebat: *ursura,* probante Ryckio et Burm. ad Valer. Fl. 7, 93. ubi: *odiis urgete tyranni caput.* Insolentia participii facit, ut dubitem. MSS. tres ap. Brotêrium *usuram,* quod ei non displicet. Ern. Bip. *visuram Brit.* Provocant ad Sen. Exc. Controv. 4, 6. *quid alterum novercalibus odiis intueris?* Sed ibi ed. Lipsii, Gronovii etc. et Bip. *oculis.*

Longo dissidio] Immo *discidio,* ut supra sæpius. Gron. Sic ed. pr. Puteol. autem *dissidio* cum seqq. Ern. MS. Reg. et Agr. *discidio.*

Germanici nepotem] MS. Guelf. *nepotes,* quod defendere licet similibus apud nostrum exemplis. Ern.

Et familiæ Claudiæ] Expediri sententia potest: tamen mavelim scribi, *et familiæ Claudiæ, quin posteros conjungeret.* ut quasi hortantis ea sint liberti. Lips. Ego vero illud, *dignum prorsus Imperatoria fortuna,* Neroni detrahi nunquam patiar. Significat enim, dignissimam Augusto lare, dignam Cæsarea domo partem. Deinde accipio quidem Lipsii *quin,* et sagaciter odoratum Muretum puto, non omnia locum suum tenere: sed quem appellavit auctor *dignum Imperatoria fortuna,* eum eodem ordine vocari *stirpem nobilem,* parum acre parumque decens mihi videtur. Scribo autem: *quin stirpem nobilem et familiæ Claudiæ posteros conjungeret.* Hoc est, magnopere suadere, ut diductam nunc in duas domus primæ nobilitatis gentem revocaret in unam, et Claudii nominis posteros, seque et fratris nepotem, matre illius uxore ducta, Penatibus consociaret, ne matrona felicis et probati uteri, ætate habili et indeflexa, conjugio suo quemcumque alium extolleret ac nobilitaret. Sic infra c. 20. *quin arriperet oblata et servaret exsulem.* Gron. In cod. Agr. est *dignam:* quod merito placet Ryckio. Non enim conveniens videtur, Pallantem destinare Neronem Imperatorem. Reliqua Heinsius sic constituebat: *stirpe nobilem* (sc. Agrippinam) *et familiæ Juliæ Claudiæque posteros conjungere. Conjungere* etiam Freinshemio placebat. Nec longe hinc discedit J. Gronovius: *stirpem nobilem etiam Juliæ Claudiæque posteros conjungere.* Ryckius denique: *stirpe nobilem, et familiæ Claudiæ quæ posteros conjungeret.* Mihi facillimum videtur, quod etiam Mureto in mentem venit: *stirpem nobilem et quæ familiæ Claudiæ posteros conjungeret* sc. matrimonio cum Agrippina ineundo. In ed. Puteol. et inde Riv. est punctum ante *stirpem,* quod huic conjecturæ favet; item colon in ed. pr. et aliis vett. Ern. Acid. *Stirpem nobilem et f. Claud. posteros conjungeret.* deleto *quæ.* Sic *stirps nobilis* est Nero. Potius mihi est Agrippina. Recte Bip. monent, si *dignum* legas, id in contumeliam Britannici dictum fore.

A. U. *ne femina expertæ fecunditatis, integra juventa, claritudinem*
802. *Cæsarum aliam in domum ferret.* Prævaluere hæc, adjuta
A. C. 49. Agrippinæ inlecebris, quæ, ad eum, per speciem necessitu-
3 dinis, crebro ventitando, pellicit patruum, ut prælata ceteris, et nondum uxor, potentia uxoria jam uteretur. Nam, ubi sui matrimonii certa fuit, struere majora, nuptiasque Domitii, quem ex Cn. Ænobarbo genuerat, et Octaviæ, Cæsaris filiæ, moliri: quod sine scelere perpetrari non poterat, quia L. Silano desponderat Octaviam Cæsar, juvenemque et alia clarum, insigni triumphalium et gladiatorii muneris magnificentia, protulerat ad studia vulgi. Sed nihil arduum videbatur in animo principis, cui non judicium, non odium
4 erat, nisi indita et jussa. Igitur Vitellius, nomine Censoris serviles fallacias obtegens, ingruentiumque dominationum provisor, quo gratiam Agrippinæ pararet, consiliis ejus inplicari, serere crimina in Silanum, cui sane decora et procax soror, Junia Calvina, haud multum ante Vitellii nurus fuerat. hinc initium accusationis: fratrumque non ince-

Ne femina etc.] Broterius e MS. reg. edidit *nec f.* quod narrationem postulare putat. Frustra. non cepit satis sensum V. C. Intelligendum est: verendum esse, ne f. quod genus ellipseos frequens est apud Latinos scriptores. Mox dubium est, utrum *expertæ fecunditatis*, an *experta fecunditatis* dederit Tacitus: sed quia in cod. Agr. illud est, et Tacitus libenter constructionem variat, cum Ryckio prætuli. *Experta fecunditatis* aliud significat, quam res hic desiderat. nam *expertus* cum genitivo est tritus in aliqua re usu. ERN.

Prævaluere hæc] MS. Guelf. *prævaleres:* mox abest *quæ*, item ab aliis MSS. ap. Broterium. ERN. Et a Bud.

Juvenemque et alia clarum] Ita diserte Vatic. vereque. Transmarina forma sermonis est, νεανίσκον τά τ' ἄλλα λαμπρόν, crebrumque apud Latinos, *homo cetera bonus*, et similia: in Agellio, *homo pleraque non indiligens.* LIPS. Sic MS. Flor. Sed MSS. Guelf. et alii: edd. vett. *alias.* Mox ed. pr. male *insignia.* MS. Guelf. *munificentia.* V. ad H. 3, 34. ERN.

Nisi indita et jussa] Muretus, *indicta.* LIPS. Sic et Acidalius, Pichena. At sic oritur tautologia. *Indita* sunt, quæ subjiciuntur, suggeruntur ab aliis. ERN. Heins. *induta.*

Serviles fallacias obtegens] Dubitavi ne prisco verbo scrib. *serviles pellacias.* Apud Lucretium scriptum 2, 559. *Subdola cum ridet placidi pellacia ponti.* et convenientior huic sententiæ visa ea vox. Non enim tam fraudes erant, quam adulationes humiles et demissæ ad pelliciendam parandamque gratiam Agrippinæ, ut addit noster. LIPS. Sed adulationes maxime ad fallendum comparantur. ERN.

Serere crimina in Silanum] Sic edd. Puteol. Beroald. Alc. Gronoviorum, Ryck. quod verum puto. Ceteræ *ferre.* Vitellius materiam criminandi suggerebat, quod est *serere crimina*, non *ferre:* cujus formulæ loquendi etiam exempla desidero. Confundi hæc verba in libris docet Drakenb. ad Sil. 5, 235. ERN. Rhen. e Bud. *ferre.*

Et procax] Heins. *sed procax.*

Fratrisque non incestum] Vatic. *fratrumque*, quod probo. In reliqua scriptura pendeo animi. Vulgatam si ferimus, sententiam esse volo: tractum in crimen esse non amorem incestum inter fratrem sororemque, sed tantum incustoditum. id est, amorem parum cautum circumspectumque, et qui sine crimine, rapi tamen in crimen potuerit. Simillimum illud Plinii ep. 6, 29. *Tuitus sum Julium Bassum, ut incustoditum nimis et incautum, ita minime malum.* Siquid mutandum, legerem, *incustoditum sermonem.* Ex Seneca certe clarum, non aliud vere objectum huic Silano, quam verba adversus sororem nuptialia, et parum cauta. Ait in Ludo de morte Claudii: *Qui, quantum quidem in ipso fuit, damnatum incesti L. Silanum generum suum occidit. Oro propter quid?*

stum, sed incustoditum amorem ad infamiam traxit. et A. U. 802. A. C. 49. præbebat Cæsar aures, accipiendis adversum generum suspicionibus caritate filiæ promptior. At Silanus, insidiarum nescius, ac forte eo anno Prætor, repente per edictum Vitellii ordine Senatorio movetur, quamquam lecto pridem Senatu, lustroque condito. simul adfinitatem Claudius diremit; adactusque Silanus, ejurare magistratum, et reliquus Præturæ dies in Eprium Marcellum conlatus est. C. A. U. 803. A. C. 50. Pompeio, Q. Verannio coss. pactum inter Claudium et Agrippinam matrimonium jam fama, jam amore inlicito firmabatur: nec dum celebrare solennia nuptiarum audebant, nullo exemplo deductæ in domum patrui fratris filiæ. Quin et incestum, ac si sperneretur, ne in malum publicum

Sororem suam festivissimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Junonem vocare. ita enim restitui eum locum nuper. Lips. Recte omnino. Sic Seneca Medea v. 56. *Ad Regum thalamos.* id est, Regis et puellæ Regiæ. Dein idem v. 59. *Sceptrigeris colla tonantibus,* hoc est, Jovi et Junoni. Neque erat, cur penderet animi ὁ πάνυ in tam commoda explicatione reliqui. Non fœdam et scelestam libidinem, sed simplicem nimis et incautam, eoque malignæ interpretation iobnoxiam consuetudinem et conversationem arripuit in crimen. Apud Senecam in ludo scribendum: *Si mehercules a Saturno petisset hoc beneficium, cujus mensem toto anno celebravit, non tulisset illud. Nedum ab Jove, quem, quantum quidem in illo fuit, damnavit incesti. L. Silanum enim generum etc.* Eodem pertinet ibidem: *unum abnepotem L. Silanum. Videris, Jupiter, an in caussa mala? certe in tua.* Vide quæ ibi notavi. Gron. Sic MS. etiam Flor. ed. pr. Idemque voluit exprimere scriptor cod. Bud. qui dedit *fratrem.* Ceteræ edd. ad Pichenam *fratrisque. Fratres* dici de fratre et sorore, exempla docent in Gesneri thesauro prolata, et a Bentleio et Burmanno, locis ibi citatis. Ern.

Accipiendis] Heins. *arripiendis,* ut 15, 54. V. et mox c. 6.

Per edictum Vitellii] Nam Censores edicta proponebant. Livius 43, 16. *Multis equos ademerunt. in ea re quum Equestrem ordinem offendissent, flammam invidiæ adjecere edicto, quo edixerunt, ne quis eorum* etc. Plinius 13, 5. *Urbis a.* 565. *P. Licinium Crassum L. Julium Cæsarem Censores edixisse, ne quis venderet unguenta exotica.* Idem 14, 16. *P. Licinius Crassus L. Julius Cæsar Censores edixerunt, ne quis vinum Græcum Amineumque octonis æris singula quadrantalia venderet.* Suet. de Rhet. *De iisdem interjecto tempore Cn. Domitius Ænobarbus et L. Licinius Crassus Censores ita edixerunt.* De quo ante, *item Censorium edictum subjiciam.* Ne quem frustretur, qui *edictum,* tacentibus aliis, explicat album Censorium cum Senatorum nominibus, quod postquam Augustus publicarit primus, ex eo *edictum* sit appellatum. Nihil aliis cum Senatoribus; solo cum Silano negotium in hoc edicto Vitellio fuit. Gron.

Jam fama] Distinguunt libri mei, *matrimonium, jam fama.* Et recte, quoniam ante istos Consules matrimonium pactum. Supra enim scriptum c. 3. *quæ ubi matrimonii sui certa fuit.* Statim etiam e Farnes. scripseris, *deductæ in domum patrui fratris filiæ.* Lips. Sic et MS. Flor. Contra edd. vett. *filia deducta.* Ern.

Quin et incestum] Sententiam loci censeo: Fruebantur quidem matrimonii bonis Claudius et Agrippina: an non securi. quia et incestum subesse videbatur, nondum firmatis ejusmodi nuptiis; et periculum ne populus, ab exemplo, passim usurparet, publico malo. Lips. Gerræ Siculæ male πολιτικοῦ, quæ hic Boxhornius. Freinshemio Catone simus contenti. Claudius haud erat intacti superstitione animi. Immo, quo mente commotior, eo paullo infirmior unus multorum, eo superstitiosior. Docetque id etiam Suet. in vita ejus 22. Semper autem incesta in prodigiis habita, in expiandis et procurandis, in iis, quibus iram Deorum putabant denuntiari. Reliqua pete a Freinshemio. Gron. Cf. c. 8.

A. U. 803. A. C. 50. erumperet, metuebatur. Nec ante omissa cunctatio, quam Vitellius suis artibus id perpetrandum sumpsit. Percunctatusque Cæsarem, *an jussis Populi an auctoritati Senatus cederet?* ubi ille, *unum se civium et consensui inparem*, respondit, *opperiri intra palatium* jubet. ipse curiam ingreditur, summamque Remp. agi obtestans, veniam dicendi ante alios exposcit, orditurque: *Gravissimos Principis labores, quis orbem terræ capessat, egere adminiculis, ut domestica cura vacuus, in commune consulat. quod porro honestius Censoriæ mentis levamen, quam adsumere conjugem, prosperis dubiisque sociam: cui cogitationes intimas, cui parvos liberos tradat, non luxui aut voluptatibus adsuefactus, sed qui prima ab juventa*
6 *legibus obtemperavisset.* Postquam hæc favorabili oratione præmisit, multaque Patrum adsentatio sequebatur; capto rursus initio, *Quando maritandum Principem cuncti suaderent, deligi oportere feminam nobilitate, puerperiis, sanctimonia insignem. Nec diu anquirendum, quin Agrippina claritudine generis anteiret: datum ab ea fecunditatis experimentum: et congruere artes honestas. Id vero egregium, quod, provisu Deum, vidua jungeretur Principi, sua tantum matrimonia ex-*

Civium et consensui] Delenda copula, vel, quod verius, addenda vox scriptori elapsa, *civium et S. consensui.* id est, Senatus. Ita respondebit Claudii oratio Vitellianæ. Tamen aliquis ceperit (aut jam cepit) quasi esset, *unum se civium, et consensui imparem:* quod ego non probem, nec certe Princeps unus e vulgo civium est: non. Lips. Vulgatum frustra a Lipsio tentatur aliisque. MS. Reg. ed. Puteol. *consensu*, pro *consensui*, non male. Ern. Intellige *Senatus et Populi.*

Summamque Reip. agi] Scribo, *summamque Rempublicam.* Lips. Sic MS. Flor. unde cum Ryckio et J. Gronovio recepi. De forma loquendi *summa Respublica* hodie nota omnia, sed *summa Reip.* idem est. Vide quæ dixi in Clave Cic. in v. *summa.* Nimis viri docti adamarunt observationem de *summa Republica.* Ern.

Orbem ter. capessat] i. e. curet. supra 11, 34. *iret virgo et sacra capesseret.* Adde infra 15. Mox pro *commune* Guelf. *concionem.* Ern.

Censoriæ mentis levamen] *Censoriæ*, non *Cæsareæ.* ut Acidalius (ex cod. Farn. qui habet *Cæsaris*) et Pichena volunt. Non Censorum erat exigere matrimonia. Censor adigebat solenne jusjurandum: *Tu ex animi tui sententia uxorem habes?* teste Gellio 4, 20. Huc pertinet oratio Q. Cæcilii Metelli Numidici, *quam in censura dixit ad populum de ducendis uxoribus*, ut est apud eundem 1, 6. Vel *de prole augenda*, ut inscribit Suetonius, qui et Augustum eam senatui recitasse et populo per edictum notam fecisse scribit c. 89. Itaque Censor uxore legibus ducenda exemplum salubre prodebat populo. Claudius autem non modo forte, sed certe Censor, et post longum intervallum, Augusto et aliis Magisterio morum contentis. Sueton. 16. *Gessit et Censuram intermissam diu post Paullum Plancumque Censores.* Quod honestius levamen ei, qui non nomen modo Censoris et officium, sed et mentem, castam illam, sanctam, integram dignamque Censore unico et morum custode, præstaret? Gron. Mox Guelf. *dubiis* sine copula. Ern.

Non luxui] Cod. Oxon. *luxu:* quod verum videtur. nam sic in dativo libenter veteres, etiam noster. V. Oudendorp. ad Suet. MS. Guelf. *et volupt.* Ern.

Anquirendum] Sic Pich. e Flor. vulgo *inquirendum.*

Vidua jungeretur] Vidua Agrippina, mortuo, sub initia imperii Claudiani, Crispo Passieno, cui post Domitium nupserat. Plinius libro 16. *Arborem mori eximiam ætate nostra adamavit Passienus Crispus bis consul, orator, Agrippinæ matrimonio et Nerone privigno clarus.* Sueton. Nerone: *Verum Claudio imperium adepto, non*

perto. audivisse a parentibus, vidisse ipsos, adripi conjuges ad A. U.
libita Cæsarum: procul id a præsenti modestia. statueretur 803.
immo documentum, quo uxorem Imperator acciperet. At enim, A. C. 50.
nova nobis in fratrum filias conjugia. sed aliis gentibus solennia, nec lege ulla prohibita. et sobrinarum diu ignorata tempore

solum paternas opes recuperavit, sed et Crispi Passieni vitrici sui hereditate ditatus est. Tamen idem ille Passienus antea maritus Domitiæ sororis Ænobarbi. Quod ex Quinctil. colligas 6, 2, 50. Apud Senecam de hoc eodem Natur. Quæst. 4. præf. ***Crispus Passienus, quo ego nil novi acutius in omnibus rebus, maxime in distinguendis,*** (omnino scrib. *distringendis*) ***et curandis vitiis, sæpe dicebat: adulationi opus esse non claudere ostium, sed aperire, et quidem sic, quemadmodum amicæ solet. quæ, si impulit, grata est: gratior, si effregit.*** Iterum scribe, ***sed operire.*** id est, leviter obducere, opponere ostium: ne pereat dicto sua Venus. Pluscula etiam in Excurs. *A.* vide. Lips. MSS. Senecæ: *adulationibus non claudere ostium, sed aperire.* Scribendum igitur: *adulationi nos non claudere ostium, sed opponere: et quidem sic, quemadmodum amicæ opponi solet.* Hoc est, non obserare aut repagulis firmare, sed sine sera, dempto obice, manibus tantummodo obtendere, vel objectum sustinere ac prætendere. Nam *operire,* in quo et Gruterus argutatur, ipsum claudere est. Terentius Phorm. 5, 3, 33. *Jamne operuit ostium.* Noster 3, 15. *egressa cubiculo uxore operiri fores jussit.* Gron.

Vidisse ipsos] Principe Caio. Lips.

Documentum, quo uxorem] Nugax oratio, quid enim? non antea Imperatoribus semper uxor? semper. Quid ergo opus ei rei documento? Tu corrige, *quomodo uxorem.* Id enim vult adulator homo, prodendum esse posteris exemplum, ut Imperator uxorem Senatu suasore et auctore capiat. Lips. Quicquid obtrectent Lipsio Pichena et Freinshemius, multo magis resipit Latium vetus, *statueretur immo documentum, quomodo uxorem Imperator acciperet,* quam alterum. Hoc enim vult, tempus venisse, ut exemplum prodatur, idque jam prodi posse, quod respicientes quoque admoniti secuturi Principes discant, qualiter et quemadmodum matronam introducere in Penates deceat Augustum. Adhuc enim nullum exemplum conjugii Cæsarum salubre exstabat. Adde quæ scripsimus Obs. 4, 11. Gron. Sic et Ryckius. recte. Mox Guelf. *connubia.* Ern. Lamp. *quo* explicat per *secundum quod.* non male. In Flor. teste Gron. post *Imperator* est lacuna; eam Brot. replet verbis *fratris filiam;* Bip. malunt *vacuam* ex 13, 44. Acumen in *arripi — acciperet* notat Pichena. *Acciperet* scil. ex arbitrio vel consensu Populi. sic non necesse est addi quidquam; nec lacunam habet Bud.

Sobrinarum] Sobrinas appellat, tamen palam est, intelligi debere de consobrinis. Quis enim hoc censeat, eos, quos proprie sobrinos legum auctores appellant, arceri inter se nuptiis? nunquam factum. Sed veteres hæc miscebant. vocularum haud æque curiosi captatores. In glossis priscis legas; Ἀνεψιὸς, *consobrinus, sobrinus.* Alibi: Θεῖα πρὸς μητρὸς, *consobrina.* Et Ἐξάδελφος, ἐκ δύο ἀδελφῶν θηλειῶν, *consobrinus.* Quid, quod Velleius simili libertate 2, 3. *consobrinum Ti. Gracchi* Scipionem Nasicam appellat: qui Juris consultorum finitione sobrinus sit? Lips.

Tempore addito percrebuisse] Malim, *tempore percrebuisse,* rejecta voce quæ glossographum sapit: aut potius invertam, *tempore adeo.* et id verum puto. De re ipsa Plutarchus auctor in Caussis, quæst. 6. diu apud Romanos sobrinarum conjugia (ἀνεψιὰς ipse appellat, et bene vertit Xylander) fuisse invisa: cœpisse tamen a levicula caussa, quam ipse denarrat, factumque decretum populi, Πᾶσιν ἐξεῖναι γαμεῖν ἄχρις ἀνεψιῶν, τὰ δὲ ἀνωτέρω κεκωλῦσθαι. id est, *licere omnibus ducere usque ad consobrinas, supra autem vetari.* Hoc quando proprie cœperit, non dicit: satis vetus esse, ex Livio discas. apud quem 42, 34. ita loquitur Sp. Ligustinus: *Cum primum in ætatem veni, pater mihi uxorem fratris sui filiam dedit:* imo quasi in laudem hoc recenset. Sane conjugia ea deinceps crebra: et sic inter illustres M. Marcellus Juliam Augusti F. duxit, sibi sobrinam: aliique plures. Sustulit tamen eas ipsas nuptias Theodosius, de quo Victor. *Tantum,* inquit, *pudori tribuit et continentiæ, ut consobrinarum nuptias vetuerit, tamquam sororum.* per-

A. U. 803. A. C. 50. *addito percrebuisse. morem adcommodari, prout conducat, et fore hoc quoque in his, quæ mox usurpentur.* Haud defuere, qui certatim, *si cunctaretur Cæsar, vi acturos* testificantes,
7 erumperent curia. Conglobatur promiscua multitudo, *Populumque Romanum eadem orare,* clamitat. Nec Claudius ultra exspectato, obvium apud forum præbet se gratantibus: Senatumque ingressus, *decretum postulat, quo justæ inter patruos fratrumque filias nuptiæ etiam in posterum statuerentur.* Neque tamen repertus est, nisi unus, talis matrimonii cupitor, T. Alledius Severus, Eques Romanus, quem plerique, *Agrippinæ gratia inpulsum,* ferebant. Versa ex eo civitas, et cuncta feminæ obediebant, non per lasciviam, ut Messallina, rebus Romanis inludenti. adductum et quasi virile servitium: palam severitas, ac sæpius superbia: nihil domi inpudicum, nisi dominationi expediret. cupido auri inmensa obtentum habebat, quasi subsidium Regno
8 pararetur. Die nuptiarum Silanus sibi mortem conscivit:

miseruntque iterum Arcadius et Honorius I, 19. C. De nuptiis. Lips. *Addito* scripti et edd. omnes: et verum puto cum Freinshemio: pro procedente tempore. mox *orare* cod. Fl. Oxon. ed. pr. et ceteræ ante Rhenanum, qui (e Bud.) *rogare* substituit. Ern. Plin. 11, 108. *addita ætate.*

Decretum postulat] Zonaras 11, 10. *Ψήφισμα ἐποιήσαντο, ἐξεῖναι Ῥωμαίοις ἀδελφιδᾶς ἄγεσθαι.* Ait Tacitus fratrum filias: et stricte capias; non enim licuit sororum. Quod notavit accurate et diffuse, quantum satis est, Cujacius obs. 13, 16. quem non exscribo. Nec sustulit Nerva hoc SC. ut idem vera interpretatione collegit. De Claudii hoc facto Tragicus Octavia 1, 141. *Genitamque fratris conjugem captus sibi Toris nefandis flebili junxit face.* ubi melius leges, *genitamque fratre conjugem captam.* Domitianus imitatus exemplum est, qui Juliam habuit filiam Titi. Lips.

Talledius Severus] *T. Alledius* scribo. et vidi postea ita citare hunc locum Beroaldum. In monumentis priscis (ap. Grut. p. 667, 2.) M. ALLIDI in Juvenali 5, 118. —*tibi habe frumentum, Alledius inquit.* Quod noster unum imitatorem sceleris ejus facit; Suetonius dissentit, qui duos c. 26. Noster, credo, non habuit curæ nescio quem recensere libertinum. Vocat etiam Equitem R. quem ille Primipilarem. Nec aberrat, quoniam primi pili comes gradus Equestris. Martialis 6, 58. *Et referes pili præmia clarus eques.* Lips. Recepere Ryckius et Pichena, et alii. sic volebat etiam Torr. ad Suet. Claud. l. c. Ern.

Ut Messallina] MSS. tres ap. Broterium et ed. Beroaldi *Messallinæ,* quod recepit Broterius. non bene. nec enim pendere potest ab *obediebant.* Sensus est, non per lasciviam illudebat rebus Romanis, ut Messallina fecerat, sed etc. Ern.

Addictum quasi] Arbitrio meo, transponantur verba, *addictum et quasi virile.* Lectioni stabiliendæ (nam ego olim solicitavi) est, quod apud eundem Tacitum de Mor. Germ. 43. scribitur: *Trans Lygios Gothones regnantur, paullo jam addictius quam ceteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem.* Nec pœnitet tamen prorsus conjecturæ, *adductum,* præsertim quæ firmatur cod. Bud. et Flor. de quo verbo in H. 3, 7. Lips. *Adductum et quasi* est in MS. Guelf. ed. pr. At Puteol. *additum quasi et vile,* vitiose: quod secuti sunt Riv. Beroald. et Alciatus. Sed Rhenanus *addictum quasi et virile,* et seqq. usque ad Pichenam. Ern. Bud. *adductum quasi et v. s.*

Die nuptiarum] Mala ergo distinctio, et historiæ vitiandæ, in Suetonio obtinuit 29. *Silanus abdicare se Prætura, morique initio anni coactus. Die ipso Claudii et Agrippinæ nuptiarum in quinque et triginta Senatores trecentosque amplius Equites animadvertit.* Apage. nulla cædes nuptiali ejus die lecta, scribeque *initio anni coactus, die ipso Cl. et Ag. nuptiarum. In quinque,* etc. Lips.

sive eo usque spem vitæ produxerat, seu delecto die, augen- A. U.
dam ad invidiam. Calvina, soror ejus, Italia pulsa est. 803.
Addidit Claudius, *sacra ex legibus Tulli Regis, piaculaque* A. C.
apud lucum Dianæ per Pontifices danda: inridentibus cun- 50.
ctis, quod pœnæ procurationesque incesti id temporis ex-
quirerentur. At Agrippina, ne malis tantum facinoribus
notesceret, veniam exsilii pro Annæo Seneca, simul Prætu-
ram impetrat, lætum in publicum rata, ob claritudinem
studiorum ejus, utque Domitii pueritia tali magistro ado-
lesceret, et consiliis ejusdem ad spem dominationis uteretur:
quia Seneca fidus in Agrippinam, memoria beneficii, et in-
fensus Claudio, dolore injuriæ, credebatur. Placitum dehinc, 9
non ultra cunctari: sed designatum Consulem, Memmium
Pollionem, ingentibus promissis inducunt, sententiam ex-
promere, qua oraretur Claudius, *despondere Octaviam Do-*

Calvina soror ejus] Fortasse illa, quæ vitam produxit ad Vespasiani imperium, de qua Suet. Vespas. 23. *Cum mausoleum repente patuisset . . . . ad Juniam* (male enim editum suppositumque a scholiastis *Juliam*) *Calvinam e gente Augusti pertinere dicebat.* Nam Silani isti inter abnepotes Augusti fuerunt, ut dicam. Lips.

Italia pulsa est] Si pulsa tantum, quid ita commentator Juvenalis scribit eam a se interfectam? *Calvina*, inquit, *Prætoris cujusdam soror, quæ se occidit tamquam infamis in fratrem* (lego, *fratre*) *Claudii temporibus.* Hoc notat ad illud c. 3, 133. — *donat Calvinæ vel Catienæ.* Homo errat. Lips.

Sacra ex legibus Tulli] Non alia sacra piaculaque accipio, quam quibus Tullus olim Rex in Horatio sororiam cædem luit expiavitque. Livius 1, 26. *Itaque, ut cædes manifesta aliquo tamen piaculo lueretur, imperatum patri, ut filium expiaret pecunia publica. is quibusdam piacularibus sacrificiis factis (quæ deinde genti Horatiæ tradita sunt) transmisso per viam tigillo, velut sub jugum misit juvenem.* Similiaque Dionys. 3, 22. qui addit, ea sacra per Pontifices facta: convenienter cum iis, quæ hic Tacitus. Lips. Alia piacula intelligenda, vere judicat Ryckius. Ern.

Apud lucum Dianæ] Plin. 16, 19. *Est in suburbano Tusculani agri colle, qui Corne appellatur, lucus antiqua religione Dianæ sacratus a Latio.*

Inridentibus cunctis] Et hercle ridiculum, quod Claudius Silani cum sorore incestum piacularibus sacris lueret: ipse in eadem culpa. Nam piacula istæc cave alio referas, quam ad crimen Silani. Lips.

Veniam exilii] Relegatus enim Seneca post Quæsturam a Claudio in Corsicam insulam, ob suspicionem adulterii cum Julia Germanici filia, Vinicii uxore. Cujus criminis scena a Messallina fuit. Scena dico. Non enim reipsa expetit in te hæc culpa, o Romani nominis et sapientiæ magne sol.

Tali magistro adolesceret] Magno, magno magistro: utili privatim et publice, si Neronis indoles, aut Romana fata, voluissent. Sed ad historiam adde hæc scholiastis in Juvenalis Sat. 5, 109. *Seneca sub Claudio, quasi conscius adulteriorum Juliæ, Germanici filiæ, in Corsicam relegatus, post triennium revocatus est. Qui etsi magno desiderio Athenas intenderet, ab Agrippina tamen, erudiendo Neroni in palatium adductus, sævum immanemque natum et sensit cito et mitigavit. inter familiares solitus dicere: non fore sævo illi leoni, quin, gustato semel hominis sanguine, ingenita redeat sævitia.* Lips. Mox *uterentur* MS. Flor. Ceteri scr. et edd. *uteretur* ad Pichenam usque. Illud verum. nam et mox est *inducunt:* intellige Agrippinam cum libertis et ceteris instrumentis impotentiæ: quamquam ibi Broterius dedit *inducit* e MSS. et ed. pr. Post bene e cod. Fl. *oraretur* pro vulg. *hortaretur* restituit Pichena. Puteol. Riv. *oraret.* Ern. Restitui *uteretur.* ad Agrippinam hoc solam pertinet, ut prius *impetrat.* Quod sequitur *inducunt*, respondet bene τῷ *placitum*, quod ad ipsam cum consilio; nec displicet, si quis cum Mureto legere malit *inducit.*

A. U. *mitio.* quod ætati utriusque non absurdum, et majora pate-
803. facturum erat. Pollio haud disparibus verbis, ac nuper
A. C. 50. Vitellius, censet: despondeturque Octavia, ac, super priorem necessitudinem, sponsus jam et gener Domitius, æquari Britannico, studiis matris, arte eorum, quis, ob accusatam Messallinam, ultio ex filio timebatur.

10 Per idem tempus legati Parthorum ad expetendum, ut retuli, Meherdaten missi, Senatum ingrediuntur, mandataque in hunc modum incipiunt: *Non se fœderis ignaros, nec defectione a familia Arsacidarum venire; sed filium Vononis, nepotem Phrahatis, accedere adversus dominationem Gotarzis, nobilitati plebique juxta intolerandam. Jam fratres, jam propinquos, jam longius sitos, cædibus exhaustos: adjici conjuges gravidas, liberos parvos, dum socors domi, bellis infaustus, ignaviam sævitia tegat. Veterem sibi ac publice cœptam nobiscum amicitiam: et subveniendum sociis, virium æmulis, cedentibusque per reverentiam. Ideo Regum obsides liberos dari, ut, si domestici imperii tædeat, sit regressus ad Principem Patresque, quorum moribus adsuefactus Rex melior*
11 *adscisceretur.* Ubi hæc atque talia dissertavere, incipit orationem Cæsar *de fastigio Romano, Parthorumque obsequiis:* seque D. Augusto adæquabat, *petitum ab eo Regem* referens, omissa Tiberii memoria; quamquam is quoque miserat. Addiditque præcepta (etenim aderat Meherdates) *ut non dominationem et servos, sed rectorem et cives cogitaret; clementiamque ac justitiam, quanto ignara barbaris, tanto tole-*

Majora patefacturum] i. e. facultatem majorum perficiendorum, aditum ad majora daturum. Mox *super priorem* bene e cod. Flor. Pichena. Ante vulgati omnes *secundum.* ut 11, 38. Ern. In Flor. *s'.* Vulgo huic compendio solet adponi *r.* Bud. habet *secundum.*

Ut retuli] 11, 10. Lips. Mox *mandataque* cod. Fl. Guelf. ed. pr. Put. omnesque ad Rhenanum. restituit Freinshemius. Ern. Sic et Bud.

Sed filium Vononis, nepotem Phrahatis accedere] MS. Fl. Bud. Agr. Reg. Guelf. ed. pr. *accedere,* quod recte restituerunt Ryckius et Jac. Gronov. Puteol. dedit *accersere,* quia ante *expetere,* 6, 31. *poscere* etc. ut opinor; quod sequitur Rivius. Verum in Guelf. vett. edd. est *et filium.* An Tacitus scripsit *ut — accederent?* id certe accuratius antecedentibus opponeretur. Item Jac. Gronov. legi vult *dominationum intoleranda:* quia ultima vox sic in cod. Fl. Non placet mihi. Ern. Bud. *sed et.* ubi Rhen. *et* vitiose positum putat pro *ad.* Hoc et Broterio visum. *Accedere* Rhen. probat, sed retinet *accersere.* Prius istud sæpe noster absque repetita præpositione usurpat, ut c. 31 et 33. item 2, 58.

Bellis infaustus] Elegantissimi ingenii et doctrinæ noster Modius (ep. 99. in Grut. Lamp. vol. 5.) observat e libro vetere, (Cod. Agric.) *belli infaustus.* recte: ea forma, qua militiæ clarus. Lips. Ed. pr. *bellisque.* Ante eadem *adicit* vitiose pro *adici,* scriptura sæpe obvia, sed non constante. Vitio operarum in ed. Puteol. irrepsit *abjici,* quod propagatum est ad Rhenanum usque, qui verum restituit. Ern. Bud. scilicet habet *adici,* ut alias pro *adjici.* Bip. conjectant *addici* vel morti vel servituti; quæ ellipsis dura nimis mihi videtur. Ryckii cod. *bellique.*

Is quoque miserat] Et quidem tres miserat, Vononem, Phraatem, Teridatem. Adi 2, 1. 6, 30. sq. Lips.

Quanto ignara barbaris] Ita edidi e Vatic. Farnesiano erat *ignota,* vulgo *ignoratiora.* Phrasis vulgata et obvia in Tacito. Lips. Sic scriptor libri

ratiora capesseret. Hinc versus ad legatos, extollit laudibus A. U.
alumnum urbis, spectatæ ad id modestiæ. ac tamen ferenda 803.
Regum ingenia, neque usui crebras mutationes. Rem Roma- A. C.
nam huc satietate gloriæ provectam, ut externis quoque genti- 50.
bus quietem velit. Datum post hæc C. Cassio, qui Syriæ
præerat, deducere juvenem ripam ad Euphratis. Ea tem- 12
pestate Cassius ceteros præminebat peritia legum. nam
militares artes per otium ignotæ, industriosque aut ignavos
pax in æquo tenet. Attamen, quantum sine bello dabatur,
revocare priscum morem, exercitare legiones, cura, provisu
perinde agere, ac si hostis ingrueret: ita dignum majoribus
suis, et familia Cassia ratus, per illas quoque gentes cele-
brata. Igitur excitis, quorum de sententia petitus Rex,
positisque castris apud Zeugma, unde maxime pervius
amnis, postquam inlustres Parthi, Rexque Arabum Acbarus

Flor. dare voluit, in quo est *ignata:* sic ed. pr. et MSS. ap. Brot. pro quo Puteol. *ignoratiora* dedit, quod in omnibus est usque ad Lipsium, qui *ignara* recte restituit. Guelf. *ignorantiora.* Ern. Bud. *ignara,* quod Rhen. probavit, sed in textum non admisit. Usus vocis frequens Sallustio B. Jug. 18. *ignara lingua* 52. *regio hostibus ignara.* Cf. Gell. 9, 12. Non. Marc. 2, 465.

Tanto toleratiora capesseret] Fluctus hic interpretes movent in simpulo. Vid. Obs. 1, 14. Gron. Sic e cod. Flor. dedit Pichena. Vett. edd. omnes *tolerantiora. Toleratiora* sunt gratiora. Nam, ut Græci τὸ πάσχειν etiam de rebus bonis dicunt, sic *tolerari* dici possunt etiam grata et bona. Sic *vita tolerari* dicitur sæpe, nulla molestiæ significatione adjuncta. Possis etiam sic capere: eas virtutes tolerabilius reddere Regium imperium. Sed non est necesse. Frustra viri docti tentarunt corrigere *lætiora, gratiora* etc. Ern. Nullus dubito, quin et 3, 45. et 11, 10. legendum sit *intoleratior.* Homo dici potest *tolerantior laborum;* ast *labor* aliis *toleratior,* sic et homo homini.

Ac tamen ferenda Regum ingenia] Ed. pr. *at tamen.* Rhenano quoque *ac tamen* (cod. Bud.) suspectum, quod omnes a Puteol. habent. Mox ed. pr. *posthac,* ceterum totus locus sic, ut nunc editur, ibidem expressus est. Ceteræ edd. omnes ad Pichenam: *velit datam. Posthæc — ad Euphratis jubet.* Ern. Sic Bud. a r. m. Prius enim plane, ut teste Pichena Flor. habet et a Mureto restitutum Gron. recepit et Ern. aliique.

Ceteros præminebat] Vatican. *ceteris præerat.* Accipio. Lips. Ita etiam ed. pr. Et est sane exquisitius dictum: nec dubitarem restituere, nisi suspicio superesset, id repetitum a librario e præcedentibus. *Præeminebat* ceteri omnes: nisi quod Gronovianæ et Ryck. *præminebat,* quod secutus sum, quia sic omnes vett. edd. c. 33. et supra aliquoties MS. Flor. unicus. Post dedi *aut* e MS. Flor. ed. pr. pro *ac,* quod ceteri habent omnes, nisi quod etiam Rhenanus sic volebat, non parentibus operis. *Ac* sequente vocali inusitatum veteribus fuisse, sæpe monuere viri docti. Ern. Bud. *præminebat.* quod hic rectius, quia mox præcessit *præerat. Aut* Bud. quoque habet.

Exercere legiones] Vett. *exercitare.* Lips. Sic et cod. Flor. unde restituit Pichena. Mox *ratus,* abesse testatur J. Gronovius a cod. Flor. nec in ed. pr. comparet, unde valde credibile fit, id esse insititium. Nec, id ipsum, aut *ferens, dictitans,* intelligi, alienum a Taciti stilo. Ern. Bud. habet *ratus,* dein lacunam.

Per illas quoque gentes] Ob Cassium illum, qui τυραννοκτόνος, cujus in Syria prospera res post cladem Crassi. Lips. Cf. Dio 40, 28.

Abbarus] Solenne illis Regibus nomen, ut Ptolemæus Ægyptiis. Vatic. *Acbarus* semper scriptum, et Appiano Ἄκβαρος: in nummis antiquis, Ἄβγαρος. Lips. Budensis mox *Acbarus,* mox *Abbarus.* Flor. Guelf. et Reg. constanter *Acbarus:* ed. pr. *Aebarus* vitio operarum pro *Acbarus,* ut cod. Agric. unde id cum Jac. Gronov. recepi. Ryckius maluit *Abgarus* sequi, scripturam nummorum, de quibus vid. Spanhem. de

A. U. 803. A. C. 50. advenerat, monet Meherdaten, *barbarorum inpetus acres cunctatione languescere, aut in perfidiam mutari: itaque urgeret cœpta.* Quod spretum fraude Acbari, qui juvenem ignarum, et summam fortunam in luxu ratum, multos per dies adtinuit apud oppidum Edessam. Et vocante Carrhene, *promptasque res* ostentante, *si citi advenissent*, non cominus Mesopotamiam, sed flexu Armeniam petunt, id temporis inportunam, quia hiems occipiebat. Exin nivibus et montibus fessi, postquam campos propinquabant, copiis Carrhenis adjunguntur. Tramissoque amne Tigri, permeant Adiabenos, quorum Rex Izates societatem Meherdatis palam induerat, in Gotarzen per occulta et magis fida inclinabat. Sed capta in transitu urbs Ninos, vetustissima sedes Assyriæ, et Arbela, castellum insigne fama, quod, post-

V. et P. N. t. 1. p. 126, 534. qui acriter *Abgarus* defendit. Vales. ad Euseb. H. E. 1, 13. utrumque rectum esse defendit, sed præfert Ἄγβαρος, *Acbarus*, ob consensum Græcorum et Latinorum scriptorum. Scilicet, non quæritur, utrum sit per se rectius, sed utrum vulgo inter Græcos et Latinos tritius. Ern.

Carrhene] Jac. Gronovius notat, in MS. Flor. scribi sine aspiratione: semel uno *r*. Ed. pr. semper *Carene.* sed ibi etiam infra *Parracis*, et in aliis quoque verbis una litera pro dupliei. Sic et Guelf. Ern.

Quia hiems occipiebat] MSS. Reg. Agr. ed. pr. *occupabat.* et sic placebat Mureto. Ceteræ edd. *occipiebat.* Ern. Bud. *occipiebat.* Rectius forsan *occupabat*, nam hiems jam erat adulta. Ea dicendi forma occurrit et Germ. 22.

Campos] Sic Flor. Reg. Agr. Alii et Bud. *campis.* Eadem diversitas apud Liv. 30, 25.

Quorum Rex Juliates] Ita edidi ex meis libris. Vulgo tamen, *Hyliates:* et statim infra, *Ezates*, etiam in manuss. Scito, verum nomen esse *Jazates.* Ita enim appellatur constanter Josepho 20, 2, 3. ubi et historia omnis explicita de origine hujus Regis et progressu. Narrat autem Josephus, Judaicæ religionis eum et matrem Helenam fuisse: multaque alia, quæ operæ sit legere. Lips. *Juliates* ed. pr. et mox *Ezates*, ut Guelf. Mox eadem *per occulta et magis fida*, ut post Rhenanus dedit e cod. Bud. cum intermediæ edd. dedissent *occultam et m. fidam.* Ern. Ap. Jos. *Izates* vocatur in ed. Froben. et Haverc. In hac tamen p. 958. in vers. Lat. *Jazetes* dicitur in nota *h.* Bud. *Yliates.* mox *Ezates.*

In transitu urbs Ninos] *In transitu* est, dum eas regiones transeunt. De Nino porro ne dubites, quam funditus a Cyaxare et Nabuchodonosore deletam scimus: instaurata post videtur, sed ut ad pristinam magnitudinem non rediret. Sic videtur cum aliis, tum Cellario G. A. T. II. p. 660.

Castellum insigne fama] Attentum lectorem non fallet vitium. Quid enim? An Ninon castellum vocat, quam paullo ante urbem? Et utrumne apud Ninon postremum Darii cum Alexandro prœlium fuit? Imo haud procul Arbela, apud pagum Gaugamela. Inseruerim ergo vocem, *sedes Assyriæ, et Arbela castellum insigne fama:* aut certe, si satis sit id intellegi, addita copula, *sedes Assyriæ et castellum.* Lips. Ryckius e MS. Agr. recepit *et Arbela, c. i. f.* Sed illum codicem interpolatum non uno loco contendit Jac. Gronovius, nec probat Ryckii factum. Pichena posteriorem Lipsii conjecturam recepit. Ego vitium esse in h. l. non ambigam. Nam potuit quidem Tacitus periphrasi uti; sed tum debuit dicere: *c. i. f. ad quod — Persarum opes conciderunt:* non sic, ut est in vulgatis. Nunc clarum est, nomen loci præcessisse, de quo aliquid addat, ut ante de Nino. Itaque recepi lectionem codicis Agr. Unde Gronovius didicerit, præclaram urbem fuisse, nescio: Curtius *vicum* appellat. Ern. Pichenam sequuntur Bip. Bud. *sed. Ass. cast. i. f.* absque copula. Si quid supplendum, Bip. potius *Gaugamela* id esse volunt, rectius tamen plane nomen omitti censent. Ceterum Arbela Strabo 16. p. 737. κατοικίαν ἀξιόλογον, et Arrian. 3. p. 173. πόλιν

remo inter Darium atque Alexandrum prœlio, Persarum A. U.
illic opes conciderant. Interea Gotarzes, apud montem, 803.
cui nomen *Sambulos*, vota Diis loci suscipiebat, præcipua A. C.
religione Herculi: qui, tempore stato, per quietem monet 50.
Sacerdotes, *ut, templum juxta, equos venatui adornatos sistant.*
equi, ubi pharetras telis onustas accepere, per saltus vagi,
nocte demum, vacuis pharetris, multo cum anhelitu redeunt.
Rursus Deus, qua silvas pererraverit, nocturno visu demon-
strat: reperiunturque fusæ passim feræ. Ceterum Gotar- 14
zes, nondum satis aucto exercitu, flumine Corma pro muni-
mento uti: et, quamquam per insectationes et nuntios ad
prœlium vocaretur, nectere moras, locos mutare, et missis
corruptoribus, exuendam ad fidem hostes emercari. Ex
quis Izates Adiabeno, mox Acbarus, Arabum cum ex-
ercitu, abscedunt, levitate gentili, et quia experimentis co-
gnitum est, barbaros malle Roma petere Reges, quam
habere. At Meherdates, validis auxiliis nudatus, ceterorum
proditione suspecta, quod unum erat reliquum, rem in casum
dare, prœlioque experiri statuit. Nec detrectavit pugnam
Gotarzes, deminutis hostibus ferox. Concursumque magna
cæde et ambiguo eventu: donec Carrhenen, profligatis

vocat. Ast Gaugamela hoc teste l. 6. p. 399. vicus erat non magnus nec celebris. Unde factum, ut Arbelis potius gloria pugnæ adscriberetur.

Præcipua rel. Herculis] MSS. Flor. Oxon. Guelf. et edd. Puteol. Rivii *Herculi:* quod non spernendum i. e. sed maxime vota suscepit Herculi. Ed. pr. etiam *præcipuæ*. Vulgati sensus: sed maxima religione ibi Hercules colitur. Mox *stato* e Fl. cod. Pichena vett. edd. *statuto*. Illud verum esse, Latinitas docet, estque et in aliis MSS. ap. Broterium. ERN. Bud. *præcipua rel. Herculi.*

Telis onustas] Vatic. *telis omissis onustas.* nec scio quid voce ea faciam. Forte, *telis omnigenis onustas.* LIPS. Sic et ed. pr. Acidalius conjiciebat *missilibus*. Credo, vitiosam et veram scripturam a librario fuisse conjunctam, quod vitiose scriptum delere nollet. nam *omissus* et *onustus* confundi possunt. Ante pro *ubi* MS. Oxon. *ut*, et Guelf. ERN.

Rursus] Cod. Agr. *rursum*. Sed v. 13, 14.

Qua silvas pererraverit] Vulgo, *quas silvas pererraverint*. Florentini lectionem reposuit Pichena. *Pererraverit* ed. pr. MS. Guelf. ERN.

Mox Acbarus Arabum, cum exercitu abscedunt] Pichena conjicit *et Rex Abbarus Arabum c. ex.* et tantum de Arabum exercitu intelligi, cum Izates privatus fuerit, nec copias adduxerit. Hæc non excidissent viro præstantissimo, si Josephum et Zonaram inspexisset; aut animadvertisset c. 12. legendum: *Adiabenos, quorum Rex Izates.* Intelligo tamen, esse in hac narratione, quo aliquis, acutum videns, facile offendatur: eique hoc remedii censeo, ut scribamus: *Ex quis Izates Adiabeno, mox Abbarus Arabum cum exercitu, abscedunt.* Si non dixisset supra c. 12. *Rexque Arabum Abbarus*, admitterem Farnesianum, tanquam Izati nunc eum titulum temperasset apponere, quia c. 13. dederat. Sed, quum superius utrumque Regem appellasset, fatua hic ea mentio in altero. Non minus fatuum *Izates Adiabenus*, tanquam id antea non percepissemus. Nihil commodius quam *Adiabeno*, ut intelligas ex proximo, *cum exercitu*. GRON. Placet Ryckio et mihi. ERN. Emendo sic cum Bip.

Roma petere Reges] Schegkius ad Vellei. 2, 102. e cod. Herbipol. laudat *Romam:* idque probat, et exemplis illustrat. Adde Burm. ad Ovid. Met. 7, 296. Et sic plane exhibent MS. Guelf. ed. princ. Mox cod. Bud. Guelf. et ed. pr. Rhen. Aldi, Gryph. non habent *erat*. ERN.

A. U. 803. A. C. 50.

obversis longius evectum, integer a tergo globus circum-
veniret. Tum omni spe perdita, Meherdates, promissa
Parrhacis, paterni clientis, secutus, dolo ejus vincitur, tra-
diturque victori. Atque ille, *non propinquum, neque Arsacis
de gente, sed alienigenam et Romanum*, increpans, auribus
decisis vivere jubet, ostentui clementiæ suæ, et in nos de-
honestamento. Dein Gotarzes morbo obiit, accitusque in
Regnum Vonones, Medos tum præsidens. Nulla huic pro-
spera aut adversa, quis memoraretur. brevi et inglorio im-
perio perfunctus est; resque Parthorum in filium ejus Vo-
15 logesen translatæ. At Mithridates Bosporanus, amissis
opibus vagus, posteaquam Didium, Ducem Romanum,
roburque exercitus abisse cognoverat, relictos in novo Re-
gno, Cotyn, juventa rudem, et paucas cohortium, cum
Julio Aquila, Equite Romano: spretis utrisque, concire
nationes, inlicere perfugas: postremo, exercitu coacto,
regem Dandaridarum exturbat Imperioque ejus potitur.
Quæ ubi cognita, et jam jamque Bosporum invasurus habe-
batur, diffisi propriis viribus Aquila et Cotys, quia Zorsines,
Siracorum Rex, hostilia resumpserat, externas et ipsi gra-
tias quæsivere, missis legatis ad Eunonen, qui Adorsorum
genti præcellebat. Nec fuit in arduo societas, potentiam
Romanam adversus rebellem Mithridaten ostentantibus.
Igitur pepigere, *equestribus præliis Eunones certaret: obsidia*
16 *urbium Romani capesserent.* Tum composito agmine ince-
dunt: cujus frontem et terga Adorsi, media cohortes et
Bosporani tutabantur, nostris in armis. Sic pulsus hostis,

Medos tum præsidens] Ita e Fl. edidit Pichena: quam constructionem supra vidimus 3, 39. 4, 5. etc. Editi ante Pichenam omnes *Medis*. Ern. Sic et Bud.

Mithridates] Dio Mithridatem quemdam nominat, prolem magni illius; cui Claudius Regnum Bospori largitus sit. 60, 8. Sed is alius debet fuisse ab isto. Lips.

Et jam jamque Bosporum invasurus habebatur] Sic omnes editi, nisi quod ed. pr. *januamque* vitiose pro *jamjamque*, et *invasurum*. Rhenanus dicit se delevisse *et jam*, et pro *habebatur* scripsisse *videbatur*: sed operæ vulgatum dedere; quod non tentandum est. *Invasurus habebatur* pro, erat, dicebatur. Virgil. 12, 134. *tumulus, qui nunc Albanus habetur*. noster infra c. 23. *jure, quo Sicilia haberetur*, i. e. *esset* etc. Mox bene Pichena dedit *diffisi* e lectione cod. Fl. *diffisis*: quod est etiam in ed. pr. Ceteri *diffisus*. Ern. Rhen. *etiam* delevit auctoritate Bud.

Soracorum Rex] Farnes. *Siracusorum*. Vera scriptura, *Siracorum*. Nam et a Strabone in 11. p. 506. Τὰ τῶν Σιράκων φῦλα dicuntur. Populi sunt ad Caucasum. Lips. *Syracusorum* etiam Flor. Guelf. Reg. ed. pr. Puteol. *Syracusarum* Alc. *Soracorum* primus dedit Rhenanus. infra Guelf. ed. pr. *Seracos*. Ryckius recepit *Siracorum*. Initium ejus vocis certe desiderant scripti. Sed scriptura MSS. potest etiam facta esse e *Siracenorum* vel *Seracenorum*. Nam Ptolem. 5, 9. vocat Σηρακηνοὺς, et scriptura Strabonis 11. p. 492. Σιρακούς. Ern.

Adorsorum genti] Straboni, Plinio, Ptolemæo, hi populi dicti *Aorsi*: inter Scythas. Lips. Quod recepit Ryckius. Ern.

Nostris in armis] Aliter exaudio, quam vulgus. id est, nostri in lateribus erant, et ad armos. Nec enim solos Romanos in armis fuisse censendum. sed cum Aorsi in fronte agminis et tergo essent, in medio Bosporani, Ro-

ventumque Sozam, oppidum Dandaricæ, quod desertum a A. U.
Mithridate, ob ambiguos popularium animos obtineri, reli- 803.
cto ibi præsidio, visum. Exin in Siracos pergunt, et A. C. 50.
transgressi amnem Pandam, circumveniunt urbem Uspen, editam loco, et mœnibus ac fossis munitam; nisi quod mœnia, non saxo, sed cratibus et vimentis, ac media humo, adversum inrumpentes invalida erant: eductæque altius turres, facibus atque hastis turbabant obsessos. ac, ni prœlium nox diremisset, cœpta patrataque expugnatio eundem
intra diem foret. Postero misere legatos, *veniam liberis* 17
corporibus orantes: *servitii decem millia* offerebant. quod adspernati sunt victores, quia trucidare deditos sævum, tantam multitudinem custodia cingere arduum: belli potius jure caderent. Datumque militibus, qui scalis evaserant, signum cædis. Excidio Uspensium metus ceteris injectus, nihil tutum ratis, cum arma, munimenta, impediti vel eminentes loci, amnesque et urbes juxta perrumperentur. Igitur Zorsines, diu pensitato, Mithridatisne rebus extremis, an patrio Regno consuleret; postquam prævaluit gentilis utilitas, datis obsidibus, apud effigiem Cæsaris procubuit, magna gloria exercitus Romani, quem incruentum et victorem, tridui itinere abfuisse ab amne Tanai constitit. Sed in regressu dispar fortuna fuit; quia navium quasdam, quæ mari remeabant, in litora Taurorum delatas circumvenere

manos latera tutatos esse. Nisi tamen legendum, *nostris armis*, ut dicat Bosporanos, Romano ritu instructos armatosque: quod malo. LIPS. Posterius verum puto. Mox *Sozam* cod. Fl. ed. pr. Sed ceteri *Soza*. Item *Dandaricæ*, quod se correxisse pro *Dandaridæ* dicit Rhenanus, est in ed. pr. ERN. Romano more instructos cum Lipsio intelligunt Pich. Heins. alii. Favent loca 2, 52. 3, 43. Hirt. B. Al. 34. Nec tamen delenda præpositio, ut recte monent Acid. et Bip. Bud. habet *nostri in armis*, ubi Rhen. supplet *erant*. Porro Bud. *Soza Dandarice*, quod recepit Rhen. sc. terræ. Nec ea re suspecta debebat esse Rhenani fides Ernestio in præf. ed. 2dæ p. XXXII. Haud raro Bud. cum edit. pr. conspirat.

Sed cratibus junctis] Vatic. *cratibus et vimentis*, probo. LIPS. Sic et Flor. Reg. Agr. Ed. pr. transpositis vitiose, ut alibi, literis *jumentis*. Cod. Bud. *cratibus vinctis ac vimentis.* *Junctis*, quod est in ed. Puteol. et Riv. factum e *vinctis*, quod est in Guelf. ut ante *jumentis* e *vimentis*. Vid. ad 11, 31. *Vinctis* autem natum est e glossa. Broterius edidit *cratibus revinctis*, per conjecturam: *vimentis* improbat, quia nuspiam id verbum apud Latinos occurrit. *Media humo* illustrabit Cæsar B. G. 7, 23. ERN. De cod. Bud. sic habeto. Clare adparet, scriptum fuisse per errorem bis *ac vimentis*, dein secundam manum ex priori fecisse *vinctis*. Hinc Rhen. conjectabat *vinctis sarmentis*. Etsi *vimentum* non occurrat apud scriptores, analogiæ tamen non repugnare cum Ryckio arbitror. Ex *media* in Bud. r. m. fecit *modica*, quod et in Flor. superscriptum.

Ut belli potius jure caderent] Hæc verba pendent ab *aspernati sunt*. Acidalius autem malebat transponere post *signum cædis*. Non absurda conjectura. Forte tamen *ut* delendum, quod etiam hic, propter frequentiam τοῦ *u*, ingratum est. *Belli potius jure caderent*, multo fortius et efficacius erit, et ita Tacitus aliis quoque locis. Mox pro *perrump*. vitiose edd. vett. *prorump*. usque ad Rhenanum. ERN. In Bud. tamen est *prorumperentur*; ergo Rhen. ex ingenio.

Apud eff. Cæsaris] Qualis ferebatur in signo militari. Cf. 15, 24. et Suet. Cal. 14.

A. U. 803. A. C. 50.

barbari, præfecto cohortis et plerisque Centurionum inter-
fectis. Interea Mithridates nullo in armis subsidio, con-
sultat, cujus misericordiam experiretur. Frater Cotys,
18 proditor olim, deinde hostis, metuebatur: Romanorum
nemo id auctoritatis aderat, ut promissa ejus magni pende-
rentur. Ad Eunonen convertit, propriis odiis non infen-
sum, et recens conjuncta nobiscum amicitia validum. Igi-
tur cultu vultuque quam maxime ad præsentem fortunam
comparato, regiam ingreditur, genibusque ejus provolutus,
Mithridates, inquit, *terra marique Romanis per tot annos quæ-
situs, sponte adsum. Utere, ut voles, prole magni Achæmenis,*
19 *quod mihi solum hostes non abstulerunt.* At Eunones clari-
tudine viri, mutatione rerum, et prece haud degenere per-
motus, adlevat supplicem, laudatque, *quod gentem Adorso-
rum, quod suam dexteram petendæ veniæ delegerit.* Simul
legatos litterasque ad Cæsarem in hunc modum mittit: *Pop.
Romani Imperatoribus, magnarumque nationum Regibus, pri-
mam ex similitudine fortunæ amicitiam: sibi et Claudio, etiam
communionem victoriæ esse. Bellorum egregios fines, quotiens*

Plerisque Centurionum] A Rhenano est, ex emendatione, ut ait, codicis Bud. Nam mei manuss. itemque editiones antiquæ, *plerisque Consularium;* (ut Guelf.) quidam *consiliarium.* (ut cod. Fl.) Verum puto, *auxiliarium.* Nam præit de Præfecto cohortis. Lips. *Centurionum* verum esse puto. Magnæ semper cladis signum apud historicos, interitus multorum Centurionum. infra c. 28. *Præfectus tamen et octo Centuriones cecidere:* sic alibi. Pichenæ conjectura est *classicorum* vel *classiariorum.* N. Heinsii: *communipulariun;* J. Gronovii *contubernalium.* Mox ed. pr. *id auctoritatis:* item Puteol. et MS. Guelf. pro quo temere Beroaldus et Alciatus *ejus auctor.* restituit verum Rhenanus. Ern. Is recte monet de Bud. nam et in hoc prius erat *Consularium*, ut habent cod. Reg. et Agr. teste Ryckio.

Propriis odiis infensum] Franc. Modius e Rodolphi Agricolæ codice negationem inserit, *non infensum.* Quod approbo. Non enim Eunones a se Mithridatem oderat, sed in gratiam aspectumque Romanorum. Lips. Idem placet Gronovio, vel *nullis:* cujus notam contra Salinerii ineptias omisi. Ceterum malui prius exhibere cum Ryckio, quod est in MS. quam *nullis* cum Freinsh. de mera conjectura, etsi nixa loco Taciti 15, 64. *nullo proprio in Paullinam odio:* J. Gronovius dedit *inoffensum.* Mox Guelf. *maxime* sine *quam.* Ern.

Prece haud degenere permotus] Scripsisse se, uti ante, *permotus*, Rhenanus ait. at ita jam ed. pr. *Promotus* est in ed. Puteol. vitio operarum, ut opinor, quod servat Rivius. Ed. pr. etiam *degeneri.* Mox frustra Rhenanus *quod* deleri volebat. Ern. In Bud. vitiose est *premotus.* Ibi est *quod g. Ad. quod* etc.

Petendæ v. d.] Cod. Agr. inserit *exemplum.*

Etiam communionem victoriæ esse] Sic Flor. Guelf. ed. pr. Puteol. Riv. Ceteræ *ex communione victoriæ*, ad Pichenam usque. Illud Taciti stilo convenientius, ob varietatem constructionis, qua delectatur. Ern. Bud. *communionem.*

Quoties ignoscendo transigatur] Mihi multo potius *transigatur*, in quo intelligo *res, controversia, id quod bello quæritur.* Sic H. 3, 46. *Affuit, ut sæpe alias, fortuna Populi Romani, quæ Mucianum viresque orientis illuc tulit; et quod Cremonæ interim transegimus.* Annon hic quoque verbum absolute ponitur? Numquid autem conventio utriusque partis consensu inita accipienda est? Non secus in Agricola 34. *Transigite cum expeditionibus: imponite quinquaginta annis magnum diem.* Gron. Sic et MS. Guelf. ed. pr. idque restituit Rhenanus (e Bud.) cum *transigantur* dedissent Puteol. Riv. Beroald. Alciatus: idque

ignoscendo transigatur. Sic Zorsini victo nihil ereptum. Pro A. U.
Mithridate, quando gravius mereretur, non potentiam, non Re- 803.
gnum precari! sed ne triumpharetur, neve pœnas capite expen- A. C. 50.
deret. At Claudius, quamquam nobilitatibus externis mitis, 20
dubitavit tamen, accipere captivum pacto salutis, an repetere armis rectius foret. Huc dolor injuriarum, et libido vindictæ adigebat. Sed disserebatur contra: *Suscipi bellum avio itinere, inportuoso mari: ad hoc Reges feroces; vagos populos; solum frugum egens: tum tædium ex mora, pericula ex properantia, modicam victoribus laudem, ac multum infamiæ, si pellerentur. quin adriperet oblata, et servaret exsulem: cui inopi quanto longiorem vitam, tanto plus supplicii fore.* His permotus scripsit Eunoni, *meritum quidem novissima exempla Mithridaten, nec sibi vim ad exequendum deesse: verum ita majoribus placitum, quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum. nam triumphos de populis Regnisque integris adquiri.* Traditus post hæc Mithri- 21
dates, vectusque Romam per Junium Cilonem, Procurato-

frustra defendit Freinsh. Ceterum etiam *bellum transigi* recte dicitur, nec de eo dubitandum erat. Noster Hist. 2, 38. *singulis veluti ictibus transacta sunt bella.* Livius 9, 12. *transigere cum Publilio certamen,* quod tuetur Drakenb. Ern.

Non potentiam, non Regnum] Sic MS. Guelf. quod ut elegantius et stilo Taciti congruum recepi. alii *neque Regnum.* Secutus est Broterius rationem nostram. Ern.

Pœnas capite expenderet] Farnes. *exciperet.* At de more ipso plectendi in carcere triumphatos Duces, suadeo omnino legas Fabrum Semestr. 2, 3. Lips. Cod. Agr. *excip.* unde Ryckii amicus conjiciebat: *exigerent.* Ern. Bud. *expenderet.* Bip. recepere *exciperet.* Sed *expendere pœnas* tritum. Sic Cic. Tusc. 2, 10. *Pœnas fato Jovi expendisse.* Cf. Virg. Æn. 11, 258.

At Claudius] Sic J. Gron. e MS. Flor. Idem est in Guelf. ed. pr. Ceteri libri *atque.* Ern. Bud. *at.*

Hinc dolor injuriarum] Forte *huc dolor.* Lips. Recte. Mox ed. pr. *adjacebat.* Post eadem *ad hoc.* ut Rhen. (e Bud.) dedit. Sic Guelf. Ern. Pich. etiam in marg. *huc.* In Bud. supra *dolor* a r. m. scriptum *libido.*

Vagos Populos] Guelf. corruptissime *pulsos.* Mox melius *periculum.* Ern.

Cui inopi] Flor. Guelf. ed. pr. *quin inopi: Cui* verum est. Ante ed. pr. *pelleretur.* Ern. Heins. *quia.*

Quanta pervicacia in hostem] A Mureto est, qui ingeniose veram lectionem pervidit. nam vulgo erat *quantalibet pertinacia in hoc tentata. Pervicacia* autem in Vatic. scriptum. Lips. Ed. pr. *quanta pervicacia in hoc tentata. Pervicacia* pro constantia in bonam partem non semel est apud nostrum. Ern. Fallitur Lips. quum vulgo *pertinacia* scribi refert. Saltem Beroaldi editio et Rhen. habent *pervicacia.* Bud. propius accedit ad emendationem Mureti: *quanta pervicacia in hoc tempta benef.* quod r. m. porro magis etiam corrupit. De *pervicacia* indicem consule.

Mithridates] Eum putat esse Ryckius, de quo sermo 12, 15. contra mentem Lipsii, qui negat ad h. l.

Junium Colonem] Hic et infra emendo *Cilonem.* Dio auctor 60, 33. faceta narratione inserta super hoc homine. Præfuerat Bithynis, inquit. (nam Bithynia adjuncta, ut opinor, Ponticæ administrationi) et præfuerat nequiter, avare. Questi Bithyni apud Claudium sunt, poposceruntque pœnas. Cum parum intellexisset Claudius in turba strepituque adstantium, quid dixissent Bithyni, alios interrogat. Ibi Narcissus pronus in Cilonem, audaci mendacio edidit, gratias eos agere Ciloni. Tum ille: præsit ergo eis alterum biennium. Dicitur autem Dioni Ἰούνιος Κίλων. et firmat Velius Longus (ap. Putsch. p. 2234.) *Cilones,* ait, *vocantur homines angusti capitis et longi: chilones a brevioribus labiis dicti.* Glossæ: *cilo,* προκέφαλος. Declamator in

A. U. 803. A. C. 50. rem Ponti, ferocius, quam pro fortuna, disseruisse apud Cæsarem ferebatur. Elataque vox ejus in vulgum hisce verbis: *non sum remissus ad te, sed reversus: vel, si non credis, dimitte et quære.* vultu quoque interrito permansit, cum rostra juxta, custodibus circumdatus, visui populo præberetur. Consularia insignia Ciloni, Aquilæ Prætoria decernuntur.

22 Iisdem Consulibus, atrox odii Agrippina ac Lolliæ infensa, quod secum de matrimonio Principis certavisset, molitur crimina et accusatorem, qui objiceret *Chaldæos, Magos, interrogatumque Apollinis Clarii simulacrum, super nuptiis Imperatoris.* Exin Claudius, inaudita rea multa de claritudine ejus apud Senatum præfatus, *sorore L. Volusii genitam, majorem ei patruum Cottam Messallinum esse, Memmio quondam Regulo nuptam: nam de C. Cæsaris nuptiis consulto reticebat:* addidit *perniciosa in Remp. consilia, et materiem sceleri detrahendam. Proin, publicatis bonis, cederet Italia.* Ita quinquagies sestertium, ex opibus inmensis, exsuli relictum. Et Calpurnia inlustris femina pervertitur, quia formam ejus laudaverat Princeps, nulla libidine, sed fortuito sermone. unde vis Agrippinæ citra ultima stetit. In Lolliam mittitur Tribunus, a quo ad mortem adigeretur. Damnatus et lege repetundarum Cadius Rufus, accusanti-
23 bus Bithynis. Galliæ Narbonensi, ob egregiam in Patres reverentiam, datum, *ut Senatoribus ejus provinciæ, non exqui-*

Sallustium c. 6. pro hominibus nequam improbisque accepit: *Quidquid impudicorum, cilonum, parricidarum, sacrilegorum, debitorum in tota urbe fuit.* Vide Festum in *Chilo* et *Cilo.* Lips.

Sorore L. Volusii genitam] De cujus gentis nobilitate Rutilius in Itiner. 169. *Qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen; Et Reges Rutulos, teste Marone refert.* Lips.

Memmio quondam Regulo] Vide Sueton. in Caio 25. itemque Dionem 59, 12. Statim vox *nuptiis* abest Farnes. codici: et illæsa sententia potest. Lips. Cf. 14, 47. Male ed. ant. *Mennio.*

Et materiem sceleri] Ed. pr. *materiem celeriter detrahendam. Materiem* primus Rhen. dedit (e Bud.). Mox Acidalius putat *ita* incongruum, legique vult *at*, vel expungendum. frustra. Sensus est: his dictis Senatus motus decrevit exsilium et publicationem bonorum, sed ut quinquagies relinqueretur e bonis. De divitiis Lolliæ Plinius 9, 58. Ern.

Cadius Rufus] Male ego olim, *Claudius;* male vir doctus, in Re nummaria, *Cordius* restituit. Est ille, de quo H. 1, 77. *Redditus Cadio Rufo, Pedio Blæso, Senatorius locus, qui repetundarum criminibus sub Claudio ac Nerone ceciderant.* Si mutamus, legerem *Tadius.* Lips. Firmant *Cadius* numi ap. Pellerinum in numis urbium t. 3. p. 227. Cod. Reg. *Claudius.* Agr. *Cœlius.* Vir doctus ap. Ryckium *Canius* e Martial. 3, 20. Mox pro *in Patres* ed. pr. in *partes*, solenni etiam in scriptis confusione. Ern. H. 1, 77. cod. Agr. habet *Candius.* inde conjectura de *Canio* firmari posset.

Ut Senatoribus ejus provinciæ] Libera Rep. liberum Senatoribus peregrinari etiam rei privatæ caussa. Id tantum excogitatum, ut legatio libera peteretur a Senatu sumereturque: quo majori abessent cum dignitate. Cicero sæpe. At, lapsa Rep. in servitutem, Senatoribus etiam adempta hæc libertas. Augustus id instituit imperio firmando, et nequis illustriorum commeare ad exercitus aut conciliare milites provincialesve posset. Dio eleganter 52, 42. Προσαπεῖπε πᾶσι τοῖς

sita Principis sententia, jure, quo Sicilia haberetur, res suas A. U.
invisere liceret. Ituræique et Judæi, defunctis Regibus, 803.
Sohemo atque Agrippa, provinciæ Syriæ additi. Salutis A. C.
augurium, quinque et viginti annis omissum, repeti, ac 50.
deinde continuari, placitum. Et pomerium auxit Cæsar,

βουλεύουσι μὴ ἐκδημεῖν ἔξω τῆς Ἰταλίας, ἂν μὴ αὐτός τινι κελεύσῃ, ἢ καὶ ἐπιτρέψῃ. Καὶ τοῦτο καὶ δεῦρο ἀεὶ φυλάσσεται. Quamquam præivisse ad hoc factum Augusto Julius videtur: *qui sanxit, nequis Senatoris filius nisi contubernalis aut comes magistratus peregre proficisceretur,* ait Sueton. 42. Ubi libido mihi legendi, *nequis Senator Senatorisve filius.* Si enim filiis interdictum; major ratio, ut Senatoribus ipsis. In usu autem, ut commeatus peregrinandi a Cæsare ac Senatu peterentur. Sueton. Calig. 29. *Prætorium virum ex secessu Anticyræ . . . propagari sibi commeatum sæpius desiderantem, cum mandasset interimi;* etc. quo loco rejecta vocula scripserim, *Prætor. virum secessu Ant.* Sed Claudius a se solo id peti primus instituit. Sueton. 23. subobscure: *Commeatus a Senatu peti solitos sui beneficii fecit.* cui lucem do ex Dione 60, 25. *Τοῖς δ' οὖν,* inquit, *αἰτουμένοις, ὥστε ἔξω τῆς Ἰταλίας ἀποδημῆσαι, ἐφίει μὲν καὶ καθ' ἑαυτὸν ἄνευ τῆς βουλῆς. Τοῦγε μὴν καὶ νόμῳ τινὶ αὐτῷ δοκεῖν ποιεῖν, δόγμα γενέσθαι ἐκέλευσε.* Vide et l. 22. D. Ad municipalem. Atque in primis Cassiodorum: apud quem expressa formula ipsa dandi hujus per Principem commeatus Variar. 3. epist. 21. Augustus tamen in hoc decreto suo Siciliam exceperat: sicut nunc Claudius Narbonensem, quia utraque provincia vicina et quasi suburbana. Dio 52, 42. *Πλὴν γὰρ ὅτι ἐς τε τὴν Σικελίαν καὶ ἐς τὴν Γαλατίαν τὴν περὶ Νάρβωνα, οὐδαμόσε ἄλλοσε βουλευτῇ ἀποδημῆσαι ἔξεστιν.* Ad hoc Claudianum interdictum respexit Suidas, etsi id paullo aliter effert, in *Κλαύδιος.* Ait: *Νόμον προὔθηκε, μὴ δύνασθαι βουλευτὴν ὑπὲρ ἑπτὰ σημεῖα τῆς πόλεως ὁδεύειν, χωρὶς τῆς τοῦ Βασιλέως κελεύσεως.* LIPS. *Non exquisita Principis sententia* iis modo Senatoribus permissum in Sic. et G. N. proficisci, qui in ea possessiones haberent. Dio l. mox c.

Sohemo atque Agrippa] Quorum ille Arabum Ituræorum, hic Judææ rex. Sohemus autem scribendum, aut certe Soæmus ex Dione: non Sohennius, ut edition. vulgatæ. Dio de Caligula 59, 12. *Ἐν δὲ τούτῳ, Σοαίμῳ τὴν τῶν Ἰτυραίων τῶν Ἀράβων . . . καὶ Πολέμωνι τὴν πατρῴαν ἀρχὴν ψηφισαμένης δὴ τῆς βουλῆς ἐχαρίσατο.* De Agrippa et mutatione secuta vide Josephum 19, 8, 9. qui tamen nihil aperte de contributione Judæorum in Syros. Immo vero etiam nunc ut ante, Præsides suos sive Procuratores habebant: qui adspiciebant quidem Legatum Syriæ, sed non assidue audiebant. Quin et Agrippa junior Rex etiam fuit, patre defuncto. Quomodo igitur *provinciæ Syriæ additi* noviter, cogitandum sit, aut a peritioribus rogitandum. LIPS. Ed. pr. *Sohema,* vitiose in terminatione. ERN.

Salutis augurium] Quod e tenebris primus eruit Politianus, quem licet legas Miscell. cap. 13. Dionem 37, 24. 51, 20. Festum in voce *Maximus Prætor.* Sed numerus in Tacito satin' verus? delibero. Nam suprema mentio capti hujus Augurii apud Dionem 51, 20. est a. u. 725. cum et Janus item ab Augusto clusus. atqui ab eo die ad hunc 802. u. a. non 25. uti hic scriptum, sed 77. intersunt anni. Ut ergo verus justusque hic numerus sit, a Tiberio repetitum id augurium necesse est Cornelio Cethego, Visellio Varrone coss. a. u. 777. LIPS. Adde interpr. ad Sueton. Aug. c. 31. Cic. de Div. I, 47. *Augurium* autem pro omine dicitur; de quo vid. Burm. ad Suet. Aug. 95. ERN.

Pomerium urbis] Idque lapis etiam nunc testatur Claudiani ævi, Romæ (ap. Grut. p. 196.) TI. CLAVDIVS. DRVSI F. CAISAR. AVG. GERMANICVS. PONT. MAX. TRIB. POT. VIIII. IMP. XVI. COSS. IIII. CENSOR. P. P. AVCTIS. POPVLI. ROMANI. FINIBVS. POMERIVM. AMPLIAℲIT. TERMINAℲITQ. Auxit, post Britanniam Romano imperio adjectam. LIPS. Apud Gruterum est etiam altera inscr. p. 1078, 10. pertinens ad pomerium ab Augusto prolatum: C. MARCIVS. L. F. L. N. CENSORINVS. ET. C. ASINIVS. C. F. GALLVS. COS. EX. S. C. FIN. POMER. TERMIN. In MS. Guelf. non est *urbis:* et, quoniam in inscriptionibus allatis et aliis auctorum Latinorum locis pomerium simpliciter dicitur, ut ap. Cic. N. D. 2, 4. Liv. 1, 44. et c. 24. nostrum, id verbum et hic sustuli. ERN. In posteriori Grut. loco omissa vox POMER. Sed v. Pigh. Ann. ad a. u. 745.

A. U. 803. A. C. 50. more prisco; quo iis, qui protulere Imperium, etiam terminos urbis propagare datur. Nec tamen Duces Romani, quamquam magnis nationibus subactis, usurpaverant, nisi
24 L. Sulla et D. Augustus. Regum in eo ambitio vel gloria, varie vulgata. Sed initium condendi, et, quod pomerium Romulus posuerit, noscere, haud absurdum reor. Igitur a foro boario, ubi æreum tauri simulacrum adspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi cœptus, ut magnam Herculis aram amplecteretur. Inde certis spatiis interjecti lapides, per ima montis Palatini ad aram Consi, mox ad curias veteres, tum ad sacellum Larium: forumque Romanum et capitolium non a Romulo, sed a T. Tatio additum urbi credidere. Mox pro fortuna pomerium auctum. Et, quos tum Claudius terminos posuerit, facile cognitu et publicis actis perscriptum.
25 C. Antistio M. Suilio coss. adoptio in Domitium, aucto-

In lapidibus scribi solet *pomerium*. Sic et Græci. Alias *pomœrium*, quasi post mœros s. muros. Liv. 1, 44. *Urbis* est in Bud.

L. Sulla et D. Augustus] Non defendo te, Corneli: erras. Etiam C. Cæsar auxit interjectus inter eos duos. Agellius auctor 13, 14. Dio 43, 50. *Ταῦτά τε ἐποίει, καὶ νόμους εἰσέφερε, τό, τε πωμήριον ἐπὶ πλεῖον ἐπεξήγαγε.* Apud eumdem Antonius in laudatione Cæsaris funebri 44, 49. Ὁ *καὶ τὸ πωμήριον αὐτῆς (τῆς πόλεως) ἐπαυξήσας.* Cicero ad Attic. 13, 20. *De urbe augenda quid sit promulgatum, non intellexi. id sane scire velim.* Juvat tamen aliquid nostrum, quod Suetonius, exactæ in tabulis diligentiæ, nihil hujus in Julio commemorat: et fortean concepta a Julio res, perfecta demum ab Augusto. Nam ille nugator apud Senecam de Brev. vit. 14. ridiculus, qui *Sullam ultimum Romanorum protulisse pomerium tradidit: quod numquam provinciali sed Italico agro acquisito mos proferre apud antiquos fuit.* Vide, quæ huc faciunt, apud Vopiscum in Aureliano 21. Lips.

Regum in eo ambitio] Consule Onufrium in urbe Roma. Lips.

Interjecti lapides] Sunt *cippi pomerii*, quos Varro vocat L. L. 4, 32. columellæ positæ pomerii designandi caussa. Ern.

Mox ad curias veteres] Ita manuss. et recte, Varro de L. L. l. c. *Curiæ duorum generum. Nam et ubi curarent Sacerdotes res Divinas, ut curiæ veteres; et ubi Senatus humanas, ut curia Hostilia.* Festus: *Novæ curiæ ad compitum Fabricium ædificatæ, quod parum amplæ veteres a Romulo factæ.* Plautus Curc. 4, 1, 19. *Sub veteribus ibi sunt qui dant, quique accipiunt fœnore.* Liv. 44, 16. *Ædes P. Africani pone veteres ad Vortumni signum laneasque* (scribe, *lanienasque*) *et tabernas conjunctas in publicum emit.* Ovidius easdem intelligit Fastor. 3, 139. *Janua tunc Regis posita viret arbore Phœbi: Ante tuas fit idem, curia prisca, fores.* Lips. Loca Plauti et Livii ad veteres tabernas pertinent, non ad curias veteres. Ern.

Ad sacellum Larium] MSS. Flor. Guelf. Agr. *larum*: idque exprimere voluerunt operæ ed. pr. quæ habet *larem*. Ejus scripturæ multa e libris scriptis exempla vide ap. Oudend. ad Suet. Domit. 17. intelliguntur autem *Lares publici*: Porro Ryckius interpungit post *forum Romanum*. Sic et alii voluere, ut quatuor anguli Romæ ab initio quadratæ explerentur. Sed etiam Dionys. 2, 50. forum numerat in partibus Tacito demum recepto additis, sed ab ipso et Romulo communiter, ut videtur. Si placet post *for. R.* interpungi, legam deinde *at Capit.* Ern.

Publ. actis perscriptum] Sic MSS. Flor. Guelf. Reg. Agric. Ed. pr. J. Gron. Ryck. Ceteri *præscriptum*, vitiose. Verba illa in scriptis et editis olim sæpe permutari notum est. Guelf. addit etiam *est*. Ern. Bud. a l. m. *perscriptum*.

Adoptio in Domitium] Agnosce ergo, lector, et tolle librarii errorem (non enim ipsius Suetonii, puto) Neronis c.

ritate Pallantis, festinatur. qui obstrictus Agrippinæ, ut A. U.
conciliator nuptiarum, et mox stupro ejus inligatus, stimu- 804.
labat Claudium, *consuleret Reipublicæ: Britannici pueritiam* A. C. 51.
*robore circumdaret. Sic apud D. Augustum, quamquam ne-
potibus subnixum, viguisse privignos: a Tiberio super propriam
stirpem Germanicum adsumptum. Se quoque accingeret ju-
vene, partem curarum capessituro.* His evictus, biennio ma-
jorem natu Domitium filio anteponit, habita apud Sena-
tum oratione in eundem, quem a liberto acceperat, modum.
Adnotabant periti, nullam antehac adoptionem inter patri-
cios Claudios reperiri, eosque ab Atto Clauso continuos du-
ravisse. Ceterum actæ Principi grates, quæsitiore in Do- 26
mitium adulatione: rogataque lex, qua *in familiam Clau-*

7. *Undecimo ætatis anno a Claudio adoptatus est, Annæoque Senecæ jam tunc Senatori in disciplinam traditus.* Adoptatus Nero XI. ætatis anno? Falsum, vel te judice et indice, Suetoni. Nam idem scribis XVII. anno ad Imperium eum pervenisse, quod et Tacitus et Dio adstruunt. Atqui ab hoc die ad imperium anni intersunt non quinque. *Duodecimo*, ergo in Suetonio scribendum: si ratio quidem constatura est. Lips. Ed. pr. *Optio.* item MS. Guelf. qui et infra, h. c. habet *orationem* pro *adoptionem.* Paulo post ed. pr. *pueritiam robur circumdaret.* Ern.

Se—accingeret juvene] Ed. pr. *accingeret: juvenem p. c. capessiturum.* Ern.

Biennio majorem natu] Freinsh. corrigit *triennio* ex 13, 6. 15. ubi eodem fere tempore Neroni XVII. Britannico XIV. anni tribuuntur. Ryckius autem natalibus utriusque comparatis e Suet. Ner. 6. et Claud. 27. quatuor annis majorem Neronem facit. Dodwellus denique Præl. Camden. 5, 6. *quinquennio* corrigendum censet: primam vocis partem notis numeralibus scriptam fuisse: e V. factum II. quem lapsum librariorum frequentem esse in libris scriptis: quod etiam pluribus locis ad Livium notavit Drakenb. Si Tacitum sibi constare velimus, Freinshemius hic potius audiendus erit. Mox Guelf. *habita ante ad Senatum.* Mox *eundem* videtur indicare, in nulla parte immutatam a Claudio orationem: alias esse debebat *eum.* Ern. *Triennio* probant Bip. item Brot. Tres annos et duo menses inter Neronis et Britannici natales intercessisse, notat etiam Eckhel in D. NN. vet. vol. 6. p. 260.

Nullam antehac adoptionem] Atqui Tiberius Germanicum adoptavit, uti notum. Excusabunt id curiosi, quod Tiberius jam e Claudiis migrarat in gentem Juliam. Lips.

Atta Clauso] Secuti sumus spectatæ fidei codicem Vat. qui disertim habet *Atto Cluso.* superius tamen aliena manu I. addito, ut fieret *Attio.* Ut mirer, Jurisconsultum Vertranium scribere duos Vat. *Accio Clauso,* referre. Sed ille quidem nobis imposuit: ego si fallo, tum mihi quivis oculos *Istos, suppositis eruito manibus.* Facit a Vatic. in eadem bibliotheca vetus Sueton. qui initio libri tertii, *Atta Claudio* refert. Et quidni probabile, cum Clausus recens e Sabinis esset, prænomen eum habuisse terminatione Sabinum? Emendandus ita, me judice, Livius 2, 16. *Atta Clausus, cui postea Appio Claudio Romæ nomen fuit.* 10, 8. *Principem nobilitatis vestræ, seu Attam Clausum, seu Ap. Claudium vultis.* De Clauso, manifeste post Virgilium Silius 17, 33. *Hic, prisca ducens Clausorum ab origine nomen, Claudia.* Et Ovidius in Fastis 4, 305. *Claudio Quincta genus Clauso referebat ab alto.* Lips. *Atto* Flor. cod. quod verum est. Vide supra ad 4, 9. Edd. pr. Rhen. Ald. etc. *Appio.* Puteol. Beroald. Alc. *Actio.* Ern.

Quæsitiore in Domitium adulatione] Pichena bene sic e cod. Fl. ubi est *quæstiore.* Ed. pr. *quæstore,* ut Guelf. quod ex eodem ortum. A Puteol. ad Pichenam editum erat *exquisitiore.* Tacitus sæpe simplici illo utitur, ut vel index docet. Ern.

Rogata lex] Curiata apud Potifices. Vid. Hist. 1, 15. Mox tentor legere *fortuna mœrore:* sed vulgatum etiam, quamquam durius, ferri potest. Ern.

A. U. *diam et nomen Neronis transiret.* augetur et Agrippina co-
804. gnomento *Augustæ.* Quibus patratis, nemo adeo expers
A. C. 51. misericordiæ fuit, quem non Britannici fortunæ mœror adficeret. desolatus paullatim etiam servilibus ministeriis, intempestiva novercæ officia in ludibria vertebat, intelligens falsi. neque enim segnem ei fuisse indolem ferunt: sive verum, seu periculis commendatus, retinuit famam sine experimento.
27 Sed Agrippina, quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci inpetrat; cui nomen inditum ex vocabulo ipsius. Ac forte acciderat, ut eam gentem, Rheno transgressam, avus Agrippa in fidem acciperet. Iisdem temporibus in superiore Germania trepidatum adventu Cattorum, latrocinia agitantium. Inde L. Pompo-

Desolatus paullatim] Ita capio. Britannicus spoliatus exutusque paullatim non solum honestiore comitatu, sed etiam servulis; cum Agrippina eos, quasi ad alia officia operasque, avocaret. Desolatus, μονωθεὶς, solus relictus: uti 1, 30. *Nonanus opperiendas Tiberii epistolas clamitaverat; mox desolatus aliorum discessione, imminentem necessitatem sponte prævertit.* Lips. Add. Gronov. Obs. 4, 21. Ern.

Intempestiva novercæ officia] Sic correxi ex ed. pr. deleta præpositione *per*, quam ceteri libri omnes habent. Viri docti frustra quærunt sensum commodum *per int. n. o.* referentes ad *desolatus.* Tum sequentia nullum sic commdum sensum habent. at deleto *per*, omnia bene procedunt. Noverca volebat officiosa videri; sed id faciebat inepte. Itaque Britannicus, intelligens fraudem, ridebat inepta officia. Nihil clarius esse potest. Mox *falsi* etiam est in Guelf. et ed. pr. sequentes usque ad Rhenanum *falli se.* Post a Guelf. abest *ei* post *segnem:* quod placeret, nisi scirem, atque alibi exemplis positis monuissem, Tacitum id pronominis, etiam præter necessitatem et elegantiam, ponere solere. Ern. Bud. *per i. n. off.* ubi Rhen. putabat τὸ *verto* absolute poni. frustra. delenda præpositio. Dein *falsi* Rhen. e Bud.

Sive verum; seu periculis] Desistite medici: nullum hic vulnus. Sive, inquit, revera non segnis illi indoles fuit: sive pericula, et ex periculis favor, hanc ei famam circumdederunt. Alternans hic sermo per Tacito familiaris. 3, 31. *Longam et continuam absentiam paullatim meditans, sive ut amoto patre Drusus munia Consulatus solus obiret.* 2, 22. *De se nihil addidit metu invidiæ, an ratus conscientiam factis satis esse.* Et exempla obvia. Lips. Recte. Livius 1, 4. *seu ita rata, seu quia Deus auctor culpæ honestior.* ed. pr. bis habet *sive.* Mox *retinuit* est pro *obtinuit.* *Commendatus* sc. favori hominum, favorabilior factus. Ern. Bud. *sive v. sive p.*

Deduci impetrat] Sic Guelf. ed. pr. Puteol. ceteræque. In Lipsianas *imperat* vitio operarum irrepsisse puto: unde Freinshemio nota nata. Ern.

Ex vocabulo ipsius] Parum ἀναλόγως ergo vulgo Colonia Agrippina dicitur, etsi ita passim in Æthico et Itinerario Antonini: melius Agrippinensis aut Agrippinensium. Etiam Claudia agnominata, fide lapidis, quem totum adscribamus ad gratiam celeberrimæ urbis (ap. Grut. p. 436.) M. MARIO. M. F. STEL. TITIO. RVFINO. COS. LEG. LEG. I. MINER. P. F. CVR. COL. CLAVD. AVG. AGRIPPINENSIVM. PROCOS. PROV. SICILIAE. CVR. AMITERNOR. PRAET. TR. PL. Q. PROV. MACEDON. SEVIR. TVRMAR. EQ. ROM. TRIB. LATICL. LEG. I. ADIV. P. F. IIII. VIRO. STLITIBVS. IVDIC. Quo jure deducta colonia fuerit, Paullus lib. 2. De censibus D. 50. 15. *In Germania inferiore Agrippinenses juris Italici sunt.* Lips.

Avus Agrippa] Quod factum credo Agrippa et L. Gallo Coss. a. u. 717. ex Dione 48. 49. Lips.

Adventu Cattorum] Muret. *Caucorum.* Ed. pr. *Canthorum,* et mox c. 28. *Canthi.* Nempe tum scribebant Catthi, ut est in ed. Put. hinc *Canthi* effecti. MS. Guelf. *Cactorum:* at post *Cathi.* Ern.

Deinde L. Pomponius Legatus] Parum cohæret narratio. Cui rei enim

nius, Legatus, auxiliares Vangionas ac Nemetas, addito equite alario, monuit, *ut anteirent populatores, vel dilapsis improvisi circumfunderentur.* Et secuta consilium Ducis industria militum, divisique in duo agmina, qui lævum iter petiverant, recens reversos, prædaque per luxum usos et somno graves, circumvenere. Aucta lætitia, quod quosdam e clade Variana quadragesimum post annum servitio exemerant. A. U. 804. A. C. 51.

28 At, qui dextris et propioribus compendiis ierant, obvio hosti, et aciem auso, plus cladis faciunt; et præda famaque onusti, ad montem Taunum revertuntur, ubi Pomponius cum legionibus opperiebatur, si Catti, cupidine ulciscendi, casum pugnæ præberent. Illi metu, ne hinc Romanus, inde Cherusci, cum quis æternum discordant, circumgrederentur, legatos in urbem et obsides misere; decretusque Pomponio triumphalis honos, modica pars famæ ejus apud posteros, in quis carminum gloria præcellit.

29 Per idem tempus Vannius, Suevis a Druso Cæsare impositus, pellitur regno: prima imperii ætate clarus acceptusque popularibus; mox, diuturnitate in superbiam mu-

illud *deinde?* Vereor, ut exciderint ea, quæ de Sulpicii Galbæ et P. Gabinii expeditione adversum Cattos Marsosque Dio narravit 60, 8. Quamquam ea gesta annis aliquot ante. Lips. Acidalius succurrebat corrigendo *proinde.* Sed videtur hic lacuna esse. In ed. pr. punctum est post *deinde.* Non moveret me, cum valde vitiosa et absurda sæpe sit in hoc libro interpunctio: sed hic non de nihilo esse videtur, non modo rei caussa, sed etiam quia idem punctum in editione Puteolani Riviique expressum est, item in Guelf. MS. Mox eadem ed. pr. *Vangionas,* ut MS. Flor. ed. Puteol. Alciati, J. Gron. Primus mutavit Rhenanus in *Vangiones,* sive operæ. Ern. Punctum post *deinde* in ed. Puteol. parum juvat, nam et istam particulam punctum præcedit. Lampugn. e cod. Mir. dare se profitebatur *proinde,* quam plumbaturam parum firmam vocat Lipsius. Verum sic sæpe Cic. ut Catil. 2, 5. Verr. 5, 71. Sall. Jug. 49. Plin. ep. 7, 1. Hillero Rac. 36. placet *inde* eodem sensu, i. e. quam ob rem. Hoc verum puto. Bud. *Vangionas.* De Pomponio v. 5, 8. 11, 13. de Orat. 13.

Addito equite alario monuit] Codex Bud. Guelf. habet, *monitos:* unde opinatur Rhenanus scribendum: *addit, equite alario monito.* sane et ed. pr. *monito.* Vulgatum est a Puteolano. Vix aliquid certi dici posse arbitror, propter suspicionem lacunæ. Sed monitum Pomponii non modo ad equites pertinuisse, sed etiam pedites, patet e sequentibus. Mox *dilapsis* Guelf. ed. pr. Puteol. Riv. Ber. Alc. ut e cod. Flor. dedit Pichena. *Delapsis* est a Rhenani editione. Mox Guelf. *militis.* Singularis etiam alibi pro plurali restitutus in hac voce. Ern. Bud. *dilapsis,* et mox *militum.*

Quadragesimum post annum] Justa supputatio. Clades illa enim accepta a. 763. Lips. *Quadr. post* ed. pr. et sequentes usque ad Rhenanum, qui (e Bud.) *post* præposuit. Restituit in locum e cod. Fl. Pichena. Post *Taunum* se correxisse pro *Taurum* dicit Rhen. At sic jam ed. pr. *Taurum* fluxit a Puteolano: sed est et in scriptis, velut Guelf. de Tauno monte dictum est ad 1, 56. Ern. Bud. *Taunum.*

Suevis a Druso] Non genti toti Suevorum, sed iis, qui Maroboduum et Catualdam Reges comitati erant; *qui a Druso, ne quietas provincias immixti turbarent, Danubium ultra inter flumina Marum et Cusum locati sunt, dato Rege Vannio gentis Quadorum,* ait noster 2, 63. Vannii Regnum in parte describit Plinius 4, 25. *Campos et plana Jazyges Sarmatæ, montes vero et saltus pulsi ab his Daci ad Pathissum amnem, a Moro* (nescio an corrig. *Maro*) *sive is Duria est, a Suevis Regnoque Vanniano dirimens eos.* Lips.

Mox diuturnitatem] Lego *diuturnitate.* *Mutans,* pro mutatus, quod ap-

A. U. 804. A. C. 51. tans, et odio accolarum, simul domesticis discordiis circumventus. Auctores fuere Vibillius, Hermundurorum Rex, et Vangio ac Sido, sorore Vannii geniti. Nec Claudius, quamquam sæpe oratus, arma certantibus barbaris interposuit, *tutum* Vannio *perfugium* promittens, *si pelleretur:* scripsitque P. Atellio Histro, qui Pannoniam præsidebat, *legionem, ipsaque e provincia lecta auxilia, pro ripa componeret, subsidio victis, et terrorem adversus victores, ne, fortuna elati, nostram quoque pacem turbarent.* nam vis innumera Lygii, aliæque gentes adventabant, fama ditis Regni, quod Vannius 30 per annos prædationibus et vectigalibus auxerat. Ipsi manus propria pedites, eques e Sarmatis Jazygibus erat, inpar multitudini hostium: eoque castellis sese defensare, bellumque ducere statuerat. Sed Jazyges, obsidionis inpatientes, et proximos per campos vagi, necessitudinem pugnæ adtulere, quia Lygius Hermundurusque illic ingruerant. Igitur degressus castellis Vannius, funditur prœlio: quamquam rebus adversis, laudatus, *quod et pugnam manu capessiit, et corpore adverso vulnera excepit.* Ceterum ad classem, in Danubio opperientem, perfugit. Secuti mox clientes, et, acceptis agris, in Pannonia locati sunt. Regnum Van-

paret ex MSS. Varro: *In priore verbo graves prosodiæ quæ fuerunt, manent: reliquæ mutant.* Lips. Sic cod. Fl. ed. pr. *Diuturnitatem* est a Puteolano. Mox ed. pr. *Vibillius:* quod se in vett. libris reperisse jam Muretus notavit, et ita e cod. Flor. et Agr. edidit Ryckius, probante J. Gronovio: quem nos sequimur. Add. 2, 63. *Jubillius* quomodo e *Vibillius* factum, intellige e nota ult. ad c. 16. Sic ed. pr. hoc ipso capite *jus* pro *vis.* Ern. Bip. suadent leg. *mutatus.*

Sido] Ille ipse, qui postea in partibus Vespasiani. H. 3, 5. *Trahuntur in partes Sido atque Italicus, Reges Suevorum.* Lips.

P. Attilio Histro] Vatic. et Flor. *Atellio.* In veteri inscriptione reperio hominem: quæ sic habet fide Aldi (ap. Grut. p. 443.) SEX. PALPELIO. P. F. VEL. HISTRO. LEG. TI. CLAVDI. CAESARIS. AVG. PRO. COS. PR. TR. PL. X. VIR. STL. IVDIC. TR. MIL. LEG. XIV. GERMANICAE. COMITI. TI. CAESARIS. AVG. DATO. SVB. DIVO. AVG. Quæ si ad illum referenda, quod ego censeo, legend. hic *Scripsitque Palpelio.* Lips. *Attellio histro* etiam cod. Agr. ed. pr. Guelf. *Attilio hystro* est a Puteol. *Palpelio* placet Ryckio. Ern.

Pannoniæ præsidebat] Quidam scripti, *Pannoniam:* nec raro ita noster. 4, 5. *Galliæ litus rostratæ naves præsidebant.* Iterumque: *Litora oceani præsidebat.* Lips. Sic Fl. MS. unde restituit Pichena. De forma hac loquendi jam alibi monitum. Ern. V. ad c. 14.

Terrori adv.] Ed. pr. *terrorem:* quod verum puto. Tacitus amat variare constructionem: et studium intempestivum conformandi sequentia præcedentibus sæpe obfuit Tacito, ut aliquot jam locis vidimus. Vid. v. c. supra c. 19. extr. His scriptis inspicio notam J. Gronovii. Ecce sic MS. Fl. Igitur recepi. Contra Guelf. *tempore.* Ern. Sic et Bud.

Triginta per annos] Legitima ratio esset 33. *per annos.* Lips.

Illic ingruerant] Sic MSS. Fl. Guelf. edd. pr. Put. Ber. Alc. Mutatum a Rhen. (e Bud.) in *ingruebant.* restituit Pichena. Item post *capessiit:* nisi quod Put. Riv. Ber. Alc. *capessuit* pro *capessivit.* Frustra Rhen. dedit *capessit:* quod est in Guelf. Pichena illud restituit. Ern.

Degressus castellis] Haud dubitanter ita rescripsi pro vulgato *digressus.* sic 4, 49. pro *tumulis non digrediebantur* recte repositum *degrediebantur.* Add. ibid. c. 74. Ern.

Secuti m. clientes et a. a.] *et* videtur tollendum. Ern.

gio ac Sido inter se partivere, egregia adversus nos fide: A. U. subjectis, suone an servitii ingenio, dum adipiscerentur 804. dominationes, multa caritate, et majore odio, postquam A. C. 51. adepti sunt.

At in Britannia P. Ostorium, pro Prætore, turbidæ res 31 excepere, effusis in agrum sociorum hostibus, eo violentius, quod novum Ducem, exercitu ignoto, et cœpta hieme, iturum obviam non rebantur. Ille gnarus, primis eventibus metum aut fiduciam gigni, citas cohortes rapit: et, cæsis qui restiterant, disjectos consectatus, ne rursus conglobarentur, infensaque et infida pax non Duci, non militi, requiem permitteret, detrahere arma suspectis, cunctosque

Egregia adversus nos fide] Ita Vatic. Livius 5, 35. *Quamquam adversus Rom. nulla eis amicitia.* Noster 3, 29. *Et privignis cum vitrico levior necessitudo, quam avo adversus nepotem.* At vulgo *apud nos fide* legeris, non Latine. LIPS. *Adversus* etiam MS. Flor. ed. pr. Paullo ante idem MS. Guelf. et ed. Puteol. *partivere,* ceteri *partiti sunt* ad Pichenam usque. Illud verum, ductumque e Sallust. Jug. 43. putat Ryckius, unde etiam Servius ad Æn. 1, 198. *partiverant* laudat. Sed ibi recte Cortius rescripsit *paraverunt.* Sæpe active *partire* dixit Plautus. Paullo post arbitror legendum *dominationis* ut 6, 45. *dum dominationis apisceretur.* Sed sic jam vir doctus apud Ryckium. ERN. Item Heins. Ast Pich. volebat *dominationem.*

Suorum an s. i.] Cod. Agr. præmittit *incertum,* quod est manifestum glossema.

P. Ostorium Proprætorem] Flor. *proprætore:* quod J. Gron. recte recepit, valde huic formæ favens. Ceteri omnes sc. (it. Bud.) et edd. *proprætorem:* præter Guelf. qui et ipse *proprætore* exhibet. Hic quidem recipi nil vetat. ERN. Sic et Bip.

Cæsis qui restiterant] Sic Latinitas postulat. Vulgati omnes (et Bud.) vitiose *restiterunt:* quod nullo modo ferendum ultra. Ferri etiam posset *resisterent.* Adde ad c. 32. ubi Acidalius ne *cœptabant* quidem in tali constructione probabat; quod tamen facilius ferri potest. ERN.

Cinctosque castris Antonam] Aciem omnem habui ad hunc locum, nec quidquam pervidi. Libri vett. *cunctisque castris.* Forte: *detrahere arma suspectis, cinctisque: castris Antonam ad Sabrinam* (Ptolemæo est *Sabriana*) *fluvium cohibere parat.* Sive, ut Agricola legebat, *junctisque castris.* Antona sane civitas videtur, manetque hodie Northamptona: quasi dicas septemtrionalis Hammonis civitas. Nam *ton* priscis Britannis semper civitas. Olim divinavi, *cinctosque castris, Antona et Sabrina fluviis,* eo sensu, ut hostem vagum et metuentem pugnæ partim castris, partim fluminibus cingeret, et ab effusa populatione arceret. Sed ludimus aleam, in loco fortasse non pleno. LIPS. MS. Fl. *cunctaque castris,* ed. pr. *cunctasque castris:* et mox *Sabnam.* Ceteri ut est in textu. Pichena conjiciebat *cunctosque ultra A. et S.* sensu probabili. *Submovere* alias de hac re dicitur ap. Suetonium. Camdenus (in Brit. p. 375.) *Antonam* pro *Aufona* irrepsisse putabat, qui est fluvius hodie dictus *Avon,* cum *Sabrina* transversam insulam secans ita, ut boreales partes petenti necessario alteruter sit transeundus: idque placebat etiam Cellario G. A. t. 1. p. 323. et Broterio. *Cunctosque* verum esse puto, ex lege disjunctionis: suspectis detraxit arma, omnes submovere et coercere fluminibus castellisque volebat. Si *ultra* durior correctio videtur, possis etiam sic legere: *castris Aufona et Sabrina fluviis cohibere parat:* h. e. submovere ultra flumina illa, et dispositis idoneo loco castris coercere, ne transire fluvios et turbare provinciam et socios possent. ERN. *Cinctos* Camdenus refert ad *hostes, castris ad Aufonas* majorem scil. et minorem, quorum alter ad ortum, alter ad occasum vergit, *et Sabrinam fl.* cohibendos. Hillerus mavult *cinctos* referri ad *fluvios,* quos *castris* circumdatos Dux Rom. clauserit, ne agmen infensum illos trajicere posset. Eodem sensu Ryckii amicus præferebat *junctos.* Mihi placet Pichenæ *cunctos* et cum Bip. insero *ad,* sic omnia plana. Bahrdt

A. U. castris ad Auvonam et Sabrinam fluvios cohibere parat.
804. Quod primi Iceni abnuere, valida gens, nec prœliis contusi,
A. C. 51. quia societatem nostram volentes accesserant. hisque auctoribus circumjectæ nationes locum pugnæ delegere, septum agresti aggere, et aditu angusto, ne pervius equiti foret. Ea munimenta Dux Romanus, quamquam sine robore legionum sociales copias ducebat, perrumpere adgreditur, et distributis cohortibus turmas quoque peditum ad munia accingit. Tunc, dato signo, perfringunt aggerem suisque claustris inpeditos turbant. Atque illi conscientia rebellionis, et obseptis effugiis, multa et clara facinora fecere. Qua pugna filius Legati, M. Ostorius, servati civis decus
32 meruit. Ceterum clade Icenorum compositi, qui bellum inter et pacem dubitabant: et ductus inde in Cangos exercitus. Vastati agri, prædæ passim actæ; non ausis aciem hostibus, vel, si ex occulto carpere agmen tentarent, punito dolo. Jamque ventum haud procul mari, quod Hiberniam insulam adspectat; cum ortæ apud Brigantas discordiæ retraxere Ducem, destinationis certum, ne nova moliretur, nisi prioribus firmatis. Et Brigantes quidem, paucis, qui arma cœptarant, interfectis, in reliquos data venia, resedere: Silurum gens, non atrocitate, non clementia mutabatur,

in vers. Germ. sequitur Ernesti conjecturam: *castris Aufona et Sabrina fluviis c. p.*

Prœliis concussa] Farn. *contusi.* Lips. Sic et Flor. ed. pr. Ceteræ edd. ad Pichenam usque *concussa*. *Contundere* verbum elegans pro frangere, debilitare, quo usus et Sallust. Jug. 43. *nostræ opes contusæ, hostiumque auctæ erant.* ubi similiter codd. quidam *concussæ*. Vid. ibi Cort. Ern.

Turmas quoque peditum] Ego scio, numquam turmas peditum dici; quod tamen libri omnes præ se ferunt. Possit legi, *turmas, quodque peditum.* Addo, Pichenam distinctione expedire, *Turmas quoque, peditum ad munia accingit.* Id est, turmas equitum (qui immunes) jubet peditum officia fungi. Lips. Frustra addidisset *quodque peditum*, cum cohortes jam nominasset. Verum vidit Pichena. *Peditum* pendet a *munia*. Equites non uno loco apud Livium equis descendere, et munia peditum præstare jubentur. Mox pro *qua* Guelf. *contra*. Ern.

Ductus in Cangos exercitus] Promontorium Καγγανῶν etiam Ptolemæus 2, 3. in Britannia agnoscit. sed, qui fuerint proprie hi populi, certant. Ego hoc scio, vicinos Icenis fuisse, et cum iis restituendos Cæsari 5, 21. Corrupte enim ibi legas, *Cenimagni, Segontiaci, Bibroci, missis legationibus, sese Cæsari dediderunt.* Nam Cenimagni nusquam lecti inter Britanniæ gentes. Divido, et scribo: *Iceni, Cangi.* Capio judicem te, Guilielme Camdene, qui Britanniæ tuæ nebulas claro ingenii sole nuper illustrasti. Lips. MSS. Fl. Vat. Guelf. ed. pr. *inde Cangos:* unde Pichena conjiciebat *inde in C.* quod verum puto. Etiam aliis locis librarii *inde* pro *inde in*, et *in* pro *inde in* dedere. V. Burm. ad Sueton. Cæs. 35. et ad Vesp. 5. Mox *jamque*, quod e Fl. dedit Pichena, habet etiam Guelf. ed. pr. idemque mox *Brigantas.* Vid. supra ad c. 27. Sic c. 34. *Siluras.* Ern. Ap. Cæs. Camdenus legit *Iceni, Regni.* Davies. nil mutat.

Qui arma cœptabant] Forte *cœptarant*, Acidalius. Favet ed. pr. *cœperant*, quod est aut pro *ceperant*, aut *cœptarant.* hoc malim. Infra quoque idem liber *excœpissent.* Adde ad c. 31. Ern.

Silurum gens] Ita correxit (ex ingenio) Rhenanus. Superiores edd. *Sylurarum.* ed. pr. *Dilurum.* sed dein recte *Siluras:* nisi quod c. 38. *Siluas.* quod omnes libri habent 14, 29. Ern. Bud. *Siluarum.*

quin bellum exerceret, castrisque legionum premenda foret. A. U.
Id quo promptius veniret, Colonia Camulodunum, valida 804.
veteranorum manu, deducitur in agros captivos, subsidium A. C.
adversus rebelles, et inbuendis sociis ad officia legum. 51.
33 Itum inde in Siluras, super propriam ferociam, Caractaci viribus confisos: quem multa ambigua, multa prospera extulerant, ut ceteros Britannorum Imperatores præmineret. Sed tum astu, tum locorum fraude prior, vi militum inferior, transfert bellum in Ordovicas, additisque, qui pacem nostram

Colonia Camalodunum] Quod oppidum antea Regum in eo tractu sedes. Dio 60, 21. Καμουλόδουνον τὸ τοῦ Κυνοβελλίνου Βασίλειον appellat. At Camalodunum lapidi prisco insculptum, eccisti (ap. Grut. p. 439.) CENSITOR. CIVIVM. ROMANORVM. COLONIAE. VICTRICENSIS. QVAE. EST. IN. BRITANNIA. CAMALODVNI. Duplex autem eo nomine oppidum, alterum in Brigantibus, alterum in Trinobantibus, colliges ex Ptolemæo l. c. Plinioque 2, 77. Nescio, an nomen illis a peculiari aliquo et indigena Deo: cujus fortean mentio in hoc lapide (ap. Grut. p. 56.) CAMVLO. SANC. FORTISS. SAC. TI. CLAVDIVS. TI. F. QVIR. TERTIVS. MIL. COH. VII. PR. 7. VERI. L. D. D. D. *Camulus indigena Deus*, idem qui Mars. LIPS. Codd. Flor. Agr. Oxon. Guelf. edd. vett. omnes *Camulodunum*: quod verum est, ut etiam scriptura Græca docet. Sic etiam Itiner. Anton. Sed inscr. a Lipsio allata, et numus antiquus *Camalod.* quod defendunt Camdenus p. 322. et Cellarius. Hic quidem, quid libri desiderent rescribi, quæritur. ERN. Urbs ista in Trinobantibus *Cambodunum* est, non *Camalodunum*.

Imbuendis sociis ad officia legum] Veteranos eo deductos ait, a quibus et illi, qui essent in armis, repellerentur, et, qui in ditione, legibus et imperiis Romanis adsuefierent, sub fascibus vivere addiscerent. GRON.

Caractaci viribus] Dio 60, 20. Καταράκατον nominat, alii *Catacratum*: Zonaras *Caratacum*. *Caradocum* vocasse videntur Britanni. Certe etiam hodie locus est, et in eo parietinæ arcis, quem *Caer Caradoc* vocant: id est oppidum sive arcem Caradoci. LIPS. Ed. pr. *Caratacum* semper, h. l. etiam Guelf. ERN. Ex numo thes. Brit. cum epigraphe CARIC Haymius t. 1. p. 145. hunc Regem *Carictacum* nominandum præcipit. Verum non certum esse, istum numum Britanniæ deberi, nec hic quicquam mutandum, censet Eckhel in Doctr. NN. vet. vol. 1. p. 80.

Sed astu, tum] Amplector Flor. scripturam. *Sed tum astu, locorum fraude prior*: ut sit sensus, astu translatum ab eo bellum, quia fraude ex locorum peritia prior esset. Monuit Pichena. LIPS. Cod. Agr. *Sed tamen astu, locorumque fraude prior.* et sic editio prim. nisi quod τὸ *que* abest. Jac. Gronovius e cod. Flor. conjiciebat, Tacitum scripsisse: *Sed tum astu, loco, tum fraude prior.* quod si cui placet, feram. Ego lectionem cod. Fl. præferam huic conjecturæ. Sed tamen locum non satis sanum puto. Quantum e sequentibus colligere licet, tantum loco callide delecto valebat Caractacus: nullius alius astus mentio. Itaque suspicor, e vestigiis scripturæ, *sed tamen astu*, legendum, *sed ea tempestate, locorum f. p.* Sæpe Tacitus *ea tempestate* 1, 3. 3, 6. etc. In Guelf. est *tum astu, tum loco f.* ERN. Pro *astu* Bip. conjectant leg. *iste*, vel istud glossema putant. Mihi cum Hill. Rac. 8. cod. Guelf. veram lectionem servare videtur, alterum *tum* a præcedente *astu* absorptum est in aliis.

Ordovicas] Ita correxit (ex ingenio) Rhenanus. Ed. pr. *Ordolicas*, Puteol. Alc. (et cod. Bud.) *Ordolucas*. MS. Guelf. *prælium in Ordolucas*: cujus confusionis plura post exempla reperiet lector. Britanniæ populus est. ERN.

Pacem nostram] Libri aliquot editionum veterum, *pacem in iram.* Ego legerim, *pacem an iram nostram.* Duplex scilicet stimulus capiendi arma in Romanos: sive quod pacem et servitutem multi timerent, sive quod extrema ab iratis. LIPS. Freinsh. *parem injuriam*: alii aliter. Frustra moliuntur. *Pax* eleganter interdum est idem quod imperium. Seneca de Clem. 1, 1. *Hæc tot millia gladiorum, quæ pax mea comprimit.* Cap. 4. *Hic casus Romanæ pacis exitium erit: hic tanti*

A. U. 804. A. C. 51. metuebant, novissimum casum experitur; sumpto ad prœlium loco, ut aditus, abscessus cuncta nobis inportuna, et suis in melius essent. Tunc montibus arduis, et, si qua clementer accedi poterant, in modum valli saxa præstruit: et præfluebat amnis vado incerto, catervæque meliorum pro

34 munimentis constiterant. Ad hoc gentium Ductores circumire, hortari, firmare animos, minuendo metu, accendenda spe, aliisque belli incitamentis. Enimvero Caractacus huc illuc volitans, *illum diem, illam aciem, testabatur, aut reciperandæ libertatis, aut servitutis æternæ initium fore.* vocabatque nomina *majorum, qui Dictatorem Cæsarem pepulissent: quorum virtute vacui a securibus et tributis, intemerata conjugum et liberorum corpora retinerent.* Hæc atque talia dicenti, adstrepere vulgus; gentili quisque religione obstringi, *non telis, non vulneribus*

35 *cessuros.* Obstupefecit ea alacritas Ducem Romanum: simul objectus amnis, additum vallum, imminentia juga, nihil nisi atrox et propugnatoribus frequens, terrebat. Sed miles prœlium poscere, *cuncta virtute expugnabilia,* clamitare. Præfectique ac Tribuni paria disserentes, ardorem exercitus

fortunam populi in ruinas aget. Sed et c. 8. *tibi in tua pace armato vivendum est.* In Regno vel Imperio tuo, quod pace contines, ubi aliis pacem præstas. De Provid. 4. *Omnes considera gentes, in quibus Romana pax desinit.* Plinius 27, 1. *Immensa Romanæ pacis majestate non homines modo diversis inter se terris gentibusque, verum etiam montes et excedentia in nubes juga partusque eorum et herbas quoque invicem ostentante.* Arrianus in Epict. 3, 22. Ἂν τίς σε δαίρῃ, κραύγαζε τὰς ἐν τῷ μέσῳ, ὦ Καῖσαρ, ἐν τῇ σῇ εἰρήνῃ οἷα πάσχω. Ergo *pacem nostram metuunt,* qui detrectant Imperium nostrum: qui verentur, ne et ipsi veniant in ditionem nostram. Sic quoque supra Tacitus 29. *terrori adversus victores, ne fortuna elati nostram quoque pacem turbarent.* hoc est, in fines nostros facerent incursiones: nos quoque adorirentur. Gron. *Pacem in iram* est in ed. pr. Ceteræ inde a Puteol. omnes *pacem nostram.* recte. Sic *pacari* Romanis scriptoribus dicuntur, quæ sub Imperium Romanum rediguntur armis. Ern.

Saxa præstruit] Sic ed. pr. et MS. Oxon. At Puteol. et sequentes omnes usque ad Pichenam *saxis.* male: cum præcedat *montibus arduis.* Ern.

Catervaque majorum] Lego *catervæque nationum.* Solitum ita Britannis Gallisque struere aciem per nationes, ut discreta virtus eluceret. Lips. Placet Pichenæ, quia sequitur *ductores gentium.* Sed hi pertinent ad reliquum exercitum: et tantum pars copiarum pro munimentis stabat, non *catervæ nationum.* Nec sequar Ryckium, qui e cod. Agr. rescripsit *caterva majore,* nec Barthium, qui Adv. 45, 3. *Moniorum* vel *Maniorum.* quæ gens insulam *Moniam* vel *Maniam* habitavit, corrigi volebat. Nihil melius vidi, quam quod Freinsh. voluit: *catervaque armatorum,* s. *catervæ,* ut in Agric. c. 37. quod optime consentit iis, quæ dicuntur c. 35. init. ubi *propugnatores* dicuntur. Ern. Sequor Bip. qui e 13, 56. 16, 5. H. 2, 82. Sall. Jug. 13. ostendunt, *meliores* sæpe notare fortiores.

Pro munimentis] Ante munimenta, ut 2, 80. Cf. 3, 20. Sed alibi instar munimentorum. sic 14, 37. 12, 14.

Aut servitutis æternæ] Nescio, an elegantius veriusque *aut servitutis æternæ fore,* voce deleta. Lips. *Initium* deleri vult et Acidal. qui provocat ad 3, 20. et Germ. 6.

Quisque religione] Guelf. (Bud.) et ed. pr. *religioni quisque.* it. Puteol. Alc. Rhen. Ald. Gryph. Lips. Bene *religione,* cum sequentibus, i. e. suæ quisque gentis more jurat. nam *religio* est religiosa adseveratio. Sic et correxerat docta manus in Gryphiana. Ern.

Ardorem incendebant] Vett. edd. omnes *intendebant,* ut volebat N. Hein-

incendebant. Tum Ostorius, circumspectis, quæ inpenetrabilia, quæque pervia, ducit infensos, amnemque haud difficulter evadit. Ubi ventum ad aggerem, dum missilibus certabatur, plus vulnerum in nos, et pleræque cædes oriebantur. Posteaquam, facta testudine, rudes et informes saxorum compages distractæ, parque cominus acies; decedere barbari in juga montium. Sed eo quoque inrupere ferentarius gravisque miles: illi telis adsultantes, hi conserto gradu: turbatis contra Britannorum ordinibus, apud quos nulla loricarum galearumve tegmina, et, si auxiliaribus resisterent, gladiis ac pilis legionariorum; si huc verterent, spathis et hastis auxiliarium sternebantur. Clara ea victoria fuit, captaque uxore et filia Caractaci, fratres quoque in deditionem accepti. Ipse (ut ferme intuta sunt adversa) 36 cum fidem Cartismanduæ, Reginæ Brigantum, petivisset, vinctus ac victoribus traditus est, nono post anno, quam bellum in Britannia cœptum. Unde fama ejus evecta insulas et proximas provincias pervagata, per Italiam quoque

A. U. 804. A. C. 51.

sius, et est in MS. Reg. ap. Ryckium, et Guelf. (it. Bud. a 1. m.) *Intendere* pro augere, sæpe dici apud nostrum, scio: sed, an satis commode jungatur *ardori*, dubito. Itaque *incendebant* secutus sum, quod tacite receptum est, nescio an e MS. In Agr. cod. esse colligo, quia Ryckius nihil notavit, cum de regio moneret. Et sic correctum est in Gryphiana. ERN.

Decedere barbari in] Acidalius malebat *recedere*. alius ap. Ryckium *secedere*. Neutrum placet. Vulgatum defendi potest, intellectu *prœlio* vel *munimentis*. *Decedere prœlio* dici, pluribus exemplis docet Dukerus ad Liv. 34, 47. *Decedere præsidio, vallo* dici posse, nemo dubitat. Decedebant prœlio et munimentis, ut in montes evaderent. ERN. l. c. Dukerus potius docet, *decedere* prœlio rarius dici quam *excedere*.

Conferto gradu] Freinsh. volebat *conserto* e 6, 35. ubi *conserta acies*. et sic est in MSS. ap. Broterium. Sed *conferto gradu* nihil est, quam *conferto agmine* ap. Liv. 22, 28. quod recte defendit Drakenb. etsi libri quidam *conserto*. Adde ad 6, 35. ERN. Cæsar quoque B. G. 1, 24. *confertissima acies*. Plin. 18, 7. *confertis taleis*, sed ad *gradum* aptius quadrat *conserere*.

Spathis et hastis auxiliarium] Observa diversa arma inter legionarios auxiliaresque: illis gladios et pila; his spathas et hastas tribuit. Spathas autem, *gladios majores* interpretatur Vegetius 2, 15. LIPS. Mirum est barbarum vocari verbum *spathæ* a Lupano, quod Græcum et ipsius Menandri est in Μισουμ. 2. Gron. Cf. Pollux 10, 31.

Cartismanduæ] Ed. pr. *Cartimandam* vocat, nisi quod h. l. *Cartimandus* scriptum. Ed. Puteol. h. l. *Cartimanduam* vocat, post semper *Cartimandam*, et sic omnes vett. variant. Sed Hist. 3, 45. constanter *Cartismandua*. Puteol. *Carthimandua*, et sic ceteri vett. ERN.

Nono post anno] Atqui bellum cœpit Claudio tertium, L. Vitellio secundum coss. ut Dio clare tradidit 60, 19. nec inde ad hunc diem plus annos septem numeraveris, ut suspicio jure numeralis mendi sit. Pugnant etiam hæc cum iis, quæ H. l. c. scribuntur: *Carthismandua*, inquit, *Brigantibus imperitabat, pollens nobilitate; et auxerat potentia, postquam, capto per dolum Rege Caractaco, instruxisse triumphum Claudii Cæsaris videbatur.* Nam triumphus Claudii aliquot annis anterior: nec in eo hercle ductus iste Caractacus. Ut nihil dici possit, quin Tacitum in Historiis aut memoria fefellerit, aut provexerit color quidam scriptionis. LIPS. Ryckius putat, initium supputationis ducendum a bello intestino, quod Romanos in Britanniam traxerit. ERN.

Provincias pervagata] MS. Guelf. *civitates* in textu, sed *provincias* in margine. Mox idem *ruebantque visere*. vulgatum verum esse, series narrationis satis indicat. ERN.

A. U. celebrabatur : avebantque visere, quis ille tot per annos opes
804. nostras sprevisset. Ne Romæ quidem ignobile Caractaci
A. C. 51. nomen erat : et Cæsar, dum suum decus extollit, addidit
gloriam victo. Vocatus quippe, ut ad insigne spectaculum, populus. Stetere in armis Prætoriæ cohortes, campo, qui castra præjacet. Tum, incedentibus regiis clientelis, phaleræ torquesque ; quæque externis bellis quæsierat, traducta : mox fratres, et conjunx et filia : postremo ipse ostentatus. Ceterorum preces degeneres fuere, ex metu : at non Caractacus, aut vultu demisso, aut verbis, misericordiam
37 requirens. Ubi tribunali adstitit, in hunc modum locutus est : *Si, quanta nobilitas et fortuna mihi fuit, tanta rerum prosperarum moderatio fuisset, amicus potius in hanc urbem, quam captus, venissem : neque dedignatus esses claris majoribus ortum, pluribus gentibus imperitantem, fœdere pacis accipere. Præsens sors mea, ut mihi informis, sic tibi magnifica est. habui equos, viros, arma, opes. quid mirum, si hæc invitus amisi? Non, si vos omnibus imperitare vultis, sequitur, ut omnes servi-*

Castra præjacet] Vatic. *castris*. Et statim lego *regiis clientelis*. Lips. *Castris* etiam ed. pr. Reliquæ a Puteolano inde omnes *castra*. Post rescripsi *tum* pro *tunc* : quod alienissimum esse omnes vident, et aliis quoque locis pro *tum* scribitur. *tunc* est eo tempore ; *tum*, post, quo facto. Secutus est Broterius. Mox ante Lipsium omnes *clientulis*, estque sic in MSS. *Clientuli* occurrunt infra in Dial. de Or. c. 36. Neque ego spreverim. Per contemtum, ut de Reguli barbari clientibus, dici putem. Denique an non durum, *incedere* de clientelis dici? Pro *traducta* ed. pr. *tradita*. Ern.

Ex metu : at non] Locus prava distinctione laborabat in omnibus edd. præter ed. pr. quæ habet punctum post *requirens*, ubi in ceteris est comma. Atque etiam post *ex metu* colon esse debebat, non punctum. Nisi vero τὸ *non* est alieno loco : *At Caractacus non vultu demisso aut verbis m. requirens, ubi* etc. quod sane melius puto, placetque Broterio. Denique, si *ex metu* abesset, nemo desideraret. Nam *degeneres pr.* sunt meticulosæ. Si genuinum est, *degeneres pr.* sunt humiles nimis. Ern.

Pluribus gentibus imperitantem] Ita e Flor. edidit Pichena : nescio an recte, cum mox iterum *imperitare* recurrat. Sed hoc leve. Ed. pr. Lips. *imperantem*. Ceteræ veteres omnes *imperitans*, vitiose e Puteolano pro *imperitantem*. Id unde ortum sit, lectio Guelf. indicabit : *non dedignatus essem* (passive) *cl. m. ortus, p. g. imperitans federe pacem accipere*. Ern. Plane sic Bud. a 1. m. unde r. m. fecit *imperitans*.

Nam, si vos, omnibus imperitare] Falso vero hoc et inepte dicitur. Idne consequens, ut, qui velit, quod velit possit? Ego me Britannis Regem esse volo : illi accipiant? Emendo priorem voculam, et *num* lego : atque ita sententiam interrogatione inspiro. Ego, inquit, vobis me opposui. quid mirum? An quia vos omnibus imperare vultis, omnes statim imperari etiam velint? non hercules animosi nos et liberi. Lips. Sic editum ab illo tempore, usque ad Ryckium, qui edidit *non si*, e MS. Agr. et conjectura Mureti, Grotii : quod est sane elegans, et generoso Caractaci animo aptum. Constantiam enim quandam et firmitatem animi indicat : quamquam, etiam in simplici argumentatione adhibetur, ut patet e Cicer. Top. c. 3. *Non, si uxori vir legavit omne argentum, quod suum est, idcirco, quæ in nominibus fuerunt, legata sunt*, quem locum attulit Ryckius. Noster 14, 48. *Non, quicquid nocens reus pati mereretur, id statuendum.* Constantiæ servit in loco noto Suetonii Aug. 97. et Terentii Eun. 1. 1, 4. *Non, si me obsecret.* Recepit Broterius. Ego quia *num* scripturæ vulgatæ *nam* similius, hoc secutus sum. Sed tamen et supra *num* et *non* confundi vidimus. Ern. Citatis adde H. 3, 20. *Non, si pateant portæ.* Acid. etiam *num*, et magis *non*, probat.

tutem accipiant? Si statim deditus traderer; neque mea fortuna, neque tua gloria inclaruisset, et supplicium mei oblivio sequeretur: at, si incolumem servaveris, æternum exemplar clementiæ ero. Ad ea Cæsar veniam ipsique et conjugi et fratribus tribuit. Atque illi, vinclis exsoluti, Agrippinam quoque, haud procul alio suggestu conspicuam, iisdem, quibus Principem, laudibus gratibusque venerati sunt. novum sane et moribus veterum insolitum, feminam signis Romanis præsidere: ipsa semet parti a majoribus suis Imperii sociam ferebat. A. U. 804. A. C. 51.

38 Vocati posthac Patres, multa et magnifica super captivitate Caractaci disseruere: *neque minus id clarum, quam cum Siphacem P. Scipio, Persen L. Paullus, et si qui alii vinctos Reges Populo Rom. ostendere.* Censentur *Ostorio triumphi insignia;* prosperis ad id rebus ejus, mox ambiguis: sive, quod, amoto Caractaco, quasi debellatum foret, minus intenta apud nos militia fuit; sive hostes, miseratione tanti Regis, acrius ad ultionem exarsere. Præfectum castrorum et legionarias cohortes, exstruendis apud Siluras præsidiis relictas, circumfundunt. Ac, ni cito e vicis et castellis proximis subventum foret, copiæ tum occidione occubuis-

Oblivio sequeretur] Lego *sequetur*, et distinctione sententiam expedio: *Et supplicium mei, oblivio sequetur: at si incolumem*, etc. Lips. Sic jam ante Rhenanus. Ego recipere in textum non dubitavi propter evidentiam, haud paullo majorem, quam ante in *clientelis:* quod tam constanter ab omnibus e Lipsii conjectura, ut alia, editur. Secutus me est Broterius. Ern. *Supplicium* Salinerio hic est supplicatio, ut 3, 64. male. *Sequetur* Rhen. ex ingenio; nam *sequeretur* in Bud. et hoc aptius.

Vinclis exsoluti] Cod. Flor. et Bud. *absoluti*. Sic Beroald.

Laudibus gratibusque] Edd. vett. *gratiisque*. quod nunc editur MS. Bodl. habet. Ern.

Signis R. præsidere] i. e. inter signa militaria loco edito, tribunali, Imperatoris modo, sedere. V. dicta ad Sueton. Tib. 6. Mox *posthac* vett. edd. omnes, de quo supra satis dictum. Ern. ad 3, 4.

Vinctos Reges] Sic e Flor. restituit Pichena. At ita dudum ed. pr. idem exhibet MS. Guelf. et alii ap. Broterium. Intermediæ omnes *victos*. Paullo post MS. Reg. ed. pr. *sive quod hostes*. Ern.

Ac, ni cito vicis] Editione prisca, et quibusdam scriptis: *cito nuntiis*. Suspicor, *ni citis nuntiis e castellis*. nisi placet, *ni cito municipiis et castellis*. Malim etiam mox: *promptissimus quisque e manipulis cecidere*. Et, *cohortes expeditas opposuit*. Lips. Intelligit ed. pr. sed sic etiam edd. Puteol. Riv. MSS. Flor. Guelf. Muretus conjiciebat *ac ni cito e vicis etc.* Sed Gronov. Obs. 2, 20. vulgatum defendit: ceterum sententiam non expedit. Nam profecto non subventum vicis et castellis, sed Præfecto castrorum et cohortibus, in struendis novis præsidiis occupatis, munientibus. Itaque non displicet mihi Mureti conjectura, quæ et aliis placuit: nisi præpositio omissa est consulto. ut in nominibus urbium. *Vici* intelliguntur, in quibus præsidia militaria essent. V. Gronov. ad Agricol. c. 41. *Castella vicique* sæpe junguntur ut ap. Liv. 9, 38. ubi pariter turbant librarii in *vicique*. Neque tamen Lipsii conjecturas spreverim, præsertim priorem. Ern. Bud. quoque *nuntiis et*. Rhen. tamen *vicis et*. Mureti conjecturam suam faciunt Faern. Acid. Heins. Ingeniose Bip. emendant *nuntiasset et*. Sed vel sic puto leg. *e castellis*.

Occidione occ.] Vitiose vett. edd. *copiarum obsidione occubuissent*. Rhen. primus ex ingenio dedit *copiæ tum occidione occubuissent*. Muretus eleganter corrigit præterea *occidissent*, quod etiam adscripserat vir doctus in marg. Gryphianæ. Est propria Latinorum formula, *occidione occidere*, ut ap. Liv. 2,

A. U. 804. A. C. 51. sent. Præfectus tamen et octo Centuriones, ac promptissimus quisque manipularis cecidere. nec multo post pabulantis nostros missasque ad subsidium turmas profligant.

39 Tum Ostorius cohortes expeditas opposuit: nec ideo fugam sistebat, ni legiones prœlium excepissent. earum robore æquata pugna, dein nobis pro meliore fuit. Effugere hostes, tenui damno, quia inclinabat dies. Crebra hinc prœlia, et sæpius in modum latrocinii per saltus, per paludes, ut cuique sors, aut virtus; temere, proviso: ob iram, ob prædam: jussu, et aliquando ignaris Ducibus. Ac præcipua Silurum pervicacia, quos accendebat vulgata Imperatoris Rom. vox: *ut quondam Sugambri excisi et in Gallias trajecti forent, ita Silurum nomen penitus exstinguendum.* Igitur duas auxiliares cohortes, avaritia Præfectorum incautius populantes, intercepere. spoliaque et captivos largiendo, ceteras quoque nationes ad defectionem trahebant: cum, tædio curarum fessus, Ostorius concessit vita; lætis hostibus, tamquam Ducem haud spernendum, et si non prœ-

51. ubi etiam libri quidam *obsidione.* v. Drakenb. Ern. Ap. Lact. D. I. 5, 6. *occisione deleverat*, ubi alii *occidione.*

Quisque manipulus] Verius, *e manipulis.* Lips. Pichena *manipularis.* Lipsianum prætulerim, ob consuetudinem Taciti. H. 1, 57. *promtissimi e legatis.* Sed tamen frequentissime genitivum jungit, unde forte malit quis *manipularium.* Ern. Præfero *manipularis*, ut 1, 20. 21. et 15, 12. ubi v. not. Bip. Sunt autem *manipulares* primores militum s. principes quos nominat Veget. item principales 2, 7.

Pabulantis nostros missasque] Hanc esse veram lectionem putamus, quæ totidem literis est in ed. Puteolani, unde non dubitavimus restituere: secutusque est nos Broterius. Codd. Flor. Guelf. *pabulantis nos ipsos missasque:* ed. pr. *pabulatum nosipsos missasque*, unde volebat J. Gronovius *hos ipsos.* Atqui proxime de interfectis præcesserat. E *nostros* factum est *nosipsos.* Beroaldus et Alc. dedere *pabulantis nostros missasque.* Quæ nunc obtinet lectio *pabulantis nostros, ipsasque missas* primum reperitur in ed. Rhen. 1533. unde duxere Aldus, Gryphius, ceteri. Itaque suspicor in nota Rhenani esse vitium operarum, dicit enim se scripsisse *pabulantes nostros ipsos.* Ern. In Rhen. ed. 1544. plane eadem diversitas in textu et nota.

Cohortes expeditas exposuit] Cur *exposuit?* An in navibus fuerant? Legitimum verbum erat *submisit.* Tolerabilius erat *expromsit.* Ern. Bip. *opposuit*, cum Lipsio. rectius.

Pro meliore fuit effugere] Sensus; post existimatum est, nos superiores fuisse, a nostra parte melius pugnatum esse. De usu hoc præpositionis *pro* v. Cort. ad Sall. Jug. 22. Sed mox videtur legendum: *et fugere.* Rationem enim videtur reddere velle, cur, cum æquo Marte discesserint, tamen postea se victores crediderint. In tali re noster copula *et* utitur. Fugere sane hostes, inquit, sed tamen tenui damno etc. Ern.

Provisa] Verius, *provisu.* Lips. MS. Flor. *proviso*, quod recepit recte Pichena. Ern. Et secuti recentiores.

Ac præcipua] Rectius conjunctionem abfuturam putat Freinsh. Si quid mutandum, malim *At*, quod hic aptissimum fore, facile omnes sentient. Ern.

Sicambri exciti] Ferretus in notis hic *exciti:* et Ursinus pro correctione Faerni laudat *excisi.* At in omnibus editis meis *excisi* reperi. Et posset *exciti* defendi. Nam Sugambri proprie non deleti, sed suis sedibus exciti in Galliam traducti sunt: estque id fere proprium in ea re verbum. Sed gens excisa dici potest, cum mota sedibus suis aliis immiscetur, ut nomen proprium habere desinat. Et sic h. l. capiendum. Ern. Flor. *excisi.* Sic et Bud.

Et in G. tr. f.] Ursin. cum Faerno *aut in G. tr. f.*

lium, at certe bellum, absumpsisset. At Cæsar, cognita A. U.
morte Legati, ne provincia sine rectore foret, A. Didium 804.
suffecit. Is propere vectus, non tamen integras res invenit, A. C. 51.
adversa interim legionis pugna, cui Manlius Valens præe- 40
rat. auctaque et apud hostes ejus rei fama, quo venientem Ducem exterrerent, atque illo augente audita, ut major laus compositis, vel, si duravissent, venia justior tribueretur. Silures id quoque damnum intulerant; lateque persultabant, donec adcursu Didii pellerentur. Sed, post captum Caractacum, præcipuus scientia rei militaris Venutius, e Brigantum civitate, ut supra memoravi, fidusque diu et Romanis armis defensus, cum Cartismanduam reginam matrimonio teneret: mox orto discidio, et statim bello, etiam adversus nos hostilia induerat. Sed primo tantum inter ipsos certabatur, callidisque Cartismandua artibus fratrem ac propinquos Venutii intercepit. Inde accensi hostes, stimulante ignominia, ne feminæ imperio subderentur, valida et lecta armis juventus Regnum ejus invadunt. quod nobis prævisum: et missæ auxilio cohortes acre prœlium fecere; cujus, initio ambiguo, finis lætior fuit. Neque dispari eventu pugnatum a legione, cui Cæsius Nasica præerat. Nam Didius, senectute gravis, et multa copia honorum, per ministros agere, et arcere hostem, satis habebat. Hæc, quamquam a duobus, Ostorio Didioque, Proprætoribus, plures

Atque illo augente audita] J. F. Gron. conjecit: *atque ille augere audita*, non probante filio. Ex ratione oppositionis debebat esse *ipso augente*. Et hostes augebant, et Dux ipse res auctas perscripserat Romam. Ern.

Ut major laus compositi] Judicavi deesse olim aliquid. male. Scribe tantum, *compositis*, et sententia liquida erit. Lips. Id postea recte receptum: quamquam obloquitur J. Gron. Quorsum enim referetur commode *duravissent*, si ante singularis est? Ern. Flor. *compositi*, quod præfert Lallem.

Jugantum civitate] Legit. *Brigantum* Rodolphus. et sane ex H. 3, 45. ita apparet. Nam quod hic ait, supra se rettulisse, non lego id quidem in his libris. Lips. Ed. pr. *Evigantum*. an id factum e *Brigantum?* Sed e reliqua illius libri ratione colligo, operas dare voluisse aut debuisse e *Jugantum*, quod omnes ceteri habent et MS. Guelf. Vid. ad c. 16. Vett. edd. et MSS. mox *Venutius* omnes. Quis primus *Venusius* dederit, nescio. Sed sic libri H. l. c. Ern. Omnino leg. *Brigantum*, quod et recepere Bip. e c. 32. et H. l. c. *Jugantes* ignorant Geographi. Camdenus p. 558. conjectabat, forsan Cantianos (vulgo *the Gaint*) intelligendos, ipse tamen potius *Brigantum* reponendum censet. Bud. *evigantum*. idem *Venutius*.

Mox orto dissidio] *Discidio* et hic scribendum censeo. Gron. Sic MSS. Flor. Agr. ed. pr. *dissidio* est a Puteolano invectum. Ern. Cf. 2, 86.

Ne feminæ imperio subderentur] Vereor, Tacite, ut mens tibi præsens. In tuis moribus, non in Britannorum fuisti, cum hæc scripsisti. Numquid illis ignominiosum subdi feminæ? Te igitur audi. *Solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare.* Quod clare testatur Boadicæa tua 14, 35. Lips.

Ostorio Didioque] Nomina hæc a glossa quadam adjecta putat Freinsh. Mox τὸ *nunc* abest a cod. Flor. et deleri volebat J. Gron. Cum in omnibus editis esse dicit, fallitur. Non habet Puteolani ed. et Rivii. abest et a MS. Guelf. Itaque delevi. Vulgo: *nunc ad tempp. ordinem redeo.* Ern. Abest et a Bud.

A. U. per annos gesta, conjunxi, ne divisa, haud perinde ad me-
805. moriam sui valerent. Ad temporum ordinem redeo.
A. C. Ti. Claudio quintum, Ser. Cornelio Orfito coss. virilis
52.
41

Ser. Corn. Orfito] Hujus consulatus, collega Claudio, notatur etiam inscriptione ap. Fabrettum p. 473. ubi ei idem, quod h. l. nomen tribuitur. Male quidam vocant *Sergium*, alii etiam *Scipionem*, ut in Fastis Panvinii et Almeloveenii etc. Nomen *Scipionis* ductum putant e Dione. Sed bene docet Fabrettus in Descript. lacus Fucini memb. 2. indicem Consulum libri 60. Dionis a Leunclavio consarcinatum utcunque e Xiphilino. Ern.

Virilis toga Neroni maturata] Bene, maturata. Non enim ex ritu Populi Rom. debebatur ante expletum annum XIV. At ipse ineunte cepit. Tertull. De anima 38. *Jura civilia abhinc* (id est a XIV. anno) *agendis rebus attemperant*. Idem de virginib. veland. 11. *Ethnici feminas quidem a* XII. *annis, masculos vero a duobus amplius ad negotia mittunt*. Nec alius sententiæ illud Cornelii infra 13, 15. *Turbatus his Nero, et propinquo jam die, quo quartumdecimum ætatis annum Britannicus explebat*. Nota, quod ait, explebat: quia tunc referendus in viros, et ideo ab eo metus. Vetus Horatii interpres indicatum id voluit, dum scribit, *Nobiles pueros prætexta veste sub disciplina usque ad annum decimumquintum usos*. scilicet, quia tunc toga eam mutabant virili. Hoc verum est. nec velim pendere ultra viros doctos in tirocinii legitimo die. Nam, quod Augustus aliique serius ceperint togam, ab alia quavis caussa fuit, non a lege, aut more. Lips. De Augusto fefellerunt Lipsium verba Suetonii c. 8. vulgo corrupta: *Decimum annum agens aviam Juliam defunctam pro concione laudavit, quadriennio post virili toga sumpta*. Sed sic jubent ex Nic. Damasceno Florida in Exc. ap. Constant. Porph. p. 474. Ὅτι Καῖσαρ, περὶ ἐννέα ἔτη μάλιστα γεγονὼς, θαῦμά τε οὐ μικρὸν παρέσχε Ῥωμαίοις, φύσεως ἀκρότητα δηλώσας ἐν τοιᾷδε ἡλικίᾳ, καὶ, ὅπου τοῖς ἀνδράσι πολὺς ἐγγίνεται θόρυβος, ἐν πολλῷ ὁμίλῳ δημηγορήσας. Nempe ἀποθανούσης αὐτῷ τῆς τιτθῆς. Mox: Κατέβαινε δὲ εἰς τὴν ἀγορὰν περὶ ἔτη μάλιστα γεγονὼς τεσσαρεσκαίδεκα, ὥστε ἀποθέσθαι μὲν αὐτὸν ἤδη τὴν περιπόρφυρον ἐσθῆτα, ἀναλαβεῖν δὲ τὴν καθαρὰν, σύμβολον οὖσαν τῆς εἰς ἄνδρας ἐγγραφῆς. Atque ita penes utrumque scribendum recte judicavit Henr. Valesius ad h. l. Neque aliter legas suadeo apud Quintil. 12, 6. *Cæsar Augustus, decem natus annos aviam pro rostris laudavit*. Etsi vulgo ibi quoque *duodecim*. Corrigenda et Vita Virgilii: *Initia ætatis Cremonæ egit usque ad virilem togam, quam* XVII. *anno natali suo accepit, iisdem illis Consulibus, quibus erat natus*. Repone: *quam quintodecimo natali suo accepit*. Nam Consules illi, Cn. Pompeius Magnus M. Licinius Crassus, fuerunt primum a. U. C. 683. Iterum 698. Capitolinus Marco 4. *Virilem togam sumpsit quinto decimo ætatis anno*. Aug. Buchnerus cum ad Plinii Epist. 2, 14. *qui nuper togas sumpserunt*, observat, describi septendecim annorum ætatem, quod sexdecim annos nati togam puram, prætexta posita, sumerent, vulgarem secutus est errorem Manutiorum, Sigonii, aliorum. Ex quibus Aldus in Quæsitis 3, 1. Ciceroni filio datam in exitu sextidecimi anni togam virilem scribit, qui natus fuerit Cotta et Torquato coss. Atqui L. Julio Cæsare C. Marcio Figulo natum scribit ipse ad Atticum 1, 2. hoc est a. U. C. 689. Tirocinium autem ejus fuit Lentulo et Marcello coss. a. U. C. 704. hoc est, quintodecimo. Idem perperam accipit, quod est apud Ovidium Fast. 3, 771. quasi velit ille, pueris non exspectato ætatis anno XVI. per unum solummodo diem Baccho dicatum toga pura uti licuisse. Nam, *quare toga libera detur*, est, quare dari soleat, non in istum diem modo, sed in perpetuum, tum cum in viros transscribuntur; et *pueris* est, qui adhuc prætextam gesserunt. Petrus Servius in Juvenilibus Feriis argumentum firmissimum censet, quod legimus apud Valerium Max. 5,4,4. a M. Cotta, quo die togam virilem sumpsit, ut e capitolio descendit, postulatum Carbonem; *minorem* autem *septem et decem annis Prætor postulare vetat*. l. 1. §. 3. D. de postul. Id mihi nullius ponderis videtur: facile namque legibus annariis aut eximia virtus aut gratia illustris solvitur. Quem et vehementer falli puto in verbis Cicer. pro Cælio 5. *Nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga constitutus*. Nam, inquit, prætexta puerilis non adeo dimissa ac protracta erat, ut brachio eam colligi oporteret; virilis au-

toga Neroni maturata, quo capessendæ Reipubl. habilis videretur. Et Cæsar adulationibus Senatus libens cessit, *ut vicesimo ætatis anno Consulatum Nero iniret: atque interim designatus, Proconsulare imperium extra urbem haberet, ac Princeps juventutis adpellaretur.* Additum nomine ejus donativum militi, congiarium plebi. Et ludicro circensium, quod adquirendis vulgi studiis edebatur, Britannicus in prætexta, Nero triumphali cum veste, transvecti sunt. Spectaret populus, hunc decore Imperatorio, illum puerili habitu, ac perinde fortunam utriusque præsumeret. Simul, qui

A. U. 805. A. C. 52.

tem cum longius deflueret latius pateret, ac multum laciniosa esset, brachio manuque colligenda erat. Hæc somnia mera: nec minus, quæ inde colligit, vere, cum sumeretur toga, una brachio cohibitam: quasi *cohibere brachium toga* nihil sit aliud, quam togam liberam induere: et olim statum annum ejus sumendæ fuisse, postea incertum. Cicero enim significat primo post sumptam togam anno puberes modestiæ specimen dedisse cohibito intra togam dextro brachio, neque exserto: quali cum semper esset Cethegus, ferocior habitus est, et meruit illud Lucani 2, 543. *exsertique manus vesana Cethegi. Olim* autem particula obliquam habet insectationem temporum, quum, sublatus haud quidem, multo tamen solutior iste mos esset, crescente indies licentia et lascivia juventutis. Sic igitur habendum, non XVI. aut XVII. non incertum omnino atque arbitrarium, sed quintumdecimum solemnem ac legitimum tirocinii annum fuisse; nisi qua eum gravis caussa proferret: quod raro fiebat inter bonos ac pios propter avida vota parentum: quemadmodum, qui Rempubl. capesserent, annum petitionis non obire metuebant. GRON. Annum ætatis XIV. tum absolutum fuisse tempus togæ virilis sumendæ, non modo sub Imperatoribus, sed etiam ante, late docet Dodwellus in Præl. Camden. præl. 5. ubi etiam Damascenum audiendum putat. Adde Ryckium ad h. l. ERN.

Libens cessit] *Libens* est in Guelf. ed. pr. Sed Puteol. ed. habet *liberis*, vitio, ut puto, operarum: quod propagatum ad Rhenanum: in cujus ed. totum verbum desideratur, nec esse dicit in codice suo: corrigit tamen *libens* in notis: abest etiam ab ed. Aldi, Gryphii. Lipsius restituit *libens* tacitus. ERN.

Vicesimo ætatis anno] Decretum frustra. Consulatum enim iniit decimoseptimo ætatis anno: sed jam Princeps, et legum securus. LIPS.

Proconsulare Imperium] Initium fastigii Cæsaribus: quod ea mente etiam Germanico tributum fuit 1, 14. LIPS. Ubi vide et de *Principe Juv.* ad c. 3. *Extra urbem* Procons. imperio additur etiam ap. Capitolin. Aurel. c. 6. Igitur recte Ryckius hinc refellit Salmasium, qui in Capitolino verba *extra urbem* pro supervacuis deleri volebat. In eo fallitur, quod non satis credit Salmasio, Procons. imperium non nisi extra urbem fuisse, motus exemplis eorum, qui a Tiberio quamquam provinciis datis, tamen in urbe retinebantur. Nam hoc præter morem factum. Salmasius verum dixit. Noster 1, 14. propterea Proncons. imperium non postulatum Druso dicit, *quia Consul designatus, præsensque* fuerit. ERN.

Triumphalium] Vitiosum esse, non dubitari potest. Utrum legendum *triumphali in* (ut Acidalio) vel *cum veste*, ut Freinshemio placet, an *triumphantium*, ut (itidem) Acidalio visum, incertum. Sed posterius tamen malim. Liv. 5, 41. *quæ augustissima vestis triumphantibus. Triumphali veste* correctum est in ed. Gryph. et citat Lipsius in ep. ad Nic. Florentium ap. Modium ad Liv. 31, 11. ubi etiam de vestitu triumphantium agitur. Vestes triumphales toga picta et tunica palmata. V. Ruben. R. V. 1, 21. ERN. Toga picta in nummo Augusti ad a. u. 729. pertinere videtur, quo data Augusto potestas singulis Januarii Kalendis coronæ et triumphalis vestis gerendæ. V. Eckhel Doctr. NN. vet. vol. 6. p. 114.

Simul qui] Sic e Flor. cod. Pichena, quod secuti sunt posteri. Sic et Guelf. ed. pr. Puteol. *Simulque qui* est a

A. U. 805. A. C. 52. Centurionum Tribunorumque sortem Britannici miserabantur, remoti fictis caussis, et alii per speciem honoris. etiam libertorum si quis incorrupta fide, depellitur, tali occasione. Obvii inter se, Nero *Britannicum* nomine, ille *Domitium*, salutavere. Quod, ut discordiæ initium, Agrippina multo questu ad maritum defert: *sperni quippe adoptionem, quæque censuerint Patres, jusserit Populus, intra Penates abrogari: ac, nisi pravitas tam infensa docentium arceatur, erupturam in publicam perniciem.* Commotus his, quasi criminibus, Claudius, optimum quemque educatorem filii exsilio ac morte adficit, datosque a noverca custodiæ ejus imponit.

42 Nondum tamen summa moliri Agrippina audebat, ni Prætoriarum cohortium cura exsolverentur Lusius Geta, et Rufius Crispinus; quos Messallinæ memores et liberis ejus

Beroaldo. Ed. pr. etiam *miserebantur*, ut Guelf. Ern.

Tali occasione obvii] Quæ hæc occasio? Non enim præcessit: nec ad circenses velim referri. At tu distingue, *Etiam libertorum siquis incorrupta fide depellitur, tali occasione. Obvii inter se*, etc. Removendi enim ministros fidiores occasio, nata ex hoc, quod denarrat, facto. Lips.

Jusserit populus] Rogata enim lex fuit, qua in familiam Claudiam, et nomen Neronis transiret, ut ait supra 26. Lips.

Pravitas tam infensa docentium] Ita accipio, quasi dicat, magistros eos esse ad iras et offensas. Romanus tamen priscæ editionis codex et Agr. *Pravitas tam impensa*, præfert. quod magis approbo: id est, grandis, immodesta. Lips. Intelligit editionem primam, quam vocare soleo. Sed *infensa* verum esse, contextus facile vincit: arceri vult homines pravos, qui infensum illum animum, et infensa dicta inspirarent Britannico. Ern. Bud. *infensa*.

Eruptura] Cod. Agr. *erupturam*.

Quasi criminibus] Freinsh. suspectam sibi hanc lectionem factam ait ex eo, quod Veneta ed. (i. e. Puteolani vel Rivii) habeat *quamquam*. Id falsum est. Nam *tamquam*, ut cod. Oxon. Guelf. exhibet. Ceteræ omnes (et Bud.) *quasi*. *Quasi crimina* putant, ficta: quod genus loquendi illustrat Burm. ad Ovid. Art. Am. 1, 429. Sed mihi prope melius videtur, sic intelligere. His non aliter commotus est Claudius, quam si crimina vera essent, quod Agrippina dixerat, impulsu libertorum a Britannico *Domitium* vocatum Neronem. Atque sic etiam in ceteris locis, quæ afferri solent, τὸ *quasi* explicari posse arbitror, nec necesse esse, ut pro adjectivo *fictus* positum putetur. Ern.

Claudius] Suspectam hujus nominis interpositionem faciunt libri, a quibus plane abest MSS. Flor. Reg. Agr. et aliis, ed. pr. Primus Puteolanus, quod sciam, addidit *Claudius*, quem omnes postea secuti sunt. Jac. Gron. igitur putabat delendum id nomen, referendumque verbum *commotus* ad *maritus*. Sed aures meæ id non ferunt, et, nisi vehementer fallor, aut *Claudius* hic necessarium est, aut pronomen *is*, vel *ille*. Igitur, nisi Tacitus scripsit *Commotus is, quasi cr.* aut *ille commotus his* etc. Claudii nomen abesse non potest. Id dum idoneis libris docetur, manebo in lectione vulgata, quæ et ipsa, ut opinor, e libris scriptis ducta est. Reperi quidem ipse in Guelf. MS. Ern. Bud. habet *Claudius*. bene. quod et Rhen. expressit.

Rufius] Sic recte e cod. Flor. et Reg. restituit Ryckius, ut ex aliis MSS. idem nomen restitutum est ap. Sueton. Ner. c. 35. secutusque exemplum J. Gron. Consentit MS. Guelf. Ed. pr. habet *Ruffus* h. l. aliis modo *Rufrius*, modo *Ruffus;* quæ varietas etiam ap. Suetonium occurrit. Ceteræ edd. omnes *Rufus*. Mox eadem ed. pr. *Burrus* ut cod. Flor. et inscr. vett. et in aliis scriptoribus libri boni: non *Burrhus*. Itaque illam scripturam secutus sum. Adde Castalionem Obs. Dec. 5, 8. Ern. Bud. *Ruffius*. De eo v. et 13, 45.

devinctos credebat. Igitur, *distrahi cohortes ambitu duorum, et, si ab uno regerentur, intentiorem fore disciplinam*, adseverante uxore, transfertur regimen cohortium ad Burrum Afranium, egregiæ militaris famæ, gnarum tamen, cujus sponte præficeretur. Suum quoque fastigium Agrippina extollere altius: carpento capitolium ingredi, qui mos Sacerdotibus et sacris antiquitus concessus, venerationem augebat feminæ; quam Imperatore genitam, sororem ejus,

A. U. 805. A. C. 52.

Sacerdotibus et sacris] Emendatio a libris est. Nam vulgata quid ineptius, *et sacris Druidibus?* qui nihil ad res moresque Romanos. Ex qua voce tamen Pithœus Advers. subsec. 1, 5. acute *virginibus* faciebat. Sacerdotes, Vestales capio: sacra, Deos ipsos statuasque, quas pompa circensi traduci in carpentis moris fuit. De Vestalibus, Prudentius in Symm. 2, 1087. *Fertur per medias ut publica pompa plateas, Pilento residens molli.* Idemque de Sacerdotibus feminis universe Artemidorus adsignificat 1, 58. ubi curru in somniis per urbem vehi, liberis mulieribus et virginibus bona Sacerdotia ait portendere. Scilicet, quia id Sacerdotum insigne. De Diis aut consecratis Sueton. Claudio 11. *Matri carpentum, quo per circum duceretur.* Idem Calig. 15. *Matri circenses carpentumque instituit, quo in pompa traduceretur.* Olim tamen commune fuisse videtur, ut matronæ vulgo carpentis uterentur ad sacra. Ovidius Fast. 1, 619. *Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant, Hæc quoque ab Evandri dicta parente reor.* Livius 34, 1. *Ne mulier juncto vehiculo nisi sacrorum publicorum caussa veheretur.* Sed exolevit scilicet ille mos, utique post repertas lecticas. et mansit saltem in veneratione Sacerdotum Deorumque. Prima Messallina honorem hunc a Senatu cepit: Καὶ τῇ Μεσσαλλίνῃ, ait Dio 60, 22. τὴν προεδρίαν, ἣν καὶ ἡ Λιουΐα ἐσχήκει, καὶ τῷ καρπέντῳ χρῆσθαι, ἔδοσαν. et juxta eam Agrippina nunc, de qua idem scriptor c. 33. Καὶ ἡ μὲν ταχὺ καὶ αὐτὴ Μεσσαλλίνα ἐγένετο, καὶ μάλιστα, ὅτι καὶ τιμὰς ἄλλας τε καὶ τῷ καρπέντῳ ἐν ταῖς πανηγύρεσι χρῆσθαι, παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβεν. Posteaque etiam Præfecti prætorio (Cassiodor. 6, 3. in formula Præf. præt. Symmachus 10. dist. 17.) carpentis usi, et (nisi Vopisci locus in Aureliani initio fallit) etiam Præf. urbis. Et mos satis certus: hæreo in Corneliana saltem lectione. Ait, in capitolium ingredi carpento, concessum Agrippinæ, quid? in capitolium tantum? vereor, ut nimis anguste: et certe non ad exemplum Messallinæ. quæ etiam carpento mariti sui currum secuta, triumphantis. Denique Dio laxe, ἐν ταῖς πανηγύρεσι, ait: id est, per festos omnes dies lætosque. Nec tamen muto quidquam, aut repono. Carpenti formam veram erues ex numis Agrippinæ; et qui differat a rheda, aliquid apud Pausaniam 5, 9. in descriptione Olympiæ ludorum. Lips. De usu carpentorum vide, quæ contra Lipsium disputat Ryckius ad h. l. Pro *mos* Ursinus malebat *honos:* quod verum puto. Ern. Opinionem Lipsii de Vestalibus inprobat et Scheffer. de re vehic. 2, 17. Pro *capitolium ingredi* Lallem. mallet *circum ingredi*, quod magis cum Dionis verbis congruit.

Sacris Druidibus] Vox reicula unde irrepserit, merito quæro. non enim fortuita est, nec a librario temere inculcata. Galli sane olim usi carpentis: scio, sed pugnæ caussa, non honoris: nec Druides soli, sed vulgus. Suspicari liceat (proinde ut fracti hi libri sunt) scriptum hic aliquid de Druidibus fuisse. quorum religionem nomenque quantum in se fuit, Claudius sustulit, Seneca in Menippæa Claudiana et Suetonio c. 25. teste. Etsi Plinio ad Tiberium id referre visum 30, 4. *Tiberii Cæsaris*, inquit, *Principatus sustulit Druidas Gallorum, et hoc genus vatum medicorumque.* Sed Tiberium scilicet in urbe tantum sustulisse, Claudium in Gallia ipsa. Lips. Ed. pr. non habet vocem *Druidibus*, quam primus edidit Puteolanus, quem ceteri secuti sunt. Est in MS. Guelf. et aliis ap. Broterium. Ern. *Druidibus* est in Bud. sed mediæ litteræ ejus vocis r. m. sensere; quid prius scriptum fuerit, non satis adparet. Bip. conjiciunt leg. *sacrorum Regibus.* In loco Plinii Rezzon. in Disq. Plin. t. 1. p. 139. ostendit ex MS. legendum *Tib. Claudii Cæs.*

A. U. qui rerum potitus sit, et conjugem et matrem fuisse, uni-
805. cum ad hunc diem exemplum est. Inter quæ præcipuus
A. C. propugnator ejus, Vitellius, validissima gratia, ætate extre-
52. ma (adeo incertæ sunt potentium res) accusatione corripitur, deferente Junio Lupo, Senatore. Is crimina majestatis et cupidinem imperii objectabat. Præbuissetque aures Cæsar, nisi Agrippinæ minis magis quam precibus mutatus esset, ut accusatori aqua atque igne interdiceret. hactenus Vitellius voluerat.

43 Multa eo anno prodigia evenere. Insessum diris avibus capitolium: crebris terræ motibus prorutæ domus: ac, dum latius metuitur, trepidatione vulgi, invalidus quisque obtriti. Frugum quoque egestas, et orta ex eo fames, in prodigium accipiebatur. Nec occulti tantum questus, sed jura reddentem Claudium circumvasere clamoribus turbidis, pulsumque in extremam fori partem vi urgebant, donec militum globo infensos perrupit. Quindecim dierum alimenta urbi, non amplius, superfuisse constitit. magnaque Deum benignitate, et modestia hiemis, rebus extremis subventum. At hercule olim ex Italia legionibus

Unicum ad hunc diem exemplum est] Inter Romanos dumtaxat. alias parum cauta adfirmatio: sicut et illa Pliniana 7, 42. nisi restringas ad Græcos. *Una feminarum in omni ævo Lampido Lacedæmonia reperitur, quæ Regis filia, Regis uxor, Regis mater fuit.* Nam apud Ægyptios aliosque barbaros sunt exempla. Lips.

Hactenus Vitellius voluerat] Potuisset enim sævire in mortem ejus: sed contentus hac quasi deportatione fuit. Lips. Ante ed. pr. *interdicat.* Puteol. *interdiceretur.* Correxit Rhen. (e Bud.) Mox edd. omnes ante Pichenam *proruptæ* et *obtritus. et accipiebantur* ante Rhenanum. Ern. Bud. *obtritus . . . accipiebatur.*

Vi urgebant] Sic e Flor. dedit Pichena. Sic et ed. pr. habet: a ceteris ante Pichenam *vi* abest. Mox Ryckius recte restituit *infensos* cum J. Gronov. e Flor. Reg. Agric. sic et ed. pr. habet. Ceteræ *infestos.* Vid. ad 6, 34. at eadem ed. pr. vitiose *prorupit.* Ern. Bud. non habet *vi.* idem *infestos . . . perrupit.*

Quindecim dierum alimenta] Id est, canon dierum XV. Majus autem isto periculum sub Caio; cum septem aut octo certe dierum cibaria tantum superfuisse Seneca notat ad Paullinum 18. Lips.

Modestia hiemis] Ita capio, ut dicat modesta et quieta, præter solitum, hieme anni, frumentum navibus subvectum: quod alias hieme advehi, non moris. Vide Suet. 18. Hæc scriptura codicum. alii tamen, *modestia urbis,* (ut Guelf.) alii, *molestia hiemis* reponunt. male, male. Lips. *Modestia hiemis* ed. pr. Ern. Bud. *modestia hyemis,* sed Rhen. reponendum judicat *molestia hyemis;* in textu tamen servavit *modestia urbis,* ut est in Puteol.

At hercule olim] Querela, quæ expressa videri possit ex illa Varroniana de R. R. 2. pr. *Igitur, quod nunc intra murum fere patres familiæ correpserunt . . . et manus movere maluerunt in theatro ac circo, quam in segetibus ac vinetis, frumentum locamus qui nobis advehant, qui saturi fiamus, ex Africa et Sardinia.* Post bella certe civilia, et fusum tantum sanguinis, Italiæ inducta vastitas. Lucani ea in re sententias operæ sit legere lib. 7. passim. Lips. Mox *ex I. reg.* est a Rhenani codice. Sine præpositione ed. Puteol. cum seqq. At ed. pr. *Italia reg. — portabat.* Etiam MS. Flor. *portabat.* Mihi *regionibus* suspectum est. Cur enim non potius dixisset *ex Italia?* Arbitror, Tacitum dedisse *Italia* (vel *ex Italia*) *legionibus—commeatus portabant,* vel *portabatur.* De *legionibus* certe non dubitandum. Ita magis augetur fecunditas Italiæ et pristina copia: nec fere nisi ad exercitus frumentum exportatum. Ern. Pichena conjicit etiam *portabatur* vel

longinquas in provincias commeatus portabantur; nec nunc A. U.
infecundidate laboratur: sed Africam potius et Ægyptum 805.
exercemus, navibusque et casibus vita Populi Romani per- A. C.
missa est. 52.

Eodem anno bellum, inter Armenios Iberosque exortum, 44
Parthis quoque ac Romanis gravissimorum inter se motuum caussa fuit. Genti Parthorum Vologeses imperitabat, materna origine ex pellice Græca, concessu fratrum, Regnum adeptus: Iberos Pharasmanes, vetusta possessione: Armenios frater ejus Mithridates obtinebat opibus nostris. Erat Pharasmani filius, nomine Rhadamistus, decora proceritate, vi corporis insignis, et patrias artes edoctus, claraque inter accolas fama. Is, *modicum Iberiæ Regnum senecta patris detineri*, ferocius crebriusque jactabat, quam ut cupidinem occultaret. Igitur Pharasmanes juvenem potentiæ promptæ, et studio popularium accinctum, vergentibus jam annis suis metuens, aliam ad spem trahere, et *Armeniam* ostentare, *pulsis Parthis datam Mithridati a semet*, memorando: sed *vim differendam, et potiorem dolum, quo incautum opprimerent*. Ita Rhadamistus, simulata adversus patrem discordia, tamquam novercæ odiis inpar, pergit ad patruum: multaque ab eo comitate, in speciem liberum, cultus, primores Armeniorum ad res novas inlicit, ignaro et ornante
insuper Mithridate. Reconciliationis specie adsumpta, re- 45
gressus ad patrem, *quæ fraude confici potuerint, prompta* nuntiat, *cetera armis exsequenda*. Interim Pharasmanes belli

portabantur, atque sic plane Bud. quem sequor hactenus, ut reliqua ex Ernesti mente refingam.

Afr. et Æg. exercemus] Sic 13, 54. *patrium solum exercebant*.

Exortum, Parthis quoque etc.] MS. Guelf. *exortum est, Parthisque ac Romanis* etc. Vulgatum melius. Ern.

Potentiæ promptæ] Malo, *promptum*. Lips. Freinsh. autem malebat *properum* e 4, 59. *clientes apiscendæ potentiæ properi*: sed deinde tamen delabitur eo, ut velit potius *impotentiæ promtæ*. Mihi prior conjectura magis placet; nec tamen satisfacit. Nam potentia vix satis apta huic loco: aptior foret *audacia promta*. Si vulgatum verum est, intelligendum sic: qui facile prorumperet ad potentiam usurpandam. Mox ed. pr. *urgentibus*: quæ varietas supra jam observata est. Ern.

Ignaro et ornante insuper Mithridate] Ita emendavi, nescio an recte. Distinctione potius peccatum est, scribendumque, *Ignaro et ornante i. Mithridate, reconciliationis specie*, etc. sententia continuante. Lips. Sic et Flor. Vulgo: *orante*: quod etiam MSS. ap. Broterium habent; et ed. pr. dare voluit: sed vitio operarum prima præcedentis verbi syllaba repetita factum *ignorante*. Distinctionem Lipsii habent ed. pr. Puteol. Riv. Ber. et Alc. sequente mox *Regressusque*: sed copulam cum puncto præcedente sustulit Rhenanus: quod ceteri secuti sunt. Ego, quod nunc est, verum puto. Non solent Latini ablativos consequentiæ bis ponere in eadem periodo, nullis aliis verbis interpositis. Paullo ante etiam Guelf. et ed. pr. *in spem liberum*. Ern. Bud. itidem distinctionem Lipsii habet, et dein *orante . . . regressus* sine copula. porro *in spem liberum*. In Flor. legi *ornante*, Jac. Gron. negat.

Quæ fraude confici] Ita emendavimus. Male vulgo, *qua fraude confici potuerit, promte nuntiat*. Sententia est: parata sibi promptaque, quæ ad fraudem spectent: cetera vim requirere. Lips.

A. U. 805. A. C. 52. caussas confingit: *prœlianti sibi adversus Regem Albanorum, et Romanos auxilio vocanti, fratrem adversatum, eamque injuriam excidio ipsius ultum iturum.* Simul magnas copias filio tradidit. ille inruptione subita territum, exutumque campis Mithridaten, compulit in castellum Gorneas, tutum loco ac præsidio militum, quis Cælius Pollio Præfectus, Centurio Casperius præerat. Nihil tam ignarum barbaris, quam machinamenta et astus oppugnationum: at nobis ea pars militiæ maxime gnara est. Ita Rhadamistus, frustra vel cum damno tentatis munitionibus, obsidium incipit: et, cum vis negligeretur, avaritiam Præfecti emercatur, obtestante Casperio, *ne socius Rex, ne Armenia, donum Populi Romani, scelere et pecunia verterentur.* Postremo, quia multitudinem hostium Pollio, jussa patris Rhadamistus obtendebant, pactus inducias abscedit, ut, nisi Pharasmanen bello absterruisset, T. Ummidium Quadratum, Præsidem

46 Syriæ doceret, quo in statu Armeniæ forent. Digressu Centurionis, velut custode exsolutus Præfectus, hortari

Eruptione subita] An potius *inruptione?* Freinsh. ait. Defixos in solam Pichenæ editionem habuit oculos: nam omnes Lipsianæ, quas vidi, et antiquiores *irruptione*. Pichenam secutus et Gruterus, incuria magis ut puto, quam consilio. Gron. Sic ed. pr. Puteol. etc. Et tamen etiam in J. F. Gronovii ed. *eruptione* irrepsit: forte, quia e Freinshemiana facta est, in qua itidem *eruptione*. Ern. Bud. *irruptione*. Sic et cod. Agr.

Scelere et pecunia verterentur] Sic cod. Bud. apud Rhen. et Agr. Atque idem dare voluerunt Flor. Reg. et ed. pr. in quibus est *uterentur*. Itaque id Tacito reddidi. Secutus est nos Broterius. *Vertere* dixit pro evertere, perdere. Virgil. Æn. 1, 24. *Tyrias olim quæ verteret arces*, ubi v. Burmann. Add. 5, 810. Noster suprà 3, 54. *Verti civitatem clamitabant.* Vid. etiam Drakenb. ad Silium 15, 411. *Venderetur* induxit Puteolanus: sed tamen e MSS. nam sic etiam Guelf. exhibet. *Scelere et pecunia vendere* non arbitror satis bene dici. Ern. Bud. *verterentur*, ubi τῷ *n* pro more impositum'. Id ubi neglectum, legitur *uterentur*. Rhen. male Puteolanum secutus.

T. Vinidium Quadratum] Vatic. liber, *Tumidum.* Verum nomen, *Numidium.* Ex Josepho 20, 6, 2. qui vocat diserte, Νουμίδιον Κοδράτον τῆς Συρίας προεστηκότα. Sed et Plinius in epistolis non uno loco docet gentile nomen Quadratorum Numidium esse. Ita 7, 24. Numidia Quadratilla nominatur: 6, 11. Numidius Quadratus adolescens. Lips. Cod. Flor. et ed. pr. *tummidium*, quo ducunt etiam vestigia codd. Reg. et Agr. Vera scriptura est *T. Umidium*, ut docuere viri docti, Salmasius ad Spartiani Hadr. 15. Rupertus ad Reines. ep. 21. in primisque Spanhemius de V. et P. N. t. 2. p. 7. Norisius in Epoch. Syro-Maced. Diss. 3. p. 183. Clare ed. pr. *Umidium* 13, 8. 9. sed 14, 26. *Immidii*, ubi codd. Vaticani, teste Norisio, *Ummidii*, et cod. Med. Etiam Guelf. 13, 9. *humidius*: alibi mox *Vinidius*, mox *Numidius.* Itaque non dubitavi hoc nomen cum J. Gronovio hic reponere, ut in Josepho fecit Hudsonus 20, 6. et de Bell. Jud. 2, 12, 5. et sic etiam restituendum Plinio ll. cc. ubi etiam quidam scripti *Umidius*, frustra repudiante Cortio. Adde Bentlei. ad Horat. Serm. 1, 1. 96. ubi pariter libri variant, *Vinidius, Numidius, Uvidius, Unidius, Umidius, Ummidius*, postremum defendente et illustrante Bentleio. Adde item viros doctos ad Varr. R. R. 3, 3. ubi vulgo *Immidius*, pro quo *Ummidius* legendum recte censent Scaliger, Ursinus, Bentleius. Frustra igitur h. l. *Numidium* et ceteris Taciti locis rescripsit Ryckius. Ceterum in inscriptione vetere ap. Norisium l. c. prænomen C. tribuitur huic Præsidi. Ern.

Velut custode exsolutus Præfectus]

Mithridaten ad sanciendum fœdus, *conjunctionem fratrum,* A. U.
ac priorem ætate Pharasmanen, et cetera necessitudinum nomina 805.
referens, *filiam ejus in matrimonio haberet; quod ipse Rhada-* A. C.
misto socer esset. *Non abnuere pacem Iberos, quamquam in* 52.
tempore validiores; et satis cognitam Armeniorum perfidiam. nec aliud subsidii, quam castellum, commeatu egenum. ne dubitaret armis incruentas conditiones malle: cunctante ad ea Mithridate, et suspectis Præfecti consiliis, quod pellicem Regiam polluerat, inque omnem libidinem venalis habebatur. Casperius interim ad Pharasmanen pervadit, *utque Iberi obsidio decedant,* expostulat. Ille propalam incerta, et sæpius molliora respondens, secretis nuntiis monet Rhadamistum, *oppugnationem quoquo modo celerare.* Augetur flagitii merces, et Pollio occulta corruptione inpellit milites, ut *pacem* flagitarent, *seque præsidio abituros* minitarentur. Qua necessitate Mithridates diem locumque fœderi accepit,
castelloque egreditur. Ac primo Rhadamistus in amplexus 47
ejus effusus, simulare obsequium, *socerum* ac *parentem* adpellare. Adjicit jusjurandum, *non ferro, non veneno vim adlaturum:* simul in lucum propinquum trahit, *provisum illic*

Quia silent omnes, compellor credere sic in MSS. eos reperisse. Alioqui si *custodiæ* in illis quoque, ut ante Rhenanum editi, blandiebatur magis *custodia.* Gron. Ed. pr. *custode:* quod Rhenanus restituit (e Bud.). Sic et MS. Guelf. Ern.

Et satis cognitam—perfidiam] MS. Guelf. *cognita perfidia.* Mox e MSS. Flor. Reg. cum Ryckio edidi *subsidii,* ut mox c. 15. init. pro *præsidii.* Ern.

Commeatu] Cod. Farnes. *commeatuum,* quod placuit viro docto, in margine ed. Gryph. Mihi illa homœoteleuta non valde placent. Ern.

Ne dubitaret armis] Appono calculum *τὸ quam* delentibus, sive conjectura est ea Groslotii in Syll. Burm. t. 1. p. 350. et Gruteri: et multo magis, si verum est, quod jacit Ursinus, inventos libros veteres, qui particulam damnarent. Labes non ab iis, qui docendi erant, quid *arma,* quid *dubitare,* quid *dubitare armis* esset, sed ab his, qui non concoquebant *incruentas conditiones armis malle.* Neque enim protritum hoc loquendi genus: elegans tamen. Appuleius Apolog. p. 83. ed. Pric. *Persuaserat idem Pontianus matri suæ;* ut *me aliis omnibus mallet.* Subaudiebam antea *experiri,* quod et ad *armis* et ad *conditiones* satis commode referri videbatur. Sed illud magis placet. Gron. Atque hoc recepit Ryckius, et Broterius. Ed. pr. *dubitare,* sicut cod. Reg. Gronovium verum vidisse puto. Ern.

Quam incruentas conditiones] Ego, *incruenta conditione.* At Groslotius *τὸ quam* deletum it. Lips.

Celerare] Sic MSS. Flor. Reg. Agric. Guelf. ed. pr. idque recte restitutum a Ryckio et J. Gronov. Rhen. (e Bud.) dedit *accelerare,* quod hinc in sequentes edd. venit. *Celerare* iterum dixit c. 64. Mox Guelf. *occulta pollutione.* An voluit dare *pollicitatione?* Sed forte *Pollio* scribæ obfuit. Ern. Heins. *acceleraret.*

Seque præsidio abituros minitarentur] Pichena vitium aliquod hic latere suspicatur. quod in Flor. corrupte legitur: *seque præsidium ammis minitarentur.* Ed. pr. pro *abituros* habet itidem corrupte *præsidium quominus.* MS. Reg. præsidium *cominus,* Agr. *tradituras.* Unde Freinsh. eleganter suspicatur legendum *præsidium omissuros.* Vulgatum est in Guelf. Ern. Bud. a r. m. *præsidio abituros.* a l. videtur fuisse *præsidii ammis.* Bip. lenius et verius putant *præsidii immunes.*

Provisum illic sacrificium] Superfluit verbum alterum. quid enim refert provisum sacrificium, an imperatum dixeris? Vera, puto, lectio: *provisu suo illic sacrif.* sive etiam: *provisum*

A. U. 805. A. C. 52.

sacrificium imperatum dictitans, *ut Diis testibus pax firmaretur.* Mos est Regibus, quotiens in societatem coeant, inplicare dextras, pollicesque inter se vincire, nodoque præstringere: mox, ubi sanguis artus extremos suffuderit, levi ictu cruorem eliciunt atque invicem lambunt, id fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum. Sed tunc, qui ea vincula admovebat, decidisse simulans, genua Mithridatis invadit, ipsumque prosternit: simulque, concursu plu-

illic ac sacrif. paratum. Video, alios explicare vulgatum, provisum ibi sacrificium, quod imperasset: sed ubi de imperato legitur? nisi intellegit a seipso imperatum. LIPS. Timide suspicabar: *simul in lucum propinquum trahit renisum, illic sacrificium paratum dictans.* Vel, *renitentem*, i. e. tergiversantem, quod nihil boni præsagiret animus: sequentem tamen, quia suæ potestatis esse desierat. GRON. Ryckio placebat Heinsii conjectura: *provisum illic sacrificio imperato.* Melior J. Gronovii ratio: *promissum illic sacrif.* nec tamen satis placet. Dum meliora proferantur, credam, *imperatum* esse, quod Præfectus præsidium Romanum jusserit: nam ante dixerat de Mithridate, *diem locumque federi accepit;* aut esse glossam verbi *provisum.* ERN. Grut. aut *provisum* aut *imperatum* tolli jubet. Acid. *imperatum* rejicit. Bip. pro *imperatum* conjiciunt *penetrale*, quod Penatibus diis in luco interiori fieret. Sed nulla mutatione opus. *Provisum* est *paratum*, *præparatum.* Sic ap. Cæs. B. G. 6, 10. *rem frumentariam providet.* ap. Liv. 6, 6. *arma, tela, frumentum provideat.*

Inplicare dextras] Morem hunc sanciendæ privatim publiceque amicitiæ usitatos esse Scythas, Armenios, et in ea ora gentes, legi. De Scythis Lucianus in Toxari, sive de Amicitia 37. Ἀφ' οὗ γὰρ ἐντεμόντες ἅπαξ τοὺς δακτύλους, ἐνσταλάξωμεν τὸ αἷμα εἰς κύλικα, καὶ, τὰ ξίφη ἄκρα βάψαντες, ἅμα ἀμφότεροι ἐπισχόμενοι πίωμεν, οὐκ ἔστιν ὅ, τι μετὰ τοῦτο ἡμᾶς διαλύσειεν ἄν. Mela 2, 1. *Ne fœdera quidem incruenta sunt: sauciant se qui paciscuntur, exemptumque sanguinem, ubi permiscuere, degustant.* De Armeniis Valerius 9, 11, 3. ext. *Sariaster adversus patrem suum Tigranem Armeniæ Regem ita cum amicis consensit, ut omnes dextris manibus sanguinem mitterent, atque eum invicem sorberent.* Et universe Tertull. Apol. 9. *Legite necubi relatum sit, diffusum brachiis sanguinem ex alterutro degustatum, nationes quasdam fœderi comparasse. Nescio quid et sub Catilina degustatum est.* Atque is mos, patrum etiam ævo, passim repertus ab Hispanis, apud Barbaros novi orbis. Sed nec Romanis ipsis ignota cruenta potio, quæ assiratum iis dicta, quoniam assir, sanguis, ut aiunt Glossæ. Festum ita capio: *assiratum apud antiquos dicebatur genus quoddam potionis ex vino et sanguine temperatum, quod Latini prisci sanguinem assir vocarent.* Etsi fortasse ea potio olim in sacris. quod suadere videtur Sallustius 22. *Fuere*, inquit, *qui dicerent, Catilinam humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse. inde, cum post exsecrationem omnes degustavissent, sicuti in solennibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum.* Ait enim consuetum id in sollennibus sacris. Silius videatur innuere 2, 426. *Parte alia supplex infernis Annibal aris Arcanum Stygia libat cum vate cruorem.* LIPS. Mox edd. ante Rhenanum: *suffuderit*, quod melius puto, sed deleto *in.* Non enim nodo facto effunditur sanguis in artus, sed suffundit articulum, ut omnes sciunt. Et sic video placuisse etiam N. Heinsio apud Ryckium. Nec displicet J. Gronovio, qui tamen etiam putat scriptum esse potuisse, *in artus se extremos suffuderit.* Illud melius puto. Etiam cod. Flor. Guelf. edd. vett. pr. Put. Alc. Rhen. Ald. Gryph. *perstringere*, quod non mutandum fuisse putat J. Gronovius. Ovid. Met. 10, 495. *perstringere* dixit pro constringere vel comprimere. Sed ibi libri variant, aliis *constringere*, aliis *præstringere* exhibentibus. Itaque *præstringere* verum puto, cui centies substitutum alterum. ERN. Locis a Lipsio citatis adde Herod. 4, 70. Bud. habebat *in artus extremos suffuderit*, unde r. m. *se effuderit.* Heinsii emendationem recepere Bip. quos sequor. Bud. *perstringere.*

rium, injiciuntur catenæ, ac compede (quod dedecorum barbaris) trahebatur: moxque vulgus, duro imperio habitum, probra ac verbera intentabat. Et erant contra, qui tantam fortunæ commutationem miserarentur. Secutaque cum parvis liberis conjunx cuncta lamentatione complebat. Diversis et contectis vehiculis abduntur, dum Pharasmanis jussa exquirerentur. Illi cupido Regni fratre et filia potior, animusque sceleribus paratus. visui tamen consuluit, ne coram interficerentur. Et Rhadamistus, quasi jurisjurandi memor, non ferrum, non venenum in sororem et patruum expromit; sed projectos in humum, et veste multa gravique opertos necat. Filii quoque Mithridatis, quod cædibus parentum inlacrymaverant, trucidati sunt. At Quadratus 48 cognoscens proditum Mithridaten, et Regnum ab interfectoribus obtineri, vocat consilium, docet acta, et, an ulcisceretur, consultat. Paucis decus publicum curæ: plures tuta disserunt: *Omne scelus externum cum lætitia habendum.*

A. U. 805. A. C. 52.

Injiciuntur catenæ, ac compedes] Hæsi ipse olim in his vinclis: unde facile me nunc expedio, scriboque: *injiciuntur catenæ: ac compede, quod dedecorum barbaris, trahebatur.* Ad morem Romanum Tacitus narrat. Injectæ, inquit, catenæ: immo et oblonga compede per viam tractus. qui ritus apud Romanos quidem receptus est in custodia militari: at apud barbaros dedecori habetur et ignominiæ summæ. Verissima lectio sententiaque. Ita Athenion Manium Aquillium (quasi per summam ignominiam) tractum describit ab equite catenam longam habente. quem locum omnino vide transcriptum a me ex Athenæo 5, 14. supra De custodia militari, 3, 22. Lips. Nihil sani sensus, utcumque torqueant, premant, invertant. Scribe: *injiciuntur catenæ ac compedes. quo dedecore barbaris trahebatur.* hoc est, quo vinculorum dehonestamento addito vel imposito, e lustris illis producitur, et in conspectum turbæ præsentis datur, vilissimis e Scythia calonibus et lixis custodum vice stipantibus, quibusdam et tenentibus catenas. Nam hoc auget contumeliam, non Centuriones, non milites saltem justos fuisse, quibus custodia credita. Quamquam et τὸ *barbaris* ad mores Rhadamisti et suorum referri possit, ut sit: Quibus vinculis tam pudendis oneratus et tractus ostenditur vulgo a Rhadamisto et comitibus vere barbaris. Immo et dandi casu, ingeritur oculis barbarorum Armeniorum et Iberorum. *Trahi* dicuntur, quicunque offeruntur catenati. Æneid. 2, 57. *Ecce manus juvenem interea post terga revinctum Pastores magno ad regem clamore trahebant.* Gron. Mihi ista correctio durior videtur. Ryckius Lipsii sententiam probat: quæ est melior. Jensius suspicabatur *ac compedes, et, quod dedecorum etc.* Ern. Quæ Lipsius ad 3, 22. se transscripsisse ait, ad Excursum B. ad istum librum dein transtulit. Abl. *compede* habet et Hor. 4, 11. et Colum. R. R. 8, 2.

Et erant contra] Cod. Florent. *contra*, ut Pichena notat. Ego vero eam notam puto temporis, qua factum est illud exemplar: nam ævo meliore non sic loquebantur. Gron. Etiam ed. pr. *econtra.* Id, post Pichenam receptum, ejecere rursus recte Ryckius et J. Gron. qui originem mendi callide indagat, et in eo se jactat, adorans alioqui vestigia scripturæ Mediceæ. In ed. pr. 13, 37. ubi alii *si copiæ contra ducerentur*, illa *si copia econtra duceretur:* ubi vides adeo numerum verbi mutatum a librario vitio scripturæ decepto. Guelf. quidem *contra* exhibet. Idem mox *abducuntur* pro *abduntur*. Sane, abditos fuisse, *contecta vehicula* satis indicant. Sueton. Tib. 64. *Nurum et nepotes nunquam aliter, quam catenatos obsutaque lectica, loco movit.* Ern.

Fortunæ commutationem] Male vulgo, *commotionem.* Lips. *Commutationem* ed. pr. Ern. Bud. a r. m. *mutationem.*

Omnes scelus externum] Sententiæ reddita lux, si scribas, *Omne scelus*, littera detracta: ut sint verba ex ora-

A. U. 805. A. C. 52. *semina etiam odiorum jacienda, ut sæpe Principes Romani eamdem Armeniam, specie largitionis, turbandis barbarorum animis præbuerint. Potiretur Rhadamistus male partis, dum invisus, infamis: quando id magis ex usu, quam si cum gloria adeptus foret.* In hanc sententiam itum. Ne tamen adnuisse facinori viderentur, et diversa Cæsar præciperet, missi ad Pharasmanen nuntii, *ut abscederet a finibus Armeniis, filiumque abstraheret.*

49 Erat Cappadociæ Procurator Julius Pelignus, ignavi animi, et deridiculo corporis juxta despiciendus; sed Claudio perquam familiaris, cum privatus olim conversatione scurrarum iners otium oblectaret. Is, auxiliis

tione censentium. Lips. Non video, cur plaudam Lipsio: non enim *omne* magis huc congruit, quam *quoddam*, aut quodvis hujusmodi additamentum. Prorsus aliud quid in ea voce latet, de quo inveniendo non multum quidem mihi polliceor: esse tamen poterat: *plures tuta disserunt, monentes, scelus externum cum lætitia habendum.* Gron. Venit in mentem legendum *quippe*, quo etiam alibi, in ratione sententiæ reddenda utitur Tacitus, vel *immo:* quæ verba corrumpi potuerunt in vulgatam scripturam. Pro *exterum* cod. Reg. ed. pr. *æternum.* Mox Rhenanus (e Bud.) et Danesius volebant *in eandem Armeniam*, quod non probo. Ern. Bip. J. Fr. Gronovium frustra Lipsio repugnare judicant. Hiller. Rac. 36. suadet leg. *omnino.* Bud. a 1. m. *eternum.*

Si cum gloria adeptus] Scribo hæc omnia: *quanto id magis ex usu, quam si cum gloria adempta forent?* At nunc (ultimis curis) video, explicare Pichenam quod vulgatum est: Magis hoc ex usu Romano, si cum infamia, quam si cum gloria Regnum adeptus: quia scilicet incertior futurus, odiisque magis obnoxius. Non damno. Lips. Paullo post MS. Fl. *juberet* pro *præciperet.* Ern. Bud. *præciperet.* Bip. præferunt *juberet.* parum interest.

Deridiculo corporis juxta conspiciendus] Memoratur hic, quod nollem, quibus MSS. copia fuit, silentio transisse. Video enim fateri Rhenanum se fecisse *despiciendus*, nulla mentione vett. librorum. In quibus si erat *conspiciendus*, profecto mutandum non fuit, quippe quod sit insignis, insignitus, et non secus atque hæc tam in deteriorem quam in meliorem partem flectatur. Suetonius Claudio 4. *ne quid faciat, quod conspici ac derideri possit.* Homero *conspiciendus* ὑπόψιος Il. γ 42. λώβην τ' ἔμεναι καὶ ὑπόψιον ἄλλων. Vide nostra Observata in SS. Eccl. c. 19. et ad Livii 4, 13. Gron. Adde Ryckium ad h. l. Jac. Gron. *conspiciendus* esse ait a Beroaldi licentia. At sic ante Puteolanus edidit: et sic est in MS. Guelf. Ed. pr. *despiciendus*, quod restituit Rhen. (e Bud.) Id non video, quare displiceat magno Gronovio. *Juxta* indicat, verbum referendum etiam ad ignaviæ vitium. Atqui ignaviæ proprius contemtus. Suet. Domit. 15. *Clementem, patruelem suum, contemtissimæ inertiæ.* Quod autem quidam (Mur. Acid.) malunt *ignavo* vel *ignavia*, non necessarium puto, ut etiam visum Gronovio. Ern.

Cum privatus olim] Deprecor invidiam: sed profecto hunc locum, siquem alium, propitiis Musis restitui, hoc modo: *Cum privatus olim conversatione scurrarum iners otium oblectaret.* Claudius ante imperium vilis, abjectus, scurris et sordidissimis hominibus convixit: *e quorum contubernio super veterem segnitiæ notam, ebrietatis quoque et aleæ infamiam subiit*, ait Sueton. 5. Inter eos hic Pelignus. Libri veteres, quorum vestigia institi, habent: *cum privatis olim conversationes curaret, iners otium objectaret.* unus Vatican. *cursationes*, pro *conversationes.* Lips. *Oblectaret* tamen codd. Flor. Guelf. Reg. edd. Puteol. Rivii etc. *objectaret* ed. pr. Verissime emendavit Lipsius, idque recte recepit Freinsh. probatum etiam Casaub. ad Suet. Claud. 8. Mox *Pelignus* spurium esse, eidem Freinshemio assentior. Etiam alibi sic peccatum in Tacito vidimus 4, 10. Ern. Bud. *privatas.* Agr. *privatus.* Lipsius egregie locum sanavit. Dein Bud. *oblectaret.* Post *is* positum *Pelignus*, e margine repetitum, delevi.

Scurrarum] Istos *copreas* dicit Suet. Tib. 61. et Claud. 8. ubi v. Torrent. et Casaub.

provincialium contractis, tamquam recuperaturus Armeni- A. U.
am, dum socios magis, quam hostes prædatur, abscessu suo- 805.
rum, et incursantibus barbaris, præsidii egens, ad Rhadami- A. C. 52.
stum venit: donisque ejus evictus, ultro *Regium insigne*
sumere cohortatur, sumentique adest auctor et satelles. Quod
ubi turpi fama divulgatum, ne ceteri quoque ex Peligno
conjectarentur, Helvidius Priscus, Legatus, cum legione
mittitur, rebus turbidis pro tempore ut consuleret. Igitur
propere montem Taurum transgressus, moderatione plura,
quam vi, composuerat; cum *redire in Syriam* jubetur, *ne*
initium belli adversus Parthos exsisteret. Nam Vologeses, 50
casum invadendæ Armeniæ obvenisse ratus, quam, a ma-
joribus suis possessam, externus Rex flagitio obtineret, con-
trahit copias, fratremque Tiridaten deducere in Regnum
parat, ne qua pars domus sine imperio ageret. Incessu
Parthorum, sine acie pulsi Iberi; urbesque Armeniorum,
Artaxata et Tigranocerta, jugum accepere. Deinde atrox
hiems, seu parum provisi commeatus, et orta ex utroque
tabes, percellunt Vologesen, omittere præsentia. vacuamque
rursus Armeniam Rhadamistus invasit, truculentior quam
antea, tamquam adversus defectores, et in tempore rebella-
turos. Atque illi, quamvis servitio sueti, patientiam abrum-
punt, armisque Regiam circumveniunt. Nec aliud Rhada- 51
misto subsidium fuit, quam pernicitas equorum, quis seque
et conjugem abstulit. Sed conjunx gravida, primam utcum-
que fugam, ob metum hostilem et mariti caritatem, tolera-
vit: post, festinatione continua, ubi quati uterus et viscera
vibrantur, orare, *ut morte honesta contumeliis captivitatis exi-*
meretur. Ille primo amplecti, adlevare, adhortari, modo
virtutem admirans, modo timore æger, ne quis relicta po-
tiretur. Postremo, violentia amoris, et facinorum non rudis,

Ne cæteri quoque] Non est obscurum, quid velit. Ne de Peligno conjectura in alios fieret: ne Romanorum alii, quibus armorum jus, si quiescerent, approbare Peligni facinus et ratum habere crederentur. Terent. Heaut. 3, 3, 13. *Ego de me conjecturam facio.* GRON. In fine capitis MS. Guelf. *juberetur.* ERN.

Perpellunt Vologesen] Pichena ex Flor. edidit *percellunt.* Rectius vulgo *perpellunt.* Vide quæ notamus ad Liv. 3, 30. GRON. *Percellunt* est in Guelf. ed. pr. et ceteris usque ad Rhen. Paullo ante *deinde* dedi e Flor. Guelf. et vett. edd. Post *rebellaturos* bene Rhen. (ex ingenio): scripti et ante editi *bellaturos.* Mox *circumveniunt* habent codd. Agr. Guelf. quod primus edidit Rhen. (e Bud.) Ed. pr. *circumvenerunt,* quod est etiam in cod. Reg. Sed Puteol. primus dedit *circumeunt,* quod Rivius, Beroaldus et Alciatus secuti sunt. Cod. Flor. *circumveunt.* ERN. Bud. a 1. m. *percellunt,* unde 2. m. fecit *propellunt.* Rhen. dein *perpellunt.* Hoc mihi aptius videtur et Gronovii ratio potior. Ast MSS. consensus jubet reponi *percellunt,* etsi cum infinito construi nusquam videam, nec satisfaciant, quæ Bip. ad h. l. Bud. *dein.*

Ubi quati uterus] Durum est conjungi *quati et vibrantur.* In promtu est, cum Heinsio corrigere *quatitur.* Sed nil mutandum. Simile exemplum est 15, 27. extr. etsi illum quoque locum tentat Freinsh. item 15, 11. extr. Simillimus omnium locus est H. 3, 31. a nullo tentatus. Sæpe sic etiam Sallustius. ERN.

A. U. destringit acinacem, vulneratamque ripam ad Araxis trahit,
805. flumini tradit, ne corpus etiam auferretur. ipse præceps
A. C. Iberos ad patrium Regnum pervadit. Interim Zenobiam
52. (id mulieri nomen) placida inluvie, spirantem ac vitæ manifestam advertere pastores, et dignitate formæ haud degenerem reputantes, obligant vulnus, agrestia medicamina adhibent; cognitoque nomine et casu, in urbem Artaxata ferunt. unde publica cura deducta ad Tiridaten, comiterque excepta, cultu Regio habita est.

A. U. Fausto Sulla, Salvio Othone coss. Furius Scribonianus
806. in exsilium agitur, quasi *finem Principis per Chaldæos scru-*
A. C. *taretur*. adnectebatur crimini *Junia mater ejus*, ut *casus prio-*
53.
52 *ris* (nam relegata erat) *inpatiens*. Pater Scriboniani, Camillus, arma per Dalmatiam moverat. idque ad clementiam trahebat Cæsar, quod stirpem hostilem iterum conservaret. Neque tamen exsuli longa posthac vita fuit: morte fortuita,

Destringit acinacem] Sic in cod. Flor. esse primus vidit J. Gronov. Editi ante Ryckium omnes *distringit*. Sed etiam sine codicis auctoritate sic corrigendum erat, ut hodie omnes norunt. Cf. 1, 32 et 44. Mox cum eodem Ryckio et Gron. dedi *ripam ad:* quod præter MS. Flor. habet ed. pr. estque solenne Tacito præpositiones postponere. Sed mihi suspicio corruptelæ oborta dudum est in verbis: *ripam ad Araxis trahit, flumini tradit.* Non dicam de vicinia verborum *trahit* et *tradit*: saltem dixisset *trahens*, aut *et flumini tradit.* Puto Tacitum scripsisse: *vulneratamque ripam ad Araxis flumini tradit.* MS. Guelf. *traditam.* Mox pro *ne* MSS. Oxon. Guelf. *ut*, quod probat Jac. Gron. ut corpus etiam auferretur, sc. a flumine, nec in manus hostium veniret. Ern. Bud. *ut etiam corpus non auferretur:* sensus idem, scil. ab hostibus. Bud. *destringit.*

Præceps Iberos] Cod. Agr. *ad Iberos.* unde Heinsius volebat legi: *ad Iberos, patrium in Regnum.* Sed, ut nomina regionum sine præpositione ponit sæpe Tacitus, ita etiam nomen populi pro regione positum esse potest. Virg. Ecl. 1, 65. *sitientes ibimus Afros.* Ern.

Placida illuvie] Videri *eluvie* legendum diximus ad Livii 1, 4. Gron. Sic 13, 57. *eluvies maris.* Ern. Bud. *illuvie.* Bip. mallent *alluvie.* Lall. *eluvie.*

Advertere pastores] Sic. 2, 17. *Octo aquilæ petere silvas visæ advertere Imperatorem.* Id verbum ea notione reddendum Livio 1, 12. de Metio Curtio in paludem conjecto: *adverteratque ea res etiam Sabinos tanti periculo viri.* id est, converterat illuc animos oculosque Sabinorum. Nam libris omnibus, *averterat*, scriptum, alio sensu. Lips. Immo *advertere* h. l. est *animadvertere.* quomodo Græci προσέχειν dicunt, int. νοῦν. Ern.

Camillus] Legatus Dalmatiæ, de cujus bello civili vid. Suet. Claud. 13. Paullo ante ed. pr. *mater viva ejus.* In margine Gryph. video notatum *Vibia.* Cod. Vat. *Vinia.* Ern.

Quod stirpem hostilem iterum conservaret] Sic e Flor. pro vulgato, *qui stirpem*, dedit Pichena. At mihi multo magis se probat aliorum *qui:* Est enim, quale Terentii Andr. 4, 1, 40. *nisi mihi Deos satis scio fuisse iratos, qui auscultaverim.* Heaut. 3, 3, 28. *Dii te eradicent, Syre, qui me istinc extrudis.* Justinus 39, 5. *Ptolemæo Regnum redditur, qui neque cum matre bellum gerere voluisset, nec a fratre armis repetere, quod prior possedisset.* Cicero ad famil. 5, 22. *Neque minus est Spartiates ille Agesilaus perhibendus, qui neque pictam, neque fictam, imaginem suam passus est esse.* Et talia ὅσα κόνις. Gron. *Quod* est etiam in Guelf. ed. pr. Idque verum est. *Qui* h. l. durum videtur. Cod. Reg. et ed. pr. *interritum* pro *iterum.* Ern. Bud. *quod st. h.* bene.

Morte fortuita, an per venenum extinctus esset] Mitius faceremus, *extinctum esse,* quam, si cum Mureto et Acidalio deleremus, quorum hic etiam *mortem fortuitam.* Sed nihil mutandum: a fronte namque horum verbo-

an per venenum extinctus esset, ut quisque credidit, vulgavere. *De mathematicis Italia pellendis* factum Senatus consultum, atrox et inritum. Laudati dehinc oratione Principis, *qui ob angustias familiares ordine Senatorio sponte cederent*, motique, *qui remanendo inpudentiam paupertati adjicerent*. A. U. 806. A. C. 53.

Inter quæ refertur ad Patres *de pœna feminarum, quæ* 53
servis conjungerentur: statuiturque, *ut ignaro domino ad id*

rum subauditur τὸ *utrum:* quemadmodum in omnibus fere istis, ubi *incertum an*, vel *dubium an*, vel *an* solum in hanc sententiam interponitur. Gron. Ed. pr. *extincta*, ut ad *vitam* referatur. et sic cod. Reg. Gronovii conjectura est in cod. Agr. Ern. Bud. *extinctus esset.*

Ut ignaro domino etc.] Non prompta lectio sententiaque hujus loci: mihi quidem. Nam aliis omnia liquent. Aiunt, non dubiam sententiam esse hanc: mulierem liberam, quæ cum alieno servo solitaesit, domino insciente, servam fieri, velut proprio consensu: et natos item ex iis liberos non haberi. Itaque nunc nuper ecce emendavit vir doctus; *et ignaro domino ad id prolapsa, in servitutem, ceu consensisset: et, qui nati essent, pro liberis ne haberentur.* (Torr. ad Suet. Vesp. 11.) Sed mihi, per bonam gratiam, jus sit dissentire. Nego, alterum illud membrum, de natis ex eo cœtu in servitutem habendis, usquam repperiri in legum libris: aio, contra, jus esse. Favor libertatis exposcit, ut nati e libera sint liberi: adeoque superveniens calamitas matris, nocere ei, qui in utero est, non debet, ut sufficiat, matrem liberam vel medio tempore habuisse. Paullus Sentent. 2. tit. 24. Martianus l. 5. D. De statu hominum. Quo jure ergo servi isti? Clementius vulgata lectio aiebat, *pro libertis haberentur:* sed non verius. Quomodo enim libertus, qui numquam servus? Adde, quod manuscriptis vestigium nullum ejus membri. verba, inquam, ea, *et qui nati essent,* absunt manuscriptis omnibus, etiam Budensi. Ut mihi quidem Farnesiani codicis scriptura certa sit: *ut ignaro domino ad id prolapsa, in servitute: si consensisset, pro liberta haberetur.* Optime. Duplex videlicet ejus SCti membrum, in eas quæ ignaro, quæque sciente domino, peccatum id peccassent. Et si quidem ignaro, ait lex: serva esto. sin volente: habetor pro liberta. Omnino enim propositum legislatori a servili contubernio abstinere lubricum sexum: et sive sciente, sive inscio domino, ea mixtio, posuit pœnam. sed ἀναλόγως, et pro gradu noxæ intentiorem, remissioremque. Sed cui rei, inquies, fuerit pro liberta? Huic, ut vinculo aliquo teneatur domino servi, ad operas libertorum, aliaque ejus ordinis præstanda. Jus item domino in feminæ bonis: et quicquid in veram libertam. Sed recte, *pro liberta:* non enim liberta vere. Rettulit hoc ipsum decretum postea (credo quia aboleverit, licentia temporum, et inusu) Vespasianus Princeps, de quo Suet. 11. *Auctor Senatui fuit decernendi, ut, quæ se servo alieno junxisset, ancilla haberetur.* ita tamen, ut apud Jurisconsultos nomen manserit consulti Claudiani: non a Claudio Pallante, qui repertor, sed a Claudio Principe, qui rettulit. Tertullianus item adspexit, ad uxorem 2, 8. *Nonne insuper censuerunt* (Romani) *servituti vindicandas, quæ cum alieno servo, post dominorum denuntiationem, in consuetudine perseverarunt?* Plura ad hanc rem petes, si operæ tibi est, a P. Fabro Semestr. 1, 25. Revera enim ad asciam factum, quidquid dedolavit ille faber. Lips. Frustra pugnat Salinerius pro verbis, quæ Taciti non sunt, et specie inhibendi correctionesgenus corrigendi maxime anceps et rarissime felix tuetur. Budensis, Farnesianus, Florentinus agmine facto ejurant, quod de filiis alibi nusquam se legisse fatetur et Salinerius. Idque sine dubio sarcinatorum cujusdam est, leviter corruptos locos, qui littera una alterave dempta, vel addita, vel mutata, restituebantur, pro ingentibus hiatibus supplentium. Pellexit in fraudem vox *libertis*, quam quo referret, quia non videbat, ipse aliquid commentus interposuit: cui locus non erat, si, ut est in Farnesiano, *liberta* reperisset. At, inquit, sic nati statim matrem a servi complexibus habuerunt servam. Hoc parum est pro Jureconsulto loqui, quem scire oportebat, non pro serva habitam, nisi post trinas denuntiationes. Deinde hoc non eo valebat utique, ut mancipium fieret (nisi forte in humilibus et egen-

A. U. 806. A. C. 53. *prolapsæ in servitute: sin consensisset, pro libertis haberentur.* Pallanti, quem *repertorem ejus relationis* ediderat Cæsar,

tibus personis) quam, ut et suam et adsumti mariti libertatem ab hujus domino emere compelleretur. Itaque caute Tacitus, *in servitute haberetur.* Quemadmodum enim aliud est *esse in libertate*, aliud *esse liberum*, teste Fabio declam. 340. sic et aliud est *servum esse*, aliud *in servitute esse.* Roganti Lipsio, quemadmodum libertus esse possit, qui servus nunquam fuit? reponit, quo pacto liberta dicatur, quæ non servierit; Hæc paria non sunt. mulieris enim culpa est subeuntis jugum, cui leges eam infamiam statuerunt: nulla culpa fœtus est. Quin rem diligentius consideranti liquebit, nihil tale nec potuisse de natis ex eo conjugio constitui, nec necesse fuisse, cum jure communi satis cautum esset. Nam, qui ante denuntiationes istas provenerant, nec servi erant, nec libertini, sed ingenui, quia non mutabat mulier statum, nisi postquam dominus servi denuntiasset. Si vero, factis denuntiationibus, non abstinuit servo mulier, neque libertatem utriusque redemit, et plane serva facta est; si quod inde nascitur, conceptum est, antequam mater justam servitutem subiret, haud dubie liberum est; quod simul concepit et parit jam ancilla, servum est ex communi jure. Quod autem P. Faber, *ingrato* pro *ignaro* reponi suadet, quod fit invito, ut apud Terentium Eun. 2, 1, 14. Donatus interpretetur, fallitur. Neque enim id procedit, nisi in uno *ingratiis:* sic enim loquimur *ingratiis meis, ingratiis alicujus fieri*, quod fit me vel aliquo invito. et de hoc agit Donatus. Illa vero *ingrata*, quæ ex Catullo 73. in ingr. et Plauto Amph. 1, 1, 10. Turnebus Adv. 13, 13. explicat, non invita sunt, sed quæ sunt ingratis et non reddentibus vicem, aut cum gratia excipientibus collocata. GRON. Lectio Farnes. cod. a Lipsio probata totidem verbis est in MS. Agr. nisi quod habet *sin* pro *si.* Atque sic edidit Ryckius, sic correxerat vir doctus in ed. Gryph. Id probat J. Gronovius hactenus, ut malit *prolapsa* in pluralem numerum, quam *libertis* et *haberentur* in singularem mutari, propter auctoritatem MS. Flor. quocum consentit (Bud. et) ed. pr. Eum nos secuti sumus. Vitio operarum in ed. Gron. expressum est *consensissent.* Vulgo erat: *prolapsa in servitutem consensissent, et qui nati essent pro libertis haberentur.* Verba *et qui nati essent* absunt a MSS. Flor. Bud. Agr. Reg. ed. pr. Iidemque libri habent *servitute.* De re adde Schulting. ad Paull. Rec. Sent. 2, 21. in Jurispr. Ante-Just. qui verba *ignaro domino* de initio rei intelligenda putat: re comperta dominum denunciare debuisse, et, si tunc perseveraverit mulier, factam ancillam, ut Paullus dicat. Conjecturas Gundlingii, J. C. Schwarzii et Heumanni super h. l. vide in actis Erud. a. 1732. p. 290. et 1733. p. 431. Eas nemo facile probabit. Heumannianæ etiam Latinitas adversatur. Corrigit enim *ei qui nati essent, pro l. h. ei* sc. feminæ. Liberi nascuntur *ex matre patri*: non *matri.* Ita fert vulgata loquendi consuetudo. ERN. Cod. Bud. prævenit emendationem Gronovii; habuit enim a I. m. *prolapse in servitute sin consensisset* etc. unde posterior manus fecit *prolapsa*, et ex *sin*, *sui*, et in margine adlevit *et qui nati essent.* Hæc verba in textu primus exhibet Puteol. unde sumserit, non pronum est dicere. Pugnant pro iis certatim JCti, inter quos Gravina in Orig. jur. civ. de Legg. n. 31. et Gundling. in Gundlingianis part. 36. *libertis* mutant in *liberis*, quia sit juris communis ex muliere lasciva, nondum ancilla, natos liberos esse et ingenuos. Contra Jac. Gothofredus ad l. 1. C. Theod. ad SC. Claud. et P. Burgius in Electis c. 8. servant *libertis.* Meum non est, tantas componere lites. Id vero vix mihi dubium esse potest, male pro vetere lectione venditari, in qua de *natis* fit mentio; quippe pro qua codex nullus adfertur, nisi quod pseudo-Lampugn. ad Mirand. suum provocat, cujus fides dudum est conclamata. Itaque in Gronoviana interpretatione adquiesco. Cf. et Barbeyrac sur le Droit de la G. et de la P. de Grotius 2, 20, 5.

Pallanti Prætoria insignia] De quo inscriptio: TI. CLAVDIVS. AVG. L. PALLAS. HVIC. SENATVS. OB. FIDEM. PIETATEM. QVE. ERGA. PATRONOS. ORNAMENTA. PRAETORIA. DECREVIT. ET. HS. CENTIES. QVINQVAGIES. CVIVS. HONORE. CONTENTVS. FVIT. Et indignatur jure in hoc facto major Plinius 35, 58. (ad Pallantem enim ea refero). *Hoc est insigne venalitiis gregibus, opprobriumque insolentis fortunæ. quos et nos adeo potiri rerum vidimus, ut*

Prætoria insignia; et centies quinquagies sestertium censuit Consul designatus, Barea Soranus: additum a Scipione Cornelio, *grates publice agendas, quod, Regibus Arcadiæ ortus, veterrimam nobilitatem usui publico postponeret, seque inter ministros Principis haberi sineret.* Adseveravit Claudius, *contentum honore Pallantem, intra priorem paupertatem subsistere.* Et fixum est ære publico Senatus consultum, quo libertinus, sestertii ter millies possessor, antiquæ parcimoniæ laudibus cumulabatur. At non frater ejus, cognomento *Felix*, pari 54

A. U. 806. A. C. 53.

Prætoria quoque ornamenta decerni a Senatu, jubente Agrippina Claudii Cæsaris, viderimus: tantumque non cum laureatis fascibus remitti illo, unde cretatis pedibus advenissent. Itemque minor epistol. 8, 5. Lips. Inscriptionem istam spuriam pronunciat Harduinus ad Plinium l. c. quod hactenus verum est, quoad verba præponuntur *Ti. Claudius Aug. L. Pallas*: ut ostendit Ryckius ad h. l. Nam Pallas fuit libertus Antoniæ, dictusque adeo *Antonius Pallas*, ut frater *Antonius Felix*, quamquam hic et *Claudius* ap. Josephum dicitur, vide Lipsium mox ad c. 54. init. Quicquid sit, caput inscriptionis a Lipsio additum: cetera inscriptio spuria non est, quippe prodita a Plinio Ep. 7, 29. 8, 6. quo loco etiam fragmenta monimenti in honorem Pallantis facti. Ern.

Quinquagies HS.] Sic MSS. Flor. Reg. Agr. Guelf. edd. pr. Puteol. omnes usque ad Pichenam, in cujus ed. *quinquagesies* vitio operarum irrepsit haud dubie. Et id tamen omnes secuti sunt usque ad J. Gronovium, qui vetus restituit. Ern. *Quinquagies* etiam ap. Plin.

Barea Soranus] Lego in lapide Q. MARCIO. BAREA. T. RVSTIO. NVMMIO. GALLO. COSS. Si de isto; habemus viri celebris gentile nomen. Lips. Hæc inscr. est ap. Grut. p. 107, 8. Sed ex alia, quæ est apud eundem p. 235, 10. ubi iidem COSS. patet, fuisse sub Tiberio, post quartum Consulatum, et anno quidem, ut videtur Pighio, 778. Calvisio de Lentulo Gætulico coss. ordinariis. Ceterum vel sic gentile nomen Barearum hinc cognoscitur. Ern.

Regibus Arcadiæ ortus] Vide quæso, mancipium hoc togatum Pallantem ad Regum stirpem refert: credo, quia Pallas aliquis Virgilio aliisque inter Arcadum Reges. O opprobrium omnium Scipionum; et dignissime domino Pallante! Nos, hunc nequissimum servum trans mare advectum inter vænales, ex Plinio scimus: et eundem Antoniæ matri servisse, ex Josepho 18, 6, 6. qui Πάλλαντα appellat τὸν πιστότατον τῶν δούλων αὐτῆς. Ab ea ergo ad Claudium pervenit. Lips.

Fixum est publice] Ita libri scripti: et non abhorret a Corneliana phrasi. At vulgo, *ære publico*, legas, non sine additamenti suspicione. Lips. In MS. Flor. est lacuna, sed in margine alia manu scriptum *ære*. Cod. Reg. Agr. ed. pr. *publice*, sine lacuna. *Ære publico* primum reperio ap. Puteol. Utrum sequare, nil referre arbitror. Est enim utrumque ineptum. *ære publico* et *publice* nihil esse potest, nisi sumtu ærarii: quod quorsum additur? nam omnia sic SCta fixa. Si *publice* intelligas de loco publico, num alia privato loco fixa? Suspicor, scriptum fuisse sic: *foro D. Julii Cæs.* aut sine *Cæs.* Nam Plin. Ep. 8, 6. auctor est, positum SC. ad statuam D. Julii loricatam, loco celeberrimo urbis. idque ille ut indignissimum notat. Itaque non videtur hoc Tacitus omisisse, aut omittere debuisse. Atqui ista statua fuit in foro D. Julii, ut auctor est alter Plinius H. N. 34, 5. Opponit nobis Broterius locum Plinii citatum: in quo nos nil reperimus, quod emendationi nostræ obesset. nam *æs* et *monimenta publica* nihil dubitationis habent: at *æs publicum*, et *publice* figere. Ern.

Felix jampridem] Non hercle ita pridem, si Josepho in gentili historia credendum. Præpositus enim demum Judææ est, post damnatum Cumanum. Josephus Ἰουδ. ἁλώσ. 2, 12, 8. clare: Μετὰ ταῦτα, inquit, Ἰουδαίας μὲν ἐπίτροπον Φήλικα τὸν Πάλλαντος ἀδελφὸν ἐκπέμπει τῆς τε Γαλιλαίας καὶ Σαμαρείας καὶ Περαίας. Ut fortasse hic rescribendum sit, *Felix haud pridem Judææ impositus.* Hunc libertum Claudium Felicem Josephus 20, 6. Suidas in Κλαυδ. Zonaras 6, 15, 6. nominant: at Antonium Felicem Tacitus H. 5, 9. *Antonius Felix per omnem sævitiam ac libidinem, jus Regium servili ingenio*

A. U. 806. A. C. 53. moderatione agebat, jam pridem Judææ inpositus, et cuncta malefacta sibi inpune ratus, tanta potentia subnixo. Sane præbuerant Judæi speciem motus orta seditione, postquam C. Cæsari haud obtemperatum esset; cognita cæde

crevcuit. Ne te turbet: scies, plerosque istos e libertis Antoniæ matris fuisse: eoque binomines, alias Principis, alias patronæ mortuæ nomen tulisse. Lips. (Cod. Agr. et) Ed. pr. *tum pridem:* unde possis conjicere *tum quidem:* nam *pridem* et *quidem* subinde confunduntur in libris scriptis. Sed non necessarium puto aliquid mutare. Nam e sequentibus patet, Judææ nomen hic latius sumtum, et non modo proprie sic dictam Judæam, sed etiam Samariam et Galilæam intelligendam. Judæa propria Felici demum attributa est artibus iis, quæ hoc capite narrantur, h. e. Cumano damnato, ut e loco cit. Josephi patet, et Euseb. H. E. 2, 19. ubi eo anno missi Roma Felicis mentio. V. Valesium. Similiter in Actis Apost. 24, 10. Felix dicitur a multis annis Judæis præfuisse. Atqui ea res acta tribus aut quatuor annis post Cumanum damnatum. Ern. Apud Zonaram l. c. Felix absque prænomine legitur. Bud. *jam pridem.*

Inpune] Heins. supplet *abitura;* sufficit intelligi.

Cognita cæde Caii *] Lacuna hic et hiatus, quem tamen ab historia facile explevero. Tangit enim motum illum Judæorum, qui Caligula imperante fuit, ob statuas ejus in templo erigi et coli jussas, Tacitus H. 5, 9. *Dein jussi a C. Cæsare effigiem ejus in templo locare, arma potius sumsere: quem motum Cæsaris mors diremit.* Et disce rem omnem e Josepho 2, 10. Ἁλώσεως, itemq. Ἀρχαιολ. 18, 8. Tangit, adsero, illum motum, argumento claro in his verbis: *Cognita cæde Caii.* Et: *manebat metus, nequis Principum eadem imperitaret.* Qui aliter medicinam adferunt, aberrant. Sed quid hoc, inquiunt, ad Felicem, qui tanto post successit? Nam ille quidem motus Petronio Procuratore fuit. Dicam, repetit rem ab alto Tacitus, et initia recenset motuum secutorum, quos auxit accenditque infelix iste Felix. Apud Suidam tamen alterius mentio turbæ, cui componendæ Felix electus: Στασιασάντων, (inquit l. c.) τῶν Ἰουδαίων κατὰ Χριστιανῶν, ἄρχοντα ἐπέστησεν αὐτοῖς Κλαύδιον Φήλικα, κελεύσας αὐτῷ τιμωρεῖσθαι τούτους. Lips. Suspicabar, pro *postquam* scribendum *quamquam;* et quia ἀντὶ τοῦ *Caii*, quidam libri *ejus*, fuisse: *quamquam cognita cæde Caii edicto ejus haud obtemperatum esset.* Nam, quod illud fuerit edictum, voluit auctor repeti ex quinto historiarum. Videbatur sublata caussa motus morte furiosi Principis. Narrat autem Tacitus nihilominus, quæ jamdudum coquebatur, seditionem ortam, etsi Caius interfectus et edictum ejus abolitum foret. Quid ita? quia supererat metus, etc. Gron. Nihil adhuc melius vidi conjectura Gronovii, et vix operæ pretium, referre alias conjecturas. Rhenanus: *post quam, cognita cæde Caii, haud obtemperatum. Sed manebat.* vel: *Postquam, c. c. C. jussis haud obtemperatum esset, manebat metus.* Faernus: *postquam cognito, Caii jussis haud obtemperatum esse, manebat m.* Heinsius: *haud obtemperatum est, et manebat.* Ed. pr. sic habet: *postquam cognita cæde ejus haud obtemperasset. monebat metus.* Puteol. *postquam c. c. ejus h. obtemperatum esset. Sed manebat m.* et sic sequentes usque ad Rhen. sec. quæ dedit e conjectura *p. c. c. Caii, h. o. esset. manebat m.* quod omnes secuti sunt. Manus docta in ed. Gryphii sic correxit, *postquam cognita cæde ejus haud temperatum esset. Sed m. m.* an e MS. nescio. Ceterum, ubi hæc comparo cum historia, non invenio, quid huic loco faciam. Dicit, Judæos quidem fecisse, quæ speciem seditionis haberent: sed Felicem ista delicta non idoneis remediis coercuisse, verum auxisse cum Cumano. Hic scire velim, an ullo modo sermo esse possit de motibus, qui statim a morte Caii fuerint. Nam nulli fuerunt. Statim enim Judæa tradita est Agrippæ, quo mortuo demum, novi Procuratores missi, Fadus primum, dein Alexander, sub quibus nulla seditionis mentio. Tum, quomodo, cum tantum *speciem motus* prætulisse dicantur, *seditio orta* dicitur? Arbitror, esse lacunam bene magnam post *imperitaret.* Initium loci totius de Caii tempore intelligo. Nam species motus est in non parendo. Verba *cognita cæde ejus* transposita credo, et ad *manebat metus,* referenda, sic: *Cognita cæde ejus, manebat metus.* Sed deinde deest, quod senten-

ejus, sedata. manebat metus, ne quis Principum eadem imperitaret. Atque interim Felix intempestivis remediis delicta accendebat, æmulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars provinciæ habebatur: ita divisis, ut huic Galilæorum natio; Felici Samaritæ parerent, discordes olim et tum, contemptu regentium, minus coercitis odiis. Igitur raptare inter se, inmittere latronum globos, componere insidias, et aliquando prœliis congredi, spoliaque et prædas ad Procuratores referre. Hique primo lætari, mox gliscente pernicie, cum arma militum interjecissent, cæsi milites. Arsissetque bello provincia, ni Quadratus, Syriæ rector, subvenisset. Nec diu adversus Judæos, qui in necem militum proruperant, dubitatum, quin capite pœnas luerent: Cumanus et Felix cunctationem adferebant, quia Claudius, caussis rebellionis auditis, jus statuendi etiam de Procuratoribus dederat. Sed Quadratus Felicem inter judices ostentavit, receptum in tribunal, quo studia adcusantium deterrerentur: damnatusque flagitiorum, quæ duo deliquerant, Cumanus;

A. U. 806. A. C. 53.

tiam, *postquam — obtemperatum esset*, expleat: id debet pertinere ad Caii voluntatem de statua. Ern. Post *orta seditione* deesse, quæ caussam seditionis indicarint, judicat Acid. Brot. ita supplet: *sp. m. o. sed. ob C. Cæs. effigiem in templo locandam; p. c. c. ejus h. o. esset, m. m.* Hill. Rac. 36. sic: *Sane jam pridem* (hoc e superiore loco huc ille transfert) *pr. Jud. sp. m. o. sed. p. q. jussi a Caio* (hoc sic, ut H. 5, 9.) *h. obtemperaverant. Cogn. c. e. m. m.* Bip. Rhenanum male voculam *sed* post *esset* omisisse censent, quæ veri vestigium præbeat. Eorum admodum probabilem emendationis conjecturam in textum recepi. Bud. cum Puteolano concordat, verum *sed*, quod hic orationi inserit, iste τῷ manebat a 2. m. superpositum habet.

Ita divisis, ut huic] Vide, an scripserit Tacitus: *cui pars provinciæ habebatur, ita divisæ, ut huic Galilæorum natio, Felici Samaritæ parerent.* Gron. Verum puto. Ed. pr. *divisit.* Ern. Sub *divisis* f. intelligitur *partibus.*

Felici Samaritæ parerent] Apud Josephum Felicis adhuc nullæ partes: contraque Cumanus a Samaritis stetisse legitur. Sed tu eum vide, non una in re a nostro dissentientem 20, 5, 6. Lips. Dissensus Taciti et Josephi manifestus est. Eum sic voluerunt quidam componere, ut, cum Josephus tradit, dejecto Cumano missum Felicem, id non sic capiant, quasi Roma tum missus sit, sed e Peræa: ut Noris. Cenot. Pis. 2, 16. §. 13. probante Pagio Crit. B. ad A. C. 48. Quod est nihili. Mitti simpliciter dicuntur centies, nulla Romæ mentione, qui in provincias eunt. Jam proclive est dicere cum Wesselingio ad Simsoni Chron. p. 1647. in re Judaica plus fidei habendum Josepho. Et ego plurimum tribuo Josepho alias. Sed hic, ut pro Tacito judicem, facit primo rei magnitudo et insolentia, quæ non sinit hæc ficta credere. Novum enim est, duos Procuratores Judæis esse eodem tempore, quod Tacitus sine idoneis auctoribus vix scripserit. Accedit Lucæ auctoritas, sive potius Paulli, qui Felicem multos annos Judæis præfuisse dicit, anno, postquam Cumanus damnatus est, tertio aut quarto. Id multo rectius dicetur, si Felix una cum Cumano missus est anno octavo imperii Claudiani: quem annum de Cumano edit diserte Josephus: isque sequendus erat, non ii, quos cum alii, tum Valesius edunt ad Euseb. H. E. 2, 19. Ern.

Damnatus flagitiorum] Aperte magis et distincte scriptor Judæus. Negat a Quadrato damnatum Cumanum, sed ipsum cum Celere Tribuno missum ad Cæsarem, qui de re cognosceret statueretque. Ita Cumano exsilium irrogatum: Celerem remissum Hierosolyma et vicatim discerptum. Lips. Frustra de his verbis sollicitus est Acidalius; quasi novum sit *flagi-*

A. U. 806. A. C. 53. et quies provinciæ reddita. Nec multo post Agrestium Cilicum nationes, quibus *Clitarum* cognomentum, sæpe et alias commotæ, tunc, Trosobore Duce, montes asperos
55 castris cepere: atque inde decursu in litora aut urbes vim cultoribus et oppidanis, ac plerumque in mercatores et navicularios, audebant. Obsessaque civitas Anemuriensis, et missi e Syria in subsidium equites, cum præfecto Curtio Severo, turbantur: quod duri circum loci, peditibusque ad pugnam idonei, equestre prœlium haud patiebantur. Dein Rex ejus oræ Antiochus, blandimentis adversus plebem, fraude in Ducem, cum barbarorum copias dissociasset, Trosobore, paucisque primoribus interfectis, ceteros cle-
56 mentia composuit. Sub idem tempus, inter lacum Fucinum amnemque Lirin, perrupto monte, quo magnificentia operis a pluribus viseretur, lacu in ipso navale prœlium adornatur; ut quondam Augustus, structo cis Tiberim stagno, sed levibus navigiis, et minore copia ediderat. Claudius triremes quadriremesque et undeviginti hominum millia armavit, cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent; ac tamen

tia delinquere, addique vult: *unus luit Cumanus.* Nam *delinquere quid* utique dicimus: ubi quid intelligas, nisi *flagitium* vel *scelus?* Sed et Papinianus l. 38. §. 4. D. Ad leg. Jul. de adulteriis: *cum alias adulterii crimen, quod pubertate delinquitur, non excusetur ætate.* Quo autem istud *luit?* An dubium est, quemquam, qui *damnatus flagitiorum* dicitur, pœnas pependisse, nisi diserte addatur, unde veniam meruerit post sententiam? GRON.

Trosobore] MS. Flor. *Troxob.* Ed. pr. *Aresoboro.* Cod. Vat. *Arosoboro.* Mox rescripsi e Flor. Guelf ed. pr. *et oppidanis* pro *ac opp.* ERN. Bud. *Trosobore . . . et opp.*

Mercatores et navicul.] De his et eorum immunitate v. l. 5. D. de jure immun.

Magnificentia operis] Quæ ex Eusebii sive Hieronymi nota in Chronico elucebit. *Claudius*, inquit, *circa hæc tempora Fucinum lacum exsiccavit, undecim annos triginta hominum millibus sine intermissione operantibus.* LIPS. adde Suet. c. 20. ERN.

Cis Tiberim stagno] De quo Suet. Aug. 43. *Edidit navale prœlium circa Tiberim cavato solo, in quo nunc Cæsarum nemus est.* LIPS.

Claudius triremes] Censemus reponi numerum debere, scribimusque, *Claudius centum triremes.* Tot enim fuisse, credimus Dioni 60, 33. Οἱ δὲ ναυμαχήσαντες, inquit, θανάτῳ καταδεδικασμένοι ἦσαν, καὶ πεντήκοντα ναῦς ἑκάτεροι εἶχον, οἱ μὲν Ῥόδιοι, οἱ δὲ Σικελοὶ ὀνομασθέντες. Si utrimque naves quinquaginta: in universum ergo centum. Idemque numerus in Xiphilino. At ecce Suetonius duodenas dumtaxat nominat c. 21. *Hoc spectaculo*, ait, *classis Sicula et Rhodia concurrerunt duodenarum triremium singulæ.* Falso. Omitto Dionem: sed quomodo hominum illa vis in duodenis utrimque navibus? quando undeviginti millia pugnasse hanc navalem pugnam Tacitus exprimat diserte. Non ergo abest, quin ad Dionis reique fidem corrigendus Tranquillus sit, *quinquagenum triremium.* LIPS. Probat Acidalius. At vir doctus in margine Gryph. correxerat *tr. qu. duodecim et vig. m. n.* ERN. Marc. Donatus in Suet. addi jubet: *et quadriremium.* Idem ἑκάτεροι Dionis reddit *utrique junctim*, quod redit fere ad calculum Suetonii; nam utrinque esset ἑκατέρωθεν.

Cincto ratibus ambitu] Quid si, *cratibus*, aut *trabibus?* Tale quid substitueris non invito Dione, qui lacum muro ligneo circumdatum scribit l. c. τεῖχός τε περὶ τὴν λίμνην ξύλινον κατεσκεύασε, καὶ ἰκρία ἔπηξε. Ejus ergo quasi valli tutelæ præpositus Prætorii miles. LIPS. Frustra. Nam mox in ratibus adstitisse dicuntur prætoriani, ut bene monuit Acidalius. Mox *ac tamen spatium* vett. edd. ante Rhenan. Hic dedit *attamen* cum ceteris. *Ac*

spatium amplexus, ad vim remigii, gubernantium artes, A. U.
inpetus navium, et prœlio solita. in ratibus Prætoriarum 806.
cohortium manipuli turmæque adstiterant, antepositis pro- A. C.
pugnaculis, ex quis catapultæ ballistæque tenderentur. Re- 53.
liqua lacus classiarii tectis navibus obtinebant. Ripas et
colles, ac montium edita, in modum theatri multitudo innu-
mera complevit proximis e municipiis, et alii urbe ex ipsa,
visendi cupidine aut officio in Principem. Ipse insigni
paludamento, neque procul Agrippina chlamyde aurata,
præsedere. Pugnatum, quamquam inter sontes, fortium
virorum animo: ac, post multum vulnerum, occidioni ex-
empti sunt. Sed perfecto spectaculo, apertum aquarum 57
iter. Incuria operis manifesta fuit, haud satis depressi ad
lacus ima vel media. Eoque, tempore interjecto, altius effos-
si specus et contrahendæ rursus multitudini gladiatorum
spectaculum editur, inditis pontibus pedestrem ad pugnam.
Quin et convivium, effluvio lacus adpositum, magna formi-
dine cunctos adfecit; quia vis aquarum prorumpens proxi-
ma trahebat, convulsis ulterioribus, aut fragore et sonitu

tamen verum puto, quod et Guelf. exhibet. Ern. Bip. pro *amplexus* conjiciunt *amplius*.

Ad vim remigii, gubernantium artes, impetus navium, et prœlio solita] Sic expressit e Flor. MS. Pichena pro vulgari: *ad vim remigii, et gubernantium artes, impetusque navium prœlio solitos*. Plane sic etiam ed. pr. nisi quod *soliti* habet pro *solita:* ut Guelf. Ac sic fere etiam Puteol. nisi quod et post *remigii* copulam ponit, quem secuti sunt Riv. Beroald. et Alc. estque in Guelf. Ern. Et Bud. qui habet etiam *soliti*.

Classiarii tectis navibus] Ita restitui, pro, *rectis*. Tectæ naves, idoneæ ad pugnam; *αἱ τὰ καταστρώματα ἔχουσαι*, uti Thucydides appellat 7, 40. Lips. *Tectis* edd. pr. Puteol. Vereor, ne *rectis* vitio operarum irrepserit in Beroaldinam editionem Romanam, unde in ceteras fluxerit. nam Beroaldus tantum repetiit textum Puteolani. Frustra *rectis* defendit Acidalius, tanquam *rectæ naves* opponantur *ratibus*. *Cœnam rectam* novi, non *naves rectas*. Ante ed. pr. vitiose *traderentur* pro *tenderentur*. Ern.

Agrippina chlamyde aurata] Dio l. c. etiam Neronem adjungit: Ὁ δὲ Κλαύδιος, ὅ, τε Νέρων στρατιωτικῶς ἐστάλησαν, ἥ τε Ἀγριππίνα χλαμύδι διαχρύσῳ ἐκοσμεῖτο. Plinius 33, 19. *Nos vidimus Agrippinam Claudii Principis, edente eo navalis prælii spectaculum, adsidentem ei, indutam paludamento, auro textili, sine alia materia.* Lips. Vett. edd. *præsidere*, et MS. Guelf. (item Bud.). Mox copula post *iter* non est in MSS. Flor. Bud. ed. pr. Orta est e finali τοῦ *iter*. Et melius abest. Itaque delevi. Ern.

Inter sontes] Puteol. *inter insontes.* Sed Dio l. c. θανάτῳ καταδεδικασμένοι ἦσαν. Alias insontes æque ac sontes pugnare solebant. V. Cic. Tusc. 2, 17.

Ad lacus ima vel media] Dixerat, *ad lacus ima:* quod ut melius intelligeretur, adjecit *vel media:* inde namque colligimus, id ei esse imum, quod in medio lacus foret, ubi plerumque maxime profundum est. Gron. Unde irrita Mureti conjectura delentis *ima vel*, et Heinsii legentis *lacunæ media*. *Lacunam* de tanto lacu dici ab historico non credo. Ern.

Altius effossi specus] De laborioso hoc opere vide Plinium 36, 24. Quod ante Claudium tamen conceperat D. Julius, (Sueton. Jul. 44.) non inceperat: nec rite perfecit ipse Claudius, quoniam manus postea admovit et Hadrianus. Spartianus in ejus vita 22. Lips. Vide ad Sueton. Claud. 20. et Fabrettum in Descr. Emissarii lacus Fucini. Ern.

Fragore et sonitu exterritis] Aliquid est in hac oratione monstri. Nam, cum audimus, *convulsis ulterioribus*, intelligimus *membris operis:* cum au-

A. U. exterritis. Simul Agrippina, trepidatione Principis usa,
806. ministrum operis Narcissum incusat *cupidinis ac prædarum.*
A. C. nec ille reticet, *inpotentiam muliebrem nimiasque spes ejus*
53. A. U. arguens. D. Junio, Q. Haterio coss. sedecim annos natus
807. Nero Octaviam, Cæsaris filiam, in matrimonium accepit.
A. C. Utque studiis honestis et eloquentiæ gloria nitesceret, caussa
54. 58 Iliensium suscepta, *Romanum Troja demissum, et Juliæ stirpis auctorem Æneam*, aliaque haud procul fabulis vetera facunde exsecutus, perpetrat, *ut Ilienses omni publico munere*

tem, *aut fragore et sonitu exterritis*, non possumus hoc de iisdem accipere, sed de convivis, qui super ista discumbebant, et qui circa erant. Requirit tamen filum orationis, ut eadem sint *convulsa* ista et *exterrita*. Si quid video, Tacitus scripsit *exterritos*; ut id referatur ad τὸ *cunctos*. Exterritos, inquit, partim eo, quod sentiebant labefactari et convelli tigna, continuata illis, quæ abstrahebantur, partim fragore ac sonitu tum prorumpentium aquarum, tum soluti operis. Suet. Claudio 32. *Convivatus et super emissarium Fucini lacus, ac pæne submersus, cum emissa impetu aqua redundasset.* Quem locum in promptu cum haberet Aurelius, tamen offensus voce *convivii* eo usque delirat, ut *compluvium* subjecerit. Sed *convivium* hic cœnatio est, triclinium, vel locus ita structus, ut caperet convivas. Sic 15, 37. *publicis locis struere convivia.* Neque aliter accipiendum H. 1, 82. *Militum impetus ne foribus quidem palatii coercitus, quo minus convivium irrumperent.* Sic et incertus auctor Panegyrici Maximiano et Constantino dicti 6. *imago illa in Aquileiensi palatio ad ipsum convivii posita adspectum.* Ubi etiam male tentarunt. Gron. Sed si *exterritos* corrigimus, etiam delendum erit *aut*, tamquam additum, ut *exterritis* cum *convulsis ulterioribus* conjungeretur. Et tamen durior est orationis structura. MSS. Regius (Bud. a 1. m.) ed. pr. *exterriti* habent. MSS. Oxon. et Guelf. *ulterioribus* addunt *sublicis.* Ern.

Narc. incusat] Cf. Exc. e Dionis l. 60. ap. Constant. Porphyr. ed. a Vales. p. 677.

D. Junio, Q. Haterio coss.] Non concilio in hac omni narratione Tacitum cum Suetonio. Noster matrimonium cum Octavia, caussarum dictiones, ad Consules refert, quos posuit: Suetonius c. 7. gesta hæc vult toto anno ante, Claudio quintum et Cornelio Orfito coss. Nec enim de alio Claudii Consulatu intellexeris illa: *Apud patrem Consulem pro Bononiensibus Latine, et pro Rhodiis atque Iliensibus Græce verba fecit. Nec multo post duxit uxorem Octaviam.* At inter eum Consulatum, et hunc Taciti annum, interjecti Faustus Sulla et Salvius Otho. Uter verior, mihi sane non liquet. Lips. Mox MS. Guelf. *C. Cæsaris*: male. Ern. Junius is *Silanus* a Nerone interfectus. V. 15, 35. Cf. Vales. ad Exc. Dionis.

Gloria nitesceret] Profecto in Groslotii mei correctionem inclino, *notesceret.* Lips. Et confunduntur sane in libris hæc verba, ut *enitescere* et *enotescere.* V. Schwarz. ad Plin. pan. p. 9. 493. Sed *nitescere* plus est quam *notescere*, adeoque melius h. l. sic *enitescere*, pro quo simplex posuit more suo, pro illustrari, clarescere. V. Schwarz. l. c. p. 493. Cod. Flor. etiam *enitesceret*, quod recepit Lallem. Ern. et Bip. Sed Bud. *nitesceret.*

Romanum Troja demissum] Nihil deesse ostendimus ad illud Livii 3, 2. *quod et Romanus ira odioque pugnabat.* Gron. Nempe *Romanus* ponitur pro Romanis, populo Romano, ut ap. Livium sæpe pro exercitu Romano. Grotius putabat addendum *nomen. Demissus* pro ortus dixit imitatione Virgilii Æn. 1, 292. et alibi. Ern.

Aliaque haud procul fabulis vetera] Correxit Rhen. (e Bud.) cum ante esset *vera.* Lipsius in prima ed. conjecerat *verum*, quod placet Acidalio, sive *ceterum. Verum* est in cod. Agric. unde recepit Ryckius. Ed. Puteol. *vera facunditate.* Eo verbo etiam Plautus usus in Trucul. 2, 6, 13. Ea lectio fortasse, nonnullis non displiceat. Quod nunc editur, verum puto. Ern. Bip. præferunt *vera*, fabulis confinia. Provocant ad Flor. quem a nemine allegari video. Vera falsis mixta fuisse, recepta lectio ipsa innuit.

Impetrat, ut Ilienses] Liber vet.

solverentur. Eodem oratore Bononiensi coloniæ, igni hau- A. U.
stæ, subventum centies sestertii largitione. Redditur Rho- 807.
diis libertas, adempta sæpe aut firmata, prout bellis externis A. C.
meruerant, aut domi seditione deliquerant. Tributumque 54.
Apamensibus, terræ motu convulsis, in quinquennium re-
missum. At Claudius sævissima quæque promere adige- 59
batur ejusdem Agrippinæ artibus, quæ Statilium Taurum,

perpetrat, recte. Sed quid? non jam ante immunes Ilienses? immunes pridem. Primus Alexander, post pugnam ad Granicum amnem, ἐλευθέραν καὶ ἄφορον eam urbem pronunciavit, ait Strabo 13. p. 593. Certamen deinde Romanis, in honestanda urbe, ut credebant, parente. in fœdere quod cum Antiocho, immunitas Iliensibus data, et Rhœteum ac Gergithum concessa: ut auctor est Livius 38, 39. Epistola deinde Græca Senatus Populique Romani ad Seleucum Regem missa (Suetonii verba sunt Claud. 25.) *amicitiam et societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immune, præstitisset.* Sulla etiam, Asiam constituens, eosdem ἐλευθέρους ἠφίει, καὶ Ῥωμαίων ἀνέγραφε φίλους. ait Appianus Mithr. 61. An hoc mutatum postea (et sæpe solet) nescio: Julius quidem Cæsar iterum et agrum et libertatem dedit et immunitatem: nec imminuit Tiberius aut Augustus. Strabo l. c. p. 595. Καῖσαρ ὁ Θεὸς χώραν τε δὴ προσένειμεν αὐτοῖς, καὶ τὴν ἐλευθερίαν καὶ τὴν ἀλειτουργησίαν αὐτοῖς συνεφύλαξε. καὶ μέχρι νῦν συμβαίνουσιν ἐν τούτοις. Quis ergo ea abstulit, ut opus fuerit sive reddi a Claudio, seu firmari? An Caligula? nihil lectum. Credo equidem, nemo: sed vel Claudius adjecit aliquid ad immunitatem olim datam, effecitque ut plenissima uterentur, (atque ideo Tacitus scripserit, *ut omni publico munere solverentur*, quasi antea non omni:) aut concessa, sed publicanorum improbitate mota, sanxit in perpetuum stabilivitque. Suet. l. c. *Iliensibus quasi Romanæ gentis auctoribus tributa in perpetuum remisit.* Callistratus l. 17. D. De excusat. *Iliensibus et propter inclytam nobilitatem civitatis, et propter conjunctionem originis Romanæ, jam antiquitus et Senatusconsultis et Principum constitutionibus plenissima immunitas tributa est, ut etiam tutelæ excusationem habeant.* Lips. *Perpetrat* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. et alii ap. Broterium. ed. pr. Ern. Immunitatis Iliensium typus equus est libere pascens. V. NN. Col. ap. Vaillant t. 1. p. 221. et t. 2. p. 45. Pro *munere* amicus Ryckii volebat *onere*, ut 2, 42. 4, 6. sed *immunitas* est exemtio publ. onerum s. munerum. V. 12, 61. 13, 51.

Redditur Rhodiis libertas] Adempta nuper ab ipso Claudio, propter cives quosdam Romanos in crucem actos, ut notat Dio 60, 24. Sed restituta, orante Nerone, cujus honori jure Epigramma illud adsero, quod nomine Antiphili legitur primo Anthologiæ εἰς νήσους. Nec enim alio spectat, quam ad hoc factum (in Brunckii anal. t. 2. p. 174.).

Ὡς πάρος ἀελίου, νῦν Καίσαρος ἡ Ῥόδος εἰμὶ
Νᾶσος, ἴσον δ' αὐχῶ φέγγος ἀπ' ἀμφοτέρων.
Ἤδη σβεννυμέναν με νέα κατεφώτισεν ἀκτὶς
Ἅλιε, καὶ παρὰ σὸν φέγγος ἔλαμψε Νέρων.
Πῶς εἴπω; τίνι μᾶλλον ὀφείλομαι; ὅς μὲν ἔδειξεν
Ἐξ ἁλὸς, ὃς δ' ἤδη ῥύσατο δυομέναν.

Argutum Epigramma, et comparat Neronem ecce cum Sole. quia, ut ille Rhodum retexet radiis fecitque oriri; sic iste pressam et occidentem restituit, reduxitque in lucem. Lips. Potest etiam respexisse poeta ad nummum Rhodiorum in honorem Neronis cusum, in quo Nero caput radiatum habet, propter famam, de qua Dio apud Xiphil. 61, 2. recens natum Neronem radiis circumdatum apparuisse; qua specie etiam exhibe[illegible]r in numo Nicæensium. Ern.

Apamensibus] Sic MS. Flor. Guelf. et ed. pr. idque secutus sum. Ceteræ edd. inde a Puteolano *Apamiensibus*, nisi quod Ryckius e MS. Agr. *Apamensibus* dedit. Quia et *Apama* et *Apamea* et *Apamia* recte dicitur, etiam adjectivum varie formari potest. Sed usitatissimum est, quod nos exprimi curavimus. Ceterum Apameam Phrygiæ intelligit Ryckius. Ern.

Sæviss. q. promere] Sic Græv. ap. Lact. de mort. p. vult *promere exitium*.

A. U. 807. A. C. 54. opibus inlustrem, hortis ejus inhians, pervertit, accusante Tarquitio Prisco. Legatus is Tauri, Africam imperio Proconsulari regentis, postquam revenerant, pauca *repetundarum crimina*, ceterum *magicas superstitiones* objectabat. Nec ille diutius falsum accusatorem indignamque sortem perpessus, vim vitæ suæ adtulit, ante sententiam Senatus. Tarquitius tamen curia exactus est: quod Patres, odio delatoris, contra ambitum Agrippinæ, pervicere.

60 Eodem anno sæpius audita vox Principis, *parem vim rerum habendam, a Procuratoribus suis judicatarum, ac si ipse statuisset*. ac, ne fortuito prolapsus videretur, Senatus quoque consulto cautum, plenius quam antea et uberius. Nam D. Augustus, *apud Equestres, qui Ægypto præsiderent, lege agi, decretaque eorum perinde haberi* jusserat, *ac si magistratus Romani constituissent:* mox alias per provincias, et in urbe pleraque

Indigna sorte] MSS. Reg. Agr. Ed. Pr. *indignasque sortes;* unde Nic. Heinsius corrigebat *indignasque sordes* i. e. immeritum reatum: quod verum puto. Ed. pr. *Tarquitius* constanter. Guelf. Puteol. et vett. edd. ceteræ *Tarquinius:* male. de Tarquitio v. Ryckium ad h. l. Adde 14, 46. Ern. Bud. *indigna sorte*. Bip. recte *indignamque sortem*. quippe sordes reus suscipit vel deponit, sortem vel casum patimur. Cf. 16, 9. De Tarquitio memoratu dignus Neronis numus, cujus veram epigraphen dedit Cl. Eckhel in NN. vet. anecd. p. 187. et in Doctr. NN. vet. vol. 2. p. 403.

Exactus] Missum putat Ryckius specie honoris in Bithyniam pro Consule. Cf. 14, 46.

A Procuratoribus suis judicatarum] Defunguntur vulgo leviter interpretatione hujus loci, et alterius Suetoniani comparis Claud. 12. *Ut rata essent, quæ Procuratores sui in judicando statuerent, a Senatu precario exegit*. Referunt enim ad Procuratores rei familiaris in provinciis: quibus datum nunc jus volunt cognoscendi statuendique inter privatos et fiscum, in re pecuniaria quidem; non enim criminum: argumento l. 2. C. Si advers. fis. l. 8. §. Transactiones. D. De transact. et l. 1. C. De jurisd. omn. judic. Itaque non aliud Tacitum tam longa et querula oratione indignari, quam jurisdictionem Procuratoribus mandatam in re et caussa fiscali pecuniaria: eorumque decreta firma a Claudio habita et rata. Sed mihi profecto, et, credo, Tacito alia mens est. cui lucem dare conamur in Excurs. B. Lips. Ego Procuratores rei privatæ omnes intelligam. Nam de Procuratoribus, vice Præsidum procurantibus minores provincias, non sit valde mirum, eorum judicata valere. Et Tacitus in fine capitis simpliciter, et sine exceptione vocat *libertos, quos rei familiari præfecerat*. Et consilium Claudii arguit. Vult enim ostendere, quomodo administratio Reip. quæ maxime judiciis exercendis continetur, a Senatu paullatim ad Equites, ab his ad libertos domi forisque venerit. Procuratores etiam in majoribus provinciis ex Equitibus et libertis Cæsarum. Vid. 13, 1. Ern.

Apud Equestres] Nove hoc dictum, pro Equitibus, vel ordinis Equestris hominibus, nec ante Tacitum reperiri, recte monet Dukerus ad Liv. 33, 26. similiter infra 13, 10. *Julius Densus Equester*, quod, non memor hujus loci Muretus, tentabat, corrigens *Eques R.* probante Acidalio. Mox pro *proinde* Pichena malebat *perinde*. Id, quia MS. Guelf. addicit, recepi. Ern. Cod. Agr. *ap. Equites*.

Lege agi] Quæ sit *legis actio*, docet Pompon. de orig. jur. §. 5.

In urbe pleraque concessa] In urbe Equitibus Romanis late datum jus. uti ab Augusto Mæcenati in Præfectura urbis, uti Præfecto Prætorio semper: quia is ex Equite ad tempora Vespasiani. Sed de Procuratoribus Cæsaris in urbe aliquod jus, extra res fisci. Ulpianus l. 9. de Off. Pro CS. ap. Schulting. in Coll. LL. Mos. et Rom. t. 14. *Frequens est etiam legis Fabiæ cognitio in tribunalibus Præsidum: quamquam quidem Procuratores Cæsaris usurpaverint, quam Romæ, tam in provinciis*. Lips. Ceterum hic pro

concessa sunt, quæ olim a Prætoribus noscebantur. Clau- A. U.
dius omne jus tradidit, de quo totiens seditione aut armis 807.
certatum, cum Semproniis rogationibus Equester ordo in A. C.
possessione judiciorum locaretur; aut rursum Serviliæ leges 54.
Senatui judicia redderent; Mariusque et Sulla olim de eo vel præcipue bellarent. Sed tunc ordinum diversa studia: et quæ vicerant, publice valebant. C. Oppius et Cornelius Balbus primi Cæsaris opibus potuere conditiones pacis et arbitria belli tractare. Matios posthac et Vedios et cetera Equitum Romanorum prævalida nomina, referre nihil adtinuerit; cum Claudius libertos, quos rei familiari præfecerat, sibique et legibus adæquaverit. Retulit dein *de inmu-* 61
nitate Cois tribuenda. multaque *super antiquitate eorum* memoravit: *Argivos, vel Cœum, Latonæ parentem, vetustissimos*

prie nondum de Procuratoribus loquitur, sed de Equitibus. Unde non opus Ryckiana animadversione de Procuratoribus in urbe: de quibus si sermo hic jam esset, firmaret id ea, quæ ante contra Lipsium dixi. ERN.

Serviliæ leges] Plures eo nomine: sed una judiciaria, quam tulit Q. Servilius Cæpio Consul. de qua Cicero sæpius et Asconius in pro M. Scauro. LIPS.

Bellarent] Sic scr. et edd. ante Rhen. qui frustra (e Bud.) mutavit in *bellarunt*. Itaque cum J. Gronovio restituimus. Mox *quæ vicerant* MS. Flor. (Bud.) edd. pr. Puteol. ceteræque veteres ante Lipsium. An data opera, e libris scr. editum sit *qui*, nescio. Ego veterem lectionem restitui: intell. *studia*. Eleganter et sæpe *studia* dicuntur *valere, vincere*. Sensus est: quæ partes vicerant, eæ consequebantur, ut plurimum in Rep. possent, judicia administrarent: non, ut unus omnia posset; ut post bellum Cæsarianum factum. ERN.

Matios posthac et Vedios] Vedium intellegit Pollionem, et B. sive Cn. Matium. Etsi libri hic omnes inepte *Macchyos*, vel *Matthios*. C. Matii, qui inter amicos Julii Cæsaris, mentio Suetonii c. 52. *Quæ scire C. Matium, C. Oppium reliquosque Cæsaris amicos.* item Ciceroni ad Trebat. Ep. 7, 15. *Quum in C. Matii suavissimi doctissimique hominis familiaritatem venisti.* Et, quia Cicero elogio doctissimi ornat, censui olim, eumdem esse cum illo, qui Mimiambos et Iliada scripsit, quem Agellius 15, 25. Macrobiusque Sat. 2, 16. laudant, ut hominem impense doctum. Sed tamen cum Cnæi prænomine, uti et apud Plinium 12, 6. Cn. Matius legitur inter amicos Augusti. *Cn. Matius, ex Equestri ordine, D. Augusti amicus.* Qui fortasse alius ab illo primo, et de quo hic sermo. In lapide quodam (ap. Grut. p. 654.) geminata littera sculptum legi P. MATTIVS. CHARITON. LIPS. Sic et ap. Gell. et Macrob.

Libertos, quos rei familiari] Juvare videtur eos, qui Claudianum scitum ad Rationales tantum referunt. Frustra. Procuratores enim omnes primo rei familiari sive fisco præfecti, sed imago imperii quibusdam adjuncta. LIPS.

Cois tribuenda] Sic se castigasse dicit Rhen. (e Bud.) pro *restituenda*. At sic etiam edd. pr. Puteol. Riv. Alterum est a Beroaldo et Alciato. Infra post *scientia* in Guelf. abest *ipse*: non bene. ERN.

Argivos vel cum Latonæ parente] Certissima emendatio est et elegantis ingenii clara index, quam a Josia Mercero accepi; *Argivos vel Cœum Latonæ parentem.* Pater enim ejus Deæ Κοῖος vel Κεῖος. Hesiodus Theog. 404.

Φοίβη δ' αὖ Κοίου πολυήρατον ἦλθεν ἐς εὐνήν,
Κυσσαμένη δ' ἤπειτα Θεὰ Θεοῦ ἐν φιλότητι
Λητὼ κυανόπεπλον ἐγείνατο.

Et ab eo nomen ipsi insulæ datum. Huic ipsi rei gryphus in Athenæi 10, 21. ex veteri carmine: — μήτηρ δ' ἐστ' ἀριθμοῖο παῖς. *numeri mihi filia mater. Significatur Latona*, inquit Athenæus, *Cœi filia; quia Macedones numerum cœum agnominant.* At de Xenophonte quod additur, est ille medicus, cujus Diogeni Laertio mentio in fine Xenophontis Socratici: Τρίτος, ἰατρὸς Κῷος. LIPS. Cœus ipse cœli et terræ filius. Hesiod. v. 136. *Parentem* habet Flor. At Bud. cum aliis male *parente*.

A. U. 807. A. C. 54. *insulæ cultores: mox adventu Æsculapii artem medendi inlatam, maximeque inter posteros ejus celebrem fuisse*, nomina singulorum referens, et quibus quisque ætatibus viguissent. Quin etiam dixit, *Xenophontem, cujus scientia ipse uteretur, eadem familia ortum: precibusque ejus dandum, ut omni tributo vacui in posterum Coi sacram et tantum Dei ministram insulam colerent.* Neque dubium habetur, multa eorumdem in Pop. Rom. merita, sociasque victorias potuisse tradi. Sed Claudius facilitate solita, quod uni concesserat, nullis ex-
62 trinsecus adjumentis velavit. At Byzantii data dicendi copia, cum *magnitudinem onerum* apud Senatum deprecarentur, cuncta repetivere; orsi *a fædere, quod nobiscum icerant, qua tempestate bellavimus adversus Regem Macedonum, cui, ut degeneri, Pseudophilippi vocabulum inpositum. Missas posthac copias in Antiochum, Persen, Aristonicum, et piratico bello adjutum Antonium*, memorabant: *quæque Sullæ aut Lucullo aut Pompeio obtulissent:* mox *recentia in Cæsares merita; quando ea loca insiderent, quæ transmeantibus terra marique Ducibus exercitibusque, simul vehendo commeatui op-*
63 *portuna forent.* Namque artissimo inter Europam Asiamque divortio, Byzantium in extrema Europa posuere Græci,

Tantum Dei ministram] Sic MSS. Fl. Bud. Farn. ed. pr. Ceteræ omnes ante Pichenam *tanti*, etiam Lips. quod male defendit Ryckius e cod. Agr. cui adstipulatur Guelf. Vult non nisi Deo servire insulam, non etiam hominibus, tributo pendendo. Vitiose etiam ed. pr. aliæque vett. *haberetur*. Ern. Sic et Bud. et Agr. codd.

Potuisse tradi. Sed] Sic feliciter restituit Rhen. e cod. Bud. qui habebat *patuisse tradidisset. Claudius*, ut Guelf. Ed. pr. *potuisset tradidisset. Claudius.* Puteolanus primus dedit: *patuisse Claudius.* Ern. Beroald. *patuisse. Claudius.*

At Byzantii] Ed. pr. *Byzantiis.* mox *jecerant*, ut MSS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. pr. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. *Icerant* reperi in Gryph. Pich. Lips. etc. Liceret corrigere *fecerant*, ut 11, 9. e *jaciunt* factum *faciunt.* Ern.

Missas posthac copias] Quid *posthac?* ergo Antiochus et Perses post Pseudophilippum? minime. tempore hi anteeunt: sed scilicet Byzantii primum, ut validius, fœdus memorant, quod tempore Pseudophilippi coiit: tum addunt de auxiliis varie latis. Itaque *posthac*, non tempus rei gestæ, sed dictæ notat. Malim tamen, *post hæc*, eo sensu. Lips. Frustra: *posthac* idem est, et sic dictum 3, 62. et 6, 7. Ern.

Adjutum Antonium] Capio non de celebri notoque Antonio, qui Triumvir: sed de M. Antonio, qui Curator oræ maritimæ cum infinito imperio, sub initia Piratici belli, de quo illud Sallustii innotuit in fragm. l. 3. *M. Antonius perdundæ pecuniæ genitus, vacuusque a curis nisi instantibus.* Vide Ciceronem et Asconium in Verrem 1, 23. 2, 3. Lips. Mox *commeatui* volebat Pichena. Et sic ed. Gryph. sed vulgatum verius, sive dativum velis, sive ablativum. De dativis in *u* supra jam vidimus c. 5. et constructionem similem cum ablativo 3, 10. Ern. Bud. *commeatui*, quod præfero cum Pich. et Bip.

Vehendo commeatui] Heins. *subvehendo.* Sic cod. Agr. apud Ryck.

Posuere Græci] Pleraque historia Spartanis adscribit conditam hanc nobilem urbem, et fatalem imperiorum sedem. Justinus 9, 1. et Isidorus Orig. 15, 1. a Pausania Rege; Claudianus a Byzante quodam non obscure exstructam vult: in Eutrop. 2, 83. — *hoc Byzas Constantinusque videbunt?* In Joanne Sarisberiensi de nugis Curialium (in quo centone multos pannos purpuræ agnosco, et fragmenta ævi melioris) lego 1, 5. *Chilon Lacedæmonius jungendæ societatis caussa missus Corinthum, Duces et seniores populi ludentes invenit in alea. Infecto*

quibus, Pythium Apollinem consulentibus, *ubi conderent urbem?* redditum oraculum est, *quærerent sedem cæcorum terris adversam.* Ea ambage Chalcedonii monstrabantur, quod priores illuc advecti, prævisa locorum utilitate, pejora legissent. Quippe Byzantium fertili solo fecundoque mari; quia vis piscium innumera, ponto erumpens, et obliquis sub- A. U. 807. A. C. 54.

itaque negotio reversus est, dicens, se nolle gloriam Spartanorum, quorum virtus constructo Byzantio clarescebat, hac maculare infamia, ut dicerentur cum aleatoribus contraxisse societatem. At alii non conditam a Pausania, sed saltem expugnatam tradiderunt; inter quos Æm. Probus 1, 2. Ammiano vero est *Atticorum colonia*, 22, 8. Lips.

Prævisa locorum utilitate] Ad sententiam fortasse aptius, *parum visa locorum utilitate.* Ideo enim cæci, oraculo dicti. Apud Strabonem denarrata tota res 7. p. 320. Τὸν Ἀπόλλω, inquit, φασὶ τοῖς κτίσασι τὸ Βυζάντιον ὕστερον, μετὰ τὴν ὑπὸ Μεγαρέων Χαλκηδόνος κτίσιν, χρηστηριαζομένοις, προστάξαι ποιήσασθαι τὴν ἵδρυσιν ἀπεναντίον τῶν τυφλῶν· τυφλοὺς καλέσαντα τοὺς Χαλκηδονίους, ὅτι πρότερον πλεύσαντας εἰς τοὺς τόπους, ἀφέντες τὴν πέραν κατασχεῖν, τοσοῦτον πλοῦν ἔχουσαν, εἵλοντο τὴν λυπροτέραν. Habes eadem in Herodoto 4, 144. nisi quod illic dictum hoc et scomma in Chalcedonis Megabyzo Satrapæ tribuit. Septemdecim autem annis conditam Chalcedona ante Byzantium, ibidem etiam traditum. Lips. *Parum visa* placet etiam Pichenæ. At J. Gronovio *imprævisa.* Quid impedit, quo minus *prævisa*, quod omnes libri habent, sint non visa, prætervisa, ad formam Græci verbi παρορᾶν. Atque sic ap. Horat. Serm. 1, 3. 25. *prævideas mala*, legunt et intelligunt viri præclari Rutgersius, Bentleius, Heinsius, Cuningamus. Et sic jam monuit N. Heinsius ap. Ryckium. Ern. Bud. et Agr. *provisa*, pessime. Flor. cum aliis *prævisa.* Perperam hoc verbum pro *prætervidere* apud Horatium sumi, Gesnerus judicat. Bip. Lipsii conjecturam in textum recepere.

Vis piscium in Pontum] Falsa lectio: damnata ab historia, et a libris. Nam libri omnes, *vis piscium in Metapontum erumpens.* Ex quis vere corriges, *vis piscium innumera Pontum erumpens.* Ita scilicet res est. copia ista piscium (pelamydes sunt) non intrantes e mari Ægæo Pontum, ut vulgata lectio suadet, sed exeuntes erumpentesque capiuntur. Fœtura enim eorum in paludibus Mæotidis est; atque inde adulti, grege facto, Pontum Propontidemque intrant. atque ibi captura. Strabo clare 7. p. 320. Γεννᾶται οὖν τὸ ζῶον, (pelamydem intellegit) ἐν τοῖς ἕλεσι τῆς Μαιώτιδος. ἰσχύσαν δὲ μικρὸν, ἐκπίπτει διὰ τοῦ στόματος ἀγεληδὸν, καὶ φέρεται παρὰ τὴν Ἀσιανὴν ἠϊόνα μέχρι Τραπεζοῦντος καὶ Φαρνακίας. Et post pauca addit: Ἐπειδὰν δὲ ἤδη συνάψῃ ταῖς Κυανέαις, καὶ παραλλάξῃ ταύτας, ἐκ τῆς Χαλκηδονιακῆς ἀκτῆς λευκή τις πέτρα προσπίπτουσα φοβεῖ τὸ ζῶον, ὥστ' εὐθὺς εἰς τὴν περαίαν τρέπεσθαι. παραλαβὼν δὲ ὁ ἐνταῦθα ῥοῦς ἅμα καὶ τῶν τόπων εὐφυῶν ὄντων πρὸς τὸ τὸν ἐκεῖ ῥοῦν τῆς θαλάττης, ἐπὶ τὸ Βυζάντιον καὶ τὸ πρὸς αὐτὸ Κέρας τετράφθαι φυσικῶς, συνελαύνεται δεῦρο, καὶ παρέχει τοῖς Βυζαντίοις καὶ τῷ δήμῳ τῶν Ῥωμαίων πρόσοδον ἀξιόλογον. Eademque ex Aristotele colliges De Hist. animalium 15, 10. Pliniani codicis mendum non sileo in hac narratione 9, 20. *Est in Euripo*, ait, *Thracii Bospori . . . in ipsis Europam Asiamque separantis freti angustiis, saxum miri candoris, a vado ad summa perlucens, juxta Chalcedonem in latere Asiæ. Hujus adspectu repente territi, semper adversum Byzantii promontorium, ex ea caussa appellatum Chrysoceras, præcipiti petunt agmine. Itaque omnis captura Byzantii est, magna Chalcedonis penuria. Opperiuntur autem Aquilonis flatum, ut secundo fluctu exeant e Ponto: nec nisi intrantes Pontum Byzantii capiuntur.* Quid? non capiuntur nisi intrantes Pontum? contra ante dixit, capi exeuntes e Ponto, non intrantes. quod verissimum est. Itaque alii vice Ponti, *Propontidem* substituunt: Pincianus totum locum rescribit confidentius, *nec nisi infantes tunc Byzantii capiuntur.* Fortasse verius, simplicius certe, *intrantes portum Byzantii*, ut ad ipsum oppidum, et in portu fuerit ea captura. Nam cornu illud, ad quod deferebantur, fuit προσεχὲς τῷ Βυζαντίων τείχει, ut Strabo ait: imo, ut Plinius, in ipso illo promontorio, quod Cornu vocant, Byzantium urbs. Atque ibi in multos sinus scissum, tamquam ramos (εἰς οὓς ἐμπίπτουσα ἡ πηλαμὺς ἁλίσκεται) faciebat urbi illi portum.

A. U. 807. A. C. 54. ter undas saxis exterrita, omisso alterius litoris flexu, hos ad portus defertur. Unde primo quæstuosi et opulenti; post, magnitudine onerum urgente, *finem aut modum* orabant, adnitente Principe, qui *Thracio Bosporanoque bello recens fessos juvandosque* retulit. Ita tributa in quinquennium remissa.

A. U. 808. A. C. 55. M. Asinio M'. Acilio coss. mutationem rerum in deterius portendi, cognitum est crebris prodigiis. Signa ac tentoria militum igne cœlesti arsere. Fastigio Capitolii
64 examen apium insedit, Biformes hominum partus, et suis

ADD. Ad correctionem nostram et exitum piscium e Ponto, facit valde Sallustii locus apud Servium 4. et Juvenalis interpretem Sat. 4, 42. *Qua tempestate vis piscium Ponto erumpit.* Tamen, ne callide dissimulem, vulgatam lectionem D. Ambrosius affirmare videtur, Hexaem. 5, 10. *Pisces,* inquit, *ex plurimis locis, a diverso sinu maris, innumeri, velut communi consilio convenientes, conjuncto agmine flatus aquilonis petunt, et ad illud Septemtrionalium mare partium quadam naturæ lege contendunt. Dicas, si ascendentes videas, rheuma quoddam esse. ita proruunt, fluctusque intersecant, per Propontidem in Euxinum Pontum violento impetu profluentes.* Sed mox addit, ingruente hieme, et, postquam ibi fœtificaverint immenso agmine regredi. Vide locum: et utramvis lectionum defendi posse, tu defendes. LIPS. Edd. vett. itidem in *Metapontum* usque ad Rhenanum, qui dedit *in pontum:* quod omnes secuti sunt, donec Lipsius feliciter correxit *innumera pontum;* quod recepit J. F. Gronovius. Broterius etiam correxit et edidit *Ponto* e loco Sallustii ap. Schol. Juvenalis l. c. In vulgata int. *in.* Post Guelf. pro *urgente* habet *vergente,* de qua confusione jam supra admonuimus. ERN. *Erumpere nubem* Virg. dixit Æn. 1, 584. *nebulam* Val. Fl. 5, 466. subaudita præpos. *per.* Durior foret ellipsis particulæ *in.* Quidni ergo cum Sall. legamus *ponto?*

Obliquis subter undas] Quærunt, quæ hæc *saxa obliqua?* Ego dicam. e littore Chalcedonis saxa a latere se ostendunt; et velut ex transverso (Straboni scriptum) atque ea igitur fugiunt. At Franciscus Medices, quia Strabo idem et Plinius *candidum saxum* id dicunt, vellet hic legi, *albis,* vel *albidis,* pro voce, *obliquis.* Vellem et ego hominis caussa. quis enim Musicus Medices non amet? sed non possum hanc peraudacem conjecturam. LIPS.

Thracio Bosporanoque bello] Thracium bellum intellegit, quod cum Thracibus montanis gestum, Duce Poppæo Sabino; Bosporanum, quod cum Rege Mithridate. De illo noster 4, 46. de hoc supra 15. et 21. LIPS.

M. Asinio etc.] Vett. edd. vitiose *Asilinus.* Index coss. ap. Dionem *Asinio* dat prænomen *Q.* et *Acilio Manius.* De Acilio concedo: quia id solenne Aciliorum prænomen, ut e Cicerone et Livio notum est; idque prænomen exprimendum curavi, cum vulgo sit *Marcus.* De Asinio non discedo a libris, qui in *M.* consentiunt. Index coss. in Dionis exemplaribus cujus fidei, dictum supra ad c. 41. ERN.

Signa enim ac tentoria] Delevi *enim* auctoribus MS. Flor. ed. pr. Non opus est ista particula: nec in tali narratione utitur ea Livius, vide v. c. 31, 12. add. nostrum 14, 12. 15, 47. Mox *apium* editur inde a Pichena e MS. Flor. et Reg. ceteri scr. et edd. vett. *apum.* Supra contra 24. MS. Fl. habebat *Larum* pro *Larium.* De illo genitivo *apium* v. Drakenb. ad Silium 8, 637. et quos ibi laudat: item de hoc prodigio: sed in primis ad Liv. 4, 33. ubi tamen Livio *apium* adserit. ERN. De prodigiis istis v. Suet. 46.

Examen apum] Quod semper inter portenta: cum visum loco insolenti. Silium Ital. emendari velim l. c. de prodigiis, quæ ante pugnam Cannensem: *Obseditque frequens castrorum limina bubo: Nec densæ trepidis absunt se involvere nubes Cessaruntque aquilis: non unus crine corusco Regnorum eversor rubuit lethale cometes.* scribique: *Nec densæ trepidis apium se involvere nubes Cessarunt aquilis.* Nubes apium, examina vocat, quæ insederunt signa. Quod sequitur, *suis fetus editus,* libris omnibus erat *fetum editum:* et fortasse nominandi casu sic dixerint etiam antiqui. LIPS.

Biformes hominum p.] Ryckius in-

fetum editum, cui accipitrum ungues inessent. Numerabatur inter ostenta deminutus omnium magistratuum numerus; Quæstore, Ædili, Tribuno ac Prætore et Consule, paucos intra menses, defunctis. Sed in præcipuo pavore Agrippina, vocem Claudii, quam temulentus jecerat, *fatale sibi, ut conjugum flagitia ferret, dein puniret*, metuens, agere et celerare statuit, perdita prius Domitia Lepida, muliebribus caussis: quia Lepida, minore Antonia genita, avunculo A. U. 808. A. C. 55.

telligit *hippocentaurum*, quem Plin. H. N. 7, 3. tradit Claudio imperante Romam ex Ægypto allatum in melle. Et dicuntur Centauri διφυεῖς biformes. ap. Cic. Tusc. 2, 8. *biformatus impetus* de Centauro. Sed, quia plurali numero utitur Tacitus, arbitror, etiam de aliis et pluribus intelligi posse, etiam hermaphroditis, quibus *duplex, ambigua natura* a Latinis tribuitur. Sic ob duplicem faciem biformis Janus ap. Ovid. Fast. 1, 89. Androgyni autem etiam apud Livium 31, 12. inter prodigia et quidem obscenissima. Ceterum conjunxi cum sequentibus, ut est in ed. pr. Puteol. Ber. Alc. Primus (e Bud.) diremit Rhenanus interposito puncto, quem omnes secuti sunt. Deinde MSS. et edd. vett. omnes *fetum editum;* et MS. Flor. edd. vett. ante Rhenanum *inessent*, pro quo hic dedit e cod. Bud. *erant:* idque secuti sunt usque ad Pichenam. *Fetus editus* unde venerit, nescio. Male autem Ryckius hæc conjungit cum *numerabatur*. *Inter prodigia numerari* dicitur h. l. de re, quæ proprie non est, sed propter eventum pro prodigio habetur. Ex quo genere est mors magistratuum ex omni genere. Sed fetus suis cum accipitris unguibus semper prodigium fuit. Non animadverterunt viri docti, intelligendum *nunciabatur, ferebatur*. Sæpe apud Livium et nostrum oratio subito e recta fit obliqua, et contra. V. ad 1, 36. Sed si libri faverent, tamen præferrem nominativos. Ern. Sic Bip. Contra Lall. subintelligit *nunciabunt, ferebant*, quod admitti potest. Singulare est, quod refert Phlegon de mirab. c. 23. *Corn. Gallicani uxor Romæ infantem edidit capite Anubidis*. Alia v. ap. Fortun. Licetum.

Deminutus] Sic cod. Flor. et Bud. vulgo *diminutus*.

Perdita prius Domitia] Nemo tam inconspectus in legendo, qui vitium non videat male hærentis et incoibilis orationis. Domitia, inquit, perdita est: et subdit quasi de alia, quia inter Lepidam et Agrippinam æmulatio exercebatur. Corrige vero, et reduc aberrantem vocem: *perdita prius Domitia Lepida levibus et muliebribus caussis: quia minore Antonia genita*. Scilicet Cn. Domitio duas fuisse filias, quarum utraque Domitia gentis nomine dicta: sed minor, de qua hic, discriminandi caussa, cum Lepidæ cognomine. Ea nunc ad mortem adacta. Suetonius Ner. 7. *Amitam Lepidam ream testimonio coram adflixit, gratificans matri, a qua rea premebatur*. At Domitia altera supervixit, et mentio ejus 13, 19. estque veneno sublata a Nerone, paullo post mortem matris. Vide Suet. Ner. 34. et Xiphil. 61, 17. Lips. Nempe ante erat: *p. p. D. levibus et m. c. quia Lepida:* quod primum reperi apud Puteol. et MS. Guelf. In MS. Flor. et ed. pr. est *Domitiale mul. caussis.* hinc *levibus et* formatum, cum deberet esse *Lepida*, ut Lipsius voluit et Torr. ad Suet. Ner. 5. Librarius deinde voluit resarcire peccatum, et alieno loco scripsit *Lepida:* quamquam etiam altero loco nomen illud ferri posse arbitror. Itaque post Freinsh. Gronov. et Ryckium dedi *Domitia Lepida muliebribus caussis*. Ern. Bud. *levibus et mul. c.* Vox *Domitia* suppleta in marg. Pichena primus locum restituit, præiverat Lipsius.

Minore Antonia genita] Culpant me, quod non scripserim, *majore*. Non me, sed Tacitum. Ita enim iterum sensit scripsitque noster 4, 44. *Cn. Domitius electus, cui minor Antonia Octavia genita in matrimonium daretur*. At enim Suet. et Plut. aliter. Quid ergo? novum est, ut dissensus aliquis scriptorum sit? Et tamen Plut. clare id non dicit: clare Suet. fateor, plus uno loco. sed cur arbiter ego inter eos sim? Solvo me judicatu isto; et bono veterique ritu, juro mihi non liquere. Lips. Intelligit Torrentium ad Sueton. l. c. Ern.

A. U. 808. A. C. 55. Augusto, Agrippinæ sobrina prior, ac Cnei, mariti ejus, soror, parem sibi claritudinem credebat. nec forma, ætas, opes multum distabant; et utraque inpudica, infamis, violenta, haud minus vitiis æmulabantur, quam si qua ex fortuna prospera acceperant. Enimvero certamen acerrimum, amita potius an mater apud Neronem prævaleret. Nam Lepida blandimentis et largitionibus juvenilem animum devinciebat, truci contra ac minaci Agrippina, quæ filio dare Imperium, tolerare imperitantem nequibat. Ceterum objecta sunt *quod conjugium Principis devotionibus petivisset, quodque, parum coercitis per Calabriam servorum agminibus, pacem Italiæ turbaret.* Ob hæc mors indicta, multum adversante Narcisso, qui, Agrippinam magis magisque suspectans, prompsisse inter proximos ferebatur, *certam sibi perniciem, seu Britannicus rerum, seu Nero potiretur. Verum ita de se meritum Cæsarem, ut vitam usui ejus impenderet. Convictam Messallinam et Silium. Pares iterum accusandi caus-*

Agrippinæ sobrina prior] Sive quod jurisconsulti saggerunt, *sobrina propior:* etsi eadem vis alteri illi voculæ. Lepida autem Germanico, patri Agrippinæ, consobrina fuit. Filiæ ergo Germanici Lepida sobrina propior. Res satis clara ex stemmate nostro Augusti. LIPS. Mox *ejus* post *mariti* abest a MS. Guelf. eleganter. Sed vide dicta supra. ERN.

° *Cnei mariti ejus*] Domitii. Cf. 13, 10. Freinshemium offendit, quod Agrippinæ maritus tantum prænomine notetur: sed sic Pompeium quoque apud Cic. Cnei nomine vocari et frequens ita apud Romanos factum, præterea Cnei prænomen Domitiæ genti familiare fuisse, docet Spanhem. de Pr. NN. t. 2. p. 30.

Impudica, infamis, vinolenta] Malim *violenta:* ut superba et commota animo utraque fuerit. De vini nota nihil legi. LIPS. Sic MSS. Guelf. ed. Puteol. Beroald. Alciat. Ceteri libri (et Bud.) *vinolenta.* Illud restituit Pichena (e Flor.). Mox c. 67. pariter verba hæc confusa. ERN.

Quæ filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat] Freinsh. addendum putabat *volebat.* Sed non profecto *volebat* tantummodo, quippe quæ jam dudum dedisset: sed intelligendum *quibat.* Agrippina eo usque valebat in republica, penes Claudium, apud se, ut filio Imperium pararet: sed non erat tam potens sui, ut toleraret regnantem. Genus loquendi Observ. 4, 2. illustravimus. GRON. Rectissime, hujusque generis exemplum jam supra observavimus. Eum sequitur et Grævius in epistola ad Heins. qua respondet ejus conjecturæ *danet* t. 4. Coll. Burm. p. 498. et 505. Add. ad 13, 56. ERN.

Quod conjugium Principis] Id est, conjugem. Nam, ut Claudii conjugium ipsa ambierit, non lectum. Abusa ergo vetitis artibus ad perniciem Agrippinæ. Sic *servitium* pro servo, et *matrimonium* pro matrona alibi notavi, et *clientelas* pro clientibus, in Tacito. LIPS. Atque etiam MSS. Flor. et Reg. *conjugem:* quod videtur esse e glossa. Ceterum non necessarium *conjugium* de conjuge capere. V. quæ supra ad 2, 13. de *matrimonio* dixi. Mox *indicta*, quod edidit Rhenanus pro *indita*, est jam in ed. pr. ERN. Rhen. sic forsan ex ingenio, nam Bud. *indita.*

Pares iterum accusandi] Ita hæc distinguenda sunt: etsi suspecta mendi. LIPS. Explicandum potius quam mutandum hunc locum existimo: et id tentavimus Obs. 1, 22. GRON. Commoda sane est sententia paraphraseos Gronovianæ. Sed vereor, ne plus sit in paraphrasi, quam in verbis Taciti. Verba: *Pares—imperitaret*, sic explicat: *Sane imputari Neroni posse convictam Messallinam et Silium: sed rursus convincendam Agrippinam cum Pallante. quod si faceret, ut necessario faciendum sit, si Cæsarem salvum velit, implacabilem Neronem habiturum, si, quamvis eversa matre, fortuna illi det imperium.* Potuit sane ita disputare Narcissus: sed in verbis hoc ubi

sas esse, (si Nero imperitaret. Britannico successore, nullum A. U.
Principi meritum, ac) novercæ insidiis domum omnem convelli, 808.
majore flagitio, quam si inpudicitiam prioris conjugis reticuisset, A. C. 55.
quamquam ne inpudicitiam quidem nunc abesse, Pallante adultero: ne quis ambigat, decus, pudorem, corpus, cuncta Regno viliora habere. Hæc atque talia dictitans, amplecti Britannicum: *robur ætatis quam maturrimum* precari: modo ad Deos, modo ad ipsum tendere manus, *adolesceret, patris inimicos depelleret: matris etiam interfectores ulcisceretur.* In 66
tanta mole curarum, Claudius valetudine adversa conripitur, refovendisque viribus mollitie cæli et salubritate aquarum, Sinuessam pergit. Tum Agrippina, sceleris olim certa, et oblatæ occasionis propera, nec ministrorum egens, de genere veneni consultavit: *ne repentino et præcipiti facinus proderetur: si lentum et tabidum delegisset, ne admotus supremis Claudius et, dolo intellecto, ad amorem filii rediret: exquisitum aliquid* placebat, *quod turbaret mentem, et mortem differret.* Deligitur artifex talium, vocabulo *Locusta,* nuper

est? quæ per Latinitatem nihil aliud significare possunt, quam, si contingat, ut Nero imperitet, idem esse agendum in Agrippina, quod fecisset in Messallina. Atqui id est falsum: id Narcissus dicere noluit. Vivo Claudio accusanda Agrippina erat. Nempe, commemorato, quid pro Principe egerit, quid agendum sit, incipit docere, quid se futurum sit, primum, si Nero succederet, salva matre (quippe non successurus erat, damnata et sublata Agrippina) deinde, si Britannicus, sublata aut viva noverca. Hic igitur clarum puto, deesse, quod respondeat primæ sumtioni: *Si Nero imperitaret.* Non enim apparet, quare tum sibi metuendum putet. Nam, ut dixi, de matre accusando eversa cogitari hic non potest; quod tum non imperaturus erat. Ergo post hæc verba lacunam esse puto: et punctum ponendum post *esse.* Jam in alterius sumtionis ὑποβολῇ, verba, ***nullum Principi meritum,*** explicat, ***nihil esse, quod ei imputet.*** an vero hoc verba Latina sonant? Quis dixit unquam ***nullum est ei meritum,*** pro, nihil mihi (aut alii) debet, nullum meum est in eum meritum? Hoc saltem doceri debebat. Dixisset potius; ***nullum sibi meritum,*** aut simile quid. Atque etiam *Principis* nomine Claudius videtur intelligendus. Nam vivo Claudio, non appellaret sane Britannicum ***Principem.*** Si per πρόληψιν dici objicias, tamen hic frigebit verbum, cum pronomine tantum opus sit, Principisque futuri nomen jam insit in ***successore.*** Atque hac de caussa nec probem Acidalii conjecturam: ***nullum e Principe metum:*** quod etiam est falsum. Nam dicit, se etiam Britannico imperante periturum. Credo verum esse, quod Ferrarius voluit Elect. 1, 1. ***nullum Principi metum:*** si, sublata Agrippina, Britannico successio certa, Claudium quidem ab uxoris insidiis tutum fore: ***at*** se, evertenda Messallina, tot turbarum in domo Cæsaris caussam attulisse, ut hoc nomine Britannicus supplicium sumturus sit. Sed varietatem lectionis addamus: MS. Reg. ed. pr. ***impeditaret.*** Porro MS. Flor. ***ad novercæ.*** Pro ***habere*** Grotius malebat ***haberi,*** quod probat Ryckius. ***metum. At*** scripsit etiam manus docta in margine Gryphii. Ern. Uncinis inclusa abolenda censet Freinsh. Pro glossis ad principium spectantibus Bip. quoque habent. Iis refectis sat planus mihi sensus videtur. Hill. Rac. 8. 9. levi mutatione succurrendum putat. Si *Nero imperitaret* (ἀποσιώπησις, subaudito: sibi esse pereundum). ***Brit. successore, nullum percipi meritum, nunc nov.*** etc.

Sinuessam pergit] Sinuessanæ aquæ H. 1, 72. et Plinio 31, 4. commendatæ, ob vim quamdam salubrem. Lips.

Propera] Agr. cod. *præpropera.*

Ne repentino] Int. cavendum, metuendum: more Græcorum: ut supra jam notavimus 1, 47. Ern.

A. U. 806. A. C. 53. veneficii damnata, et diu inter instrumenta regni habita. Ejus mulieris ingenio paratum virus, cujus minister e spadonibus fuit Halotus, inferre epulas, et explorare gustu solitus.

67 Adeoque cuncta mox pernotuere, ut temporum illorum scriptores prodiderint, *infusum delectabili cibo boletorum venenum, nec vim medicaminis statim intellectam, socordiane Claudii an vinolentia:* simul soluta alvus subvenisse videbatur. igitur exterrita Agrippina, et, quando ultima timebantur, spreta præsentium invidia, provisam jam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet. Ille, tamquam nisus evomentis adjuvaret, pinnam, rapido veneno inlitam, faucibus ejus demisisse creditur; haud ignarus, summa scelera incipi cum periculo, peragi cum præmio.

68 Vocabatur interim Senatus, votaque *pro incolumitate Principis* Consules et Sacerdotes nuncupabant, cum jam exanimis vestibus et fomentis obtegeretur, dum res firmando Neronis Imperio componuntur. Jam primum Agrippina, velut dolore victa, et solatia conquirens, tenere amplexu Britannicum, *veram paterni oris effigiem* adpellare, ac variis artibus demorari, ne cubiculo egrederetur. Antoniam quoque et Octaviam, sorores ejus,

Inferre epulas et explorare] Sic 13, 16. *Quia cibos potusque ejus dilectus ex ministris gustu explorabat.* Cui id munus, is passim in lapidibus dicitur prægustator: in quodam etiam, A. POTIONE. Athenæus 4, 21. Ὃν νῦν καλοῦσιν οἱ Ῥωμαῖοι προγεύστην, τότε οἱ Ἕλληνες προτένθην ὠνόμαζον. Mos, qui libera Rep. ignotus Romanis: quem tamen cœpisse conjicio ab Augusto, non vano argumento lapidis qui Romæ (Grut. p. 602.). GENIO. CAELI. HERODIAN. PRAEGVSTATOR. DIVI. AVGVSTI. IDEM. POSTEA. VIILLICVS. IN. HORTIS. SALLVSTIANIS. DECESSIT. NONIS. AVGVSTIS. M. COCCEIO. NERVA. C. VIBIO. RVFINO. COSS. Tenuitque Tiberius, de quo lego (ap. Grut. p. 582, 1.) TI. CLAVDIVS. FLAMMA. CLAVSVS. TI. AVG. PRAEGVSTATOR. et deinceps alii. Traductum morem opinor a Persis maxime, de quis Xenophon. 1, 3. παιδείας. Οἱ τῶν βασιλέων οἰνοχόοι, ἐπειδὰν ἐνδιδῶσι τὴν φιάλην, ἀρύσαντες ἀπ' αὐτῆς τῷ κυάθῳ, εἰς τὴν ἀριστερὰν χεῖρα ἐγχεάμενοι, καταῤῥοφοῦσι· τοῦ δὴ, εἰ φάρμακα ἐγχέοιεν, μὴ λυσιτελεῖν αὐτοῖς. Ubi et ritum habes prægustandi. LIPS. Mox pro *pernotuere* cod. Bud. habet *notuere*. Illud h. l. melius. Plus enim est *pernotescere* quam *notescere*. ERN. In priori lapide ap. Grut. loco CAELI legitur COETI.

Socordiane Claudii, an vinolentia] Mire hic turbant libri. MS. Flor. *socordiane, an Claudii vi, an vinolentia.* Agr. *secordia mentis a Claudio bibi an vinolentia.* Ed. pr. *socordiam necis ad Claudii hi an vinolentia.* sequentes edd. *socordiane an Claudii vinolentia.* Rhenanus, ut est in textu nostro, item Aldus, Gryphius, Lipsius, Pichena. Quinam sint vulgati, qui habeant *violentia*, auctore Pichena, nescio. est tamen in Guelf. ERN. Bud. *soc. ne an claudii vi an violentia.* sic a 1. m. sed 2. m. delevit *an* et *vi* et dedit *vinolentia*.

Simul soluta alvus] MSS. Bud. Guelf. et aliis ap. Brot. *solutam alvum.* quod negat mutandum Rhenanus. Sed consensus ceterorum librorum sequendus: etiamsi alias *videtur* etiam dictum reperitur cum accusativo, ut *dicitur, fertur* etc. Vid. Duker. ad Flor. 2, 6. 45. et quos ibi laudat. Sæpe sic Livius. ERN.

Dum res firmando] MS. Flor. *dum res forent firm.* et sic ed. pr. MS. Reg. Agr. etiam *forent*, sed insuper *dum que, dum, quæ.* unde Jac. Gronovius volebat corrigi. *dum res foris firm.* respiciens ad milites foris excubantes. Heinsius *dum, quæ e re forent firmando* etc. malim: *dum, quæ forent f. i.* Sive nos sive Gronovium sequare, melius erit vulgata. Paullo ante ed. pr. *vexabatur interim Senatus.* ERN. Vulgatum Bud. habet.

adtinuit, et cunctos aditus custodiis clauserat, crebroque A. U.
vulgabat, *ire in melius valetudinem Principis*, quo miles bona 808.
in spe ageret, tempusque prosperum, ex monitis Chaldæo- A. C. 55.
rum, adventaret. Tunc, medio diei, tertium ante idus 69
Octob. foribus palatii repente diductis, comitante Burro, Nero egreditur ad cohortem, quæ more militiæ excubiis adest. Ibi, monente Præfecto, festis vocibus exceptus, inditur lecticæ. Dubitavisse quosdam ferunt, respectantes rogitantesque, *ubi Britannicus esset?* mox, nullo in diversum auctore, quæ offerebantur, secuti sunt. Inlatusque castris Nero, et congruentia tempori præfatus, promisso donativo, ad exemplum paternæ largitionis, *Imperator* consalutatur. Sententiam militum secuta Patrum consulta, nec dubitatum est apud provincias. *Cælestesque honores Claudio* decernuntur, et funeris solenne, perinde ac D. Augusto, celebratur: æmulante Agrippina proaviæ Liviæ magnificentiam. Testamentum tamen haud recitatum, ne antepositus filio privignus injuria et invidia animos vulgi turbaret.

Adventaret] Sic MSS. præter Bud. e quo *attentaret* reposuit Rhen. quod nec intelligi potest. Secuti tamen id sunt editores ad Pichenam usque, estque et in Guelf. et aliis ap. Broterium. Mox *tertium*, quod e MS. Flor. dedit Pichena, omnes habent ante Rhenanum, qui edidit *tertio*. Ern. Bud. *atemptaret . . . tertio*.

Nero egreditur etc.] Pr. ed. vitiose *aggreditur*. Sed deinde *ad cohortem*, ut dedit post (e Bud.) Rhenanus, cum intermediæ edd. dedissent *a cohorte*. Porro omnes vett. *ibi*, quod se e Flor. edidisse dicit Pichena pro *ubi*: quod in Lipsiana demum reperitur, vitio operarum. *Festis vocibus* omnes habent, ut 5, 4. pro quo legendum videtur *faustis*. Ern. Bud. *ibi*.

Ad exemplum paternæ largitionis] Promisit ergo viritim *quinadena sestertia*. ut Suet. in Claudio expressit c. 10. sive ut Josephus 19, 4. *quina millia drachmarum*: quæ sunt *sestertia vicena*, sive nobis *quingenti Philippei*. Nam, quod olim ex Dione dixi, de centenis nummis: erravi. ea enim donatio a Claudio usurpata singulis deinceps natalibus Imperii sui. Lips. Ern.

Cælestesq. hon.] Huc DIVOS CLAVDIVS in numo Neronis.

C. CORNELII TACITI

AB

EXCESSU DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIBER TERTIUS DECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. *Silanus Proconsul Asiæ veneno necatus Agrippinæ fraude. Narcissus ad mortem actus.* 2. *Laus Burri et Senecæ.* 3. *Claudius Censorio funere elatus laudatur a Principe.* 4. *Bona Neronis initia. Multa Senatus arbitrio constituta.* 5. *Agrippinæ viriles curæ.* 6. *Parthi Armeniam adfectant. De Nerone varia judicia vulgi.* 7. *Is curam belli suscipit. Parthi amittunt Armeniam, cui* 8. *præpositus Corbulo.* 9. *Vologeses dat obsides. Nero dissidium Ducum componit.*

10. *Nero civiliter agit et* 11. *Clementiam ostentat.* 12. *Acten amat,* 13. *matre fremente, mox frustra blandiente, cujus hinc fracta potentia.* 14. *Pallas libertus cura rerum demotus. Agrippina ad minas ruit.* 15—17. *Britannicum Nero præcipiti veneno tollit et ejus funus festinat.* 18. *Matrem indignantem custodibus privat, domum separat.* 19—22. *Derelicta, rerum novarum incusata se purgat. Accusatores ejus puniti.* 23. *Pallas et Burrus delati.* 24. *Theatris major species libertatis data. Urbs lustrata.*

25. *Neronis nocturna lascivia. Montanus, cum Principe per tenebras congressus, mori adactus. Histriones Italia pulsi.* 26. 27. *Actum de libertis ingratis in servitutem revocandis, sed non peractum.* 28. *Tribunorum et Ædilium cohibita potestas.* 29. *Ærarii cura varie habita.* 30. 31. *Illustrium aliquot damnationes. L. Volusius fato concedit. Amphitheatrum Neronis. Præsides ludos edere prohibiti.* 32. *Vitæ dominorum consultum. Pomponia Græcina, superstitionis externæ rea, insons nuntiatur.* 33. *Rei P. Celer, Cossutianus Capito, Eprius Marcellus.*

34. *Messalla Consul, Neronis liberalitas.* 35. *Cum Parthis rursus discordia de Armenia. Corbulonis disciplina, virtus, severitas.* 36. *Pactius Orphitus, contra imperium pugnans fususque extra vallum tendere jussus.* 37. *Tiridates bello infensat Armeniam, legatos ad Corbulonem mittit,* 38. *qui fraudem sibi per colloquium paratum eludit et* 39—41. *Armeniæ castella capit, Artaxata adgreditur et, decedente hoste, capit, igne delet. Ob hæc Neroni et Diis honores.* 42. *P. Suilius reus in Senecam invehitur,* 43. *deportatur.* 44. *Octavius Sagitta amore vecors Pontium tergiversantem ferro transverberat. Liberti mira fides.*

45. Poppæam Sabinam amare Nero occipit. Istius genus, forma, opes, mores, matrimonia, adulter. 46. Ejus maritus Otho, ut amoveatur, Lusitaniæ præficitur. 47. Corn. Sulla, Principi suspectus, Massiliam mittitur. 48. Puteolis concordia restituta. 49. De numero gladiatorum Syracusis edendorum disceptatio. Thraseæ Pati opinio. 50. Vectigalia contra Neronis impetum retenta. 51. Publicanorum iniquitas temperata. 52. Proconsules rei absoluti.

53. L. Vetus ope Mosellæ et Araris Rhenum cum Oceano jungere parat. Obstat Ælii Gracilis invidia. 54. Frisii juxta Rhenum sedes figere frustra conantur. 55. Eosdem agros Ansibarii occupant fato eodem. 56. Boiocali constantia. Ansibarii deleti. 57. Catti ab Hermunduris fere ad exitium gentis cæsi. Ignes terra editi vix oppressi. 58. Ficus Ruminalis. Gesta hæc annis quatuor

IMP. CLAUDIO NERONE. L. ANTISTIO VETERE. Q. VOLUSIO. P. CORNELIO SCIPIONE. IMP. CLAUDIO NERONE. II. L. CALPURNIO PISONE. IMP. CLAUDIO NERONE. III. VALERIO MESSALLA. COSS.

A. U. 808. A. C. 55. PRIMA novo Principatu mors Junii Silani, Proconsulis Asiæ, ignaro Nerone, per dolum Agrippinæ patratur: non,

1 *Junii Silani*] Crebro in historia horum temporum mentio Silanorum, et confusa: quæ, cautio mihi est, ne turbet juventutem. Ea re, non stemma quidem ejus familiæ ponam (arduus ille et fortasse vanus labor:) sed illustrissimos quosque, quo Imperatore, quoque exitu fuerint, exsequar, cum temporum nota. Exordio a Tiberio Principe: quia quæ supra, nihil ad Spartam meam.

C. Junius, C. F. Silanus. Consul fuit cum P. Corn. Dolabella a. 762. sub Augusto; Proconsul Asiæ, sub Tiberio, damnatusque repetundarum et projectus in Cytheram insulam. Supra 3, 66. sq.

M. Junius, M. F. Silanus. Consul fuit sub Tiberio a. 771. Proconsul Africæ fuit. H. 4, 48. *Mox C. Cæsar turbidus animi, ac M. Silanum obtinentem Africam metuens.* Socer fuit Caii Caligulæ et ab eodem interfectus. Sueton. 12, 23. item Dio 59, 8. 61, 6.

D. Junius, M. F. Silanus, Marci prioris frater. Is, adulter in Julia nepte Augusti, in exsilium ivit; rediitque per gratiam et potentiam M. fratris sui. Fuit posthac in urbe, neque honores adeptus est. 3, 24.

Ap. Junius Silanus. Consul fuit sub Tiber. a. 780. Consocer Claudii dicitur Suetonio, propter L. Silanum filium ejus Octaviæ sponsum. Proconsul Hispaniæ, et maritus Lepidæ matris Messallinæ. a Claudio, incerto crimine, occisus. Dio 60, 14. Sueton. 29. et 37.

Ejus duo filii *L. Silanus,* et *M. Silanus.* Lucius gener Claudii fuit, Octaviæ sponsus, Agrippinæ artibus ad mortem actus. Marcus Consul fuit cum Valerio Asiatico a. 799. in quo error insignis Onufrii, qui Asiatico collegam dat Messallam, quem Dio 60, 27. refutat et Fasti Græci. Proconsul Asiæ fuit et a Nerone nunc interfectus. De eo Plinius 7, 11. *D. Augustus, in reliqua exemplorum raritate, neptis suæ nepotem vidit genitum, quo excessit anno. M. Silanum: qui, cum Asiam obtineret post Consulatum* (malim scribi, *pro Consulatu*) *Neronis Principis successione, veneno ejus sublatus est.* Etsi Plinius scelus hoc Neroni adscribit, quod noster rejicit in matrem.

Fuit et *D. Junius Silanus,* Consul a. 806. LIPS.

Paratur] Aurelius, Freinsh. Ryckius malunt *patratur,* quo verbo in hac re alibi noster utitur, 2, 39. 4, 57. etc. Et confunduntur hæc verba non raro in libris scriptis. V. Cortius ad Sall. Jug. 13. *Mortem, perniciem parare* dicitur illud quidem, sed cum dativo. ERN. Rectius *patratur.* Probat et Lall. Recepere Bip.

quia ingenii violentia exitium inritaverit, segnis et dominationibus aliis fastiditus, adeo, ut C. Cæsar *pecudem auream* eum adpellare solitus sit: verum Agrippina, fratri ejus L. Silano necem molita, ultorem metuebat, crebra vulgi fama, *anteponendum esse vix dum pueritiam egresso Neroni, et Imperium per scelus adepto, virum ætate composita, insontem, nobilem, et*, quod tunc spectaretur, *e Cæsarum posteris.* quippe et Silanus D. Augusti abnepos erat. hæc caussa necis. ministri fuere P. Celer, Eques Romanus, et Helius, libertus, rei A. U. 808. A. C. 55.

Exitum irritaverit] *Exitium* legendum putant viri docti. Recte. Nam hic exitus violentus, cædes intelligenda. V. dicta ad Sueton. Domit. 15. ubi *exitium* Casaub. Grævius et nuper Oudendorpius. Add. infr. c. 17. *crebris ante exitium diebus.* Porro e Guelf. rescripsi *irritaverat*, pro vulgato *irritaverit:* quod in hoc contextu et narratione directa locum non habet. Utrumque secutus est Broterius. ERN. Cod. Agr. *exitium.* Ast Bud. *exitum*, quod placebat Rhenano, quia sic 15, 74. H. 2, 5. 8, 31. Bud. *irritaverat* et a 2. m. *rit.* hoc præfero cum Bip. quia non de vera aut certa caussa sermo.

Dominat. aliis] Sub Ti. C. et Claudio.

C. Cæsar pecudem auream] Vereor, ut scriptori nostro constet ratio. Non enim in hunc M. Silanum expetit Caii dictum: sed in illum alterum, qui ejus socer. Dio clare 59, 8. Ὁ δὲ δὴ πενθερὸς αὐτοῦ Μάρκος Σιλανὸς . . . ἐπειδὴ βαρὺς αὐτῷ ὑπό τε τῆς ἀρετῆς καὶ ὑπὸ τῆς συγγενείας ἦν . . . ἑαυτὸν κατεχρήσατο . . . ὁ δὲ Γάϊος τά τε ἄλλα ἰσχυρῶς προεπηλάκιζε, (καί τοι οὕτω καλῶς περὶ αὐτοῦ φρονῶν, ὥστε καὶ χρυσοῦν αὐτὸν πρόβατον ὀνομάζειν) καὶ ὅπως μηκέτι πρῶτος ἐπιψηφίζηται. *etc.* Cui ut assentiar, ætas Silani me inducit. Natus enim est extremo, ut Plinius ait, Augusti anno: a quo ad hunc diem anni dumtaxat quadraginta sunt. Non ergo in ea ætate hic adolescens formidini aut contemtui aliis dominationibus esse potuit, cujus adhuc οὐδεὶς λόγος. Sed, ut in homine Tacitus, sic in dicto aberrat Græcus. Putat enim laudis honorisque fuisse: quod revera probri fuit, et salse jactum in hominem divitem, sed ignavum, hebetem, oviculam meram. LIPS. Dionem in sensu dicti et homine errare, docet Ryckius. Mox vereor, ne *eum* e terminatione proximi verbi ortum sit. ERN.

L. Silano] Convenit cum historia: tamen libri scripti, *C. Silano.* LIPS. *C.* ed. pr. *L.* Puteol. et seqq. omnes. *C.* correctum in margine Gryph. Mox quia verba *et quod tunc spectaretur* e persona Taciti dicuntur, videtur esse debere *spectabatur*, sed illud est in omnibus libris. ERN. De Silano v. 12, 4, 8.

Silanus D. Augusti abnepos] Præit ad stemma aliquomodo Plinius, qui eum nepotem scribit Augusti neptis. Atqui Augusto e Julia filia neptes duæ, Julia et Agrippina. E Julia hunc derivo, hoc modo:

JULIA, Aug. F. cui vir M. Agrippa.	JULIA, cui vir L. Æmilius Paullus, Suet. Aug. 64.	ÆMILIA LEPIDA proneptis Augusti Suet. Claudio 26. cui vir Ap. Junius Silanus claro argumento, quia Suet. eum consocerum Claudii vocat. Postea tamen alteri Lepidæ maritus, quæ mater Messallinæ. Ex Dione.	M. SILANUS, de quo hic. L. SILANUS Claudii gener.

Stemma hoc satis certum est. Ne fallat te tantum Dio, qui 60, 14. Lepidam matrem Messallinæ, uxorem tribuit Appio: sed sub finem vitæ. At M. ille Silanus Augusti abnepos genitus fuit vivo Augusto. Appium hunc Silanum intellegit Augustus in epistola quadam, vocatque adfinem Claudii ob hoc matrimonium, apud Sueton. Claud. 4. *Curare cum ludis Martialibus triclinium Sacerdotum, non displicet nobis, si est passurus, se ab Silano filio homine sibi adfini admoneri, ne quid faciat, quod conspici et derideri possit.* LIPS.

P. Celerius] Infra 33. et H. 4, 18. *P. Celer* dicitur. *P. Celerem accusante Asia, quia absolvere nequibat Cæ-*

A. U. 808. A. C. 55. familiari Principis in Asia inpositi. ab his Proconsuli venenum inter epulas datum est apertius, quam ut fallerent. Nec minus properato Narcissus, Claudii libertus, de cujus jurgiis adversus Agrippinam retuli, aspera custodia et necessitate extrema ad mortem agitur; invito Principe, cujus abditis adhuc vitiis, per avaritiam ac prodigentiam, mire
2 congruebat. Ibaturque in cædes, nisi Afranius Burrus, et Annæus Seneca obviam issent. Hi rectores Imperatoriæ juventæ, (et rarum in societate potentiæ) concordes, diversa arte ex æquo pollebant: Burrus militaribus curis et severitate morum; Seneca præceptis eloquentiæ et comitate honesta: juvantes invicem, quo facilius lubricam Principis ætatem, si virtutem adspernaretur, voluptatibus concessis retinerent. Certamen utrique unum erat contra ferociam Agrippinæ, quæ cunctis malæ dominationis cupidinibus flagrans, habebat in partibus Pallantem; quo auctore, Claudius nuptiis incestis et adoptione exitiosa semet perverterat. Sed neque Neroni infra servos ingenium; et Pallas, tristi adrogantia modum liberti egressus, tædium sui moverat. Propalam tamen omnes in eam honores cumulabantur, signumque, more militiæ, petenti Tribuno dedit, OPTIMÆ

sar, traxit senecta, donec mortem obiret. Nam Celer interfecto, ut memorari, Silano Proconsule. Hic ergo corrige. Lips. Sed etiam *Helius* rescripsi pro *Ælius*, ut jam voluit Ryckius e Suet. Ner. 23. et Dione 63, 12. Edd. pr. Puteolan. aliæque vett. omnes *Elius* sine adspiratione: quod frustra mutatum est in *Ælius*. Romani Helii nulli sunt, ut docuit Perizonius in Trig. diss. p. m. 151. et de numis Consular. p. 235. At hic est nomen Græcum liberti. MS. Guelf. plane *Helius* exhibet, et ante *Celerius*. Mox *his* e cod. Fl. Pichena. Sic et ed. pr. Vulg. *iis*, de qua confusione supra dictum. Ern.

Retuli] V. 12, 65.

Ad m. agitur] Cod. Agr. *adigitur ad m.* Idem mox *ni* pro *nisi*.

Pari in societate pot.] Si quid mutandum, legam; *paris in societate potentiæ*. Sed vix opus, etsi alii conantur. Lips. Boxhornius e vestigiis cod. Flor. qui habet, *et parum in societate potentia et concordes*, corrigit, (*et rarum in societate potentiæ*) *concordes*. Feliciter, ut puto. Sic supra 1, 39. *ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, (rarum etiam inter hostes) Legatus P. R. Romanis in castris sanguine suo altaria Deum commaculavisset.* Item c. 56. *nam (rarum illi cœlo) siccitate et amnibus modicis inoffensum iter properaverat.* 6, 10. *Per idem tempus L. Piso Pontifex (rarum in tanta claritudine) fato obiit.* Gron. Cum MS. Fl. consentit MS. Reg. et Agr. ed. pr. nisi, quod alterum *et* est ante *potentia*. Puteol. *pari in societate, potentiaque*, ut est in Guelf. *que* delevit Rhenanus. *Potentiæ* primum in Lips. edd. reperi. *Parem societatem potentiæ*, pro *paris*, ferrem. Nam adjectiva etiam in aliis Tacitus permutat, ut supra vidimus, atque etiam alii, in primis poetæ. V. Excurs. 9. ad Suet. Sed Boxhornium verum vidisse puto, cujus correctionem secutus est Broterius. Idque judicavit etiam Heinsius. Recepit Ryckius. Ern. Item Lall. et Bip. Ipse quoque recepi. In Bud. τὸ *que* a 2. m. erat adjectum.

Malæ domin.] Sic ed. pr. Beroald. Alc. sed Guelf. Put. *malis*: quod (e Bud.) restituit Rhenanus, idque secuti sunt Aldus, Gryphius. sane proprie hoc adjectivum referendum erat ad *cupidines*. Verum vid. not. præced. et sic ὁμοιοτέλευτα vitantur. Ern.

Incestis et adopt.] Cf. 12, 2. 5, 25.

Infra servos ing.] Vell. 2, 83. *Infra servos cliens.*

Signum more militiæ] Signum sive tessera semper Tribunis data, etiam

MATRIS. Decreti et a Senatu *duo lictores*, *Flaminium Claudiale*, simul *Claudio Censorium funus*, et mox *consecratio*. A. U. 808. A. C. 55.
Die funeris laudationem ejus Princeps exorsus est. Dum *antiquitatem generis*, *Consulatus*, *ac triumphos majorum* enu- 3
merabat, intentus ipse et ceteri; *liberalium* quoque *artium* commemoratio, *et*, *nihil regente eo Reip. triste ab externis accidisse*, pronis animis audita: postquam ad *providentiam sapientiamque* flexit, nemo risui temperare, quamquam oratio, a Seneca composita, multum cultus præferret: ut fuit illi viro ingenium amœnum, et temporis ejus auribus adcommodatum. Adnotabant seniores, quibus otiosum est vetera et præsentia contendere, *primum ex iis*, *qui rerum potiti essent*, *Neronem alienæ facundiæ eguisse*. Nam Dictator Cæsar summis oratoribus æmulus: et Augusto prompta ac profluens, quæ deceret Principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus, aut consulto ambiguus. Etiam C. Cæsaris

Rep. antiqua. Livius 28, 24. *Forma tamen Romanorum castrorum constabat . . . quod Tribunos et jura reddere in principiis sinebant, et signum ab iis petebant, et in stationes ac vigilias ordine ibant.* Dabatur a Consule, Prætore, eove qui exercitui toti præerat. Idem Livius ib. 27. *In Prætorio tetenderunt Albius et Atrius, classicum apud eos cecinit, signum ab iis petitum est.* At prætorii Tribunus a solo Principe. Ideo supra 1, 7. inter signa accepti imperii Tacitus posuit: *Defuncto Augusto signum Prætoriis cohortibus, ut Imperator, dederat.* Super hac re plura in Excursu A. LIPS.

Duo lictores, Flaminium Claudiale] At Liviæ decretus lictor tantum unus, et idipsum recusante Tiberio (1, 14.). Flaminium Claudiale quomodo ad honestandam facit Agrippinam? Credo, ut ipsa Flaminica Claudii esset: exemplo Liviæ, quæ Augusti. Nam eam Sacerdotem Augusti fuisse docui ad 1, 10. velimque addi Paterculi locum, quem viri docti emendare conati frustra 2, 75. *Livia Romanarum eminentissima, quam postea conjugem Augusti vidimus, quam transgressi ad eos Sacerdotem ac filiam.* Legunt, *quin transgressa ad eos Sacerdotem pœne habuit ac Flaminem.* quasi ad Liviam ipsam referenda sint, quæ mortua cælesti religione culta per Flamines ac Sacerdotes. Campas loquuntur et floccos: tu lege mecum, *quam transgressi ad Deos.* Livia enim est, quæ mariti sui in Deos relati et Sacerdos fuit et filia. Satis dictum supra. LIPS. De Flaminio Claud. v. Panvin. de Civ. Rom. 2. p. 173.

Censorium funus] Respice ad 4, 15.

Intentus etc.] Cod. Agr. *Intentis ipso et ceteris.*

Temporis ejus] Sic MS. Flor. ed. pr. Ceteri *illius.* Illud cum J. Gronovio recepimus. Mox *otium est* ed. pr. Beroald. et ceteræ usque ad Pichenam. *Otiosum est* MSS. Flor. Guelf. ed. Puteol. Pich. seqq. e quo per compendium scribendi factum *otium* videri potest: sed tamen durum est *otiosum est — contendere:* mollius multo *otium* videtur. ERN. *Otiosum* habent et Ven. et Bud. Eodem modo H. 2, 38. occurrit *vacuum fuit concupiscere.*

Quæ deceret Pr.] Durior hæc interpositio, quod sensit Acidalius, qui conjiciebat *qua*, i. quatenus. possis etiam *quæque.* Sed non satisfacit. ERN. Cod. Agr. *et quæ deceret.* Ceterum nil hic duri. *Quæ* i. e. qualis, ut recte Hill. Rac. 37. De re ipsa Suet. 86.

Tum validus] Ed. pr. *validis:* ceteræ omnes *validus.* *Validis* consentit consuetudini Taciti variandæ constructionis in talibus. Mox *ac* MS. Guelf. vett. omnes ad Rhen. qui e cod. Bud. dedit *aut:* quod melius. ERN.

C. Cæsaris] Qui etiam libros scripsit de arte dicendi, ut vult Suidas: Γαΐος Καῖσαρ, ὃς ἐπεκλήθη Καλλιγόλας, ῥητορικὴν τέχνην ἔγραψε Ῥωμαϊκῶς. quem tamen puto ego falli: eosque Germanici fuisse. LIPS. Heinsius malebat *C. Cæsari.* Burm. ad Suet. Cal. 53. *turbatam mentem* interpretatur ira-

A. U. turbata mens vim dicendi non conrupit. Nec in Claudio,
808. A. C. quotiens meditata dissereret, elegantiam requireres. Nero
55. puerilibus statim annis vividum animum in alia detorsit: cælare, pingere, cantus aut regimen equorum exercere: et aliquando, carminibus pangendis, inesse sibi elementa do-
4 ctrinæ ostendebat. Ceterum, peractis tristitiæ imitamentis, curiam ingressus, *et de auctoritate Patrum, et consensu militum* præfatus, *consilia sibi et exempla capessendi egregie Imperii* memoravit: *nec juventam armis civilibus, aut domesticis discordiis, imbutam: nulla odia, nullas injurias, nec cupidinem ultionis adferre.* Tum *formam futuri Principatus* præscripsit, ea maxime declinans, quorum recens flagrabat invidia. *Non enim se negotiorum omnium judicem fore, ut, clausis unam intra domum adcusatoribus et reis, paucorum potentia grassaretur. Nihil in Penatibus suis venale, aut ambitioni pervium: discretam domum et Remp. Teneret antiqua munia Senatus: Consulum tribunalibus Italia, et publicæ provinciæ adsisterent. Illi Patrum aditum præberent: se mandatis exercitibus consul-*

tam: quo sensu *turbatus* dici, satis probat. Adjuvat Suet. qui l. c. dicit *irato et verba et sententias suppetiisse.* Sed ego potius capiendum puto de mentis valetudine: de qua idem Suet. c. 50. Valetudo mentis, quæ ei sive e morbo, sive e philtro accidit, non corrupit ejus vim dicendi. Mox ed. pr. *dissererentur,* ut MS. Flor. quod et ipsum bonum est. item *cælare, pingere,* uterque liber sine copula: quam primus Puteolanus addidit, non Beroaldus. Ern. Bud. a l. m. *discerentur.* Pro *in alia* cod. Agr. *ad puerilia,* manifesto glossemate. Bud. *cælare et pingere.*

Egregie] Edd. ante Rhenanum *egregii:* et sic MS. Guelf. Sed *egregie* melius est. Ern. Sic et Bud.

Clausis intra dom.] Exemplum habes 11, 2.

Consulum tribunalibus Italia] Polybius 6, 13. Ὁμοίως καὶ ὅσα τῶν ἀδικημάτων, τῶν κατ' Ἰταλίαν, προσδεῖται δημοσίας ἐπισκέψεως, λέγω δὲ, οἷον προδοσίας, συνωμοσίας, φαρμακείας, δολοφονίας, τῇ συγκλήτῳ μέλει περὶ τούτων. πρὸς δὲ τούτοις, εἴ τις ἰδιώτης ἢ πόλις τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν, διαλύσεως ἢ ἐπιτιμήσεως ἢ βοηθείας ἢ φυλακῆς προσδεῖται, τούτων πάντων ἐπιμελές ἐστι τῇ συγκλήτῳ. Qui locus unicus verbis Taciti est illustrandus. Gron.

Publicæ provinciæ] Spectat ad divisionem Augusteam. Claudius pleraque omnia ad se traxerat: at Nero populi provincias (eæ enim publicæ) earumque controversias solis Consulibus curæ fore: se Cæsarianis provinciis, in quibus exercitus, velle consulere prædixit. Lips.

Illi Patrum aditum] Non muto. Consules, inquit, præbeant provincialibus aditum Patrum. At hæc oratio Senecæ adeo grata Patribus, ait Xiphil. 61, 3. ὥστε καὶ ἐς ἀργυρᾶν στήλην ἐγγραφῆναι, καὶ ἐν ταῖς νέαις τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἀρχαῖς ἀναγινώσκεσθαι ψηφισθῆναι. Nec novum id Senatus decretum: excipio de argento. Nam et antea semper Principum orationes in æs incisæ, et Kalendis Jan. recitatæ. Morem quem non nimis notum suggerit mihi Dio 60, 10. Τότε δὲ λόγους τινὰς ἐν τῇ νουμηνίᾳ τοῦ τε Αὐγούστου καὶ τοῦ Τιβερίου κατὰ δόγμα ἀναγινωσκομένους, ὥστε καὶ μέχρι τῆς ἑσπέρας τοὺς βουλευτὰς παρατείνεσθαι, ἔπαυσεν· ἀρκοῦν εἶναι φήσας, ἐν ταῖς στήλαις αὐτοὺς ἐγγεγράφθαι. Lucem hinc do Plinii Paneg. 75. *Acclamationes nostras,* inquit, *ne qua interciperet oblivio, P. C. in publica acta mittendas, et incidendas in ære censuistis. Ante orationes Principum tantum ejusmodi genere monumentorum mandari æternitati solebant: acclamationes quidem nostræ parietibus curiæ claudebantur.* Et ab hoc ritu est, quod Q. Haterius 3, 57. censet, *ejus diei Senatus consulta aureis litteris in curia figenda.* Ingerunt et jurisconsulti, apud quos locis aliquot orationes hæ Principum laudatæ. Sed nec ab alia caussa evenisse crediderim, quod Claudii oratio Lugduni nostro ævo reperta in tabula æris. Lips.

turum. Nec defuit fides. Multaque arbitrio Senatus con- A. U.
stituta sunt: *Ne quis ad caussam orandam mercede aut donis* 808.
emeretur: ne designatis Quæstoribus edendi gladiatores neces- A. C. 55.
sitas esset. Quod quidem adversante Agrippina, *tamquam*
acta Claudii subverterentur, obtinuere Patres: qui in palatium ob id vocabantur, ut adstaret, obditis a tergo foribus velo discreta, quod visum arceret, auditum non adimeret. Quin et legatis Armeniorum, caussam gentis apud Nero-

Ne quis ad caussam etc.] Cf. 11, 7.

Edendi gladiatores necessitas] Pertinet ad abolendum Claudii scitum, qui, auctore Dolabella, sanxit, *spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui Quæsturam adipiscerentur.* V. 11, 22. Ubi suspecta vox, *adipiscerentur.* Cur enim hic ἐμφατικῶς scriptum, *Ne designatis quidem:* nisi, quia antea ex ea sanctione, dabant etiam candidati? Atque ita in Lampridii Alexandro lego c. 43. *Quæstores candidatos* (malim *Quæsturæ*) *ex sua pecunia jussit munera populo dare, sed ut post Quæsturam Præturam acciperent.* Ceterum hoc Neronis decretum abolevit iterum Domitianus: de quo Suetonius 4. Lips. *Quidem* deleri volebant Acidalius et Ursinus. Potuit e sequentibus huc trahi, ut c. seq. *alii* ante *anquirebant* in ed. pr. Si est a Tacito, sensus est, ne Quæstoribus saltem quod tantum designati essent, necesse esset edere gladiatores. Ern. *Quidem* omnino delendum. sic et Bip.

Qui in Palatium] Puto in templum (Vide Sueton. Aug. 29.) Apollinis Palatini. Supra 2, 37. *Quatuor filiis ante limen curiæ adstantibus, cum in palatio Senatus haberetur.* Lips. In cubiculum potius, credo, propter sequentia. Idque etiam interdum sub aliis Impp. factum, exemplo D. Julii, qui caussam Deiotari in cubiculo cognovit, ut patet ex oratione Cic. c. 2. Add. 11, 2. Nam quæ J. Gronovius paullo post de abditis et occultis foribus in templo illo, ea contorta sunt. Ern.

Abditis a tergo foribus velo discreta] Melius, *obditis.* Intellegit autem vela, quæ prætenta foribus: quibus etiam Claudius se texit. Sueton. 10. *Prorepsit ad solarium proximum, interque foribus prætenta vela se abdidit.* Et Heliogabalus, narrante Lampridio 14. *Subito militum strepitu exterritus, in angulum se condidit, objectuque veli cubicularis, quod in introitu cubiculi erat, se texit.* Julius Pollux describit 10, 7. Πρὸ μὲν τοῦ κοιτῶνος ἐπὶ ταῖς θύραις, παραπετασμάτων σοι δεῖ, εἴτε ἁπλοῦν εἴη τὸ παραπέτασμα λευκὸν ἐξ ὀθόνης, εἴτε καὶ πολύχρουν. Id velum levabatur, in admissionibus. Seneca, epist. 80 (81.) *Non crepuit subinde ostium, non allevabatur velum.* Lamprid. in Alexandro 4. *Salutabatur quasi unus de Senatoribus, patente velo, admissionalibus remotis.* Inde apud JCtos caussas cognoscere levato velo: id est palam omnibus admissis, l. 5. C. De naufragiis: *De submersis navibus decernimus, ut levato velo istæ caussæ cognoscantur.* Ad hæc et talia vela facit lapis vetus Romæ (ap. Grut. p. 599, 7.). TI. CL. THALLVS. PRAEPOSITVS. VELARIORVM. DOMVS. AVGVSTANAE. Erant tamen et alia vela in cænationibus arcendi frigoris, itemque ornatus caussa: de quibus Seneca Quæst. Nat. 4, 13. et Tertullianus de habitu muliebri 1, 8. Lips. Conjiciebam *obdito a tergo foribus velo discreta. A tergo,* puta sedentis Principis, *discreta velo,* quod *obditum* erat foribus, in quibus stabat ipsa. Gron. Vulgata est in omnibus scr. et edd. nisi quod Bud. *additis.* Ryckius putat vulgatum intelligi posse: *adstitisse a tergo tapetis, foribus prætenti:* quod nullo modo procedit. Nam ordo verborum esse debet *adstaret discreta velo:* id quomodo interjectum fuerit, et quare, additur: nempe apertis foribus, quæ in aliud cubiculum ferrent, prætentum a tergo. Atque hæc desiderant Gronovii correctionem. Ern. Malim cum Bip. Lipsium sequi.

Aditus non adimeret] Imo vero adimebat aditus: nec adiri conspicive Agrippina voluit. Scribo, *auditus.* Lips. Recepit Freinsh. et secuti editores. Pichena tamen malebat *auditum:* quod est in margine MS. Bodleiani. *Adire* et *audire* sæpe in libris confusa. V. Burm. ad Suet. Tib. 27. Drakenb. ad Liv. 8, 2. Ern. Lipsius dabat *auditus,* ut c. 16. *visus.* Rectius Bip. mihique videtur *auditum,* ut antea *visum.*

A. U. nem orantibus, escendere suggestum Imperatoris, et præsi-
808. dere simul parabat; nisi, ceteris pavore defixis, Seneca ad-
A. C. monuisset, *venienti matri occurreret.* Ita, specie pietatis,
55.
6 obviam itum dedecori. Fine anni, turbidis rumoribus,
prorupisse rursum Parthos et rapi Armeniam, adlatum est,
pulso Rhadamisto, qui sæpe Regni ejus potitus, dein profu-
gus, tum quoque bellum deseruerat. Igitur, in urbe sermo-
num avida, *quemadmodum Princeps, vix septemdecim annos
egressus, suscipere eam molem aut propulsare posset? quod sub-
sidium in eo, qui a femina regeretur? num prœlia quoque, et
oppugnationes urbium, et cetera belli per magistros administrari
possent*, anquirebant. Contra alii, *melius evenisse*, disserunt,
*quam si invalidus senecta et ignavia Claudius militiæ ad labores
vocaretur, servilibus jussis obtemperaturus. Burrum tamen et
Senecam multarum rerum experientia cognitos: et Imperatori
quantum ad robur deesse? cum octavodecimo ætatis anno Cn.
Pompeius, nonodecimo Cæsar Octavianus, civilia bella susti-
nuerint. Pleraque in summa fortuna, auspiciis et consiliis,
quam telis et manibus geri. Daturum plane documentum, ho-
nestis an secus amicis uteretur, si Ducem, amota invidia, egre-
gium, quam si pecuniosum et gratia subnixum per ambitum de-
7 ligeret.* Hæc atque talia vulgantibus, Nero et *juventutem
proximas per provincias quæsitam supplendis Orientis legioni-
bus admoveri, legionesque ipsas propius Armeniam conlocari*

Escendere suggestum] Probissima vox; et repperi ita in Farnesiano, sicuti paullo post in Vatican. *anquirebant.* Nemo autem tinctus hac meliori litteratura, cui non ista hodie nota. Lips. Utrumque est etiam in Flor. De verbo *escendere* pleni hodie criticorum libri, ejusque confusione cum *ascendere.* Post etiam *disserunt* bene Pichena e MS. Flor. pro *dixerunt* post *evenisse.* hoc enim verbo libenter utitur Tacitus. Litteræ istæ sæpe confusæ. Infra c. 13. in ed. pr. *effulxerant* pro *effulserant* etc. c. 17. pro *et sibi* est *exili.* Ern. *Disserunt.* sic et 14, 13. Vocem eam hic delendam judicabat Ursinus. Pro *num prœlia* cod. Agr. *multi prœlia.* Littera *x* loco *s* frequens in MSS. Ita in Bud. *sextertium, extimare, illexa, Vespexianus* etc.

Multarum rerum exp.] MS. Corb. *multa.* quod placet. Ern.

Pleraque in summa fortuna] Magnam, ait, partem res etiam a Principe in bello gerendas ejus esse indolis, uti melius per Legatos, sive ministros, et mandata, quam per ipsum præsentem, armatum, et concursantem, vel satagentem, expediantur et transigantur. Suetonius Octav. 21. *Domuit autem partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam, Aquitaniam*, etc. *Auspiciis suis*, id est per Legatos suos, ubi ipse non intervenit, nec præsens fuit. Gron. Nempe int. *magis*, cujus ante *quam* omissi exempla plura ad h. l. notavit Rhenanus. Alii malunt *pluraque*, quod et MSS. quidam et edd. Puteol. Riv. Ber. etc. habent, placetque Broterio. Credo Tacitum, si hoc voluisset, *plura* scripturum fuisse, sine copula. *pleraque* est multa, ut sæpe apud scriptores hujus ætatis. Ern. *Pleraque* Rhen. e Bud. dedit. bene, ut puto.

Si Ducem etc.] Varie tentatur hic locus, quem nulla medela egere arbitror. Dixerant, Principes in bellis plus consiliis valere, quam vi. Subjiciunt: quantum consilio valeat, quam bonos consiliarios habeat, statim clarum fore ex eo, si Ducem bello præficeret potius egregium, nihil invidens virtuti, quam, si divitem et gratiosum. *Magis, potius* intelligi statim vidimus, et *si* repeti, etiam elegans est. In ed. pr. est *deligent:* unde conficere liceret *deligerent*, ut simul ad amicos Principis referretur. *et si Ducem* Rhen. (e Bud.) Ald. Gr. Ern. Cod. Agr. *delegerit.*

Admovere] Pichena malebat *admo-*

jubet: *duosque veteres Reges, Agrippam et Antiochum expe-* A. U.
dire copias, quis Parthorum fines ultro intrarent: simul pontes 808.
per amnem Euphratem jungi. Et minorem Armeniam Aristo- A. C.
bulo, regionem Sophenen Sohemo cum insignibus Regiis mandat. 55.
Exortusque in tempore æmulus Vologeso, filius Vardanes.
et abscessere Armenia Parthi, tamquam differrent bellum.
Sed apud Senatum omnia in majus celebrata sunt sententiis 8
eorum, qui *supplicationes, et diebus supplicationum vestem
Principi triumphalem, utque ovans urbem iniret, effigiesque
ejus, pari magnitudine ac Martis Ultoris, eodem in templo*, censuere: præter suetam adulationem læti, quod Domitium Corbulonem retinendæ Armeniæ præposuerat. videbaturque locus virtutibus patefactus. Copiæ Orientis ita dividuntur, ut pars auxiliarium, cum duabus legionibus, apud provinciam Syriam, et Legatum ejus Quadratum Ummidium remaneret; par civium sociorumque numerus Corbuloni esset, additis cohortibus alisque, quæ apud Cappadociam hiemabant: socii Reges, prout bello conduceret, parere jussi. Sed studia eorum in Corbulonem promptiora erant: qui, ut famæ inserviret, quæ in novis cœptis validissima est, itinere propere confecto, apud Ægeas, civitatem Ciliciæ,

---

veri, quia mox est *collocari*, et *jungi*. placet. ERN. Consentiunt Acid. Bip. quod nexus postulat. Bud. habet *admovere*.

Agrippam et Jocchum] Agrippam intellegit Agrippæ filium, cognomento Juniorem, qui Galilææ, Trachonitidis, et partis Judææ Rex. de quo Josephus 20, 7. satis. Sed Jocchus iste quis? Utrum *Bocchus* rescribendum? an potius, expleta voce *Antiochus?* Quod verum censeo. Intellegit Antiochum, Regem Commagenes, et in parte Ciliciæ. de quo Josephus 19, 5. Ἀντίοχον δὲ ἣν εἶχεν βασιλείαν ἀφελόμενος, Κιλικίας μέρει τινὶ καὶ Κομμαγηνῇ δωρεῖται. Et Dio 60, 8. Confirmat eam scripturam noster infra c. 37. qui in auxiliis Corbulonis Antiochum nominat: iteratque hoc mandatum. *Simul*, inquit, *Antiochum Regem monet, proximas sibi Præfecturas petere.* Vaticano tamen est *Lochium*. LIPS. MS. Flor. et *Jocchum:* quod edd. omnes habent præter ed. pr. quæ exhibet *Lochium*, ut Vatic. Reg. Agr. et Guelf. in quo est *Locchum*. Ryckius recepit *Antiochum*, quem cum J. Gronovio secuti sumus. Mox ed. pr. *omnem Euphraten*, vitiose pro *amnem*, quod verbum omnes edd. et scr. habent, nec tentandum erat, cum ab aliis sæpe sic dicatur, etiam brevitatis amantibus. ERN.

Minorem Armeniam Aristobulo] Josephus 20, 8. Τὴν τῆς μικρᾶς Ἀρμενίας προστασίαν Ἀριστόβουλος, Ἡρώδου τῆς Χαλκίδος βασιλέως παῖς, ὑπὸ Νέρωνος ἐγχειρίζεται. et addit, id factum τῷ πρώτῳ τῆς Νέρωνος ἀρχῆς ἔτει, convenienter plane cum Tacito. LIPS.

Sophenen Sohemo] Nescio, an idem sit, qui a Caio constitutus Arabum Ituræorum Rex, auctore Dione 59, 12. Sed apud eum Σοαῖμος dicitur: et fortasse ita hic scribendum. LIPS. Ed. pr. *Sohæmo*. sed *Sohemus* etiam probabat Lipsius ad 12, 23. ex quo loco etiam patet, Sohemum Iturææ Regem dudum mortuum fuisse, ut bene jam monuit Ryckius. Ed. pr. *Sophenen*. recte. Ceteræ *Sophenem*, usque ad Ryckium. ERN. Sohemus, de quo hic, idem est cum eo, qui H. 2, 81. 5, 1. occurrit.

Dom. Corbulonem] De hoc v. 3, 31. 11, 18. 20.

Quadratum Vinidium] *Numidium*, ut supra. LIPS. Immo *Ummidium*, ut supra demonstratum 12, 45. ERN.

Apud Egas] Libri mei, *Ægæas*, et recte. Id enim Ciliciæ oppidum. Strabo 14. p. 676. Μετὰ δὲ Μαλλὸν Αἰγαῖαι πολίχνιον ὕφορμον ἔχον. LIPS. Lucanus tamen 3, 227. *et extremæ resonant navalibus Ægæ.* Sic enim legendum puto: non *externæ*. Stephanus: Αἰγαὶ πολλαί. πόλις Κιλικίας, etc. Plinius 5, 22. *oppidum Ægæ liberum, amnis Pyramus, Portæ Ciliciæ.* Philostratus de vita Apollon. 1, 12. Κἀκεῖνα τῆς

A. U. 808. A. C. 55. obvium Quadratum habuit, illuc progressum, ne, si ad accipiendas copias Syriam intravisset Corbulo, omnium ora in se verteret, corpore ingens, verbis magnificus, et, super experi-
9 entiam sapientiamque, etiam specie inanium validus. Ceterum uterque Vologesen Regem nuntiis monebant, *pacem quam bellum mallet, datisque obsidibus, solitam prioribus reverentiam in Populum Romanum continuaret.* Et Vologeses, quo bellum ex commodo pararet, an, ut æmulationis suspectos, per nomen obsidum, amoveret, tradit nobilissimos ex familia Arsacidarum. Accepitque eos Centurio Histeius, ab Ummidio missus forte priore de caussa, adito Rege. Quod postquam Corbuloni cognitum est, *ire* Præfectum cohortis, Arrium Varum, *et reciperare obsides* jubet. Hinc ortum inter Præfectum et Centurionem jurgium, ne diutius externis

ἐν Αἰγαῖς διατριβῆς . . . Ὁ δὲ ἐῤῥῶσθαι φράσας, οἷς ἔπραττεν (ἐν Ταρσοῖς ἄρα ἀγορὰν ἦγεν) ἐξωρμήθη εἰς τὰς Αἰγάς. Idem Vit. 2, 4. in Antiocho: Ἀντίοχον τὸν Σοφιστὴν αἱ Κιλίκων Αἰγαὶ ἤνεγκαν. Apud Dionem 47, 30. est: καὶ τοὺς Ταρσέας ἑκουσίως προσλαβὼν φρουρούς τινας αὐτοῦ ἐν Αἰγέαις ὄντας ἐνίκησε. Sed ibi quoque Xylander mavult ἐν Αἰγαῖς. Quare vereor, ne et Strabo scripserit: Μετὰ δὲ Μαλλὸν Αἰγαί. Et mox Μετὰ δὲ Αἰγὰς Ἰσσός. GRON. *Ægeas* tamen MSS. Flor. Reg. Agr. Guelf. ed. pr. Unde merito receptum. ERN.

Specie inanium validus] Restitui, meo animo, vere. Corbulo, inquit, non solum vera virtute sapientiaque magnus, sed etiam animos allicere peritus specie inanium; id est, gestibus, verbis, habituque externo. At nostri censores quam hic mente, ut ait ille, exsensa! Beatus legit, *spe animum validus*, pro animorum, inquit. Vertranius, *spe immanium* scilicet rerum. Cum bona gratia, abite, quæso, et cucurbitas pingite. LIPS. *Specie* MSS. Flor. (sed deinde *inanimum*, ut ed. pr.) Guelf. ed. Puteol. Beroald. Alciat. Sed ed. pr. *spem*. ceteræ *spe*. Sic ed. pr. etiam ante *spem pietati* pro *specie*: ac sæpe istæ voces confusæ. Caussa est, quod cum per compendium scriberetur *spē*, ut in ed. pr. c. 31. signum compendii omissum est. Sensus est: etiam alia inerant viro, quæ quidem ad bellum et Remp. gerendam nil valent, ceterum magnam vim habent ad animos imperitorum conciliandos. ERN. Bud. habet *spe in animum validus*. Bip. legunt *specie in animum validus*, quomodo 3, 24. *valida* dicitur *Augusti in Remp. fortuna*. Mihi potior lectio Puteolani, Beroaldi etc. eademque Veneti cod. teste Pichena, et a Lipsio restituta, ab Ernestio bene exposita. *Inania* dicuntur, ut H. 2, 30. *inanis favor*.

Ex æquo modo] Nisi fallor, τὸ *modo* παρέλκει: aut certe cum Mercero legam, *ex commodo*. LIPS. *Ex commodo*, quod voluerant Muretus et Mercerus, recte Pichena recepit, e vestigiis MS. Fl. *ex quo modo*. Antiqui in nonnullis verbis QV. pro C. scribebant, quod librarii antiquarii interdum imitati sunt. Sic in nobili SCto contra Bacchanalia, *Indoquoltod*, pro *in occulto*: hæc enim vera ibi lectio, non *indovolgod*, ut vult ill. Maffeus in Istoria dipl. p. 124. Ceteri libri habent *ex æquo modo*. Sensus est, ut majorem opportunitatem belli parandi nancisceretur, laxamento belli accepto. ERN. Bud. a l. m. videtur habuisse *æquo modo*.

Centurio Hostorius] Vat. cod. *Centurio Histius*. Parum, aut nihil est; tamen infra post triennium in his locis *Istius Capito* est, *castrorum præfectus*. LIPS. Cod. Flor. *Histeius*. Reg. Guelf. Agr. ed. pr. ceteræque *Histerius*, usque ad Rhen. qui *Hostorius* dedit cum seq. Ryckius putat *Insteius* e c. 39. recepit Lallemannus. ERN. Brot. *Histeius*.

Priore de caussa] Mureto accedo, *prior ea de caussa*, legenti. LIPS. Sed sic interpungendum, ut nunc est, non post *missus*. Bud. *priore de caussa*. quod non debebat mutari. planus sensus, ob aliud negotium forte missus erat ad Regem, quem nunc adiit, ut acciperet obsides. Sic et Bip.

Reciperare obsides] Sic Flor. edd. pr. Pich. seqq. Ceteræ edd. *recipere*, ut et Guelf. Illud melius. volebat obsides sibi præreptos auferri Ummidio. ERN.

Ne diutius externis] Sic MSS. Flor. Bud. ed. pr. Rhenan. et seqq. Ast Ven. Guelf. Puteol. Beroald. Alc. *quod*

spectaculo esset, arbitrium rei obsidibus Legatisque, qui A. U.
eos ducebant, permissum. Atque illi ob recentem gloriam, 808.
et inclinatione quadam etiam hostium, Corbulonem prætu- A. C.
lere. Unde discordia inter Duces: querente Ummidio, 55.
prærepta, quæ suis consiliis patravisset: testante contra Corbulone, *non prius conversum Regem ad offerendos obsides, quam ipse, Dux bello delectus, spes ejus ad metum mutaret.* Nero, quo componeret diversos, sic evulgari jussit: *Ob res, a Quadrato et Corbulone prospere gestas, laurum fascibus Imperatoriis addi.* Quæ, in alios Consules egressa, conjunxi.

10 Eodem anno, Cæsar *effigiem Cn. Domitio patri, Consularia insignia Asconio Labeoni,* quo tutore usus erat, petivit a Senatu: sibique *statuas, argento vel auro solidas,* adversus offerentes prohibuit. Et, quamquam censuissent Patres, *ut principium anni inciperet mense Decemb.* quo ortus erat Nero, veterem religionem Kalendarum Januariarum inchoando anno retinuit. Neque recepti sunt inter reos Carinas Celer, Senator, servo accusante, aut Julius Densus, Eques-
ter, cui favor in Britannicum crimini dabatur. Claudio A. U.
Nerone, L. Antistio coss. cum in acta Principum jurarent 809.
A. C.
56.
11

ne. quod melius puto. Sic mox: *Unde discordia inter duces.— Nero, quo componeret diversos.* Ubi *diversi* sunt discordes, simultatem exercentes. Post *inclinationem quandam* (Bud. Ven.) Guelf. Puteol. etc. sed ablativi meliores e consuetudine Taciti. ERN. In Bud. *quod* a 2. m. superscriptum est. Melius id putat Rhen. et post *jurgium* punctum locat. Parum referre arbitror.

Fascibus Imperatoriis] De fascibus Imperatorum sive Principum (nec enim alios hic intelleges) docebo juvenes: fors fuit, et quosdam senes. Olim non nisi Magistratus Populi Romani, aut qui cum imperio in provinciis, fascibus usi. Quid ergo Princeps in urbe, si nullum gereret ordinarium Magistratum? Nihilo secius fasces duodecim illi. Origo rei ab Augusto; cujus honori Senatus decrevit a. u. 735. uti Consulari potestate semper esset, fascibusque duodecim uteretur. Dio 54, 10. Ὁ δὲ Αὔγουστος τὴν τῶν ὑπάτων ἐξουσίαν διὰ βίου ἔλαβεν· ὥστε καὶ ταῖς δώδεκα ῥάβδοις ἀεὶ καὶ πανταχοῦ χρῆσθαι, καὶ ἐν μέσῳ τῶν ἀεὶ ὑπατευόντων ἐπὶ τοῦ ἀρχικοῦ δίφρου καθέζεσθαι. Eumque morem tenuerunt Principes secuti: ita ut laurum tamen fascibus non adderent, nisi in victoria: uti hic factum. At statim per adulationem irrupit, ut omnium Principum fasces, et semper laureati essent. eaque nota maxime distinctus a vulgo Princeps. Herodianus de Gordiano 7, 14. Εἵπετο δὲ αὐτῷ πᾶσα ἡ βασιλικὴ πομπή. τῶν μὲν στρατιωτῶν καὶ . . . νεανίσκων, ἐν σχήματι τῶν κατὰ Ῥώμην προϊόντων δορυφόρων. αἵ τε ῥάβδοι ἐδαφνηφόρουν, ὅπερ ἐστὶ σύμβολον εἰς τὸ διαγνῶναι τὰς βασιλικὰς ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν. Capitolinus in Maximinis 14. *Inde Carthaginem venit cum pompa Regali, et protectoribus, et fascibus laureatis.* Quando id cœperit, ignoro: paullatim quidem non solum laureati admissi fasces, sed et aurati. Claudianus in 6. Cons. Honorii 644. — *agnoscunt rostra curules Auditas quondam proavis: desuetaque cingit Regius auratis fora fascibus Ulpia lictor.* LIPS.

Consularia insignia] Cod. Flor. et Bud. *et Cons. ins.*

Recepti sunt inter reos] Sic MS. Flor. Guelf. et editi omnes veteres, non Beroaldus tantum et Aldus, ut tradit J. Gron. Lipsius habet *in*, nescio, an primus et operarum vitio. *Inter* restituit J. Gronovius. Sic noster loquitur etiam 3, 70. ERN.

Equester] Vide dicta ad 12, 60.

Acta Principum] Non, ut receptum, *Principis.* Jurabant enim in acta non unius, qui imperitabat, sed et priorum. Dicam multa ad 16, 22. Exc. A. LIPS.

A. U. 809. A. C. 56. Magistratus, *in sua acta conlegam Antistium jurare* prohibuit: magnis Patrum laudibus, ut juvenilis animus, levium quoque rerum gloria sublatus, majores continuaret. Secutaque lenitas in Plautium Lateranum, quem, ob adulterium Messallinæ ordine remotum, reddidit Senatui, *clementiam suam* obstringens crebris orationibus, quas Seneca, testificando, quam honesta præciperet, vel jactandi ingenii, voce
12 Principis vulgabat. Ceterum infracta paullatim potentia matris, delapso Nerone in amorem libertæ, cui vocabulum *Acte* fuit: simul adsumptis in conscientiam Othone et Claudio Senecione, adolescentulis decoris: quorum Otho familia Consulari, Senecio liberto Cæsaris patre genitus, ignara matre, dein frustra obnitente, penitus inrepserat per luxum et ambigua secreta: ne severioribus quidem Principis amicis adversantibus, muliercula, nulla cujusquam inju-

Ut juvenilis animus] Sensus est, ut, cum intelligeret, etiam e tam levi re tantam gloriam nasci, tantasque laudes, cupido injiceretur rebus majoribus patrandis porro majorem laudem petendi. Ern.

Plautium Lateranum] Supra 11, 36. Lips. Guelf. *Plantium*. Ern.

Ordine remotum] Simplex, *motum* malebat Acidalius. Sed Suetonius Vitell. 2. *Quintus caruit ordine, cum auctore Tiberio secerni minus idoneos Senatores removerique placuisset.* Gron. Sed locus Suetonii non satis similis huic. An *ordine removere* quisquam dixerit, docendum erat: *Senatores minus idoneos secernere et removere,* sive etiam *submovere,* quin dici possit, nulla dubitatio est. Et Gronovius ipse ap. Livium 45, 15. *tribu remoti* corrigit *moti:* idque non displicet Drakenb. qui tamen in textu servat *remoti;* ad quod defendendum loco Taciti uti poterat. In eodem loco Livii est etiam *Senatu emoveri.* Ceterum ob locum Livii, et quia *removeri* in similibus, et sine præpositione, dicitur, ut ap. Suet. Tib. 34. *quæstura removere:* add. Burm. ad c. 42. h. l. vulgatum non tentandum puto, in quo omnes libri consentiunt: nisi quod a MS. Ox. abest *ordine*. Ern.

Vel jactandi ingenii] Contaminarant impuræ manus, *caussa jactandi.* At vox ea eleganter abest Vatic. Lips. Item a Flor. Modus loquendi elegans. *Vulgabat jactandi ingenii,* quo usus noster etiam Hist. 4, 42. *accusationem subisse, nec depellendi periculi, sed in spem potentiæ videbatur.* Liv. 4, 30. *cernentes piacula pacis Deum exposcendæ.* Et sæpe librarios cum in aliis, tum in hac formula *caussa* addidisse, sæpe docuerunt viri docti. V. Cort. ad Sall. Cat. 6. Sed tamen hic aliquid scrupuli residet ex eo, quod putem, librarios daturos fuisse *jactandi ing. caussa*, si vocem addidissent velut temere omissam, non, quod rarius est, *caussa jact. ing.* Ea forma passim tamen usus Livius. V. Gronov. ad 31, 12. Sic etiam Græci Xenoph. M. S. 4, 7. ἕνεκα πορείας. *Caussa* addunt omnes vett. edd. *Vel* inde a Rhenano (e Bud.). *Caussa* primus omisit Lipsius. Ern. Cod. Budensi 2. m. adlevit *caussa.*

Cui vocabulum Acte] Ex Asia oriunda mulier: cujus genus Nero (ut splendorem ei adstrueret) ad Attalum Regem porrigebat. Xiphil. 61, 7. Lips. Suet. 28. *Submissi Consulares, qui Regio genere ortam pejerarent.*

Obnitente] Ita Rhen. bene ex Bud. *obmittente*. Prius legebatur *obtinente.*

Penitus inrepserat] Scribe, *irrepserant.* ad Senecionem enim pertinet et Othonem: non ad Acten. Lips. Recepit Pichena. MSS. et edd. vett. omnes *irrepserat.* Nec video, cur singularis hic tantopere displiceat, cum etiam c. 15. sit *nox et lascivia exemerat. Ambigua secreta* pertinent ad rem amatoriam. Ern. Adde 12, 45. *Præfectus — Centurio præerat.*

Ne severioribus quidem] Libri scripti, *senioribus.* Lips. Etiam Flor. ed. pr. MS. Guelf. Ern. Sic et Bud. et Agr. Cf. etiam 14, 54. Pichena tamen vulgatum præfert.

Muliercula, nulla] Qui attenderit, observabit, hic nimis crebram esse con-

ria, cupidines Principis explente; quando uxore ab Octavia, nobili quidem et probitatis spectatæ, fato quodam, an quia prævalent inlicita, abhorrebat: metuebaturque, ne in stupra feminarum inlustrium prorumperet, si illa libidine prohiberetur. Sed Agrippina *libertam æmulam, nurum* 13
ancillam, aliaque, eundem in modum, muliebriter fremere. Neque pœnitentiam filii aut satietatem opperiri: quantoque fœdiora exprobrabat, acrius accendere, donec, vi amoris subactus, exueret obsequium in matrem, Senecæque permitteret. Ex cujus familiaribus Annæus Serenus,

A. U. 809. A. C. 56.

structionem per ablativos consequentiæ. Sensit quidem Heinsius, correxitque *mulierculæ explenti*. Ego suspicarer, Tacitum scripsisse *mulierculam explere:* pro, quo minus expleret: quod ei non insolens. Sed vulgatum ferri potest. Ern.

Nurum ancillam] De *Acte* sermo, quæ liberta. Sic ap. Sall. in Fragm. Hist. 1. *Tarrula et Scyrus servi* audiunt, qui liberti.

Senecæque permitteret] Hærere me jubent libri. Nam Farnes. *seque neci permitteret*. Vatic. *seque permitteret*. addito superius, *neci*. E quibus, *seque Senecæ*, occurrebat: nisi aliud latet. Tamen de Seneca fuisse, verba subsita statim dicunt. Lips. Pichena, meo judicio, *εἰς αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν τὸν κάλαμον βάψας*, *Senecaque permitteret*. In re ancipiti et dubiæ interpretationis artifici brevitate defungitur, ne in alteramutram partem pronior appareat. Seneca, etsi jam ab initiis imperii Neronis unum cum Burro certamen habuisset adversus crudelitatem et superbiam Agrippinæ, semper tamen in filio aluerat debitam matri pietatem. Et, quoties ab ea se ille insolentius asperiusque tractatum doleret, quamvis instigantibus haud dubie statim assentatoribus, non permiserat eum matri diu irasci, nedum frenum mordere, sed gravibus et honestis monitis exulceratam mentem sanaverat. Nunc per ipsius impotentiam eo res erat redacta, et sic commota ferocia sævi adolescentis, ut necessario esset silendum de matre, aut exspectandum, ut ipse, cum illa quateretur foras, qui solus, aut cum altero illo, in aula verum dicebat, et in posterum et ad hæc mitiganda et omnibus bonis totique Reipublicæ fieret inutilis. Ergo *permisit*, hoc est, tacuit, desiit obniti, et hac parte veri molles auriculas radere, nec retinuit palam responsantem, et, quæ adhuc clam fecerat, oculis ingerentem. Quod nec laudare voluit Tacitus, et accusantur frustra, quæ cogunt tempora. Ideo sic transmittit. Nam, quod sequitur de Annæo Sereno, non accipiendum, quasi faverit amori Neronis Seneca contra matris voluntatem suæ gratiæ caussa: sed, quum judicaret, hunc ei ludum dandum majoris mali evitandi ergo, eo ipso, quod comparaverat personam, cujus nomine liberalitas Neronis velaretur, fovebat reverentiam matris, et filium retinebat, ut cum aliqua verecundia indulgeret ætati. Sed salubre consilium austeritas Agrippinæ et æmulatio vana irritum reddidit. Gron. Farnesiano consentit Reg. et ed. pr. Flor. *seque nece permitteret*. Agr. *seque nec ei*. Editi præter pr. omnes *senecæque p.* nisi quod Ryckius dedit *seque Senecæ p.* quod secutus sum. *Senecæque* est mera conjectura Puteolani: *seque* cum in omnibus scriptis sit, nullo modo repudiandum. In *Senecæ* prima syllaba exciderat, ob mox præcedens *seque*. Et primæ syllabæ in propriis omissæ exemplum supra habuimus *Jochum* pro *Antiochum* c. 7. Antea Nero in potestate Agrippinæ fuerat. V. supra c. 1. Nunc se Senecæ permittit, ut ille Remp. curaret, seque adjuvaret consilio, opera: illi obsequi potius cœpit, quam matri. Ern. Bud. *Seneceque permitteret*, quod retinuit Rhen. sed notavit se malle *se Senecæque p.* Non ergo est ista mera Puteolani conjectura. In margine quoque Flor. idem istud legitur. Recepere Bip. quasi absolute positum, ut ap. Ter. Adelph. 5, 9, 38. *Tibi pater permittimus*. Mihi ellipsis videtur adesse, subaudito *se*. Auribus sane gratior est lectio et Tacito digna. De re ipsa cf. Dio 61, 3. et infra 14, 1.

Annæus Serenus] Qui Præfectus vigilum Neronis. Plinius 22, 47. *Fungi familias nuper interemere et tota conviria, Annæum Serenum, Præfectum Neronis vigilum et Tribunos et Centuriones. Quæ voluptas tanta ancipitis cibi?* De hoc amico suo capiendus Seneca epist. 63. *Hæc tibi scribo, si, qui-*

A. U. simulatione amoris adversus eandem libertam, primas ado-
809. lescentis cupidines velaverat, præbueratque nomen, ut, quæ
A. C. Princeps furtim mulierculæ tribuebat, *ille* palam largiretur.
56. Tum Agrippina, versis artibus, per blandimenta juvenem adgredi, *suum potius cubiculum ac sinum* offerre, *contegendis, quæ prima ætas, et summa fortuna expeterent.* Quin et fatebatur *intempestivam severitatem*, et suarum opum, quæ haud procul imperatoriis aberant, copias tradebat: ut nimia nuper coercendo filio; ita rursum intemperanter demissa. Quæ mutatio neque Neronem fefellit, et proximi amicorum metuebant, orabantque, *cavere insidias mulieris, semper atrocis, tum et falsæ.* Forte illis diebus Cæsar, inspecto ornatu, quo Principum conjuges ac parentes effulserant, deligit vestem et gemmas, misitque donum matri, nulla parsimonia, cum præcipua, et cupita aliis, prior deferret. Sed Agrippina, *non his instrui cultus suos, sed ceteris arceri*, proclamat, *et dividere filium, quæ cuncta ex ipsa haberet.* Nec defuere,
14 qui in deterius referrent. Et Nero infensus iis, quibus superbia muliebris innitebatur, demovet Pallantem cura rerum, quis a Claudio inpositus, velut arbitrum Regni agebat: ferebaturque, degrediente eo, magna prosequentium multitudine, non absurde dixisse: *Ire Pallantem, ut*

Annæum Serenum carissimum mihi tam immodice flevi, ut, quod minime velim, inter exempla sim eorum, quos dolor vicit. Et inscripsit eidem libros suos de Tranquillitate, monumentum amoris. Lips. Mox *celaverat* ed. pr. et sic correxerat manus docta in marg. Gryph. Fortasse verum. Sed tamen et 6, 29. *culpam invidia velare:* idque h. l. melius. Ern.

Ille palam largiretur] Sine dubio corrigendum *ipse*, quia opponitur *Principi*. *Princeps* largiebatur, *ipse* palam dabat. Confusionis hujus et alia exempla sunt, etiam supra notatæ. Ern.

Summa fortuna] Hoc se dare jactat Rhen. (e Bud.). At ita et edd. pr. Puteol. In ed. Beroaldi irrepserat vitio operarum *forma*, quod servarat Frobenius s. Alciatus, ut cetera. Nam *fortuna* et *forma* etiam in scriptis permutantur. Ern. Similia v. ad 11, 6.

Orabantque cavere insidias] Sic e Flor. restituit Pichena pro vulgato *caveri*. recte. malebat idem *caveret* cum Rhenano. frustra. Vid. ad 11, 1. *Cavere* etiam ed. pr. Guelf. Mox *donum matri* edd. vett. usque ad Rhen. et Guelf. Ern. Bud. *cavere . . . donum.* Infinitivi is usus frequens nostro. Sic 12, 46. *monet celerare.* 16, 11. *nuntiat abjicere.* H. 2, 46. *jubebant habere.*

Superbia muliebris] MS. Guelf. et alii ap. Broterium *ferocia mulieris:* fortasse melius. libenter enim eo verbo utitur Tacitus, ut de Agrippina Germanici. Ern.

Demovet Pallantem cura rerum] A rationibus Claudii fuit ex Sueton. 28. et lapide, in quo sculptum: PALLANS. CAES. N. SER. ADIVTOR. A. RATIONIBVS. Lips. Mox *arbitrium* MSS. Flor. Guelf. nec modo Beroaldus, ut J. Gron. ait, sed ante Puteolanus, e quo ille sumsit, post Alciatus. At ed. pr. ceteræque omnes *arbitrium*. Similiter variatur H. 4, 21. ubi tamen ed. pr. *arbitrium*, Puteol. contra *arbitrum* cum Beroaldo et seqq. Utrumque eodem redit. Utrum Tacitus dederit, non dicam. Ern. Agr. *demoliri P. a cura*, quod probat Heins.

A Claudio inpos.] Cf. 12, 53.

Digrediente eo] MSS. Fl. Reg. Bodl. *degrediente*. Si intelligendum est de palatio, ut J. Gronovius censet, nec dubitare sinunt sequentia, *magna prosequentium multitudine:* verum est. Vid. ad 4, 49. Adde Hist. 3, 67. *palatio degreditur*, ubi v. Gron. Ern.

Ire Pallantem] Ambigua et obscura verba, quia et post *ire*, et post *Pallantem* interpungere licet. Quibus hoc placet, ambigunt, quid intelligendum

ejuraret. Sane pepigerat Pallas, *ne cujus facti in præteritum interrogaretur, paresque rationes cum Republ. haberet.* Præceps post hæc Agrippina ruere ad terrorem et minas. neque Principis auribus abstinere, quo minus testaretur, *adultum jam esse Britannicum, veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio, quod insitus et adoptivus per injurias matris exerceret. Non abnuere se, quin cuncta infelicis domus mala patefierent, suæ in primis nuptiæ, suum veneficium. Id solum Diis et sibi provisum, quod viveret privignus. Ituram cum illo in castra. Audiretur hinc Germanici filia, inde vilis*

A. U. 809. A. C. 56.

sit. *Procurationem* quidam, ut Ryckius. Sic H. 3, 68. *ejurare Imperium.* supra 12, 4. *Magistratum.* Sed ita nullum acumen apparet: nec convenit sequentibus, et quorsum deponeret, quod jam ademtum erat. Aurelius putat respici ad illud, *ejurare bonam copiam:* exire Pallantem aula, ut illam prosequentium multitudinem aliis cederet: quod paullo melius puto. Inest enim faceti quid. Sed cum eo quomodo conveniunt sequentia? Nam particula *sane,* e consuetudine Taciti, indicat, rationem reddi dicti, idque confirmari. Heinsius ep. ad Græv. t. 4. Coll. Burm. p. 515. volebat corrigi *ejurarent:* idque placebat Grævio: qui tamen vulgatum defendi posse putabat, si intelligeretur *multitudinem.* Sed ille ait, p. 517. se elegantiæ caussa sic corrigere; unde clarum, eum interpungi voluisse post *ire:* ire multitudinem illam, ut Pallantem ejurarent. Qui sensus et ipse commodus est: modo ita sequentia convenirent. Sed nihil melius habeo. Ed. pr. *evitaret.* Ern. Bud. *evitaret* et in marg. ab eadem manu *al. ejuraret.* Subintelligo cum Bip. *regnum.* Bahrdt subaudiendum putat *rationes.*

Ne cujus facti] Sic ed. pr. Rhenanus, ceteri. Intermedii Puteol. Beroald. Alc. *cujusque. Interrogaretur* est rationem reddere cogeretur, ut reus fieret, ut 14, 46. Cic. pro Domo 29. Mox *ad terrorem* etiam ed. pr. non *in:* item *posthac.* Ern.

Paresque rationes] Id est, (uti jurisconsulti loquuntur) ut pariator esset, sive ἀλοίπαστος: nec reliqua ulla haberet. Sic *parem rationem facere* Seneca dixit epist. 19. et de Benef. 6, 40. item Jurisc. l. ult. D. De doli except. — l. 22. D. De manum. testam. Lips. Colum. 1, 8, 13. *nec patitur villicum paria cum rationibus domini facere.* Sic et ib. 11, 1, 24. Pallas compensandis operis Reip. præstitis pares cum Rep. rationes faciebat. Bip.

Ad terrorem et m.] Sic Flor. Bud. et edd. vet. alii *in.*

Inde vilis rursus Burrus] Vatic. *bibil.* Suspicari possis, num *debilis,* legendum. Debilitas enim loco probri, quia et sacris olim arcebantur, et decreto Augusti etiam Senatu. Sequitur autem de hoc ipso Burro, *trunca scilicet manu.* Suspectum æque τὸ *rursus,* quod hic nulli rei. Puto fuisse, *rufus:* glossema scilicet ad cognomen Afranii, Burrhus. Nam Latini Burrhum, rufum dicebant, a Græco. Glossæ: *Burrhum,* ξανθὸν, πυῤῥόν. Vide Festum. Lips. Scribo: *Audiretur hinc Germanici filia; debilis rursus Burrus et exsul Seneca.* Nam, cum inveniretur *devilis,* ut solet has inter se literas permutare manus vetusta, adjecit aliquis τὸ *in,* ut esset, quod τῷ *hinc* responderet. Sed particula *rursus* ejus vice fungitur, et est idem, quod inde vel vicissim. Gron. Verum vidit Gronovius. Quod si a lectione vetere *inde vilis,* quam primum reperi apud Puteolanum, estque etiam in cod. Agric. discedendum est, et conjectura ponenda, malo ponere *debilis,* ut voluit Gron. quam *inde debilis,* ut Lipsio placuit. Nam in hac *rursus* molestum est, ut e nota Lipsii apparet. Ei incommodo occurrit Broterius, delendo *rursus.* Syllaba *de* ex conjectura repetitur. In illa nihil est incommodi. *Indebilis* MS. Flor. (Bud.) Reg. ed. pr. et inde factum *inde vilis. In* natum est e terminatione præcedentis verbi *filia.* Non est prætereundum, J. Gronovium e vestigiis cod. Oxon. qui habet *inde mancinus rursus,* ut Guelf. legi velle: *hinc Germanici filia et Britannicus, rursus Burrus et exul Seneca.* Ern. In cod. Bud. ex *indebilis* 2 m. fecit *inde uilis.* quod egregie respondet sequenti *exsul Seneca.* Scil. *vilis rursus* est a pristina potentia dejectus. *Debilis* et *trunca manus*

A.U. 80. A.C. 56. *rursus Burrus et exsul Seneca; trunca scilicet manu, et professoria lingua, generis humani regimen expostulantes.* Simul intendere manus, adgerere probra, *consecratum Claudium, infernos Silanorum manes* invocare, et *tot irrita facinora.*

15 Turbatus his Nero, et propinquo die, quo quartum decimum ætatis annum Britannicus explebat, volutare secum, modo matris violentiam, modo ipsius indolem; levi quidem experimento nuper cognitam, quo tamen favorem late quæsivisset. Festis Saturno diebus, inter alia æqualium ludicra, Regnum lusu sortientium, evenerat ea sors Neroni. Igitur ceteris diversa, nec ruborem adlatura: ubi Britannico jussit,

tautologiam offerret insolitam Cornelio. *Inde debilis*, quod et Pichenæ placebat et Ryckio, præterea ingrato sono peccat.

Trunca scilicet manu] Agricola adnotavit *truncata manu.* a sene, an a libris? Et sane videtur mollitiam Burrho objectare et tunicas manicatas. Lips. Frustra sudat hic Marcellus. *Trunca manu* omnino respicit Burrum, et *professoria lingua* Senecam. Nec necessum, totam ut manum præcisam habuerit: sufficit digito uno aut altero captum fuisse: idque incommodum accepisse, dum in acie sternit hostem, est verisimile. Ergo id insigne virtutis non magis arcuit eum Præfectura Prætorii, quam claudicatio ex vulnere Sp. Carvilium dehonestavit, quem mater, quoties gradum faceret, jubebat meminisse bellicæ gloriæ; aut herniæ, quam in equo dies noctesque persedendo nactus erat, M. Servilium pœnituit. Gron. *Professoria lingua* est hominis scholastici et declamatoris. In *irrita facinora* sine caussa hærebat Rhen. Dolet, se frustra tot facinora patrasse parandæ potentiæ. Ern. Quod Lipsius de mollitia Burro objecta adfert, stare nequit. Cf. 12, 42. 13, 2. 14, 51. Marcellus ridicule *trunca manu* reddebat: sine multitudine adhærentium. *Silanorum manes*, intellige *Junii* et *L.* Cf. supra c. 1. Id Bud. sat clare adfuit *inrita*, nec video, cur dubitarit Rhen. Displicet id verbi Bip. qui substituere parant *jurare*, quod non satis capio. Magis quoque probant Acidalii conjecturam, qui *et tot irrita facinora* e superiori loco huc recidisse conjicit, verbis *suum veneficium* subjicienda.

Quo quartum decimum etc.] Adeoque togam virilem acciperet. Vid. dicta ad 12, 41.

Levi quidem experimento cognitam] Elegans est Freinshemii conjectura *levi quidem:* quale quid sequentia desiderant. MSS. Reg. et Agric. habent quidem *quo tum*, in qua lectione non opus foret illo epitheto: sed ita totus locus fit frigidus. Freinsh. verum vidit. *Quæsivisset* est conciliasset, parasset, ut sæpe. Ern. *Levi* probat et Brot. recepere Bip. Vix dubium est, quin sit vera lectio: vocis præcedentis ultima ejus vocis primam absorpsit. Heins. conjectabat *futilis.* Acid. *vili.*

Inter alia æqualium ludicra] Interpretes ad illustrationem loci adferunt, quæ Pollux scribit 9, 7. Βασιλίνδα, inquit, ἐστὶν, ὅταν διακληρωθέντες, ὁ μὲν Βασιλεὺς προστάττῃ τὸ πρακτέον, ὁ δὲ ὑπηρέτης εἶναι λαχὼν πανταχόθεν ἀπεκπονῆ. Magis facit Arriani locus Diss. Epicteti 1, 25. Ἐν Σατορναλίοις λέλογχε Βασιλεύς. Ἔδοξε γὰρ παῖξαι ταύτην τὴν παιδιάν. Προστάσσει, σὺ πίε, σὺ κέρασον, σὺ ᾆσον, σὺ ἄπελθε, σὺ ἐλθέ. Ὑπακούω, ἵνα μὴ παρ' ἐμὲ λύηται ἡ παιδιά. Et maxime Luciani in Saturnalibus: Ὁρᾷς ἡλίκον τὸ ἀγαθὸν, ἔτι καὶ Βασιλέα μόνον ἐφ' ἁπάντων γενέσθαι, τῷ ἀστραγάλῳ κρατήσαντα. Ὡς μήτε ἐπιταχθείης γελοῖα ἐπιτάγματα, καὶ αὐτὸς ἐπιτάττειν ἔχοις, τῷ μὲν αἰσχρόν τι περὶ αὐτοῦ ἀναβοῆσαι, τῷ δὲ γυμνὸν ὀρχήσασθαι, καὶ, ἀράμενον τὴν αὐλητρίδα, τρὶς τὴν οἰκίαν περιελθεῖν. Lips. In loco Pollucis nullus sensus, lege πᾶν τὸ ταχθὲν ὑπεκπονῆ.

Regnum lusu sortientium] Eo ritu, quo Regna conviviorum: id est, talo. Ex Luciani supra verbis. Flor. etiam *ludicra R. Regnum:* quod valet, *Romanum.* Lips. Ed. pr. adeo *Rō.* MS. Reg. Guelf. *Ro.* Agr. *Rome.* Ern. Bud. etiam *R. regnum.* Videtur valere *Romæ.* De lusu v. Hor. Ode 1, 4, 18.

Ruborem allatura] Sic MSS. Flor. Guelf. non, ut J. Gronovius queritur, solus Beroaldus et Aldus, sed etiam auctores cujusque, Puteolanus, Rhenanus, et imitatores Rivius, Alciatus,

exsurgeret, progressusque in medium, cantum aliquem inciperet, A. U. 808.
inrisum ex eo sperans pueri, sobrios quoque convictus, nedum temulentos, ignorantis; ille constanter exorsus est A. C. 56.
carmen, quo, *evolutum eum sede patria rebusque summis* significabatur. Unde orta miseratio manifestior, quia dissimulationem nox et lascivia exemerat. Nero, intellecta invidia, odium intendit: urgentibusque Agrippinæ minis, quia nullum crimen, neque jubere cædem fratris palam audebat, occulta molitur: *pararique venenum* jubet, ministro Pollione Julio, Prætoriæ cohortis Tribuno, cujus cura adtinebatur damnata veneficii nomine Locusta, multa scelerum fama. Nam, ut proximus quisque Britannico neque fas neque fidem pensi haberet, olim provisum erat. Primum venenum ab ipsis educatoribus accepit, transmisitque, exsoluta alvo, parum validum, sive temperamentum inerat, ne statim sæviret. Sed Nero, lenti sceleris inpatiens, minitari Tribuno, jubere *supplicium veneficæ, quod, dum rumorem respiciunt, dum parant defensiones, securitatem morarentur.* Promittentibus dein *tam præcipitem necem, quam si ferro urgeretur,* cubiculum Cæsaris juxta, decoquitur virus, co-

Gryphius. Quo auctore MS. *illatura* invectum sit in Lips. Pichenæ etc. nescio. Ed. pr. adhuc exquisitius *oblatura*, quod mihi supra librariorum captum videtur, eique sæpe substituitur *afferre* in istis formulis, in quibus et *offerre* et *afferre* rectum est, ut *mortem, mœrorem, pudorem, luctum* etc. V. Drakenb. ad Liv. 34, 23. et quos ibi laudat. Interea unum illum librum sequi non sum ausus, sed *allatura* edidi. Mox pro *ubi* frustra Acidalius volebat *uni.* De constructione verbi *jussit*, qua hic noster utitur, supra satis dictum ad 11, 32. Ern.

Constanter exorsus est carmen] Vetus illud ex Ennio tritum (ap. Cic. Tusc. 3, 19.): *O pater, o patria, o Priami domus Septum altisono cardine templum, etc.* Lips. *Constanter* est sine metu et hæsitatione, promte: quo sensu sæpe apud nostrum *constantia* dicitur. *Carmen exorsus,* est phrasis Liviana. Deinde, etsi intelligo *summisque rebus*, et supra dictum est c. 13. *summa fortuna*, tamen hic vereor, ne vera Taciti manus sit *rebusque suis.* Nam nec dixit *sede Cæsarea*, aut simile quid, sed tantum *patria*, ut indicaret, sibi erepta sua, quæ sibi deberentur. Nam in hoc proprie injuria est, ex illo miseratio. Pro *suus* librarios interdum dedisse *summus*, docebit præter alios Drakenb. ad Liv. 5, 11. extr. Mox *jubere* pro glossa deleri vult Acidalius. Verum videtur: cum præsertim statim sequatur *jubet.* Porro Heinsius malebat: *occultam molitur.* bene. Item *pararique* dedi e cod. Flor. quod Broterius imitatus est. Editi omnes præter J. Gron. sine copula. Voluit tamen sic edere Pichena: sed operæ non paruerunt. Ern. *Constanter*, ut ap. Justin. 1, 5. Cf. Gron. ad Agr. 27. Bud. *rebus summis* absque copula, appositive, ut Rhenano placet. Idem *occulta . . . parari.* In edit. Pichenæ Frf. 1607. omnino legitur *parariquc.*

Pollione Julio] Puto eum esse, qui postea Præf. Prætorio fuit, sub Othone. Vide Plutarch. in Othone 24. Lips.

Olim provisum] Vide 12, 41.

Quod dum] Bis *dum* in ed. pr. Put. non demum in ed. Rhen. Beroald. et Alc. edd. casu, ut opinor, omisere. *Securitatem* omnes præter pr. quæ habet *securitate.* idem voluit dare Rhenanus, sed operæ non paruere. Itaque et Aldus, Gryph. illud habent, quod verum est. Ceterum saltem esse debebat *respiciant, parent.* Ern. Bud. bis *dum:* item *securitate.* Rhen. id explicat *ob securitatem.*

Urgeretur] Agr. *necaretur,* manifesta glossa.

Cognitis venenis] Nempe experimentis factis in animalibus. v. Sueton. Ner. c. 33. Ern.

A. U. gnitis antea venenis rapidum. Mos habebatur, Principum
809. liberos cum ceteris idem ætatis nobilibus sedentes vesci,
A. C. in adspectu propinquorum, propria et parciore men-
56.
16 sa. Illic epulante Britannico, quia cibos potusque ejus delectus ex ministris gustu explorabat, ne omitteretur institutum, aut utriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est. Innoxia adhuc ac præcalida et libata gustu potio traditur Britannico: dein, postquam fervore adspernabatur, frigida in aqua adfunditur venenum, quod ita cunctos ejus artus pervasit, ut vox pariter et spi-

Sedentes vesci] Suet. super eodem ritu, Claudii 32. *Adhibebat omni cœnæ et liberos suos cum pueris puellisque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur.* Idem in Augusto 64. de nepotibus ejus: *Neque cœnavit una, nisi in imo lecto adsiderent.* Ubi scripserim, *nisi ut imo.* Ex quibus vides, pueros sedisse ad fulcra pedesque parentum. Sedisse, dico. Spernebant enim etiam tunc accubitum a pueris, a servis: quasi luxuriæ ritum illi ætati ordinive non decorum. De servis, Plautus Sticho 5, 4, 21. *Potius in subselliis Cynice accipiemur, quam in lecto.* Ib. 3, 2, 32. *Non postulo equidem med in lecto accumbere, Scis tu med esse imi subsellii virum.* Donatus in vita Terentii: *Jussus ante Cæcilio recitare, ad cœnantem cum venisset, quod erat contemptiore vestitu, subsellio juxta lectulum residens legisse dicitur: post paucos vero versus, invitatus ut accumberet, cœnasse una.* Senecam sic accipio de tranquillit. 2, 15. (sive de Const. Sap. 15.) *Non accipiet sapiens contumeliam, si in convivio Regis recumbere infra mensam vescique cum servis, ignominiosa officia sortitis, jubebitur.* Qua contumelia a Caio Pomponius Secundus adfectus: qui cibum cum eo cepit, παρὰ τοῖς ποσὶν αὐτοῦ καθήμενος, ait Dio 59, 29. scilicet quasi Vejovis illius servus. Nec alio Plutarchus respexit, cum in Convivio suo c. 10. reliquos quidem accumbentes facit, at Æsopum, qui servus, sedentem in subsellio apud Solonem. Lips. De ritu isto v. Ciacconius de triclinio p. 5. et Ursinus in append. p. 252.

Quia cibos potusque] MSS. Vett. edd. omnes: *cibus p. e. d. e. ministri gustu explorabatur.* quod vitiosum esse omnes vident. Ursinus *ex* delendum putabat. Sed pariter delendum foret *delectus,* quod ad cibum potumque non commode refertur. Hodierna lectio est e correctione Danesii, ut puto. In qua tamen *delectus ex ministris* languidius est, quam pro celebrata Taciti brevitate. Ern.

Innoxia adhuc ac præcalida] Rettuli ad calidæ potionem in Electis 1, 4. et velim ei capiti addi Arriani locum 1, 13. Ὅταν δὲ θερμὸν αἰτήσαντός σου μὴ ὑπακούσῃ ὁ παῖς, ἢ ὑπακούσας χλιαρώτερον ἐνέγκῃ, ἢ μηδ' εὑρεθῇ ἐν τῇ οἰκίᾳ, τὸ μὴ χαλεπαίνειν, μηδὲ ῥήγνυσθαι, οὐκ ἔστιν ἀρεστὸν τοῖς Θεοῖς; qui simillimus illi Senecæ, quem adduxi, de Ira 2, 25. Ceterum ex hac potione gustasse etiam Titus credebatur *Britannicum juxta cubans,* ait Suet. Titi c. 2. Miror, cur *cubans* scripserit: nam ille vero *sedit,* ut hic in Tacito, cum Britannico scilicet *simul, ac paribus disciplinis, et apud eosdem magistros institutus,* ut ipse Suetonius, ibi scripsit. Nec probabile, in pari ætate, Titum supra Dominum honore affectum. Sed exciderit hoc Suetonio, pro vulgato more scribenti. Lips.

Frigida in aqua] Ita factum et Alexandro, ab eadem caussa et cautione. Justinus 12, 14. *In qua frigida venenum habuerunt, quam prægustatæ jam potioni supermiserunt.* Est error hac in re, opinor, Æliani in Hist. Anim. 5, 29. qui diserte vult, venenum ei in cibo datum, non potu. Μυρίοι γ' οὖν, inquit, καὶ πίνοντές τι κακὸν κατέπιον, ὡς Ἀλέξανδρος, καὶ ἐσθίοντες, ὡς Κλαύδιος ὁ Ῥωμαῖος καὶ Βρεταννικὸς, ὁ τούτου παῖς. Atqui de potu et Tacitus et Suetonius adfirmant. Lips. *Affunditur* MS. Flor. ed. pr. quamquam ibi est *eff.* vitiose pro *aff.* Rhen. et seqq. At Puteol. cum sequacibus, Beroaldo et Alc. *infunditur.* Mox MS. reg. delet *ejus* post *spiritus.* recte. repetitum est temere e præcedentibus. Ern. Rhen. e Bud. *affunditur.* ut 6, 28. H. 5, 23. Idem habet *vox ejus par. et sp. r*

ritus raperentur. Trepidatur a circumsedentibus, diffugi- A. U.
unt inprudentes. At, quibus altior intellectus, resistunt 809. A. C.
defixi, et Neronem intuentes. Ille, ut erat reclinis, et ne- 56.
scio similis, *solitum ita*, ait, *per comitialem morbum, quo primum ab infantia adflictaretur Britannicus, et redituros paullatim visus sensusque.* At Agrippinæ is pavor, ea consternatio mentis, quamvis vultu premeretur, emicuit, ut, perinde ignaram fuisse ac sororem Britannici Octaviam, constiterit. quippe sibi supremum auxilium ereptum, et parricidii exemplum intelligebat. Octavia quoque, quamvis rudibus annis, dolorem, caritatem, omnis adfectus abscondere didicerat. Ita post breve silentium, repetita convivii lætitia.
Nox eadem necem Britannici et rogum conjunxit, proviso 17
ante funebri paratu, qui modicus fuit. In campo tamen

Trepidatur a circumsedentibus] Sic vett. edd. ante Rhenanum omnes: quod cur ab eo in *trepidatum* mutaretur, nulla gravis satis caussa erat. Et tamen omnes postea id secuti sunt. Ern. *Trepidatum* e Bud.

Quo primum ab infantia adflictaretur Britannicus] *Primum* corruptum esse omnes vident. Utrum corrigendum sit *prima*, cum Acidalio, an *plurimum* cum Freinshemio, non pro certo dicam. Illud consuetudini loquendi convenientius videtur. *Primum* et *plurimum* etiam alibi in MSS. confunduntur, ut ap. Liv. 5, 37. *Plurimum* pro sæpe dicitur. *Britannicus* sane supervacuum est: unde deleri volebat Muretus (et Acid.). Sed, quia hæc nominis proprii redundantia jam aliquot locis observata est, incipio vereri, ne Tacitus ejus auctor sit. Ern. *Prima* habet cod. Agr.

Is pavor emicuit] An *eminuit?* id enim est verbum proprium de animi motibus vultu se prodentibus, quamvis premantur. V. præter alios Oudend. ad Suet. Cal. 15. *Emicare* vix conveniat consternationi et terrori. Et confunduntur ista verba in libris. In loco etiam Cic. ap. Quintil. 9, 2, 40. in multis est *emicabat*, cum ap. Ciceron. sit *eminebat*. Ern.

Ac sororem B. O.] Hoc ordine dedimus ex ed. pr. quamquam ibi omissum *ac*. Vulgo inde a Puteol. *Ac Octaviam, sor. Br.* Illum ordinem meliorem esse, primum per se, tum, ne *ac* durius cum vocali concurrat, facile apparet. Ita non opus conjectura Faerni *atque*. Broterius mallet deleri *Octaviam*. Ern.

Parricidii exemplum intelligebat] Scylla Ovidio Met. 8, 116. *Cives odere merentem, Finitimi exemplum metuunt.* Seneca Troad. 241. *Suique victor operis exemplum horruit, Didicitque Achilles et Deâ natos mori.* Gron.

Octavia quoque] Scribe, *Octaviæ.* is pavor videlicet fuit. Lips. Dura conjectura. Ern.

Ita post breve silentium] Tale Statii Theb. 2, 262. *In Regem conversi omnes formidine prima: Mox audisse negant.* Gron. Mox ed. pr. *communi* pro *convivii.* quod confirmat lectionem a nobis Suetonio redditam in Ner. 38. ubi vulgo *sermone communi:* nos ex Cortianis Exc. dedimus *sermone convivii:* quod etiam e cod. Vindob. profert Oudend. sed pro glossa τοῦ *communi* habet. An hic quoque *convivii* est glossa ejus verbi? Ern.

Nox eadem] Miror ergo, quomodo vera, quæ Græci tradiderunt, Britannici corpus gypso multo oblitum a Nerone fuisse, ne livor appareret e veneno: sed pluviam coortam eluisse gypsum, dum cadaver per forum efferetur, omniumque oculis scelus subjecisse. Hæc Zonaras 11, 12. hæc Dio 61, 7. Scite, sed parum vere: ut Taciti quidem narratio est. Nam hæc omnia operire nox potuit. Lips. Mox *paratu*, quod in MS. Flor. habet etiam ed. pr. Idem Rhenanus (e Bud.) edere voluit, sed operæ non paruerunt; itaque in sequentibus mansit *apparatu*, usque ad Pichenam. Etiam supra ista verba confusa vidimus. Ern.

In campo tamen Martis sepultus] Non tamen ibi combustus: sed reliquiæ ejus in urna illatæ, ut opinor, monumento Augusti. Lips. *Martis* ex Flor. edidit Pichena. vulgo, *Martio.* Sic et c. 31. Ern.

A. U. 809. A. C. 56. Martis sepultus est, adeo turbidis imbribus, ut vulgus iram Deum portendi crediderit adversus facinus, cui plerique etiam hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias et insociabile Regnum æstimantes. Tradunt plerique eorum temporum scriptores, *crebris ante exitium diebus, inlusum isse pueritiæ Britannici Neronem:* ut jam non præmatura, neque sæva mors videri queat, quamvis inter sacra mensæ, ne tempore quidem ad complexum sorori dato, ante oculos inimici properata sit, in illum supremum Claudiorum sanguinem, stupro prius quam veneno pollutum. Festinationem exsequiarum edicto Cæsar defendit, a majoribus insti-

Cui plerique ignoscebant] Omnino *ignoscebant*, non *ingemiscebant*, ut vult Acidalius. Philo περὶ πρεσβείας p. 1001. Ἀπιστοῦντες, εἰ οὕτως ἀθρόως ἐνδέδεκται τροπὴν, ὁ πρὸ μικροῦ χρηστὸς καὶ φιλάνθρωπος, ἴσός τε καὶ κοινωνικὸς εἶναι νομισθεὶς Γάϊος, ἀπολογίας ἐσκόπουν. καὶ διερευνῶντες εὕρισκον. ἐπὶ μὲν τῷ ἀνεψιῷ καὶ συγκληρονόμῳ τοιαῦτα φάσκοντες, ἀκοινώνητον ἀρχὴν, θεσμὸς φύσεως ἀκίνητος· οὗτος ἃ παθεῖν ἐμέλλησεν ἂν ὑπ' ἀδυνατωτέρου, προέθηκεν ἰσχυρότερος ὤν. ἄμυνα τοῦτ' ἔστιν, οὐκ ἀνδροφονία. τάχα δὲ καὶ προνοητικῶς ἐπ' ὠφηλείᾳ τοῦ σύμπαντος ἀνθρώπων γένους τὸ μειράκιον ἐκποδὼν γεγένηται, τῶν μὲν τούτῳ, τῶν δὲ ἐκείνῳ προσκεκληρωμένων. ἐξ ὧν ταραχαὶ, ἐμφύλιοί τε καὶ ξενικοὶ πόλεμοι συνίστανται. etc. Sic enim legendum, ubi editur: ἠμύνατο. τουτέστιν οὐκ ἀνδροφονία. GRON. *Etiam* abest a Guelf. ERN.

Insociabile Regnum æstimantes] i. e. cogitantes, reputantes. Atque ita Puteol. Beroald. Alc. Sed Rhen. et Pichena e Fl. cod. edidere *existimantes*, decepti scriptura *extimantes*, quæ est etiam in cod. Agr. Guelf. et ed. pr. Puteolanus recte legit et edidit *estimantes:* nam *x* pro *s* scribi in vett. libris et edi, ante monuimus ad c. 6. et *extimare* pro *æstimare* olim scriptum esse, etiam Gesnerus monet in Thes. L. L. et sic est in ed. pr. 15, 2. *a Diis extimatur*. Add. ad H. 1, 14. Alioqui non ignoro, *extimare* fere scribi pro *existimare*, et huic verbo alieno sæpe loco substitui *æstimare*, de quo pleni criticorum libri, quos laudat Drakenb. ad Liv. 34, 2. Sic *existimare* recte defenditur, ubi de judicio sermo est, quamquam etiam ibi *æstimare* defendit Cortius ad Sallustium, non dicam, quam bene: non, ubi cogitandi, reputandi significatio requiritur, ut h. l. Ignoscebant, qui reputabant antiquas discordias, quæ inter fratres illos fuissent, et Regni societatem nullam esse posse: quod sane non est *existimare*. De insociabili Regno sententia sumta e Livio 1, 14. *Infida Regni societas*. ERN. Bud. habet totidem litteris *extimantes*. Pichena e Flor. dedit *extimantes*, additque *vulgo* (male scil.) *existimantes*. Neuter ergo deceptus.

Illusisse] Prisci aliquot, *illusum esse*. scribe, *isse*. *Ludere* autem et *illudere*, in re Veneris usurpant: sed hoc fere in fœda. Suet. Tib. 45. *Feminarum capitibus illudere*. LIPS. *Illusum esse* MSS. Flor. (Bud.) Reg. Agr. Guelf. etc. edd. pr. et ceteræ ante Rhen. e cujus correctione editum est *illusisse* usque ad J. F. Gron. qui Lipsii conjecturam recepit. Salmasium, qui *illusum esse* active capit, refellit Ryckius. Si *illusisse* libris scriptis adjuvaretur, sane præferrem: nunc sequar Gronovii exemplum. alias *isse illusum* proprie est tentasse, instituisse illudere, omninoque conatum alicujus rei indicat magis quam effectum: ut 4, 73. *nec ultum iit* est, nec *tentavit ulcisci*. Sed videtur h. l. *ire* dictum, ut in rebus amatoriis solet: *ire ad famosas, ad meretrices*. Gell. 3, 2. extr. *mulier, quæ ante d. IV. Kal. I. usurpatum isset:* i. e. ad virum, ut usurparetur: sic h. l. isse ad Britannicum, ut ejus pueritiæ illuderet: intelligendumque cum effectu, ut ibi. ERN.

Ad complexum sorori] Sic omnes edd. nec e MSS. varietatem notatam reperi. Sola ed. princ. *sororum:* quod non spreverim. Nam et altera soror *Antonia* erat, quamvis non ὁμογάστριος, eaque adhuc viva. Mox *id a majoribus institutum* omnes libri. at ego non dubito, quin τὸ *id* natum sit e finali præcedentis verbi. plane enim non friget modo, sed legibus dicendi repugnat. Sequi enim deberet *ut*. Itaque delevi. ERN. Modius in novant. ep. 99. legit *sororium*, quod probant Bip.

totum referens, *subtrahere oculis acerba funera, neque lauda-* A. U. *tionibus, aut pompa detinere. Ceterum et sibi, amisso fratris* 809. *auxilio, reliquas spes in Repub. sitas: et tanto magis fovendum* A. C. 56. *Patribus Populoque Principem, qui unus superesset e familia, summum ad fastigium genita.* Exin largitione potissimos amicorum auxit. Nec defuere, qui arguerent viros gravi- 18 tatem adseverantes, *quod domos, villas, id temporis, quasi prædam divisissent.* Alii necessitatem adhibitam credebant a Principe, sceleris sibi conscio et veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. At matris ira nulla munificentia leniri, sed amplecti Octaviam: crebra cum amicis secreta habere: super ingenitam avaritiam, undique pecunias, quasi in subsidium, conripere, Tribunos et Centuriones comiter excipere: nomina et virtutes nobilium, qui etiam tum supererant, in honore habere; quasi quæreret ducem et partes. Cognitum id Neroni, *excubiasque militares,* quæ, ut conjugi Imperatoris olim, tum et ut matri servabantur, *et Germanos,* super eundem honorem, custodes

Subtrahere oculis acerba funera] Nota ritum. Acerba enim et immatura funera, quæ intra tirocinii diem, pompa funebri aut laudatione non dignata. Vide me ad Senecæ de brevit. vitæ c. ult. LIPS. Mox ed. pr. *neque laudationibus retinere.* ERN. Bud. *neque laud. aut pompam detinere preces effundere.* hoc Rhen. putat emendandum: *præceps effundere* scil. funus e sandapila aut loculo.

Viros gravitatem asseverantes] In Senecam et Burrum criminatio spectat. quam deluit tamen leviter ipse Tacitus, Senecæ ubique volens et amicus: aliter quam ille Bithynus, qui inimicitias cum Seneca indictas exercet, et ex professo. LIPS. Dedi *defuere* ex Flor. ed. pr. *Domos, villas* pro *villasque* ex iisdem et MS. Agr. Guelf. *prædam* ex iisdem et MS. Reg. cum Ryckio et J. Gronovio pro *prædas. Asseverare* h. l. est præ se ferre. ERN. Bud. *defuere . . . domos villas . . . predam.*

In subsidium corripiens] Vel *corripere.* LIPS. Recte. ERN. Recepi cum Bip.

Quæ ut conjugi Imperatoris] Emendavi verissime: *quæ ut conjugi Imperatoris olim, tum.* jampridem, inquit, excubiæ Agrippinæ: Claudio quidem vivo, ut conjugi Principis: Nerone imperante, ut matri. LIPS. Omnes MSS. ap. Ryckium et Guelf. *solitum ut.* nisi quod Agr. *et matri:* unde Ryckius rescripsit *quæ, ut conjugi Imperatoris solitum, et matri servabantur,* ut Faerno placuerat, quod secutus est etiam Broterius, qui et in MSS. reperit *et ut.* Ego malim cum J. Gronovio *ut* retinere et lectionem MSS. sequi, bonam illam et intelligendam, etsi duriusculam, quam conjecturam Lipsii recipere, quam nec ipse in textum recepit. Hæsitatio orta est ex eo, quod in edd. esset vox divulsa *soli tum.* In ed. pr. est *soli cum ut matri,* sed in eo libro non semel ultima *tum* divellitur, et in *cum* mutatur. Puteolanus cœpit edere *et ut matri,* quod omnes secuti sunt. ERN. Sequor Lipsium et Pichenam. Bud. habet *solitum ut,* sed 2. m. *τὸ ut* vertit in *ita,* quod ferri posse judicant Bip. Lall. *solitum et.*

Germanos super eundem honorem] Duplex ergo custodia Agrippinæ, uti et Principi ipsi: Prætoriani milites Germanique. Suet. 34. *Abductaque militum et Germanorum statione, contubernio quoque ac Palatio expulit.* Jampridem vero Germanis habitus is honos: et ante eos Hispanis. Nam Julius Cæsar Hispanorum cohortem habuerat custodiæ suæ. Sueton. in Jul. 86. et Calagurritanorum manum Augustus, Sueton. 49. Sed ii dimissi: et eorum vicem allecti Germani. Quos ipsos metu aliquo et suspicione ob Vari cladem (Sueton. l. c.) dimiserat; sed mox, ut opinor, recepit Augustus. Habuit certe eos inter initia Principatus Tiberius, ex Tacito 1, 24. *Robora Germanorum, qui tum custodes Imperatori aderant.* aliique ad Galbam usque, *qui cohortem Germanorum olim*

A. U. 809. A. C. 56. additos, *degredi* jubet. Ac, ne cœtu salutantium frequentaretur, separat domum, matremque transfert in eam, quæ Antoniæ fuerat: quotiens ipse illuc ventitaret, septus turba Centurionum, et post breve osculum digrediens.

19 Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quam fama potentiæ, non sua vi nixa. Statim relictum Agrippinæ limen. Nemo solari, nemo adire, præter paucas feminas, amore an odio, incertum. Ex quibus erat Junia Silana, quam matrimonio C. Silii a Messallina depulsam, supra retuli. insignis genere, forma, lascivia, et Agrippinæ diu percara: mox occultis inter eas offensionibus, quia Sextium Africanum, nobilem juvenem, a nuptiis Silanæ deterruerat

a Cæsaribus ad custodiam corporis institutum atque multis experimentis fidelissimam, dissolvit. (Cf. Suet. 12.) Sed et post eum iterum recepta, uti clarum ex historia inferiore. Imo et externi Reges vitam suam commisere istis. De Herode quidem (apud Joseph. 17, 8.) lego Judææ, habuisse eum in satellitio Germanos. Faveo tibi, pugnacissima et fidelissima gens, faveo hanc laudem, quæ tamen propria quodammodo Batavorum. Uti enim hodie Helvetii, sic illi olim eximii visi ad hoc munus. Itaque indiscriminatim modo Batavi ii custodes appellati, modo Germani. Batavos Suet. Cal. 43. nominat, Plutarchus in Othone, Dio apertissime 55, 24. Ex cujus verbis etiam disces, equites peditesque in hac manu fuisse. sicut et in Constitutione Hadriani inter Vexillationes Palatinas Batavos equites seniores juniores que recensitos reperies. Ad hos non dubie custodes illa Arriani spectant de oblongis gladiis, quorum et nunc Germanæ genti usus, Dissert. 4, 7. *Δείκνυέ μοι τὰς μαχαίρας τῶν δορυφόρων. ἰδοὺ, ἡλικαί εἰσι, καὶ πῶς ὀξεῖαι; τί οὖν ποιοῦσιν αἱ μεγάλαι αὗται μάχαιραι καὶ ὀξεῖαι; ἀποκτιννύουσι.* Reperio et Frisios in hoc numero, vicinos scilicet Batavis ingenio situque. Lapis Interamnæ (ap. Grut. p. 600.) HILARVS. NERONIS. CAESARIS. CORPORIS. CVSTOS. NATIONE. FRISAEO. LIPS. Mox *degredi* pro *digredi* legendum sc. de statione. Vid. dicta ad c. 14. et 54. Sic *statio cohortis demoveri* dicitur c. 24. certe, cum abeunt custodia et statione milites, *degrediuntur*. Itaque sic correxi. ERN.

Antoniæ] Majoris, ut opinor, quæ avia Neronis. ERN.

Non sua vi n.] Omnes vett. edd. MS. Guelf. (et Bud.) *nixa:* quod sine caussa, ac tacite mutatum est in *nixæ* in Lips. ed. forte non a Lipsio: monuisset enim. At hinc in omnes alias venit. Mox *amore an odio incertas* MS. Bud. et ed. pr. *Incertum* verum. Idem *Julia* omnes vett. vitiose. Nam *Silani* sunt e *Juniis*, et *Junia* dicta est 11, 12. ERN.

Supra retuli] 11, 12. Credo, sororem esse Marci Luciique Silanorum. LIPS. Contra, ex mente Reinesii et Ryckii, filia fuit M. Junii Silani, CS. a. 772. de quo ad 2, 59. 13, 1. soror Juniæ Claudillæ, prioris conjugis Claudii Imp.

Forma, lascivia] Romana vetus editio, *forma, lascivia*, non displicet. LIPS. Sic MSS. Flor. Guelf. ed. pr. et veteres omnes ad Rhen. ed. in qua *forma lasciva* videtur esse vitium operarum, quod Aldus ceterique fideliter, ut alia, expresserunt. Pichena *lascivia* restituit. Mox MS. Guelf. *præcara,* sed scriptum *precara*. Laudatur hoc verbum e Ter. Phorm. 3, 3, 25. sed ibi libri meliores *perc.* exhibent. Itaque de hoc verbo adhuc dubitandum videtur. ERN. *Forma lasciva* ap. Rhen. non est vitium operarum ; e Bud. desumsit, et sic se emendare profitetur. male. Mox Bud. *percara*.

Sextium Africanum] Scribe, *Sex.* ut prænomen sit. 14, 46. *Census per Gallias a Q. Volusio et Sex. Africano Trebellioque Maximo acti sunt, æmulis inter se per nobilitatem Volusio atque Africano.* Nobilitatem hanc Africani repetendam arbitror a Julo Antonio, Marcellæ marito, cui cognomen Africano. Ei filius L. Antonius 4, 44. supra: et hic, ut opinor, nepos. LIPS. Frustra: ut bene docet Ryckius. ERN. T. Sextius Africanus occurrit in fragm. Fratrum Arvalium ap. Grut. p. 119. et ap. Phlegontem Mirab. 25. Cf. et Spanh. de Præst. NN. Diss. 10. t. 2. p. 65.

Agrippina, *inpudicam et vergentem annis* dictitans; non ut Africanum sibi seponeret, sed ne opibus et orbitate Silanæ maritus potiretur. Illa, spe ultionis oblata, parat accusatores ex clientibus suis, Iturium et Calvisium, non vetera et sæpius jam audita deferens, *quod Britannici mortem lugeret, aut Octaviæ injurias evulgaret*; sed, *destinavisse eam, Rubellium Plautum, per maternam originem pari ac Nero gradu a D. Augusto, ad res novas extollere; conjugioque ejus et jam imperio Remp. rursus invadere.* Hæc Iturius et Calvisius Atimeto, Domitiæ, Neronis amitæ, liberto, aperiunt. Qui, lætus oblatis (quippe inter Agrippinam et Domitiam infensa æmulatio exercebatur) Paridem histrionem, liber- A.U. 809. A. C. 56.

Ne opibus et orbitate Sil.] Explicari et ferri posse scio: sed tamen non celabo, mihi in mentem venisse *ne opibus ex orbitate s. m. potiretur*. Ern.

Spe ultionis obl.] *Caussa* addunt vett. omnes inde a Puteolano: quod Faernus corrigebat *casu*. Quorum librorum auctoritate sublatum sit, non reperio. Ego non reperi in ed. pr. in qua corrupte *speculationes* pro *spe ultionis* ut in Guelf. qui tamen et ipse *caussa* habet. Ern. Bud. *speculationis caussa oblata*.

Iturium] Verius, *Titurium*, atque ita scribunt libri veteres 14, 12. Simile mendum ad Q. Fratrem 3, 7. *Ad Labienum et ad Ligurium litteras dabo.* Malim, *Titurium*, qui in Cæsaris legatis. Lips. Mox cod. Fl. *differens*. Ceterum v. Interp. ad Valer. Fl. 1, 753. Ern. Bud. a 1. m. *differens* a 2. *deferens*.

Rubellium Plautum] Recte Plautum. Noster 14, 22. *Et omnium ore Rubellius Plautus celebratur, cui nobilitas per matrem ex Julia familia.* Iterum 57. *Compertoque Plautum et Syllam maxime timeri.* 16, 10. *Interfectum esse Rubellium Plautum, generum L. Veteris.* Græcisque constanter semper Πλαῦτος. Ubi ergo frons, *Plancus* aut *Blandus* substituentium? At enim pater illi fuit Rubellius Blandus. Homo inconspecte, an nescis plerosque filiorum cognomine a patribus diversos fuisse hoc ævo? Taciti una aut altera pagina tibi testis. In Juvenali ergo corrige Sat. 8, 39.— *tecum est mihi sermo Rubelli Plaute, tumes alto Drusorum sanguine.* Suetonius, qui A. Plancium quemdam juvenem nominat, non tibi imponet: alius est ab isto, ut dicam 14, 59. ubi de morte hujus Plauti. Quod ait Tacitus, pari eum gradu a D. Augusto fuisse ac Neronem, id clarum. Rubellius Blandus maritus Juliæ Drusi filiæ fuit. ex iis genitus hic Rubellius Plautus. Tabulam nostram adi. Lips. Tangit Torrentii notam ad Suet. Ner. 35. quem excusat Ryckius ad h. l. Ern. V. et 16, 10.

Conjugioque ejus etiam Imperio Remp. rursus invadere] Faernus legebat: *Conjugio ejus etiam Imperium rursus.* Ursinus vero: *Conjugioque petito Remp. rursus invadere.* et sic fere Muretus, qui tamen relinquit *ejus etiam*. Pichena *pacto*: quo verbo sæpe utitur in hac re Tacitus. Sed in hac lectione friget *etiam*. In MSS. est vel *perio*, ut in Fl. et Reg. vel *potiri ac*, ut in Oxon. Guelf. vel *imperium*, ut in Agr. Vulg. est in omnibus edd. J. Gronovius corrigit: *conjugioque ejus clam petito.* Lenissimum est J. Fr. Gron. in Obs. 1, 22. p. 171. *conjugioque ejus, et jam imperio*, i. e. mox vel statim. Ern. Bud. habebat *imperio*, ex quo 2. m. fecit *potiri*. Emendatio Gron. vix dubia esse potest. Hill. Rac. 37. legit: *conjugioque ejus etiam imperium potiri ac R. juv.*

Atimeto Domitiæ] Ætas non abnuit, quin sit ille libertus, de quo hodie inscriptio in ædibus Cæsiorum (ap. Grut. p. 607.) ATIMETVS. PAMPHILI. TI. CAESARIS. AVG. L. L. ANTEROTIANVS. cum carmine Romano Græcoque, in mortem Homonœæ conjugis. E domo enim Pamphili Tiberiani liberti transire ad hanc Domitiam potuit. De eodem fortasse Scribonii Largi locus est, sed vitiatus, § 119. *Cassii medici*, inquit, *colice bona, multis nota propter effectus, vera hæc est: ut ab ejus servo Atimeto accepi, Legato Tiberii Cæsaris.* Quomodo enim servus legatus Cæsaris sit? Scribam, *legato Tiberio Cæsari*, hac mente, ut a Cassio moriente legatum relictus sit Tiberio. Lips.

A. U. 809. A. C. 56. tum et ipsum Domitiæ, inpulit, *ire propere, crimenque atrociter deferre.* Provecta nox erat, et Neroni per vinolentiam trahebatur; cum ingreditur Paris, solitus alioquin id temporis luxus Principis intendere. Sed tunc compositus ad mæstitiam, expositoque indicii ordine, ita audientem exterret, ut non tantum matrem Plautumque interficere, sed Burrum etiam demovere Præfectura destinaret, tamquam Agrippinæ gratia provectum et vicem reddentem. Fabius Rusticus auctor est, *scriptos esse ad Cæcinam Tuscum codicillos, mandata ei Prætoriarum cohortium cura: sed ope Senecæ dignationem Burro retentam.* Plinius et Cluvius, nihil du-

Atrociter deferre] h. e. tempore et modo, quo maxime commoveret Neronis animum. sic apud Ciceronem, *atroces literæ.* ERN.

Lusus Principis intendere] Nec male, *luxus.* LIPS. *Lusus* edidit Rhen. e cod. ut puto Bud. quod secuti sunt omnes, usque ad Pichenam. Ante Rhen. omnes *luxus.* Ea res me in hac voce non movet, propter ea, quæ dixi ad c. 6. et quod sæpe hæ litteræ in MSS. confusæ. Deinde *lusum intendere* convenit histrioni, non *luxum int.* Porro *lusus* opponitur *mæstitiæ et terrori,* non *luxus.* Non autem intelligendus lusus puerilis, ut Pichena putabat, sed lætitia convivantium, comissantium, quæ augebatur ab histrionibus, scurris, aretalogis, et similibus. Opponuntur lusus et seria. Lusus est, quicquid fit voluptatis atque hilaritatis caussa, etiam Venus, ut sæpe docuere viri docti. Histrio facit, ut hilariores sint homines, non ut luxuriosiores. Si dixisset *luxus exhilarare,* nihil dubitarem. Similiter ap. Livium 1, 5. pro *per lusum et lasciviam,* multi *luxum,* ubi v. Gron. et Drakenb. Idem 40, 13. *tempus lusus, convivii et comissationis.* Adde c. 24. init. ERN. Bud. habet *luxus,* quod Rhen. mutavit ex ingenio. Bip. recepere *luxus,* pro epularum lætitia, quod placet.

Fabius Rusticus] Historias eorum temporum scripsit: de quo elogium nostri, in Agr. 10. *Livius veterum, Fabius Rusticus, recentium eloquentissimi scriptores.* LIPS.

Ad Cæcinam Tuscum codicillos] Bene et ad ritum ejus ævi, codicillos. Nam officia omnia administrationesque dari a Principe moris in codicillis. Tacitus in Agr. 40. *Credidere plerique missum e secretioribus ministeriis libertum codicillos, quibus ei Syria dabatur, tulisse.* Sidonius Ep. 1, 11. *Vacante aula turbataque Repub. solus juventus est, qui ad Gallias administrandas fascibus prius, quam codicillis, ausus accingi,* etc. Ingerit idem non conniventi lectori Suet. Claud. 29. *Suppositos, aut etiam palam immutatos, datorum officiorum codicillos.* Et Arrian. Dissert. 3, 7. Ἀλλὰ καὶ κριτής εἰμι τῶν Ἑλλήνων. Οἶδας κρίνειν, τί σε ἐποίησεν εἰδέναι; Καῖσάρ μοι κωδίκελλον ἔγραψε. Γραψάτω σοι, ἵνα κρίνῃς περὶ τῶν μουσικῶν, καί τί σοι ὄφελος; Zeno Imp. l. 1. C. t. 49. Ut omnes judices: *Aut codicilli alterius administrationis oblati.* et l. 12. C. De Dignitat. *Judices, qui se furtis et sceleribus fuerint maculasse convicti, ablatis codicillorum insignibus et honore exuti,* etc. Lampridium vere interpretemur ex istis, in Alexandro 49. *Pontificatus et Quindecimviratus et Auguratus codicillares fecit, ita ut in Senatum allegerentur.* Codicillares, id est, tribuit eos ipse per codicillos: cum antea cooptari a collegis, partim a plebe, solerent. De hisdem codicillis interpretor Suetonii locum Tib. 42. *Alteri Syriam provinciam, alteri Præfecturam urbis confestim detulit; codicillis quoque jocundissimos et omnium horarum amicos professus.* Cæcina Tuscus, quem hic nominat, est ille, qui postea Præf. Ægypti a Nerone relegatus est. Suet. 35. *Tuscum nutricis filium relegavit, quod in procuratione Ægypti balneis, in adventum suum exstructis, lavisset.* Dionem corrige 63, 18. Τί δὲ, ὅτι καὶ Κίνναν Τοῦσκον ὑπερώρισεν, ὅτι τῆς Αἰγύπτου ἄρχων ἐλούσατο ἐν τῷ βαλανείῳ, ὃ ἐκείνῳ, ὡς καὶ εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἥξοντι ἐποιήθη. et scribe, τί δὲ, ὅτι Καικίναν. Superfuit tamen Neroni, et nominat iterum noster H. 3, 38. *Apud Cæcinam Tuscum epulari multos, præcipuum honore Junium Blæsum, nuntiatur.* LIPS.

Plinius] In libris Historiarum, quos a fine Aufidii Bassi composuit triginta et unum, ipse in Præf. ad Titum: *Nos*

bitatum de fide Præfecti, referunt. Sane Fabius inclinat ad laudes Senecæ, cujus amicitia floruit. Nos consensum auctorum secuti, quæ diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus. Nero trepidus, et interficiendæ matris avidus, non prius differri potuit, quam Burrus necem ejus promitteret, si facinoris coargueretur: *sed cuicumque, nedum parenti, defensionem tribuendam: nec accusatores adesse, sed vocem unius ex inimica domo adferri. Refutare tenebras et*

A. U. 809. A. C. 56.

quidem omnes, patrem, te, fratremque diximus opere justo. temporum nostrorum historiam orsi a fine Aufidii Bassi. Eosdem libros intelligit, 2, 85. *Nec minus mirum ostentum et nostra cognovit ætas, anno Neronis Principis supremo, sicut in rebus ejus exposuimus.* Et 106. *Amnes restro fluere et nostra vidit ætas, Neronis Principis supremis, sicut in rebus ejus retulimus.* Credo autem, scripsisse Aufidium a bellis civilibus ad res Claudii aut paullum infra. Certe vixit ea ætate, et viri optimi (ita appellat) constantiam in lenta morte Seneca describit epist. 30. Citantur bina ejus fragmenta in Suasoria 7. pro Cicerone. Lips.

Cluvius] Non *Clivius*. Est Cluvius ille Rufus, vir Consularis, qui hujus inferiorisque ætatis historiam scripsit. Plinius ep. 9, 19. *Ita secum aliquando Cluvium locutum, scis, Virgini, quæ historiæ fides debeatur: proinde, si quid in historiis meis legis aliter ac velles, rogo ignoscas.* Emenda Plutarchum in Othone, apud quem sub initium male Κλαύδιος Ῥοῦφος scriptum et versum. Nominat aliquotiens noster ut 14, 2. et Sueton. Ner. 21. Lips. *Clivius* omnes vett. edd. Ern.

Nos consensum] Omnes edd. sequuntur lectionem inductam a Puteolano: *n. c. a. secuturi quæ diversa prodiderint, s. n. i. trademus.* At primum MS. reg. ed. pr. *secuti*, sicque correxerat vir doctus in margine Gryph. Idque haud dubie verum. Nam jam tradidit, in quibus auctores hactenus consensere. Et apud Livium, nostrum, aliosque in talibus locis perfectum reperitur. Sed *trademus* fecit, ut futurum poneretur. Post omnes scripti (in his Bud.) et ed. pr. *qui diversa pr.* quod recte correctum *quæ:* nam res dicuntur tradi, non scriptores: Denique aut *tradimus* vel *tradidimus* scripsit Tacitus, aut simul indicat, quid in reliqua historia facturus sit. Sed videtur hic potius loqui de re ea, quam tradiderat, in eaque quid fecerit monere, ut solent scriptores rerum gestarum. Et in talibus locis sæpe temporum confusio. Sic 14, 64. pro *memoravimus* MS. Guelf. *memorabimus:* male. Ern.

Non prius differri potuit] i. e. adduci, ut cædem matris differret. *Differri* cum accusativo personæ optimi scriptores dicunt. V. ad Sueton. Vesp. 23. etc. Ern.

Sed vocem unius ex inimica domo] Hæsito, num scrib. *vocem mimi ex mimica domo.* De Paride enim: et fatalis quidam librariorum in iis vocibus error. Lips. Præter necessitatem locus tentatur. Et fatum est verbi *mimus* et *mimicus*, ut auctoribus obtrudantur, ut observat Burm. ad Suet. Tib. 24. quamquam ibi alieno loco. Ern.

Refutare tenebras] Hæret sententia: quam explicari posse puto, si legas, *reputaret tenebras.* Lips. Veram esse credo Lipsii correctionem. Si de insidiis illa nocte ab Agrippina structis detulisset Paris, rectum esset *refutare*, videreturque Tacitus in animo habuisse, quæ Demetrius apud Livium 40, 15. refellendi criminis a fratre impacti caussa, dicit. Nunc nihil tale est, et clarum, Burrum suadere, ne alieno tempore, cum cogitandi et judicandi recte facultas non sit, aliquid gravius in matrem statuat. *Refutare* et *reputare* confunduntur in libris, ut *refellere* et *repellere.* Mox MSS. Oxon. Guelf. *inscientiæ* pro *inscitiæ.* Similiter ap. Liv. 22, 25. pro *temeritatem et inscitiam* libri quidam *inscientiam*, quod præferebat J. Fr. Gronovius: quem vide ibi et Drakenb. sæpe sane *inscientiæ* substituta *inscitia.* Ern. Lamp. e Mir. dabat, *hanc ref. ten.* quod probat Lips. si ita verus vetusque liber. Huetius exponit ita: tenebras et noctem convivio vigilatam etc. accusationem refutare. Id enim temporis delegisse accusatores, ne a sobriis et vigilantibus falsitas agnosceretur. Bip. *refutare* scil. *se ten.* vel *refutaret* (ipse Nero) *ten.* pro rejicere, rejiceret, ut ap. Cic. pro Rabirio 44. et Quinctil. 10, 6, 6. Cf. Gesner. in thes.

A. U. 809. A. C. 56. *vigilatam convivio noctem, omniaque temeritati et inscitiæ propior.* Sic lenito Principis metu, et luce orta, itur ad Agrippinam, ut nosceret objecta dissolveretque, vel pœna lueret.
21 Burris iis mandatis, Seneca coram, fungebatur. aderant et ex libertis arbitri sermonis. Deinde a Burro, postquam crimina et auctores exposuit, minaciter actum. Agrippina ferociæ memor, *Non miror*, inquit, *Silanam, numquam edito partu, matrum adfectus ignotos habere. Neque enim perinde a parentibus liberi, quam ab inpudica adulteri mutantur. Nec, si Iturius et Calvisius, adesis omnibus fortunis, novissimam suscipiendæ accusationis operam anui rependunt, ideo aut mihi infamia parricidii, aut Cæsari conscientia subeunda est. Nam Domitiæ inimicitiis gratias agerem, si benevolentia mecum in Neronem meum certaret: nunc, per concubinum Atimetum et histrionem Paridem quasi scenæ fabulas componit. Bajarum suarum piscinas extollebat, cum meis consiliis adoptio, et Proconsulare jus et designatio Consulatus et cetera apiscendo Imperio præpararentur. Aut existat, qui cohortes in urbe tentatas, qui provinciarum fidem labefactatam, denique servos vel libertos ad scelus corruptos arguat. Vivere ego,*

Et luce orta] Non bene videtur *luce orta* conjungi cum præcedentibus. Puto *et* delendum, *luce orta itur ad A.* Ern.

Pœnas lueret] MS. reg. Ed. pr. *pœna lueret.* quod non spernam. est enim exquisitius, et in hac forma peccatur non raro a librariis. Liv. 30, 37. *pecunia luere Karthaginienses:* scr. et edd. multi *pecuniam.* Ceteri omnes *pœnas.* Recepit etiam Broterius. *Nosceret* ante est cognosceret, audiret. Mox *et* ante *a Burro*, quod delevit Rhen. (e Bud.) non est in ed. pr. alterum ante *Agripp.* est, ut in cod. Fl. et Guelf. Ern. Bud. *penas.*

Neque enim perinde] Primum ed. pr. *proinde.* Deinde sensus est, parentes amorem erga liberos non ita transferunt in alios, liberosque adeo odisse incipiunt, ut impudicæ amorem ab adultero uno ad alium, etiam levi de caussa. Verbum *mutari* magis convenit adulteris quam liberis, sed utrisque jungitur: cujus generis plura jam observavimus. Verum *mutare* elegans in re amatoria. Propert. 1, 12, 18. *Si despectus potuit mutare calores, sunt quoque translato gaudia servitio.* V. Gron. Diatr. in Stat. c. 35. p. 224. ubi hunc Taciti locum afferre non neglexit. Mox quod Gruterus ait in omnibus edd. fere esse vitiose *anni* pro *anui*: id falsum est. Vett. edd. omnes, quas inspexi, *anni.* Ern. Sic et Bud.

Quasi scenæ fabulas] Eleganter. Livius in oratione Demetrii 40, 15. quam ante laudavi, itidem *nocturnam fabulam* de crimine insidiarum nocturnarum. Ern. Lact. de m. pers. 30. *Componitur scena, qua manifesto facinus teneretur.*

Piscinas excolebat] Codd. Flor. Guelf. Oxon. ed. pr. Puteol. *extollebat.* unde restitui. *Excolebat* ceteræ edd. A Beroaldo, an ab operis, primum mutatum venit in ceteras. *Extollere hortos* habuimus 11, 1. Mox *apiscendo* e MSS. Flor. Agr. pro *adipisc.* cum Ryckio et J. Gron. Ern. Ut 3, 27. 4, 59. 6, 3, 45. Bud. *adipiscendo.*

Aut existat] Sic Rhen. edidit (e Bud.). Superiores *at:* item post Aldus. Rhenanum sequuntur Pich. Lips. etc. Gryphius *ut*, quod laudat et in notulis Ferretus. Sed est vitium haud dubie operarum pro *at.* Utrumque commodum est. Sed *aut* fortius. Servit enim hortationi, præsertim cum irrisione, aut minis, aut saltem indignatione. Mox ed. pr. *labefactam.* Ern. Bip. præferunt *at* cum Acid.

Vivere ego Britannico] Lege nota interrogandi, *Vivere e. B. p. r. poteram?* Sequentia scripserim, *Remp. judicatusve obtinuerit.* id est, si Plautus rerum, judiciorumve potiretur. Ro-

Britannico potiente rerum, poteram? at, si Plautus, aut quis A. U. *alius, Remp. judicaturus obtinuerit, desunt scilicet mihi accu-* 809. *satores, qui non verba, inpatientia caritatis aliquando incauta,* A. C. 56. *sed ea crimina objiciant, quibus, nisi a filio, absolvi non possim.* Commotis, qui aderant, ultroque spiritus ejus mitigantibus, *conloquium filii* exposcit: ubi nihil pro innocentia, quasi diffideret; nec beneficiis, quasi exprobraret, disseruit; sed ultionem in delatores et præmia amicis obtinuit. Præfectura annonæ Fenio Rufo; cura ludorum, 22 qui a Cæsare parabantur, Arruntio Stellæ; Ægyptus C.

dolphus legit *Remp. invasurus.* Lips. Quid de vexatissimo loco mihi videretur, exposui Observ. 1, 22. Gron. Quæ probare non possum, quia primum cum Lipsio interrogative capit; deinde responderi sumit his ad crimen de luctu super Britannici morte. Nam Tacitus clare dicit c. 17. hoc non objectum esse. Ergo nec dilutum est defensione. Nec de hoc jam quærebatur. Sensus est: quorsum ego dejicere imperio filium tentem? quo dejecto, et Plauto, vel alio quo imperante, ne illud quidem boni habitura sum, quod imperante Britannico habuissem, nempe securitatem. Quod est maxime solenne argumentum in defensionibus omnibus. Satis scio, esse apud Livium locum persimilem, quem jam reperire non possum. Jam, quod ad verba attinet, difficultas quæritur in verbo *judicaturus;* quod varie tentatum est. Lipsii *judicatusve* non placet, quia potestas judicandi jam est in *Remp. obtinere.* Nec *vindicaturus* Salmasii I. A. R. p. 375. probo, quod placuit etiam Rutgersio Venus. Lect. p. 415. Non credibile est, voluisse pungere filium. Nec Agricolæ *invasurus* verum puto. Alienum enim futurum in hoc verbo. Dixisset *adortus,* aut simile quid, in perfecto. *Judicaturus* verum putabo, dum melius quid e libris scriptis proferatur, idque additum verbo *obtinuerit* ἐξηγητικῶς. Si Plautus Remp. obtinuerit, adeoque potestatem judicia exercendi nactus fuerit: quod sequentibus optime convenit. Nisi quis malit prorsus pro glossa deleri, cujus sane speciem habet, quando, ut dixi, judicandi potestas per se intelligitur: idque placuisse video viro docto in margine ed. Gryph. Ceterum ab initio MS. Guelf. ed. pr. pro *potiente* habent *potito:* deinde edd. vett. (et cod. Bud.) *ac si,* vitiose. Denique MS. Flor. ed. pr. non habent *mater* post *a filio*. estque sane frigidum ibi verbum illud: unde delevi. Demetrius ap. Livium 40, 15. *quid mihi spei esset, nisi patrem judicem haberem.* Ern. Salmasii *vindicaturus* rejicit Des. Heraldus in anim. ad Salmas. p. 365. sed is multo magis aberrat, dum legit, *Remp. obtinuerit, judicata res est.* Post *poteram* cum Lips. Gron. et Bip. interrogandi signum posui.

Quasi diffideret] Rodolphus adnotavit, *quasi defenderet.* Lips. Immo *diffideret,* hoc est, paveret, sollicita esset, laboraret, defensionis egere caussam suam putaret. Id enim anceps, et apud malignos venit in suspicionem culpæ. Justinus de Alexandro et Philippo medico 11, 8. *Oculos in vultum legentis intendit. Ut securum conspexit, lætior factus est.* Suet. Oct. 55. *Etiam sparsos de se in curia famosos libellos nec expavit.* Gron. Post *beneficiis* aut addendum, aut intelligendum *de.* Ern.

Senio Rufo] *Fenius* illi nomen: atque ita semper infra. Cf. 14, 51. Rarius gens Fenia occurrit. Extat tamen ap. Vaill. in NN. Aug. FENIVS IIVIR CALAGVRR. t. 1. p. 25. et L. FENIVS ACHILLEVS ap. Grut. p. 782. alibi *Fænius* apud eundem.

Cura ludorum Arruntio Stellæ] Inter dignitates ergo ea res fuit. sic 11, 35. *Sulpicius Rufus ludi procurator.* In lapide prisco Tibure (ap. Grut. p. 489.) CVRAT. MVNERIS. PVBLICI. GLADIATORI. Apud. Sueton. Cal. 27. *Curator munerum ac venationum.* Lips. Add. Guther. Off. D. A. 3, 35. Ern.

Ægyptus C. Balbillo] De hoc Seneca Nat. Quæst. 4, 2. *Balbillus virorum optimus, in omni litterarum genere rarissimus, auctor est, cum ipse Præfectus obtineret Ægyptum,* etc. etsi male vulgo, *Babillus.* Corruptum et in Plinio idem nomen l. 19. proœmio. *Galerius a freto Siciliæ Alexan-*

A. U. 809. A. C. 56. Balbillo permittuntur. Syria P. Anteio destinata: sed variis mox artibus elusus, ad postremum in urbe retentus est. At Silana in exsilium acta. Calvisius quoque et Iturius relegantur. De Atimeto supplicium sumptum, validiore apud libidines Principis Paride, quam ut pœna adficeretur.

28 Plautus ad præsens silentio transmissus est. Deferuntur dehinc *consensisse Pallas ac Burrus, ut Cornelius Sulla, claritudine generis et adfinitate Claudii,* cui per nuptias Antoniæ gener erat, *ad Imperium vocaretur.* Ejus accusationis auctor exstitit Pætus quidam, exercendis apud ærarium sectionibus famosus, et tum vanitatis manifestus. Nec tam grata Pallantis innocentia, quam gravis superbia fuit: quippe, nominatis libertis ejus, quos conscios haberet, respondit: *nihil unquam se domi, nisi nutu aut manu, significasse, vel, si plura demonstranda essent, scripto usum, ne vocem consociaret.* Burrus, quamvis reus, inter judices sententiam dixit. Exiliumque accusatori inrogatum, et tabulæ exustæ sunt, quibus oblitterata ærarii nomina retrahebat.

Adriam septima die pervenit, Babilius sexta, ambo Præfecti. scribe, *Balbillus.* In lapidibus nominatur quidam TI. IVLIVS. BALBILLVS. SACERDOS. SOLIS. LIPS.

Syria P. Anteio] Inepte vulgo, *Pantello.* errore duplici. Conjectura nostra certo firmatur c 16, 14. *Simul annuam pecuniam a P. Anteio ministrari cognoscit; neque nescium habebat Anteium caritate Agrippinæ invisum Neroni.* LIPS. Commodius foret: *Syria P. Anteio destinata, qui variis.* GRON. Malim *sed* cum Heinsio, sive *at.* sed v. ad 5, 3. ERN. Bud. *et.* Præstat *sed*, non *at*, quod mox sequitur. *Anteius* quondam e Legatis Germanici 2, 6.

Corn. Sulla] De hoc v. 12, 52.

Cui per nuptias] Sic Rhenanus legi voluit, sed non recepit: unde post etiam in edd. *qui* mansit, usque ad Lipsium, ni fallor. *Qui* et *cui* sæpe in libris confunduntur. Adde supra ad c. 9. ERN. In edit. Rhen. a. 1544. omnino receptum *cui*, et quidem ex ingenio, nam Bud. *qui.*

Apud ærarium sectionibus] Emendis bonis, quæ a Præfectis ærarii sub hasta venderentur. Tales enim auctiones sunt *sectiones;* qui emunt bona, *sectores:* de quibus videant tirones dicta in Clave Ciceron. Sic Claudii bona sub edicto Præfectorum venalia apud ærarium pependerunt. Suet. Claud. c. 9. Mox *vanitatibus* omnes edd. ante Rhen. Vitiose. *Vanitas* est falsa dicentis, calumniantis. Sic ap. Cic. Tusc. 3, 1. *Vanitati* opponitur *veritas.* Nisi quis malit de studio captandæ gratiæ accipere, de qua apud eundem Ciceronem *vanitas* dicitur. Post a cod. Bud. afuit *tam*, quod placet Rhenano, ut intelligatur *magis* ante *quam. Tam* omitti ante *quam*, vidimus 3, 8. ERN. Bud. *vanitatis.* bene, unde Rhen. *manifestus* frequenter sic cum genitivo. V. Ind.

Ne vocem consociaret] Idem, quod Cicero dicit *sermonem communicare.* In hoc superbia, non dignari libertos, quibuscum loquare, cum ipse libertus sis. Frustra Marcilius *consauciaret.* ERN.

Monimenta retrahebat] Diximus *oblitterata ærarii nomina* legendum videri de Pecunia 4, 3. Zonaras de Romano Argyropulo 17, 12. ἵνα γὰρ τῶν ἀπολωλότων ἰσοστάσια κτήσεται, πράκτωρ ἀντὶ κρατοῦντος ἐγένετο καὶ πικρὸς λογιστὴς, παῖδας πατέρων γεγηρακότα χρέα πραττόμενος, καὶ πυρκαϊὰς ἀνάπτων κατὰ τῶν ὑπηκόων, ἅσπερ ὁ χρόνος ἤδη πολὺς πρεσβεύσας κατέσβεσεν, ἢ τέως κατέχωσεν ὑπὸ σποδιᾷ. Ἐντεῦθεν πολλοὶ τῶν πατρῴων οἰκιῶν καὶ ἀγρῶν ἀπηλαύνοντο, καὶ τὴν πρὶν εὐκληρίαν ἐκδιδυσκόμενοι, εἰς πενίαν λαμπρὰν συνηλαύνοντο. GRON. Rectissime. Nam tabulæ, in quibus vetera nomina, sunt illa quidem monumenta ærarii, sed non solæ. Itaque verba latius patent, quam sensus patitur: et *tabulæ* jam commemoratæ sunt. *Nomina ærarii oblitterata,* sunt veteres ærarii

Fine anni, statio cohortis, adsidere ludis solita, demove- A. U.
tur, quo major species libertatis esset: utque miles, 809.
theatrali licentiæ non permixtus incorruptior ageret; A. C. 56.
et plebes daret experimentum, an, amotis custodibus, mo-
destiam retineret. Urbem Princeps lustravit, e responso
Haruspicum, quod Jovis ac Minervæ ædes de cælo tactæ
erant.

Q. Volusio, P. Scipione coss. otium foris, fœda domi A. U.
lascivia; qua Nero itinera urbis et lupanaria et diverticula, 810.
veste servili in dissimulationem sui compositus, pererrabat, A. C. 57.
comitantibus, qui raperent venditioni exposita, et obviis 25
vulnera inferrent, adversus ignaros adeo, ut ipse quoque
exciperet ictus, et ore præferret. Deinde, ubi *Cæsarem*

debitores apud Suetonium. Res est ita clara et certa, ut recipere non dubitaverim. Imitatus est Lallemannus. Nam quod J. Gronovius, nimia veneratione cod. Fl. in quo non credit tot litteras frustra scriptas, vult *emolumenta;* id nihil est. *Emolumenta* sunt reditus, vectigalia, de quibus nuspiam sermo, cum de quadruplatoribus agitur. Ern. *Monumenta* cod. Flor. Bud. Reg. Agr. etc. Emendationem Gronovii recepere et Bip.

Statio cohortis] Non repeto, quæ scripsi Epistolic. Quæst. 3, 18. Lips.

Utque miles] Bud. *ut miles.*

Urbem pr. lustravit.] Ejusdem ritus mentio H. 1, 87. et apud Livium sæpe. Facta lustratio prodigiorum caussa, amburbiali sacrificio, h. e. circumducta circa urbem victima expiatoria. V. Duker. ad Liv. 35, 19. qui laudat Salmas. ad Vopisc. Aurel. c. 19. Ern.

Q. Volusio, P. Scipione] Ita mei libri, idque Fasti comprobant. Lapis Neapoli (ap. Grut. p. 9.) Q. VOLVSIO. SATVRN. P. CORNELIO. SCIP. COS. AVGVSTALES. QVI. (NERONI.) CLAVDIO. CAESARI. AVGVST. ET. (AGRIPPINAE.) AVGVSTAE. I. O. M. ET. GENIO. COLONIAE. LVDOS. FECERVNT. XIII. XII. K. MART. Nominat et Phlegon in Admirandis c. 27. Q. Volusium, P. Scipionem coss. Lips. *P. Scipione* ed. pr. At Puteol. et seqq. usque ad Lipsium *Cepione*, ut est et in Guelf. vitiose. Atque etiam in duabus inscriptionibus ap. Gudium p. 19. et 24. est *P. Cornelius Cæpio.* Sed veretur Wesselingius ad Simsoni Chron. p. 1654. ne ea scriptura e corruptela hujus loci nata sit. Ern.

Ad venditionem exposita] An ergo interdiu id factum? Nam noctu non merces sunt expositæ. Immo noctu. Verbum non nimis urgendum est. Tabernæ effractæ sunt, in quibus res venales. Vid. Sueton. Ner. 26. Ceterum *ad* abest a Flor. unde Gron. conjicit *venum.* In ed. pr. est *venditioni:* quod mallem. An in venerabili illo codice tot literæ frustra scriptæ sint? Consentit Guelf. Ern. Bud. *ad venditionem.* Sed præstat lectio ed. pr. absque dubio ex cod. quodam hausta.

Exciperet ictus] Sic MSS. Flor. Guelf. Reg. (Agr. Bud.) Edd. pr. Puteol. Beroald. Alc. ceteræque veteres usque ad Lips. qui cum sequentibus habet *acciperet*, quod propagatum est. J. Gron. adscribit Rhenano. At in prima ejus ed. a. 1533. quam expressere Aldus, Gryphius, est *exciperet.* Unde patet, in posteriores edd. Bas. vitio operarum irrepsisse. Restituit vetus J. Gronovius. Ern.

Et ore præferret] Vera lectio. Beatus Maurusque frustra adlaborant in scriptura codicis Budensis: quem ex hoc aliisque locis scias fuisse non optimæ notæ. Legunt tamen illi, *et ore se Cæsarem præferret.* Inepte. Hoc noster voluit clare, excepisse eum ab ignaris ictus, et læsa facie prætulisse. Plinius 13, 43. de Thapsia: *Nero Cæsar claritatem ei dedit initio imperii, nocturnis grassationibus converberatam faciem illinens sibi cum thure ceraque, et secuto die contra famam cutem sinceram circumferens.* Lips. Non pugnant inter se Tacitus et Plinius, ut Acidalius putat. Tacitus narrat id, quod fiebat, quodque fit naturaliter: Plinius, quemadmodum id, quod factum erat, celaretur ac dissimularetur. Sed et plerumque inter existentia mala et inventa remedia temporis aliquid intercedit. Gron. *Et ore præferret* ed. pr. ut cod. Flor. quod

A. U. 810. A. C. 57. *esse, qui grassaretur,* pernotuit, augebanturque injuriæ adversus viros feminasque insignes, et quidam, permissa semel licentia sub nomine Neronis, inulti propriis cum globis eadem exercebant, in modum captivitatis nox agebatur. Julius Montanus, Senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset, congressus forte per tenebras cum Principe, quia vi attentantem acriter repulerat, deinde agnitum

recte omnes servant. Lectio cod. Bud. est etiam in Oxon. Guelf. Liber Agr. *perferret.* E lectione Oxon. J. Gronovius conjiciebat *ore cicatricem præferret.* Vir doctus in margine Gryphii verba *ore præ* delevit. Ceterum vulgatam lectionem defendit (nisi quod et ipse vult *exciperet*) et copiose illustrat N. Heinsius ad Vellei. 2, 116. Ern. Bud. vitiose: *et fore se Cæs. præf.* unde Rhen. fecit *et ore se C. p.* Non ergo multum laborat. Ryckius *Cæsarem* e seq. membro huc inlatum putat. Lectionem Flor. recentiores editores certatim sequuntur. De auctoritate codicis Bud. in præfatione dictum.

Deinde, ubi C.] Hæc periodus exitum non habet. Apparet, copulam ubiubi esse delendam. Acidalius primam delet: *augebantur:* ut sit punctum post *insignes.* J. Gron. ultimam, ante *in modum.* Illud magis placet. Ern. Omnino, ultima deleta, apodosis bene se habet.

Feminasque insignes] Farn. *illustres.* Lips. Sic et Agr. Ern.

Et quidam permissa semel licentia] Sic MS. Flor. ed. pr. Pichena, Gron. uterque, Ryckius. Ceteri *quidam simili lic.* Ern.

Multi propriis] Melius, *inulti.* Lips. Sic MS. Flor. Pich. Ryck. Ern.

In modum captivitatis] Divino scribend. *in modum captæ civitatis.* Ea enim facies potius, quam carceris custodiæve. Lips. Immo *captivitatis* verum: quo verbo utitur noster etiam 11, 23. 16, 16. ubi *captivitas urbium.* Et deberet esse *captæ urbis,* non *civitatis.* Ern.

Julius quidem Montanus] Si memoria mihi firma, poeta quidam eo nomine apud Senecam patrem laudatur. Lips. Locus est controv. 16. sed diversus ille ab hoc. *Quidem* abest a MS. Bud. et Guelf. a man. pr. quod non omnino displicet. Nam *quidem* addi solet exemplis, quæ superiorum confirmandorum caussa adferuntur: quod hic non esse videtur. Quidam editi exhibent *quidam,* sed non e scriptis: melius tamen est vulgato. Ceterum hujus generis nominibus non solet addi, sed obscuris. Ern. Hill. Rac. 37. defendit *quidem* e loco simili Cic. de Sen. 9. *Cyrus quidem.* Mihi rectius abesse videtur.

Sed qui nondum honorem] Suet. 26. laticlavium vocat: tu scito. Ante et sub hoc ævum mos, ut liberi Senatorum lato clavo induerentur una cum virili toga, curiæque interessent. Ab Augusto institutum, qui *liberis Senatorum, quo celerius Reip. adsuescerent, protinus virili togæ latum clavum inducere, et curiæ interesse permisit.* (Suet. 38.) A quo more Ovidius Trist. 4, 10, 28. *Liberior fratri sumpta, mihique toga est: Induiturque humeris cum lato purpura clavo.* Iidem ergo laticlavii: iidem capessendis honoribus destinati. Noster 14, 40. *Valerius Fabianus capessendis honoribus destinatus.* Statius Silv. 3, 124. *Notus adhuc tantum majoris munere clavi.* Alii sunt Tribuni laticlavii, de quibus hæc non capio. Julius ergo Montanus Senatorii quidem loci, sed qui Magistratum adhuc nullum cepisset, et tantum laticlavius. Lips.

Quia vi attentantem] MSS. Flor. Reg. Bud. *via temptantem,* quod est etiam in ed. pr. MS. Guelf. *qui avia tent.* Cod. Agr. *vi attentantem.* Et sic volebant Rhenanus, Danesius. Hoc cum J. Gron. recepimus. Nam consentit vitiosis MSS. lectionibus. Vulgo inde a Puteolano *vim tentantem.* Ern. Bud. *qui avia t.* unde suum Rhen. quem recte editores plurimi secuti.

Deinde agnitum oraverat] Miror hic silere, qui manu exaratorum codicum fuere compotes. Videtur enim scripsisse Tacitus: *deinde et agnitum oraverat.* Huc pertinet illud M. Senecæ: *Nihil est crudelius, quam sic offendere, ut magis sis offensurus, si satisfecerit.* Gron. Rhen. e Bud. notavit *adagnitum.* Ryck. idem e suo: habet et ed. pr. Ryckius probat correctionem Gronovii. Ap. Tertullianum est *adagnitio.* Mox MS. Flor. (Bud.) ed. pr. *plerosque gladiatores,* quod restitui pro *gladiatorum:* quam-

oraverat, quasi exprobrasset, mori adactus est. Nero autem, metuentior in posterum, milites sibi et plerosque gladiatores circumdedit, qui rixarum initia modica et quasi privata sinerent: si a læsis validius ageretur, arma inferrent. Ludicram quoque licentiam et fautores histrionum velut in prœlia convertit inpunitate et præmiis, atque ipse occultus et plerumque coram prospectans: donec, discordi populo, et gravioris motus terrore, non aliud remedium repertum est, quam ut histriones Italia pellerentur, milesque theatro rursum adsideret. Per idem tempus actum in Se- 26 natu *de fraudibus libertorum*, efflagitatumque, *ut adversus male meritos revocandæ libertatis jus patronis daretur.* Nec deerant, qui censerent. Sed Consules, relationem incipere non

A. U. 810. A. C. 57.

quam hoc quoque recte dicitur. J. Gron. nescit, unde Beroaldus genitivum sumserit. Scil. e Puteolano, quem in his libris secutus est. Tacitus non semper *plerique* cum genitivo dixit. Post frustra Muretus (e conjectura) *sererent.* Nero serebat certamina; milites resisti sinebant modice. Sed *inferrent* a Puteol. Beroald. Alc. editum, a Pichena (e Ven.) restitutum est, cum Rhenanus cum sequacibus, Aldo, Gryphio, Lipsio *inferebant* edidisset, quod est in Guelf. Credo, in MS. Rhenani fuisse *inserebant.* Nam sic est in ed. pr. quod elegantius videri potest, quam ut sit vitium librariorum aut operarum. Ita sensus foret: non uno impetu adoriebantur resistentes Neroni, sed paullatim se immiscebant certamini. Neque necessarium est, conjunctivum esse, quem puto correctioni Puteolani deberi. Sed huic rei obest *si.* Nam *cum* in hac lectione et sententia esse debet, ut opinor. Ern. Bud. clare habet *inferebant.* Contra *inserebant* cod. Agr. quod placet Heinsio, qui confert 5, 4. H. 1, 23. 2, 61. Vit. Agr. 10. de Orat. 10.

Fautores histrionum] Legit *favores* Acidalius. Immo eleganter Tacitus idem verbum duabus rebus diversa significatione attribuit. Quo in genere frequentissimus Ovidius, neque infrequens noster. *Licentia ludicra in prœlia converti* recte dicitur: paullo audacius, nec minus recte *fautores histrionum:* ut *versus in furorem, versus in pœnitentiam. in misericordiam naufragi versi* Justino, nostro *diuturnitate in superbiam mutans.* Quin etiam (de eodem, alio modo, ut in formulis erat) verbis in istis, *licentiam ludicram et fautores histrionum* potest intelligi figura, quam ἓν διὰ δυοῖν vocant: ut apud Justinum 2, 2. *Lanæ usus ac vestium*, quod est, vestium e lana usus, *laboribus et bellis*, pro laboribus belli. Sic *licentiam ludicram et fautores histrionum* est licentiam ludicram fautorum histrionalium. Gron. Cf. 1, 77. et mox c. 28. Histriones sunt pantomimi de q. 14, 21.

Et gravioris motus terrore] Rhen. (e Bud.) *ex gravioris motus terrore* edidit, cum sequacibus. Sic Guelf. Putavit *discordi populo* esse dativum: quod si esset, mallem *terrori.* Mox Groslotius volebat *milesve:* cur enim milites theatro assidere, si histriones Italia pulsi. Verum videtur. Ern.

Revocandæ libertatis jus] Non ergo ratum Claudii judicium, qui *ingratos, et de quibus patroni quererentur, revocavit in servitutem:* Sueton. 25. In quo Claudius exemplum Atheniensium secutus videri potest, apud quos *convictus a patrono libertus ingratus jure libertatis exuitur*, ait Valerius 2, 6, 6, et Plutarch. in Solone. Judicavit ergo quidem ita Claudius, sed in legibus et more Romano aliud fuit, uti audiemus. Lips. Sic mihi quoque placere ostendi ad Sueton. l. c. *Patronis* abest MS. reg. et ed. pr. Ern. De Claudii constitutione v. l. 5. D. de jure patron. Apud Plut. l. c. ne γὰρ quidem, sed v. Petiti LL. Att. p. 181. de act. ἀποστασίου.

Relationem incipere non ausi] Nempe intelligendum, ea, de quibus dictum, prolata per egressionem relationis, et a Coss. postulatum, ut de ea re referrent ad Senatum: quod illi facere dubitaverant. *Relationem incipere* est etiam 5, 4. V. in pr. Gron. Obs. 1, 22. nos ad Suet. Cæs. c. 20. Ern.

A. U. 810. A. C. 57. ausi ignaro Principe, perscripsere tamen consensum Senatus: *ille auctor constitutionis fieret*, ut inter paucos, ei sententiæ adversos: quibusdam, coalitam libertate irreverentiam eo prorupisse, frementibus, *vi ne, an æquo cum patro-*

Perscripsere tamen consensum Senatus: ille auctor] Puto leg. interpungendumque, *perscripsere tamen consensum Senatus illi, an auctor constitutionis fieret, ut inter paucos et sententiæ diversos.* Firmant illa Taciti 14, 19. *At Consules perficere Senatus decretum non ausi, de consensu scripsere Cæsari.* LIPS. Favent MSS. Flor. Bud. Guelf. edd. pr. Put. et reliquæ vett. omnes, quæ habent *ille an. An* casu omissum puto, quod non habent Pich. Lips. et seqq. At cod. Agr. plane *illi, an a. c. f.* unde recepit Ryckius, quem sequimur. Nam id saltem est in scripto: *ille auctor* clare est vitium operarum, posteris propagatum editoribus. Broterius e MS. reg. dedit, *ille jam auctor.* Mox credo vere Freinshemium corrigere *ei sententiæ:* quod placebat etiam Ryckio. Nam, si capias *et* cum J. Fr. Gronovio Obs. 1, 22. p. 177. pro *etiam*, ut 1, 4. *ægro et corpore:* tamen friget, ut opinor. Nam haberet vim augendi, quæ huic loco non convenit. An enim mirum est. sententiæ per egressionem relationis dictæ adversari quosdam? Minimum in tali re est sententia, tali modo dicta. Ceterum, nullo modo potuerunt Coss. postulare, quod videtur Gronovio l. c. ut, quod pro sententia dictum erat a Senatoribus, relationem egressis, ratum habeat, et constitutionem esse sineret sine relatione. Nullæ tum constitutiones factæ sine relatione. ergo quærunt, an sententia illa placeat, velitque relationem fieri. Cf. 15, 22. ERN. Bud. male *in consensum Sen.* Bip. jure extrudunt *an*, rejectum jam ab aliis, ex sequenti *auctor* huc irrepsit. Sensus sic planus. Similis fere locus 14, 49. Totum hunc locum quomodo refingere laboret Jac. Gothofredus, v. ad Cod. Theod. 2, 22. de hæred. petit.

Coalitam libertate] i. e. confirmatam et auctam, ut 14, 1. *coalita vetustate imperii audacia.* Adde Hist. 4, 55. sumta metaphora ab arboribus et plantis, quæ *coalescere* dicuntur, cum radicibus adhæserunt terræ, nec convelli possunt. ERN.

Vi an æquo cum patronis] Occisus locus, ita vivam et sentiam ego. Ecce tamen vespillones aliquot (non enim medicos) ad hoc funus. Est qui legat. *Vi an æquo cum patronis jure agerent, sententiam eorum confutarent, ac verberibus ultro manus intenderent, implere vel pœnam suam dissuadentes.* Alius, *ut ne æquo cum p. i. a. s. e. conculcarent: ac v. v. m. intenderent, implerentve p. s. d.* Parcite boni viri; non vos, non ego restituemus sine libris. a quibus nihil hic juvor. Ludibria tamen mea hæc: *ut jam nec æquo cum patronis jure agerent. Sententia eorum consultari, an verberibus manus ultro intenderent, impune vel pœnam suetam dissuadentes.* Ad manuum intentionem facit aliquid locus e 3, 36. *Libertique etiam ac servi, patrono vel domino, cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur.* LIPS. Ego hæc sic lego: *vine an æquo cum patronis jure agerent? sententiam eorum confutarent, an verberibus manus ultro intenderent? impellere pœnam suam dissuadentes.* h. e. parum abesse, quin dubium facerent, vine cum patronis agere, an æquo jure, ut pares cum paribus, velint. parum abesse, quin irrumperent in curiam, non modo, ut sententiam contra se dictam arguant, sed etiam ut manus intentent sententiæ auctoribus: denique quid aliud agere adversantes, quam ut arcessant pœnam suam, et in se ruinam trahant. Vid. Obs. 1, 22. p. 178. GRON. De corrupto misere, et tam varie tentato loco vix attinet dicere. Illud video, ab initio *ut* necessarium esse, propter verba: *irreverentiam eo prorupisse.* Deinde, non potuisse timere, ne in curiam irrumperent liberti etc. nam cum hæc per egressionem relationis dicerentur, non potuere illi scire: adeoque hoc valde improbabiliter diceretur. Sed facilius hic est, alius sententiam refellere, quam ipsum quid certi proferre. Vir doctus in exemplo Gryph. sic correxerat: *Ut nec æquo c. p. i. a. sed jam coram insultarent, ac verberibus manus ultro intenderent, impune vel pœna sua gaudentes.* Broterius sequitur correctionem Huetii, *ut æquo i. i. e.* ut jam se æquarent patronis, et cum iis jure agerent. *Insultarent,* et *impune* arbitror verum esse, et de contemtu pœnæ a dominis timendæ ser-

nis jure agerent, sententiam eorum consultarent, ac verberibus manus ultro intenderent, inpulere vel pœnam suam dissuadentes. Quid enim aliud læso patrono concessum, quam ut vicesimum ultra lapidem in oram Campaniæ libertum releget? Ceteras actiones promiscuas et pares esse. Tribuendum aliquod telum, quod sperni nequeat. Nec grave manumissis, per idem obsequium retinendi libertatem, per quod adsecuti sint. At criminum manifestos merito ad servitutem retrahi, ut metu

A. U. 810.
A. C. 57.

monem esse in extremo, ratio subjecta plane docet. Ern. Quæ leguntur in textu, ea sunt, quæ Pichena e cod. Flor. repræsentat. Bud. plane sic, nisi quod habeat *vi an equo* omisso *ne*, a 2. m. adjecto, quod nihil ad rem. In ed. Ven. apud Juntas pro *ui* est *ut*. Restituendi locum desperatum spes nulla. Conjecturas variorum dant Bip. suamque addunt, quæ sic habet: *eo pr. fr. ut vine an æquo e. p. i. ag. s. coram cons. ac v. m. u. int. impuniti* (vel *mulctam*) *v. p. diss.* Addo Hill. Rac. 12. *ut ne æquo quidem c. p. i. ag. ac s. eorum cons. sed v. m. ultro int. inhibere vel p. s. diss.*

Læso patrono concessum] Quando id, aut qua lege patrono concessum, quærimus. Suspicor esse ab Augusto, qui, ut Dio ait, 55, 13. constituit τὰ δικαιώματα οἷς οὔτε ἄλλοι πρὸς τοὺς ἐλευθερουμένους, καὶ αὐτοὶ οἱ δεσπόται σφῶν γενόμενοι χρήσοιντο. id est, *jura, quibus erga libertos cum alii, tum ipsi patroni uterentur.* Et relegatio quidem est ab exemplis ævi prisci. Ut enim patres olim filios suos relegabant pœnæ et molestiæ caussa, (uti Roscius Amerinus, uti Torquatus a patribus relegati leguntur:) sic patronis relegandi libertos jus nunc tribuit sive quis alius, sive Augustus. Sed in numero num qua ratio? et cur non ultra XX. lapidem? Nihil reperio. Præfectus quidem urbi intra centesimum lapidem cognoscebat: ultra, Præfectus Prætorio: ut notat Ulpianus in fragm. Pithœanis tit. de plagiariis et l. 1. De off. Præf. urbis. l. 9. De offic. Procons. Eoque exemplo Severus Imp. Prætorianos milites ultra centesimum lapidem abesse ab urbe jussit, apud Herodianum 2, 43. Et Prosper Aquit. de Symmacho: quem, cum aram Victoriæ restitui postulasset, *iratus Princeps statim a suis aspectibus pulsum in centesimo lapide, rhedæ non stratæ impositum, ea die manere præcepit.* Dio tamen 52, 21. ubi de Præfecto urbis, jurisdictionem ejus angustius terminat, ἔξω τῆς πόλεως μέχρι πεντήκοντα καὶ ἑξακοσίων σταδίων: ea essent milliaria circiter 87. nisi in Dione reseribendum sit, ἑπτακοσίων; quod puto. Sane ad Præf. urbis pertinuisse, audire patronos querentes de libertis, ex Ulpiano clarum l. 1. De off. Præf. urbis. Sed Tacitus patrono ipsi hanc relegationem, ut apparet, tribuit: nec tamen videtur usurpari potuisse, sine auctoritate majori. Lips. Locum Dionis ex Ipso Dione emendari potuisse, Reimarus docet.

In oram Campaniæ] *Oram Campaniæ* novi ex H. 3, 60. *Jam Misenensem classem et pulcherrimam Campaniæ oram descivisse. Moram* autem *Campaniæ,* ut corrigit Petitus (in Leg. Att. p. 183.) Latine quid hic sit, ignoro. *Centesimum ultra lapidem* scribendum, vicisse mihi videntur Lipsius et Camillus Peregrinus in opere docto de Capua diss. 1, 6. Mirum tamen, *in oram Campaniæ* libertos relegari. Sed sciendum, neminem relegatum proprie in Campaniam; nedum omnes, et nusquam alio. Relegatio fiebat ultra centesimum. At locum ultra centesimum quilibet sibi legebat ipse, qui solum vertebat. Ex his igitur aliquos, præcipue lautiores, Campaniam prætulisse, atque huic invidiæ occasionem dedisse, satis est verisimile. In exemplo est Etruscus apud Statium Silv. 3, 162. *molles Campani litoris oras. Et Diomedeas concedere jussus in arces.* Itaque isthæc ἐπεξήγησις ita explicanda est: *centesimum ultra lapidem,* puta *in oram Campaniæ:* verbi gratia *in oram Campaniæ:* quæ pœna quanta sit, ex eo noscas licet, quod profugi delicati in Campania subsidere possunt, et subsederunt quidam. nam et ora Campaniæ ultra centesimum est. Gron. Sic etiam Gothofred. ad Cod. Theod. L. 2. t. 22. de lib. ademtione t. 1. p. 217. ed. Lips. Ern. Conf. et Ryck.

At criminum] Sic cod. Fl. Guelf. ed. pr. Pichena et seqq. *Ac* Puteol. cum ceteris ad Pich. quod ab h. l. alienum esse, facile intelligitur. Mox *mutavissent* ed. pr. Rhen. (e Bud.) et seqq. Puteol. autem cum Beroald.

A.U. *coerceantur, quos beneficia non mutavissent.* Disserebatur
810. contra: *Paucorum culpam ipsis exitiosam esse debere: nihil*
A.C. *universorum juri derogandum. quippe late fusum id corpus.*
57.
27 *Hinc plerumque tribus, decurias, ministeria Magistratibus et Sacerdotibus, cohortes etiam in urbe conscriptas. Et plurimis Equitum, plerisque Senatoribus, non aliunde originem trahi. Si separarentur libertini; manifestam fore penuriam ingenuorum. Non frustra majores, cum dignitatem ordinum dividerent, libertatem in communi posuisse. Quin et manumittendi duas species institutas, ut relinqueretur pœnitentiæ aut novo*

Alc. et MS. Guelf. *commutavissent.* Parum refert. Sed utrumque vitiosum et sine sensu esse puto. An Tacitus scripsit *quos beneficia non continuissent,* aut simile quid: ut sit imitatio sententiæ Ciceronianæ: *ut quos honestas in officio continere non posset, metus coerceret.* Nisi malis *non* deleri, natum e *com.* Ern.

Decurias] Judicumne decurias intellegit, an potius scribarum? Puto, scribarum. Qui ordo late fusus Romæ, et non inhonestus. Liberti autem ordinem cum pretio certo emebant, uti e Cicerone haurias in Verrem 3, 79. *Ad eos me scribas revoca: noli hos colligere, qui nummulis corrogatis de nepotum donis ac scenicorum corollariis, cum decuriam emerunt, ex primo ordine explosorum in secundum ordinem civitatis se venisse dicunt.* Et p. p. de iisdem: *Mirabimur, turpes aliquos esse in eo ordine, quo cuivis pretio licet pervenire?* Scribæ ii, divisi per decurias. Sueton. in Claudio 1. *Corpus ejus per municipiorum coloniarumque primores, suscipientibus obviis scribarum decuriis, ad urbem devectum.* Reperiesque sparsim Quæstorios scribas, Ædilitios, Prætorios, item scribas ærarii Prætorii, etc. Lips. Non erat dubitandum, sed pro certo ponendum, intelligi decurias scribarum atque etiam viatorum, præconum, lictorum etc. Nam ii quoque in decurias descripti. v. nos ad Suet. Aug. 57. ubi itidem *decuriæ* hoc sensu occurrunt. Nam, quod ministeria magistratuum separatim memorantur: etiam scribæ sunt ministri magistratuum. Sed tamen scribarum decuriæ in primis honestæ. Unde *decuriam emere* de scriba ap. Cicer. l. c. Ern.

Ministeria Magistratibus] Lictores, viatores, præcones, calatores, præcias. Lips.

Cohortes etiam in urbe] Cohortes vigilum, quæ scriptæ primo ex milite libertino. Strabo 5. p. 235. Dio 55, 26. Lips.

Si separentur] Sic inde a Rhenano editur. Priores, a Puteolano, *separarentur:* quod nescio cur a Rhenano repudiatum sit, cum non minus h. l. rectum sit. Cod. Reg. Ed. pr. *separantur.* videntur dare voluisse *separarentur.* Quare cum et codd. Fl. Guelf. *separarentur* habeant, restitui. Ern. Perinde est. Rhen. Budensem erat secutus.

Manumittendi duas species] Libertas duplex, justa, non justa. Justa, quæ vindicta, censu, testamento data; non justa, quæ inter amicos, in convivio, per epistolam. Seneca de vita beata c. 24. *Hominibus prodesse natura jubet, servi liberive sint; ingenui an libertini; justæ libertatis an inter amicos datæ.* Recteque libri veteres aliquot in Suetonii Aug. 40. *Servos non contentus multis difficultatibus a libertate, multoque pluribus a libertate justa, removisse.* Justa illa qui manumissi, plane pleneque liberi; qui altera, vinclo adhuc quodam, ut Tacitus ait, attinebantur servitutis. Imo retrahi poterant in servitutem. Fragmentum quoddam JC. veteris a Puteano. *Hi, qui domini voluntate in libertate erant, manebant servi: et manumissores audebant in servitute denuo eos per vim ducere. Interveniebat Prætor, et non permittebat manumissum servire.* et addit post: *Sed nunc habent propriam libertatem, qui inter amicos manumittuntur, et fiunt Latini Juniani.* Scite ergo ob hunc iteratæ (hæ sunt iterationes, quarum mentio Justin. Novell. 78.) servitutis metum Messenio servus apud Plautum, qui inter amicos manumissus subjicit Men. 5, 9, 88. *Sed meliore est opus auspicio, liber perpetuo ut siem.* Lips. De retractione in servitutem mox quæretur. Ern.

Pœnitentiæ, aut novo beneficio] Pœnitentiæ, ut retraheres in servitutem:

beneficio locus. quos vindicta patronus non liberaverit, velut vinculo servitutis adtineri. Dispiceret quisque merita, tardeque concederet, quod datum non adimeretur. Hæc sententia valuit. Scripsitque Cæsar Senatui, *privatim expenderent caussam libertorum, quotiens a patronis arguerentur: in commune nihil derogarent.* Nec multo post ereptus amitæ libertus Paris,

A. U. 810. A. C. 57.

beneficio, ut vindicta liberares. Ita apud Plinium epist. 7, 16. *Facile deflectet ad te, si voles vindicta liberare, quos proxime inter amicos manumisisti.* Lips. Non adsentior magno Lipsio, nec illo fragmento Puteaneo, quod ante ab ipso prolatum est, mihi persuaderi patior, ut tum patronis jus fuisse credam, libertatem, etiam non justam, adimendi. Libertorum coercitio tempore Augusti facta ap. Præfectum Urb. ex lege Ælia Sentia, ut patet e fragmento ejus ap. Ulpian. l. 30. ff. qui et a quibus manumiss. Genera pœnarum traduntur in tit. ff. de Præf. Urb. in primis §. 10. Sed in his nulla libertatis ademtio. Atque hæc ratio mansit, donec Claudius cœpit revocare ingratos in servitutem, sed decretis, non lege, ut ante dictum. Nam, si lex fuisset, frustra jam demum ea peteretur. Atque etiam alii Imperatores post subinde duriora in libertos decrevere: nulla lege de libertatis amissione sancitum ante Commodi tempora. Is initium fecit statuendi, quæ ad libertatis amissionem vim facerent, l. 6. ff. §. 1. de agnosc. et alend. liberis. *primum eos in potestatem patronorum redigi et ministerium dominis præbere cogi: sin autem nec hoc modo admoneantur, vel a Præside emtori addicentur et pretium patronis addicetur.* Quæ contra disputat Cujacius Obs. 10, 33. refellit Gothofr. ad Cod. Theod. l. c. qui et alia loca legum affert, e quibus patet, post Commodi tempora libertatis ademtionem valuisse. Maxime perspicuus est locus, Paulli l. 10. ff. de manum. testam. §. 1. laudatus Schultingio in Jurispr. Ante-Just. p. 573. ed. Lips. *cum hodie placeat, libertatem adimi posse.* Atqui is vixit sub Severo et Caracalla. Si ergo Commodus *primum* sanxit in potestatem patronorum redigi vendique libertos ingratos, et sui temporis id jus demum fuisse testatur Paullus, non potest jam Neronis tempore libertatis ademtio jure inducta fuisse. Quæ igitur est ista *pœnitentia?* Nempe, quæ opponitur *novo beneficio.* Qui libertatem non justam dat, spem tamen dat plenæ, sibique locum relinquit novi beneficii tribuendi. itaque libertus patrono manet quodammodo obnoxius. et, ut post ait Tacitus, vinculo servitutis attinetur, nempe ob cupiditatem justæ libertatis. Pœnitentiæ est, non dare unquam justam libertatem, cujus spem feceris. quod fit, si prioris beneficii pœnitet. Ern.

Quos vindicta patronus non liberaverit] Cur *vindictæ* tantum mentionem facit? Nempe, quia primo manumissionis per testamentum nulla hic ratio habenda erat; quod, qui sic manumissi sunt, post mortem patroni demum liberi fiunt, erga eum adeo ingrati esse non possunt: deinde manumissio per censum rarissime contingebat, cum census raro ageretur. Nam propterea censum omissum esse, quod, ut ap. Ciceronem Crassus ait de Or. 1, 40. *ex jure civili potest esse contentio, cum quæritur, is, qui domini voluntate census sit, continuone, an ubi lustrum conditum, liber sit?* non puto. Per calumniam id quæri potuisse, credo: juris recepti id fuisse, ut revocari voluntas domini posset, cum jam census esset servus, sed nondum lustrum conditum, nego. Ern. L. un. C. de Latin. lib. toll. *Persona, in quam simul et libertas et servitus concurrunt.* Qui proinde et servis et liberis accenseri poterant, eorum sortem Justin. *mediam* nominat. Canneg. de mut. Rom. nom. sub Princ. rat. p. 36.

In commune nihil derogent] Muretus (et Acid.) *derogarent.* Recte. nam ante dixerat, *expenderent:* pendetque utrumque a *scripsit.* In hoc genere sæpe peccatum. V. ante not. 4. Recepit et Broterius. Ern. Codd. in his Bud. *derogent.* Bene Pichena: In his Tacitus non adeo religiosus.

Ereptus amitæ libertus] Zamiam ergo aliquando in nos molitus Ulpianus, cum scripsit l. 3. De condict. cav. data: *Neratius etiam libro Membranarum refert, Paridem Pantomimum a Domitia Neronis filia, decem, quæ ei pro libertate dederat, repetisse per judicem.* filiamque eam Neroni fecit, quæ est amita, magna sua librariive culpa. Sed librarium id peccasse,

A. U. 810. A. C. 57. quasi jure civili; non sine infamia Principis, cujus jussu perpetratum ingenuitatis judicium erat. Manebat nihilominus quædam imago Reip. Nam inter Vibullium Præ-
28 torem et plebei Tribunum Antistium ortum certamen, quod immodestos fautores histrionum, et a Prætore in vincula ductos, Tribunus *omitti* jussisset. comprobavere Patres, incusata *Antistii licentia.* Simul prohibiti Tribuni, *jus Prætorum et Consulum præripere, aut vocare ex Italia, cum quibus lege agi posset.* Addidit L. Piso, designatus Consul, *ne quid intra domum pro potestate animadverterent: neve multam ab iis dictam Quæstores ærarii in publicas tabulas ante quatuor menses referrent: medio temporis contra dicere liceret; deque eo Consules statuerent.* Cohibita artius et Ædilium potestas, statutumque, *quantum curules, quantum plebei pignoris caperent, vel pœnæ inrogarent.* Eo Helvidius Priscus, Tribunus plebis adversus Obultronium Sabinum, ærarii Quæstorem, contentiones proprias exercuit, *tamquam jus hastæ adversus inopes inclementer augeret.* Dein Princeps curam tabularum publicarum a Quæstoribus ad Præ-
29 fectos transtulit. Varie habita ac sæpe inmutata ejus rei forma. nam Augustus permisit Senatui, deligere Præfectos: dein, ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducebantur ex numero Prætorum, qui præessent. neque id diu mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius Quæstores rursum inposuit, iisque, ne metu offensionum segnius consulerent, extra ordinem honores permisit. Sed

clementius est: scribendumque, *Neronis amita*: aut potius, *Neronis consilio*, quod firmat Tacitus, qui Neronis jussu patratum id ingenuitatis judicium ait. Lips. Brot. pro *amitæ* scribendum conjicit *Domitiæ.*

Vibullium] Vett. edd. omnes *Bibulium*: sed idem nomen est. Mox *et a Prætore* omnes edd. Sed *τὸ et* supervacuum, quod et a MS. ap. Broterium abest. Ern.

Comprobavere Patres] Int. Prætoris factum, non Tribuni, ut Muretus voluit, corrigens propter ea *non probavere*, quod placet Broterio. Ern. Item Ursino. Acid. volebat *composuere*, quod non plane displicet Lallem. Verum, puncto ante *comprobavere* posito, nil mutandum.

Prohibiti Tribuni] Non mirum. Quippe qui nec Romæ vocationem habuerint, auctore Varrone: cujus verba in Agellii Noct. 13, 12. in Italia multo minus, quippe cum potestas eorum urbis dumtaxat finibus terminaretur. Vide Dionys. 8, 87. Lips.

Quæstores ærarii] Redundat *ærarii*: sed tum sic mos loqui. Sic 1, 75. habuimus *Prætores ærarios.* nempe, ut non omnes Prætores ærarii curam habent, nec omni tempore habuerunt, ita nec Quæstores. Itaque discriminis caussa sic dicti. Ern.

Medio temporis] Sic cod. Bud. alii *tempore.* Cf. Index.

Eo Helvidius] Sic libri omnes. J. Fr. Gron. *et* volebat. Recte. Mox *Obultronium* MSS. Flor. Bud. Guelf. *Oblutr.* At edd. vett. omnes ante Rhen. *Obutronius.* Jac. Gron. putat verum esse *Autronius.* Ern.

Varie habita, ac sæpe immutata] Quam varietatem breviter exposui, cum temporum luce, in Excurs. B. Illinc ad variam Taciti, plures locos pete. Lips.

Honores permisit] Sic omnes edd. vett. E cod. Fl. Pichena notat *promisit*: quod tacite recepit J. F. Gron. itemque Ryckius et J. Gron. estque et in Guelf. Ego *permisit* melius puto. Voluit enim dicere, dedit, mandavit, pro quo est *permisit.* Ern. Bud. quoque a l. m. habebat *promisit.*

deerat robur ætatis eum primum magistratum capessenti- A. U.
bus. igitur Nero Prætura perfunctos et experientia proba- 810.
tos delegit. Damnatus iisdem Consulibus Vipsanius Lænas, A. C. 57.
ob Sardiniam provinciam avare habitam. Absolutus Cestius 30
Proculus repetundarum, cedentibus accusatoribus. Clodius Quirinalis, *quod Præfectus remigum, qui Ravennæ haberentur, velut infimam nationum, Italiam luxuria sævitiaque adflictavisset,* veneno damnationem antevertit. C. Aminius Rebius, ex primoribus peritia legum et pecuniæ magnitudine, cruciatus ægre senectæ, misso per venas sanguine, effugit: haud creditus sufficere ad constantiam sumendæ mortis, ob libidines muliebriter infamis. At L. Volusius egregia fama concessit: cui tres et nonaginta anni spatium vivendi, præcipuæque opes bonis artibus, inoffensa tot imperatorum malitia fuit. Nerone secundum, L. Pisone Con- A. U.
sulibus, pauca memoria digna evenere: nisi cui libeat, lau- 811.
dandis fundamentis et trabibus, quis molem amphitheatri A. C. 58.
apud Campum Martis Cæsar exstruxerat, volumina inplere: 31
cum ex dignitate Populi Romani repertum sit res inlustres

Igitur Nero Prætura perfunctos] Omnes libri *præfectura:* quod vitiosum esse, omnes agnovere scribendumque *Prætura:* primum recepit Pichena. Suet. Claud. 24. *Prætura functos* vocat. ubi v. Torr. Ern.

Antevertit] Bud. *anteiit.* Sic et Flor. teste Pichena.

Aminius Rebius] Libri vett. *C. Aminius.* nescio an *Caninius Rebilus?* Certe (et doleo) ignotus mihi, quicumque hic laudatus Jurisconsultus. Lips. Ed. pr. *Cominius Robius,* quod favet conjecturæ Lipsii. Ern. Bud. *Amminius Rebius.* Agr. *C. Annæus Rebius.* Si *Rebilus* legendum, erit *Caniniæ* gentis, ut ap. Liv. 42, 28. Cf. Sen. de Benef. 2, 27. ubi *Rebilus* dives et infamis occurrit.

L. Volusius] De hujus senio Plinius 7, 49. *Nuper L. Volusius Saturninus omnium, quos in Consulatu sententiam rogaverat, superstes fuit.* Præfectum eum urbi fuisse colligas ex altero Plinii loco ib. 12. *Nuper L. Volusio Saturnino in Præfectura urbis exstincto, notum, e Cornelia Scipionum gentis, Volusium* (intellegit Plin. Q. Volusium, qui Cos. a. 809.) *Saturninum, qui fuit Consul, genitum post 62. annum.* Et de divitiis ejus Tacitus 14, 56. *Et, quantum Volusio longa parcimonia quæsivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest.* Sed et tota Volusiorum domus dives. Tacitus 3, 30. *Volusio vetus familia, neque tamen Præturam egressa. ipse Consulatum intulit . . . opumque, quis domus illa immensum viguit, primus accumulator.* Lips. Mox Lipsius malebat *amicitia* pro *malitia.* Alias sane noster loquitur sic, pluriumque Impp. amicitia floruisse homines dicit. Vellem viri docti, qui contra Lipsium disputarunt, unum locum attulissent, quo probassent, *offensam malitiam* Latine dici, et hoc sensu, quem hic locus desiderat. Si vera est lectio vulgata, intelligenda est sic: inoffensis tot Principibus, qui tanta malitia essent, ut a viro bono facile offenderentur. Ern. De Volusio adde Colum. 1, 7. Lipsii *amicitia* probat Lallem.

Molem amphitheatri] Quod totum e ligno struxit. Sueton. c. 12. Vide librum nostrum, si placet, de Amphitheatro. Lips. *Extruxerat* cod. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. Edd. pr. Rhen. et seqq. At Puteol. cum sequacibus, h. e. Rivio, Beroaldo et Alc. *extruserat;* quod erat in Put. vitium operarum. *Adstruxerat,* quod est in ed. J. F. Gron. servavitque Ryckius, simile vitium puto, cum J. Gronovio. Sed videtur etiam corrigendum *extruxerit.* Alias quidem sic noster, eaque est legitima ratio. supra c. 20. *Nos quæ diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus:* et sic alibi. Mox ed. pr. post *res illustres* addit *scribendas.* Ern. De amphitheatro v. Plin, 16, 40.

A. U. 811. A. C. 58. annalibus, talia diurnis urbis actis mandare. Ceterum coloniæ, Capua atque Nuceria, additis veteranis, firmatæ sunt: plebeique congiarium quadringeni numi viritim dati, et sestertium quadringenties ærario inlatum est, ad retinendam populi fidem. Vectigal quoque quintæ et vicesimæ venalium mancipiorum remissum, specie magis, quam vi. quia, cum venditor pendere juberetur, in partem pretii emptoribus accrescebat. Edixit Cæsar, *ne quis Magistratus aut Procurator, qui provinciam obtineret, spectaculum gladiatorum aut ferarum, aut quod aliud ludicrum ederet.* Nam ante non minus tali largitione, quam conripiendis pecuniis, subjectos adfligebant; dum, quæ libidine deliquerant, am-

Diurnis urbis actis] Cf. de his 16, 22.

Quadrageni nummi] Illiberalis liberalitas. Corrigo, *quadringeni:* et do auctorem Suet. 10. *Divisis populo viritim quadringenis nummis, Senatorum nobilissimo cuique* etc. Lips. Altera summa decem Philippos vel ducatones, altera unum facit. Gron. Sic cod. Fl. Guelf. edd. pr. Puteol. et seqq. omnes: nisi quod fere *quadrigeni* exhibent: ex quo male factum *quadrageni*, quod est in Lips. Etiam ap. Suet. Ner. 10. in eadem re sic variatur, ut *quadrigeni* sit in scr. pro *quadringenis*. V. Oudend. Ern. Bud. *quadrigenti.*

Sestertium quadringenties] Alciatus subintelligi vult *centena millia.* Quadringenties centena millia nummum, summa quadringenties sestertio eadem est. Et tamen quum dicitur, *quadringenties sestertium,* non intelliguntur *centena millia*, sed tantummodo *centenum.* Nam in omnibus, quæ per adverbia sic enuntiantur, a *decies* usque in infinitum siletur intelligiturque *centenum.* Vocabulum autem *sestertium* significat pondus mille nummorum; quot scilicet nummi sestertii in argentum sestertium vel libram argenti sestertiam, hoc est, duas et selibram, imputabantur. Igitur *quadringenties sestertium*, et *quadringenties centena sestertia, et quadringenties centena millia nummum sestertium,* idem. Errat non minus Alciatus, cum *decies æris* dici breviter pro decem millibus æris probat ex loco Livii, in quo cum scribitur, *qui supra CCC. millia usque ad decies æris*, ex proximo subaudiendum, quod deest, nemo non videt. Vide Pecuniam Vet. 2, 5. Gron.

Vectigal quoque quintæ et vicesimæ] Ampla Populi Rom. vectigalia: nullum, censeo, amplius eo, quod e servis, libertisque. Rem eam paullo uberius a capite mihi tractanti, aut gratia aut venia esto. Antiquissimum vectigal vicesimæ reperio, quæ ad libertos. Institutum a. u. 397. C. Marcio, Cn. Manlio coss. Livius 7, 16. *Ab altero Consule* (Cn. Manlio) *nihil memorabile gestum, nisi quod legem novo exemplo ad Sutrium in castris tributim, de vicesima eorum, qui manumitterentur, tulit. Patres, quia ea lege haud parvum vectigal inopi ærario additum esset, auctores fuerunt.* Ea vicesima semper exhinc exercita, ad tempora Principum inferiorum. Itaque non infrequens memoria in libris. Ab hac aurum vicesimarium derivo, quod in sanctiore ærario: de quo Livius 27, 10. *Consulibus aurum vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad ultimos casus servaretur, promi placuit.* Plura ad hoc vectigal, in Excursu C. et quæ ad Tacitum faciunt, vide. Lips. Ubi etiam vide a nobis notata. Ceterum remissum est hoc vectigal in gratiam civium Rom. qui fere emtores: venditores externi: ut bene monet Pichena. Ern.

Qui provinciam] Sic correxit Rhen. ex ingenio. Ante erat *in provincias*, vitiose, ut in Guelf. Ern. In Bud. erat a 1. m. *in provincia,* omisso *qui.* Sic et Puteol.

Tali largitione] Int. ludis edendis, in quibus pecuniæ profusio et largitio; quia sumtus fit in gratiam populi. Hanc ipsam largitionem vocat mox *ambitum*, h. e. benevolentiæ et gratiæ aucupationem, per quam consequuntur, ut ab accusatione tuti sint. Per *libidinem* intellige non modo Venerem improbam, sed etiam injustitiam, sævitiam, maxime avaritiam. Ern.

bitu propugnant. Factum et S. C. ultioni juxta et securi- A. U.
tati, *ut si quis a suis servis interfectus esset, ii quoque, qui te-* 811.
stamento manumissi sub eodem tecto mansissent, inter servos A. C.
supplicia penderent. Redditur ordini L. Varius, Consularis, 58. 32
avaritiæ criminibus olim perculsus. Et Pomponia Græcina, insignis femina, Plautio, qui ovans se de Britanniis retulit, nupta, ac *superstitionis externæ* rea, mariti judicio permissa. Isque prisco instituto, propinquis coram, de capite famaque conjugis cognovit, et insontem nuntiavit. Longa huic Pomponiæ ætas, et continua tristitia fuit. Nam post Juliam, Drusi filiam, dolo Messallinæ interfectam, per

Propugnant] Ven. *propugnabant.* Sic et Bud. a 2. m.

Factum SC.] Quod Pisonianum dictum, in l. Senatus. De SC. Silan. et Neronianum a Paullo, Sentent. 3, 5. Certe conditum vulgatumque est Nerone II. et Pisone coss. Latum ea de re et antea sub Augusto, P. Cornelio Dolabella, et C. Silano coss. unde nomen SC. Silaniani; sed minus plene. Dixerunt plura ante me Vertranius hoc loco, et J. Cujacius Observ. 1, 18. Lips.

Lurius Varius] MS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. omnes ante Rhen. *Lurius.* Rhen. dedit *Lusius* forte ex 11, 31. 12, 42. Credo, cum Ursino et Mureto, legendum *L. Varius.* ut est in MS. Agr. Interim antiquam scripturam restitui cum J. Gronovio, qui fallitur, cum Beroaldum primum sic edidisse dicit. *Lurii* in inscr. antiquis passim occurrunt, sed est nomen gentile, ut *Variorum.* Ern. Nullum dubium, quin cod. Agr. veram lectionem habeat, quod et Acidalio visum.

Pomponia Græcina] Soror filiave Pomponii Græcini qui Consul sub Augusto: et ad quem Elegiæ Ovidii. De Ponto 1, 6. 2, 6. 4, 9. Lips. Filiam Ryckius putat. Ern.

Qui ovans se de Britanniis retulit] Virg. Georg. 4, 180. *Fessæ multa referunt se nocte minores.* Et Æn. 7, 286. *Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis Sæva Jovis conjux.* Horat. Sat. 1, 6, 114. *Inde domum me Ad porri et ciceris refero laganique catinum.* Gron. Hæc Alciato opposita, corrigenti *quem de Britannis ovasse retuli.* Groslotius e libro edito laudat *ovationem*, sed et illud probat. MS. Guelf. *Britannis.* Ern.

Superstitionis externæ rea] Christianismi credo accusatam hanc feminam, sive, ut tunc confundebant, Judaismi. Non ergo superstitionis, sed religionis. Etsi universe fateor, genus hoc ad θρήσκειαν et inanem externumque cultum nimis pronum. Strabo l. 7. p. 297. pulchre et ex Veri adyto: Ἅπαντες γὰρ τῆς δεισιδαιμονίας ἀρχηγοὺς οἴονται τὰς γυναῖκας. Αὗται δὲ καὶ τοὺς ἄνδρας προκαλοῦνται πρὸς τὰς ἐπιπλέον θεραπείας τῶν Θεῶν καὶ ἑορτὰς καὶ ποτνιασμούς· σπάνιον δ' εἴτις ἀνὴρ καθ' αὑτὸν ζῶν εὑρίσκεται τοιοῦτος. Lips. Sic censent et alii, Rhenanus, Agricola, Ryckius. Ern. Christianæ religioni tum frequens ista macula inusta. V. 15, 44. Suet. Ner. 16. Plin. ep. 10, 97.

Insontem nuntiavit] Ita libri omnes: nisi quod Ursinus e cod. vet. laudat, *pronunciavit.* Fides sit penes auctorem, ut aiunt. Ceterum ita legendum et alii censent. Forte *judicavit* fuit. Sed Vulgatum defendi potest sic: Neroni et Senatui, caussa cognita, nunciavit, insontem repertam esse. Ern. *Pronuntiavit* probant Mur. Acid. Brot. Contra Hill. Rac. 38. malit *enuntiavit.*

Post Juliam Drusi filiam] Duas enim Julias Claudius sustulit, suasu sive jussu Messallinæ: alteram Drusi, alteram Germanici prolem. Sueton. 29. et Dio 60, 8 et 18. Seneca in Ludo. Lips.

Per quadraginta annos] Luctus hic, ut clarum, ob Juliam interfectam. Ab ejus ergo cæde quadraginta anni? Falsum. Nam et cæsa paullo ante expeditionem Claudii in Britanniam; uti e Dione liquebit tibi. Scribe fidejubente me, *quatuordecim annos.* Mors enim Juliæ in annum incidit urbis 716. a quo ad hunc Neronis Consulatum justi 14. anni. Lips. At bene Gruterus et Freinsh. monent, non tempus intelligi, quod a cæde illa ad hunc usque annum effluxerit, sed usque ad mortem feminæ, quam longævam fuisse dicit. Male ergo quatuordecim in textum recepit Piehena. Ern.

A. U. 811. A. C. 58. quadraginta annos, non cultu, nisi lugubri, non animo, nisi mæsto, egit. Idque illi, imperitante Claudio, inpune, mox ad gloriam vertit. Idem annus plures reos habuit. quorum
33 P. Celerem, accusante Asia, quia absolvere nequibat Cæsar, traxit, senecta donec mortem obiret. nam Celer, interfecto, ut memoravi, Silano, Proconsule, magnitudine sceleris cetera flagitia obtegebat. Cossutianum Capitonem Cilices detulerant *maculosum fœdumque, et idem jus audaciæ in provincia ratum, quod in urbe exercuerat.* Sed pervicaci accusatione conflictatus, postremo defensionem omisit, ac lege repetundarum damnatus est. Pro Eprio Marcello, a quo Lycii res repetebant, eo usque ambitus prævaluit, ut quidam accusatorum ejus exsilio multarentur, *tamquam insonti periculum fecissent.*

A. U. 812. A. C. 59. Nerone tertium Consule, simul iniit Consulatum Valerius Messalla, cujus proavum, oratorem Corvinum, D. Augusto, abavo Neronis, conlegam in eo Magistratu fuisse, pauci
34 jam senum meminerant. sed nobili familiæ honor auctus est, oblatis in singulos annos quingenis sestertiis, quibus Messalla paupertatem innoxiam sustentaret. Aurelio quoque Cottæ et Haterio Antonio annuam pecuniam statuit Princeps, quamvis per luxum avitas opes dissipassent. Ejus anni principio, mollibus adhuc initiis prolatatum inter Parthos Romanosque de obtinenda Armenia bellum acriter

Ad gloriam vertit] Sic absolute, ut alias.

Traxit senecta] Faernus corrigebat *sententiam*, probante Ursino. male: cum clarum sit, *traxit* referri ad *F. Celerem.* Immo interpunge: *traxit, senecta donec.* Ern. Interpunctum ita in Bud.

Ut memoravi] Supra c. 1.

Cossutianum Capitonem Cilices] Hunc aut alium sui ævi intelligi Juvenalis voluit Sat. 8, 9. 2. *quam fulmine justo Et Capito et Tutor ruerint damnante Senatu, Piratæ Cilicum.* Sed magis certo Fabius 6, 1, 14. *Egregie nobis adolescentibus dixisse accusator Cossutiani Capitonis videbatur, Græce quidem, sed in hunc sensum: Erubescit Cæsarem timere.* Lips. *Maculosum fœd.* v. ad Hist. 2, 30. Ern.

Eprio Marcello] Ad hunc Eprium Marcellum Seguinus sel. NN. p. 103. recte refert numum, in quo hinc ΘΕΟΝ ΣΥΝΚΛΗΤΟΝ, illinc ΕΠΡΙΩ ΜΑΡΚΕΛΛΩ Γ. ΑΝΘΥ. in area ΚΥ. quem Cypriis tribuit. Verum Eckhel. D. NN. vet. vol. 2. p. 493. ostendit, ad Cymen spectare Æolidos.

Insonti periculum fecissent] Sic loquitur etiam 16, 19. Mox Puteol. cum Ber. et Alc. *init.* Ed. Rhen. etc. *iniit.* Ern. Cf. et 14, 28. Alios *facessere per.* ut 1, 74. H. 4, 43.

Iniit Consul.] Sic Rhen. e Bud. Puteol. *init.*

Val. Messalla] Pater ejus Cos. a. 773. avus 751. proavus Corvinus a. 723. Cf. 3, 2.

Cujus proavum oratorem] Vulgo *auctorem*, pessime. Lips. Ed. pr. et sequentes omnes veteres *oratorem.* In Gryph. primum reperi *auctorem*, quod unde ductum sit, nescio. Ern. Bud. *oratorem.*

In singulos annos quingenis sestertiis] Hunc ergo Suet. intellexit 10. *Senatorum nobilissimo cuique annua salaria, et quibusdam quingena constituit.* Lips.

Aurelio Cottæ] Cos. is a. 773. Cf. 3, 2 et 17.

Haterio Antonio] Cos. a. 806. Cf. 13, 58.

Avitas opes] Vulgo, *habitas*, errore tralatitio. Lips. Vid. ad 11, 35. Ern.

Mollibus adhuc initiis prolatatum] Restituisse se (e Bud.) *prolatatum* pro vulg. *prolatum* dicit Rhen. At illud ed. pr. Puteol. sed ed. Beroaldi, forte operarum vitio, et Alciati *prolatum.* Sic tamen et MSS. Agr. Guelf. Ern.

sumitur: quia nec Vologeses sinebat fratrem Tiridaten A. U. 812. A. C. 59. dati a se Regni expertem esse, aut alienæ id potentiæ donum habere: et Corbulo dignum magnitudine Populi Romani rebatur, parta olim a Lucullo Pompeioque recipere. Ad hæc Armenii, ambigua fide, utraque arma invitabant, situ terrarum, similitudine morum Parthis propiores, connubiisque permixti, ac libertate ignota, illuc magis ad servitium inclinantes. Sed Corbuloni plus molis adversus igna- 35
viam militum, quam contra perfidiam hostium erat. Quippe Syria transmotæ legiones, pace longa segnes, munia Romanorum ægerrime tolerabant. Satis constitit, fuisse in eo exercitu veteranos, qui non stationem, non vigilias inissent: vallum fossamque, quasi nova et mira, viserent; sine galeis, sine loricis, nitidi et quæstuosi, militia per oppida expleta. Igitur dimissis, quibus senecta aut valetudo adversa erat, supplementum petivit. Et habiti per Galatiam ac Cappadociam delectus. Adjectaque ex Germania legio, cum equitibus alariis, et peditatu cohortium: retentusque omnis exercitus sub pellibus, quamvis hieme sæva adeo, ut obducta glacie, nisi effossa humus, tentoriis locum non præberet. Ambusti multorum artus vi frigoris, et quidam inter excubias exanimati sunt. Annotatusque miles, qui fascem lignorum gestabat, ita præriguisse manus, ut oneri adhærentes, truncis brachiis deciderent. Ipse cultu levi, capite intecto, in agmine, in laboribus, frequens adesse: laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus ostendere.

Illuc magis] Sic ed. pr. ceteræque omnes: Rhen. *illic* malebat, Lipsius *illud*. Immo *illuc* verum est. *Illuc*. ad Parthos, hoc est, *ad servitium*. Sed aut *ad servitium* spurium est, aut addendum *et*, vel *adque* legendum. Ern. Bud. *illuc*.

Munia Romanorum] Freinsh. corrigit *armorum:* probatque Ryckius. Jac. Gronovius putat fuisse *Ro. armorum*, inde factum *Romanorum*. *Militia*, *disciplina*, sane *Romana* sæpe occurrit, asperitatis indicandæ caussa. Horat. Serm. 2, 2. 10. *Si Romana fatigat militia adsuetum græcari*. Ern.

Nitidi et quæstuosi] Comti et ornati more urbanorum et molliorum. quanquam Cæsar etiam suos milites *nitere* posse dicebat. Dein negotiantes in oppidis, de more Romanorum, qui in provincia essent. Mox Guelf. *Galatiamque*. Ern. Flor. *Galiciam*. Bud. a l. m. *Galitiam*. Gron. forsan *Ciliciam*. Sed v. 15, 6.

Senecta] Flor. et Bud. *senectus*.

Ambusti m. artus vi frig.] Sic *frigus adurere* dicitur Virg. Georg. 1, 93. et *nives urere*. Lucan. 4, 52. Cf. Aristot. Meteor. 4, 5.

Ita præriguisse manus] Significat, ipsas manus, frigore præmortuas, una cum fasce devolutas vel abjectas. Negat aut ridet vir quidam, scriptis et genere nobilis, (Mich. Montanus) olim mihi serio inter amicos. Atquin et Dio notat in illo tractu vim frigoris esse (49, 31. actis a. 718.) et Annales Turcici (ex vers. Leunclavii ad a. mox cit.) *supra Trebizium Soleimanni milites, cum Parthos insequerentur, tanto frigore oppressos, ut plurimi manus pedesque amitterent*. Hoc nostro ævo factum a. 1535. neque igitur sic mirandum illud Taciti, aut ridendum. Scio, et a gnaris similia aut majora asseri, qui in Septemtrione fuerunt. Lips. *Deciderent* ed. pr. Rhen. (e Bud.) et seqq. At Puteol. Ber. Alc. *reciderent*, male. Ceterum, *præriguisse* non cohæret præcedentibus, scribe utcunque videatur: *annotatumque*, *militi*, *qui* etc. nisi ex *annotatus* intelligas, *notatum est ei*, vel simile quid; quod sane durius est. Ern.

A. U. Dehinc, quia duritiam cæli militiæque multi abnuebant,
812. desercbantque, remedium severitate quæsitum est. Nec
A. C. enim, ut in aliis exercitibus, primum alterumque delictum
59. venia prosequebatur, sed, qui signa reliquerat, statim capite
pœnas luebat. Idque usu salubre, et misericordia melius
adparuit. quippe pauciores illa castra deseruere, quam ea,
36 in quibus ignoscebatur. Interim Corbulo, legionibus intra
castra habitis, donec ver adolesceret, dispositisque per idoneos locos cohortibus auxiliariis, ne pugnam priores adirent, prædicit. Curam præsidiorum Pactio Orphito, Primipili honore perfuncto, mandat. Is, quamquam incautos barbaros, et bene gerendæ rei casum offerri scripserat, *tenere se munimentis, et majores copias opperiri*, jubetur. Sed rupto imperio, postquam paucæ e proximis castellis turmæ advenerant, pugnamque imperitia poscebant, congressus cum hoste funditur. Et damno ejus exterriti, qui subsidium ferre debuerant, sua quisque in castra trepida fuga rediere. Quod graviter Corbulo accepit: increpitumque Pactium, et Præfectos militesque *tendere omnes extra vallum* jussit. inque ea contumelia detenti, nec, nisi precibus universi ex-
37 ercitus, exsoluti sunt. At Tiridates, super proprias clientelas, ope Vologesi fratris adjutus, non furtim jam, sed palam bello infensare Armeniam, quosque fidos nobis rebatur, depopulari, et, si copiæ contra ducerentur, eludere, huc quoque et illuc volitans, plura fama, quam pugna ex-

Priores adirent, prædicit] Probum, quod in Romano libro est, *priores auderent*. Vellem etiam *edicit*. Lips. MS. Fl. *audirent*. Agr. Guelf. *adirent*. et sic edd. omnes ante Pichenam. Nam Lipsius *auderent* non in textum recepit: quem imitatus sum. Cum *inire pugnam, adire labores, discrimen* et similia dicantur, cur non etiam *adire pugnam?* Non necessaria periculi significatio in tali edicto. Liv. 8, 6. *edicunt Consules, ne quis extra ordinem in hostem pugnaret:* et si esset, in verbo *adeundi*, quoque exprimeretur. Nec juvat cod. Flor. Nam *adire* et *audire* in MSS. confunduntur, ut supra notatum, et alii notarunt. Porro *edicere* est quidem verbum ordinarium in tali re, sed etiam *prædicere*. Liv. 23, 19. *quia prædictum erat Dictatoris, ne quid absente eo rei gereret*. quod recte defendit Gronovius, hoc ipso Taciti loco allato. Ceterum Romanum librum intelligo MS. Vaticanum. Nam ed. pr. quam alibi vocat Romanum librum, habet *adiret*. Ern. Bud. *adirent*. Pichenæ *auderent* recepere. Lall. Brot. Bip. Probat et Mod. ep. 99.

Pactio Orphito] *Paccii* et *Paccia* satis frequentes in vetustis lapidibus. Gron. Muretus volebat *P. Attio*. Ern.

Tendere omnes extra vallum] Quod pœnæ militaris genus antiquum. Livius 10, 4. *Cohortes, quæ signa amiserant, extra vallum sine tentoriis destituit*. Valerius 2, 7, 15. *Neve quis eorum intra castra tenderet, neve locum extra assignatum vallo aut fossa cingeret, neve tentorium ex pellibus haberet*. Vide et Polyb. 6, 36. Sed proprie de hac ipsa re sic Frontinus Strat. 4, 1, 20. *Domitius Corbulo in Armenia duas alas et tres cohortes, quæ ad castellum initio hostibus cesserant, extra vallum jussit tendere*. Lips. Mox Rhenano placet *diuque ea contumelia:* sufficere videtur *detenti*, quod moram indicat. Suspicio tamen corruptelæ nascitur ex ed. pr. quæ exhibet *quandoque*. Ern. Bud. receptam lectionem habet. Similis struendi ratio 11, 2. 15, 44.

Huc quoque et illuc volitans] Lego primum *hucque et illuc* deinde, ut in

terrere. Igitur Corbulo, quæsito diu prœlio, frustra habitus, et exemplo hostium circumferre bellum coactus, dispartit vires, ut Legati Præfectique diversos locos pariter invaderent. Simul Regem Antiochum monet, *proximas sibi Præfecturas petere.* Nam Pharasmanes, interfecto filio Rhadamisto, *quasi proditore,* quo fidem in nos testaretur, vetus adversus Armenios odium promtius exercebat. Tuncque primum inlecti Insechi, gens ante alias socia Romanis, avia Armeniæ incursavit. Ita consilia Tiridati in contrarium vertebant. Mittebatque oratores, qui suo Parthorumque nomine expostularent; *cur datis nuper obsidibus, redintegrataque amicitia, quæ novis quoque beneficiis locum aperiret, vetere Armeniæ possessione depelleretur? Ideo nondum ipsum Vologesen commotum, quia caussa, quam vi agere mallent. Sin perstaretur in bello: non defore Arsacidis virtutem fortunamque, sæpius jam clade Romana expertam.* Ad ea Corbulo, satis comperto, Vologesen defectione Hyrcaniæ adtineri, suadet Tiridati, *precibus Cæsarem adgredi: posse illi regnum stabile, et res incruentas contingere, si omissa spe longinqua et sera, præsentem potioremque sequeretur.* Placitum dehinc, 38

A. U. 812. A. C. 59.

libro opt. *pugna exterrere.* Vera sententia, scriptioque. Nam hoc ait, Tiridatem ostendisse potius arma, quam intulisse: et plura exterruisse adventus sui fama, quam pugna. Lips. Optime Lipsius: *hucque et illuc volitans, plura fama quam pugna exterrere.* Sic 15, 38. *arctis itineribus hucque et illuc flexis.* Nam in illo *extrahere* nihil sani sensus, quicquid conetur Salinerius. Gron. *Exterrere* MS. Flor. Guelf. edd. pr. Put. Ber. Alc. *Extrahere* recepit Rhen. (e Bud.) et seqq. usque ad Pich. MS. Corb. *exercere,* quod placet Broterio. Ern. Rhen. putabat *extrahere* temporis moram indicare.

R. Antiochum] Commagenæ Regem, ut supra dictum 13, 7. Lips. Hoc ordine MS. Fl. edd. vett. ante Rhen. in cujus ed. casu transposita verba. Veterem ordinem J. Gron. restituit. Sed leve hoc, nec audax error, ut ille ait, suetus in minutiis tragœdiari. *Præfecturæ* autem sunt partes Armeniæ, quibus sui Præfecti, Satrapæ, ut supra jam vidimus 11, 8. Adde mox c. 39. Ern.

Pharasmanes] Rex Iberiæ 11, 8.

Proditore suo] Scribo, *sui.* Lips. Pronomen abest a MS. Fl. Et potuit nasci e sequente *quo.* Ern. *Suo* non habet cod. Agr. habet Bud. Rectius abest.

Tuncque primum illecti Insechi] Copula est e Fl. addita a Pichena: est etiam in Guelf. Priores edd. omnes *quoque.* In nomine variant libri. MS. Vat. *Insechi:* Flor. *Insochi,* auctore J. Gron. Pichena legit *Insechi.* Ed. pr. *Insichi.* Ceteræ omnes ante Pichenam *Isichi.* J. Gron. recepit *Insochi,* quod verbum etiam inseruit Melæ 1, 19. 79. nescio, quam bene. Apud Stephanum quidem male e Ταόχοις facit Ἰνσόχους, ut eum inspicienti facile patebit. *Insechi* et *Insichi* idem nomen. Ern. Pontici populi ap. Steph.

Ante alias socia] Nostro scilicet tempore socii et fidi super alios: etsi tunc illecti. Ita possis capere, fateor: nec displicet tamen meum vetus: *gens haud alias.* Lips.

In contrarium vertebant] Sic MS. Fl. Agr. ed. pr. ut voluerat Muretus. Et sic sæpe Tacitus. Cæteræ edd. usque ad Ryck. (it. cod. Bud.) *vertebantur.* Mox edd. ante Pichenam omnes (et Bud.) *mallet.* *Mallent* est e Fl. Item post additum ex eodem *jam,* ut Mureto placuerat. Idque est etiam in ed. pr. et MS. Corb. (et Bud.) Ern.

Redint. amicitia] Huc advocat Vaill. in NN. Col. sub M. Aurelio t. 1. p. 180. numum Carrharum Mesopot. quo se cives ejus φιλορωμαίους prædicant. Cf. et Eckhel D. NN. vet. vol. 3. p. 506.

A. U. 812. A. C. 59. *quia, commeantibus invicem nuntiis, nihil in summam pacis proficiebatur, conloquio ipsorum tempus locumque destinari. Mille equitum præsidium*, Tiridates, *adfore sibi*, dicebat: *quantum Corbuloni cujusque generis militum adsisteret, non statuere, dum, positis loricis et galeis, in faciem pacis veniretur.* Cuicumque mortalium, nedum veteri et provido Duci, barbaræ astutiæ patuissent. Ideo artum inde numerum finiri, et hinc majorem adferri, ut dolus pararetur. nam equiti, sagittarum usu exercito, si detecta corpora objicerentur, nihil profuturam multitudinem. Dissimulato tamen intellectu, *rectius de his, quæ in publicum consulerentur, totis exercitibus coram dissertaturos*, respondit. Locumque delegit, cujus pars altera colles erant, clementer adsurgentes, accipiendis peditum ordinibus; pars in planitiem porrigebatur, ad explicandas equitum turmas. Dieque pacto, prior Corbulo socias cohortes et auxilia Regum pro cornibus, medio sextam legionem constituit; cui accita per noctem, aliis ex castris, tria millia tertianorum permiscuerat, una cum aquila, quasi eadem legio spectaretur. Tiridates, vergente jam die,

Nihil in summa pacis] Faernus (probante Urs. Acid.) volebat *in summam pacis*. Muretus *in summam* (deleto *pacis*). *In summam pacis* verum est, idque non dubitavi recipere. Liv. 3, 61. *parvaque certamina in summam totius profecerant spei:* ubi plures codd. *in summa*. V. ibi Drakenb. qui pluribus exemplis illustrat. Adde Gron. ad Senec. Controv. 1. præf. Potest quidem etiam dici *in re aliqua proficere*, sed de re præsenti, ut *in litteris proficere:* ubi de re futura sermo, accusativus necessarius est. Adde etiam Hist. 2, 16. ubi *in summam* recte recepit Freinsh. et seqq. Vide ergo inconstantiam virorum doctorum. Ern. Bud. *in summa*.

In faciem pacis ven.] i. e. ut esset species et imago quædam pacis. non belli. Sic *facies* sæpe, et tota constructio Tacito frequens. Ern.

Veteri et provido Duci] Cujus eruditionis etiam et studii in litteris signum, quod Plinius aliquotiens Corbulonem inter auctores laudat, quorum opera usus. uti Indice lib. 5. et 6. Patrem egregio viro fuisse suspicor Pomponium, aut Orfitum, suadente Plinio 7, 4. *Vestilia, C. Herdicii ac postea Pomponi Orfiti* (scribe ex libris, *Pomponii atque Orfiti*) *clarissimorum civium conjux, ex his quattuor partus enixa, Sempronium septimo mense genuit. Suilium Rufum undecimo, Corbulonem septimo. utrumque Consulem postea Cæsoniam Caii Principis conjugem, octavo.* Lips. Mox *barbaræ astut.* more poetarum dixit, pro *barbari astutiæ*. Et similia jam vidimus, in quibus viri docti hæsere. Ern.

Majorem afferri] Si me audis scribe: *et hinc majorem ferri*. hoc est, permitti, concedi, tolerari. Gron. MS. Agr. *offerri*, ut Danesius et Acidalius voluerant: idque recepit Ryckius. Ed. pr. locum sic exhibet: *ideo artum non numerum finiri, et huic majores afferri.* Gronovium sequor. Ern. Gron. tamen id *ferri* in textum non recepit. Ast Guerinus, Bahrdt, aliique interpretes expressere.

Ut dolus pararetur] Sic MSS. Flor. Bud. Guelf. ed. pr. Pichena. Intermediæ omnes edd. *patraretur*. Sequentes *parar.* quod verum, et Tacito usitatum. Mox *nam* abest MSS. tribus ap. Broterium (et a Bud.). Ern. Rhen. laudat *pararetur*, nec tamen recepit.

Dissimulato tamen intellectu] Ad Taciti phrasim magis, *intellecta*. Lips. Acidalius: *intellectum*. Quasi necessarium, Tacitum semper eodem modo loqui. Immo *intellectu* exquisite dictum, nec *intellecta* mutasset librarius. Ern.

Quasi eadem legio] int. cujus esset ista aquila: tertianorum. Sed in MS. Guelf. non est *eadem*. Melius fortasse. Ern.

procul adstitit, unde videri magis, quam audiri posset. Ita, A. U.
sine congressu, Dux Romanus abscedere militem, sua quemque 812.
in castra, jubet. Rex, sive fraudem suspectans, quia A. C. 59.
plura simul in loca ibatur, sive, ut commeatus nostros Pon- 39
tico mari ac Trapezunte oppido adventantes, interciperet, propere discedit. Sed neque commeatibus vim facere potuit, quia per montes ducebantur, præsidiis nostris insessos: et Corbulo, ne inritum bellum traheretur, utque Armenios ad sua defendenda cogeret, exscindere parat castella. Sibique, quod validissimum in ea Præfectura, cognomento *Volandum*, sumit; minora Cornelio Flacco Legato, et Insteio Capitoni castrorum Præfecto, mandat. Tum, circumspectis munimentis, et quæ expugnationi idonea, provisis, hortatur milites, *ut hostem vagum, neque paci aut prælio paratum, sed perfidiam et ignaviam fuga confitentem, exuerent sedibus, gloriæque pariter et prædæ consulerent.* Tum, quadripartito exercitu, hos in testudinem conglobatos, subruendo vallo inducit, alios scalas mœnibus admovere, multos tormentis faces et hastas incutere jubet. Libratoribus funditoribusque adtributus locus, unde eminus glandes torquerent; ne qua pars subsidium laborantibus ferret, pari undique motu. Tantus inde ardor certantis exercitus fuit, ut intra tertiam diei partem nudati propugnatoribus muri, obices portarum subversi, capta escensu munimenta, omnesque puberes truci-

Procul adstitit] Cod. Agr. *abstitit*. ut ap. Virg. 6, 259. *absistite luco*. Cf. Rhen. ad c. 56.

Sibique quod] MS. Guelf. non habet *quod*. Ern.

Cognomento Volandum] Sic ed. pr. ut e cod. Bud. edidit Rhen. et post eum omnes. Mediæ edd. *Vallandum*, ut MS. Guelf. Ern.

Isteo Capitoni] Ex lapid. *Insteio*. Mirum ni idem, qui supra Hostorius dicitur, ubi de recipiendis obsidibus actum. Certe Vatic. liber eo loci, *Histeus*, non *Hostorius* præferebat. Nec moveor, quod ibi Centurio dicitur, hic Præfectus castrorum. Potuit enim honore esse auctus. Lips. *Insteio* cod. Flor. ed. pr. *Isteo* a Puteolano fluxit. Ern. Bud. *Instello*. Receptum *Insteii* nomen habet Vell. 2, 16. et lapis ap. Grut. p. 362 et 172. Cf. et Cujac. Obs. 10, 37. Respice ad c. 9.

Libratoribus] Hic quoque J. Gron. intrusit suum *libritoribus*. At vide ad 2, 20. MS. Guelf. ed pr. et ceteræ edd. omnes *libratoribus*: idque verum est. Ern.

Unde eminus glandes torquerent] Libratores ergo glandes torquebant? immo tela, lapidesque. Integer locus, quod mirere, apud Calepinum legitur: *unde eminus lapides et glandes torquerent*. Lips. Potuit Calepinus in mente habere locum Sallust. Jug. 57. *pars eminus glande aut lapidibus pugnare*. Noster quoque Hist. 5, 17. jungit *saxa* et *glandes*. Verum arbitror etiam saxa illa, quæ a libratoribus mittuntur, *glandium* nomine intelligi posse. Nam etiam silices funda mittuntur, et libratores tantum majores lapides mittunt. Ern.

Pari undique motu] Ita MSS. Fl. (Bud.) Guelf. edd. pr. Puteol. Ber. Alc. Rhen. Ald. Gryph. At Lips. et sqq. *metu*, quod sine libris, et operarum aut correctoris culpa, irrepsisse puto. J. Gron. e Flor. restituit. Ceterum etsi *motu* servavi, idque intelligi potest: *pari undique belli mole ingruente*: tamen *metu* facilius et usitatius in tali re est. Cum par undique periculum esset, distinebantur, (*ancipitem metum* vocat Livius) nec subsidium laborantibus ferri poterat. Itaque, si constaret e bonis libris esse *metu*, præferrem. Ern.

A.U. 812. A.C. 59. dati sint, nullo milite amisso, paucis admodum vulneratis, et imbelle vulgus sub corona venundatum: reliqua præda victoribus cessit. Pari fortuna Legatus ac Præfectus usi sunt, tribusque una die castellis expugnatis, cetera terrore, et alia sponte incolarum in deditionem veniebant, unde orta fiducia caput gentis, Artaxata, adgrediendi. Nec tamen proximo itinere ductæ legiones, quæ, si amnem Araxen, qui mœnia adluit, ponte transgrederentur, sub ictum dabantur:

40 procul, et latioribus vadis transiere. At Tiridates, pudore et metu, ne, si concessisset obsidioni, nihil opis in ipso videretur; si prohiberet, inpeditis locis seque et equestres copias inligaret: statuit postremo, ostendere aciem, et dato die prœlium incipere, vel simulatione fugæ, locum fraudi parare. Igitur repente agmen Romanum circumfundit, non ignaro Duce nostro, qui viæ pariter et pugnæ composuerat exercitum. Latere dextro tertia legio, sinistro sexta incedebat, mediis decumanorum delectis: recepta inter ordines inpedimenta, et tergum mille equites tuebantur: quibus jusserat, *ut instantibus cominus resisterent, refugos non sequerentur.* In cornibus pedes, sagittarius, et cetera manus equitum ibat, productiore cornuum sinistro, per ima col-

Caput gentis Artaxata] Conditam ab Artaxia rege, suasu Annibalis Pœni. Plutarchum adi in Lucullo c. 65. Lips. Ern.

Et dato die] Id est, primo die dato, cum illuxisset. Ita Annal. 4. *datoque tempore non reticebo:* id est. oblato. Lips. Pichena conjicit *claro die*. frustra. Vir doctus ap. Ryckium *nato*, quod nimis poeticum. Mox *incedebat* ed. pr. ut post (e Bud.) castigavit Rhen. In Puteol. ed. est *insededat*, vitio operarum, ut facile intelligitur: tamen id expressere Rivius, Beroaldus et Alciatus. Ern.

Mediis decumanorum dilectis] Miratur Grotius, non vidisse viros tot eruditos, nullum his verbis esse sensum: mutatione opus levi: *mediis decumanorum dilecti*. Mediis locis scilicet (præcessit enim latere dextro et sinistro) incedebant lectissimi legionis decimæ. Multo magis mirum τὸν πάνυ non vidisse, *medios* esse, qui mediam aciem tenerent, qui in medio incederent: deinde *mediis decumanorum delectis* dici, verbi substantivi participio intellecto: perinde ac si esset: quum medii forent ex decuma legione delecti; quum medios haberent decumanorum delectos. Gron. Mox Guelf. *cominus insisterent*. Ern.

In cornibus pedes, sagittarius] Sic edd. omnes inde a Puteolano. Sed ed. pr. *pedites sagittariique*. Copulam quidem etiam Muretus et Acidalius addi volebant. Itaque recepissem lectionem ed. pr. nisi ceterorum MSS. auctoritas obstaret, e quibus nil varietatis notatum a quoquam video: unde suspicor, in iis vulgatum fuisse. Et id eodem redit, modo interpungatur post *pedes*, ut fecimus. Ern. Bud. etiam absque copula.

Productior cornu in sinistro] Expeditior omnino et verior erit lectio: *productiore cornuum sinistro.* E cornibus, inquit, productius erat sinistrum, et caussam addit. Lips. *Productiore cornu in s.* cod. Fl. (quamquam non satis consentiunt, qui inspexere) ed. pr. et seqq. ad Rhenanum, qui (e Bud.) dedit *productior*, quod est et in MS. Oxon. Guelf. MS. Agr. *productiore eorum sinistro.* Atque etiam ultima in *productiore* in cod. Flor. est inducta. Ego malui scripturam Rhenani sequi, quæ mihi commodissima videtur omnium, quam meram conjecturam. *Productior* int. manus equitum peditumque. Ceterum licet suspicari, *cornu* e margine irrepsisse. brevitatis quidem si satis retinens Tacitus, non posuit. Ern. Parum quidem refert, utrum præferas. Planius tamen videtur *productius cornu* dici. Unde Lipsii lectionem restitui cum Bip. Ryckius Agr. cod. habere testatur *pro-*

lium, ut, si hostis intravisset, fronte simul et sinu excipere- A. U.
tur. Adsultare ex diverso Tiridates, non usque ad jactum 812.
teli, sed tum minitans, tum specie trepidantis, si laxare or- A. C.
dines et diversos consectari posset. Ubi nihil temeritate 59.
solutum, nec amplius quam Decurio equitum, audentius
progressus et sagittis confixus, ceteros ad obsequium ex-
emplo firmaverat, propinquis jam tenebris abscessit. Et 41
Corbulo, castra in loco metatus, an expeditis legionibus
nocte Artaxata pergeret, obsidioque circumdaret, agitavit,
concessisse illuc Tiridaten ratus. Dein, postquam explora-
tores adtulere *longinquum Regis iter, et, Medi an Albani pe-
terentur, incertum*, lucem opperitur: præmissaque levis ar-
matura, quæ muros interim ambiret, oppugnationemque
eminus inciperet. Sed oppidani, portis sponte patefactis,
se suaque Romanis permisere. quod salutem ipsis tulit.
Artaxatis ignis inmissus, deletaque et solo adæquata sunt:
quia nec teneri, sine valido præsidio, ob magnitudinem
mœnium; nec id nobis virium erat, quod firmando præsi-
dio, et capessendo bello divideretur: vel, si integra et incu-
stodita relinquerentur, nulla in eo utilitas, aut gloria, quod
capta essent. Adjicitur miraculum, velut Numine oblatum.
nam cuncta extra, tectis tenus, sole inlustria fuere; quod
mœnibus cingebatur, ita repente atra nube coopertum, ful-
guribusque discretum est, ut, quasi infensantibus Deis,
exitio tradi crederetur. Ob hæc consalutatus *Imperator*

ductiore cornu sinistro. Cf. et Mod. ep. 99.

Si laxare ordd.] Si efficere posset, ut Romani ordines laxarent, ac deinde ipse distractos persequi et urgere posset. Mox, quod e MS. Fl. dedit *obsidioque* pro *obsidioneque* Ryckius et J. Gronov. est etiam in ed. pr. Alterum induxit Puteol. non Beroaldus, illius imitator. *Obsidium* sæpius Tacitus, quam *obsidio*. Ern. *Obsidio* et Agr. Bud. *obsidione*.

Audentius] Cod. Agr. *ardentius*.

Solo æquata] Ed. pr. *adæquata*, quod recipere non dubitavi, cum sit Tacito usitatum verbum. Vid. 12, 60. 15, 9. etc. Etiam Liv. 1, 29. *omnia tecta adæquat solo*. et alii. Ern.

Quia nec teneri] Verbum deest, unde pendeat *teneri*: unde Grotius malebat *tenere*, ut referretur ad *erat*. Sed potest intelligi *poterant*, quod in seqq. quodammodo latet. Ern.

Velut Numine oblatum] Farnesiano superadditum, *velut Deum numine*. Lips. Frustra. nam simpliciter quoque dicitur *Numine*. Ern.

Cuncta extra tecta hactenus sole illustria fuere] Puto, *cuncta extra, tecta tenus*: sive, quod in Flor. esse postea didici, *tectis*. Sententia. Extra urbem, usque ad tecta domusque, omnia sole liquida. Lips. Posteriorem correctionem recepere Gronovii. Scripturam cod. Fl. Pichena et Ryckius: superiores omnes edd. habent *tecta hactenus*. *Hactenus* sive de loco, sive de tempore capias, ineptum est, nec sensum commodum habere potest: primamque syllabam natam esse arbitror e prima in *tecta* vel *tectis*. *Tenus* jungitur quidem interdum etiam accusativo: sed quia tamen MS. Flor. clare *tectis* habet, hoc præferendum puto. Ern. Bud. *tecta hactenus*.

Fulguribus discretum] Modus loquendi ductus a poetis, qui fulguribus *nubes dividi* dicunt. Horat. C. 1, 34. 5. *Diespiter igni corusco nubila dividens*: et sic sæpe alii. MS. Guelf. *fulgoribus*. Ern.

Ob hæc consalutatus Imp.] Primum MS. Guelf. *consulatus*, sed superne adjecta *t*, ut fieret *consultatus*. Deinde, quod per compendium erat *Imper.* id in ed. pr. est *nuper*: sive in MS. illud

A. U. Nero: ex Senatusconsulto *supplicationes* habitæ: *statuæque*
812. *et arcus et continui Consulatus Principi: utque inter festos*
A. C. *referretur dies, quo patrata victoria, quo nuntiata, quo relatum*
59. *de ea esset*, aliaque, in eandem formam, decernuntur, adeo modum egressa, ut C. Cassius, de ceteris honoribus adsensus, *si pro benignitate fortunæ Diis grates agerentur, ne totum quidem annum supplicationibus sufficere*, disseruerit: *eoque oportere dividi sacros et negotiosos dies, quis Divina colerent, et*
42 *humana non inpedirent.* Variis deinde casibus jactatus, et multorum odia meritus reus, haud tamen sine invidia Senecæ, damnatur. Is fuit P. Suilius, imperitante Claudio terribilis ac venalis, et mutatione temporum, non, quantum inimici cuperent, demissus; quique se nocentem videri, quam supplicem mallet. Ejus opprimendi gratia repetitum credebatur Senatusconsultum, pœnaque Ciuciæ legis, adversus eos, qui pretio caussas oravissent. nec Suilius questu aut exprobratione abstinebat, præter ferociam animi, extrema senecta liber, et Senecam increpans: *infensum amicis Claudii, sub quo justissimum exsilium pertulisset. Simul studiis inertibus, et juvenum imperitiæ suetum, livere his, qui vividam et incorruptam eloquentiam tuendis civibus exercerent. Se Quæstorem Germanici: illum domus ejus adulterum fuisse. An gravius existimandum, sponte litigatoris præmium honestæ operæ adsequi, quam corrumpere cubicula Principum feminarum? Qua sapientia, quibus philosophorum præceptis, intra quadriennium Regiæ amicitiæ, ter millies sestertium paravisset?*

vitium fuit, sive descriptor codicis intulit. Deinde pro *et SCto* est *ex SCto:* quod verum est. porro vitiose *supplicationesque* post *Dis grates.* Tandem *et eque oportere dividi . . . colerent. Colerent* quidem etiam MS. Flor. Guelf. ceteræque edd. ante Rhenanum: qui, quare *colerentur* reposuerit, idque tam constanter secuti sint editores, non assequor. Ego cum J. Gronovio *colerent* restitui. Ern. Bud. *consulatus . . . colerentur.*

C. Cassius] V. 12, 11. Cf. Ryck. ad 6, 15.

Legis Ciuciæ] i. e. SCti facti ante ad legem Cinciam emendandam, quo pœna constituta. Nam lege Cincia, quæ proprie dicta, nulla pœna constituta fuit. vide dicta in Excurs. 24. ad Suetonium. Ern. Cf. 11, 5. sq.

Livere his] Sic MS. Flor. cui concinit ed. pr. *lividæ his*: MS. Guelf. Puteol. *invidere:* quod omnes secuti sunt ad Pichenam. *Livere* pro invidere frequens huic ætati. Distinguuntur tamen *livere* et *invidere* in Dial. de Orat. c. 25. Ceterum omnes ante Rhenanum habent *juvenem*, pro quo ille recte dedit *juvenum.* At MS. Guelf. *a juventute imperita suetum.* Ern. Bud. a. 1. m. *livere*, quod 2. m. in *invidere* mutavit. Idem *juvenem*. Rhen. ex ingenio correxit.

Se Quæstorem Germanici] Suilius Quæstor, Germanico bello. Annal. 4, 31. *At P. Suilium Quæstorem quondam Germanici.* Adulterum Senecam in Julia Germanici filia fuisse vult. Dixi ante. Lips. Mox Guelf. *sponte a litigatoribus.* Vulgatum exquisitius et verius. Ern.

Existimandum] Sic Rhen. e Bud. Put. *estimandum.*

Ter millies sestertium] Summa eadem divitiarum Senecæ, expressa a Dione 61, 10. qui omnes res relictas habet, prout culpet virum inculpatum. Ita adulterium illi objicit cum Agrippina: pullarium eum fuisse ait, idemque vitium ab illo insitum Neroni: caussam auctoremque interfectæ matris: aliaque, quæ homo vanus, præter fidem præterque omnium mentem, conviciatur velut e plaustro.

Romæ testamenta et orbos velut indagine ejus capi. Italiam et A.U. 812. A.C. 59.
provincias inmenso fenore hauriri. At sibi labore quæsitam et modicam pecuniam esse. Crimen, periculum, omnia potius toleraturum, quam veterem ac domi partam dignationem subitæ felicitati submitteret. Nec deerant, qui hæc iisdem verbis, 43
aut versa in deterius, Senecæ deferrent. Repertique accusatores, *direptos socios, cum Suilius provinciam Asiam regeret, ac publicæ pecuniæ peculatum* detulere. Mox, quia inquisitionem annuam inpetraverant, brevius visum, urbana crimina incipi, quorum obvii testes erant. Ii, *acerbitate accusationis Q. Pomponium ad necessitatem belli civilis detrusum:*

Quibus odii caussis? aut quo mendacii pretio? Nam Seneca tanto anterior, non injuria, non beneficio cognitus illi. Sed credo, judicii quædam morumque perversitas fuit, quæ eumdem illum in Ciceronem exacuit, quæ in Cassium, Brutum, omnesque bonos. Caveat ab his, moneo, juventus: et e campis illis ita antiquitatum et historiæ flores legat, ut non colligat venena. At, quod ad divitias elegantiamque Senecæ attinet, vide lector et lege egregium ejus libellum De vita beata: quem scripsit non alia re, quam ut ora obstrueret calumniatoribus istis, præsertim a c. 17. Lips. V. et Dio 62, 2. Cf. Gron. Pec. vett. 4, 11.

Orbos—capi] Captatorum putida studia Romæ ob spem hereditatis captat noster et arguit. Cf. Germ. 20.

Olim partam] Ex aliis libris liceat, *diu partam*. Lips. *Ac olim* est a Puteol. Sed pr. ed. habet *ac deo:* unde videtur nata Rhenani conjectura *adeo:* quod plane est in MSS. Oxon. et Guelf. MS. Flor. *ac dō*. Unde Lipsius, Pichena, fecere *diu:* J. Gronovius putat esse *domi:* quod præcedentibus aptissimum est. Interea sequamur, quod recentiores edd. obtinet *ac diu*, quamquam nobis suspectum. Ern. Bud. a 1. m. *ac deo*, ut in ed. pr. unde 2. m. *ab eo*. Placet *domi*. Sic et Lall. et Bip. *diu, olim* redundant ob veterem.

Felicitati submittere] Lege *submitteret*. Lips. Vett. omnes *submittere*, et MS. Guelf. (et Bud.) Mox *aut versa* non erat in MS. Bud. nec est in Guelf. et aliis ap. Broterium. Rhenanus putabat abesse commode. (retinuit tamen.) Saltem *aut* servari deberet. Ern.

Inquisitionem annuam impetraverunt] Cicero act. Verr. 1, 2. *Itaque, cum ego diem in Siciliam inquirendi perexiguam postulavissem, invenit iste, qui sibi in Achaiam biduo breviorem diem postularet: non ut is idem conficeret diligentia et industria sua, quod ego meo labore et vigiliis consecutus sum. Etenim ille Achaicus inquisitor ne Brundisium quidem pervenit: ego Siciliam totam quinquaginta diebus sic obii, ut omnium populorum privatorumque injurias cognoscerem.* Asconius in Orat. pro Scauro: *Subscripserunt Triario in Scaurum L. Marius L. F. M. et Q. Pacuvii fratres, qui inquisitionem in Sardiniam itemque in Corsicam insulas dies tricenos acceperant.* Plinius Epist. 3, 9. *Addiderunt Bætici, quod simul socios ministrosque Classici detulerunt, nominatimque in eos inquisitionem postulaverunt.* p. p. *Norbanum Licinianum Legatum et inquisitorem.* Et mox: *non Legati nomen, non inquisitionis officium.* Quæ firmant lectionem Flor. *impetraverunt*, indignam, quam silentio Lipsius transmitteret. Aurelius *impetraverat*, interpretatur, annum ad purgandam innocentiam, contra morem et rationem. Et tamen alium sensum id verbi non habet. Gron.

Suburbana crimina] Cur autem *suburbana?* omnia ista in urbem perpetrata. Vereor, ne *sub* ortum sit e terminatione præcedentis verbi. *Urbana crimina* opponuntur *provincialibus*, de quibus ante, ut apud Cic. in Verrinis. Mox ed. pr. MS. Guelf. *hi* pro *ii*, ut sæpe aliis locis. Ern. Recte vidit Ern. Sequor, deleto *sub*.

Q. Pomponium] Nihil legi. qui sequuntur, ii fere nominati Senecæ in Ludo. Lips. De Q. Pomponio 6, 18. de Sabina P. 11, 2, 4. de Val. Asiatico 11, 2, 3. Corn. Lupus sub Tiberio ProCS. Cretæ teste numo, de quo Eckhel D. vet. NN. vol. 2. p. 302.

A. U. *Juliam Drusi filiam, Sabinamque Poppæam ad mortem actas:*
812 *et Valerium Asiaticum, Lusium Saturninum, Cornelium Lupum*
A. C. *circumventos: jam Equitum Romanorum agmina damnata, om-*
59. *nemque Claudii sævitiam* Suilio objectabant. Ille, *nihil ex*
his sponte susceptum, sed Principi paruisse, defendebat, do-
nec eam orationem Cæsar cohibuit, *compertum sibi*, referens,
ex commentariis patris sui, nullam cujusquam accusationem
ab eo coactam. Tum *jussa Messallinæ* prætendi, et labare
defensio. *Cur enim neminem alium delectum, qui sævienti,*
inpudicæ, vocem præberet? Puniendos rerum atrocium mini-
stros, ubi pretia scelerum adepti, scelera ipsa aliis delegent.
Igitur, adempta bonorum parte (nam filio et nepti pars
concedebatur, eximebanturque etiam, quæ testamento ma-
tris, aut aviæ acceperant) in insulas Baleares pellitur: non
in ipso discrimine, non post damnationem fractus animo;
ferebaturque, copiosa et molli vita secretum illud toleravisse.
Filium ejus, Nerulinum, adgressis adcusatoribus, per invi-
diam patris et crimina repetundarum, intercessit Princeps,
44 tanquam satis expleta ultione. Per idem tempus, Octavius
Sagitta, plebei Tribunus, Pontiæ, mulieris nuptæ, amore
vecors, ingentibus donis adulterium, et mox, ut omitteret
maritum, emercatur, suum matrimonium promittens, ac nu-
ptias ejus pactus. Sed, ubi mulier vacua fuit, nectere mo-
ras, *adversam patris voluntatem* caussari, repertaque spe di-
tioris conjugis, promissa exuere. Octavius contra modo con-
queri, modo minitari, *famam perditam, pecuniam exhaustam*
obtestans: denique salutem, quæ sola reliqua esset, arbitrio
ejus permittens. Ac, postquam spernebatur, *noctem unam*
ad solatium poscit, *qua delinitus, modum in posterum adhibe-*
ret. Statuitur nox. Et Pontia consciæ ancillæ custodiam

Jussa Mess. prætendi] Ed. pr. (et cod. Bud.) *protendi.* Mox *delectum* ut MS. Flor. et Agr quod cum J. Gron. recepi. Ceteræ (et cod. Bud.) *electum.* MS. Guelf. *neminem allectum.* vitiose. Post *delegare aliis scelera* exquisite, pro in alios auctores transferre: sumta forma loquendi a re pecuniaria. Cicero exemplum præivit Or. pr. Font. 4. *quid si hoc crimen optimis nominibus delegare possumus.* V. plura in Clave Cic. in h. v. Ern.

Filio et nepti pars concedebatur] Ablego te ad Cujacium, Obs. 6, 23. qui ante me abunde dixit. Lips. Mox *acceperant* accipe de filio et nepte, aut solis, aut Suillio patre simul. Ita non opus cum Mercero *acceperat.* Quod porro Freinsh. conjicit *aviæ ceperant;* in MS. Flor. esse testatur J. Gronovius *aviæ;* quod recepit Broterius: Freinshemii conjecturam Lallemannus. Ern. Bud. *avi.* sed rectius Flor.

Octavius contra modo conq.] A MS. Bud. aberat *modo*, a Guelf. abest *contra modo.* Idem mox *ostentans:* quod hic non alienum foret: sed sæpe in illo libro *ostentare* scribitur pro *obtestari;* et *obtestans* h. l. efficacius. Ern. Bud. ut Guelf. non habet *contra modo*, ad quod non satis attendit Rhen. Bud. etiam *obtestans;* alterum illud videtur pertinere ad Guelf.

Postquam spernebatur] Verbum proprium in re amatoria, cum non redamere, sed fastidiare; de quo copiose, ut solet, Broukhus. ad Tibull. 1, 4, 77. p. 93. ubi h. l. non omisit. *Modum adhiberet*, int. amori: deponeret amorem. Ern.

cubiculi mandat. Ille, uno cum liberto, ferrum veste oc- A. U.
cultum infert. Tum, ut adsolet in amore et ira, jurgia, pre- 812.
ces, exprobratio, satisfactio: et pars tenebrarum libidine A. C.
seposita. Ex qua æstu incensus, nihil metuentem ferro 59.
transverberat, et accurrentem ancillam vulnere absterret cu-
biculoque prorumpit. Postera die manifesta cædes: haud
ambiguus percussor. quippe mansitasse una convincebatur.
Sed libertus *suum illud facinus* profiteri, *se patroni injurias
ultum esse*. Commoveratque quosdam magnitudine exempli:
donec ancilla, ex vulnere refecta, verum aperuit. postulatus-
que apud Consules a parte interfectæ, postquam Tribunatu
abierat, sententia Patrum ex lege de sicariis condemnatur.

Non minus insignis, eo anno, inpudicitia magnorum Reip. 45
malorum initium fecit. Erat in civitate Sabina Poppæa,
T. Ollio patre genita, sed nomen avi materni sumpserat; in-
lustri memoria Poppæi Sabini, Consulari et triumphali decore
præfulgentis. nam Ollium, honoribus nondum functum, ami-
citia Sejani pervertit. Huic mulieri cuncta alia fuere, præter
honestum animum. quippe mater ejus, ætatis suæ feminas
pulchritudine supergressa, gloriam pariter et formam dede-
rat. opes claritudini generis sufficiebant. sermo comis, nec

Libidine seposita] Viri doctiss. malunt *libidini*: qui casus legitimus. Infra c. 54. *agri vacui et militum usui sepositi.* et alibi. Sed nil impedit intelligere *in libidine, per libidinem*. *Seposita* est absumta, s. ut Bernec. in Indice, exacta. Si dativus verus sit, est, tributa, impensa. Ern. Bud. *libidine*. Sed emendatio dubia esse nequit.

Et questu incensus] Hæc lectio edita est a Puteolano: quam falsam esse J. Gronovio concedo. Nam questus jam præterierat. MS. Flor. *et quastim census*. Agr. et ed. pr. *et quæsiti census*. Gron. hinc facit, *et quasi incensus*, sc. amore ex usu libidinis: simulans se remollitum: quod nec significat *incensus*, nec huic loco aptum est. Ego tentavi: *atque ita infensus*, vel *sic*. Ubi satiaverat libidinem, tandem infestus, ardens sc. ira ex injuria, transfigit feminam. *Atque ita* formula frequentissima in eventu rei tradendo, ut omnes sciunt. *Infensus* poterat abesse, sed quoties Livius similiter ponit *infestus*? Qui meliora dederit, ei ego plaudam primus. Broterius: *qua statim inc.* Ern. In Bud. adfuerat a 1. m. *quæstum census*. 2. m. inde fecit *quæstu incensus*. Bip. conjectant *ex qua succensus*. Hill. Rac. 9. *atque æstu incensus*, ut ap. Virg. Æn. 4, 532. Malim *Ex qua æstu incensus*.

Injurias ultum esse] Mallem, *ultum isse*. Lips. Vid. ad c. 17. Mox *commoverat* cod. Bud. Copulam sæpe in tali contextu ap. nostrum reperi. Ern.

Postquam trib.] Nam Magistratus postulari et accusari non possunt. Sed mox pro *et* videtur scribendum *ex*. quorsum enim copula? Ern. Bene. Facilis erat lapsus.

Et lege de sicariis] Edd. vett. ante Rhen. omnes habent *Cornelia*, non demum Beroaldi, ut J. Gron. tradit. Sed recte deletum auctoribus MSS. Flor. Budensi, Oxon. Guelf. quibus consentit Guelf. cum aliis ap. Broterium. Ern. Sustulit et Jac. Gron.

Magnorum Reip. malorum] Sic ex Flor. dedit Pichena, sic ed. pr. Mediæ omnes *majorum*. superior nullum Reip. malum attulerat. Ern. Bud. *majorum*.

Ollium honoribus nondum functum] Atqui Quæstorium eum fuisse Suetonius autumat 35. Sed Quæstura fortasse non tam honos, quam aditus ad honorem. Ipse tamen Tacitus 12, 64. Quæsturam inter Magistratus recensuit, Agellius, et alii. Lips.

Mater ejus] Poppæa, de qua 11, 1. sq.

Nec absurdum ingenium] E Sallustio imitatum, qui Cat. 25. de Semprouia: *Ingenium ejus haud absurdum, posse versus facere*. Lips. Quod

A. U. 812. A. C. 59. absurdum ingenium. modestiam præferre et lascivia uti, rarus in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret adspectum, vel quia sic decebat. Famæ nunquam pepercit, maritos et adulteros non distinguens: neque adfectui suo, aut alieno obnoxia: unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat. Igitur agentem eam in matrimonio Rufii Crispini, Equitis Romani, ex quo filium genuerat, Otho pellexit, juventa ac luxu, et quia flagrantissimus in amicitia Neronis habebatur. nec mora, quin adulte-

46 rio matrimonium jungeretur. Otho, sive amore incautus, laudare *formam elegantiamque uxoris* apud Principem; sive ut accenderet, ac, si eadem femina potirentur, id quoque vinculum potentiam ei adjiceret. Sæpe auditus est consurgens e convivio Cæsaris, *se ire ad illam, sibi concessam* dicti-

alias *amœnum, facetum.* Nam supra c. 14. *non absurde dixit*, pro facete, lepide. Ern.

Velata parte oris] Ad æmulationem credo mulierum Arabiæ, de quibus Tertull. De virg. vel. 17. *Arabiæ feminæ ethnicæ non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, ut, uno oculo liberato, contentæ sint dimidiam frui lucem, quam totam faciem prostituere.* Sed caussa in hoc nobili scorto, et in illis dispar. Lips.

Rufi Crispini Equitis] Alii *Crispi.* Sed Crispinum ei cognomen. Plut. in Galba, noster 15, 71. et clarissime Seneca, seu quis alius (non enim certe Philosophus) in Octavia, ubi Poppæa inducitur v. 728. sq.—*venientem intuor Comitante turba conjugem quondam meum Gnatumque. properat petere complexus meos Crispinus, et intermissa libare oscula.* Rufinus Crispinus filius ejus a Suetonio nominatur c. 35. Lips. Immo *Rufii Crispini:* nam sic filius dicitur ap. Sueton. l. c. in bonis libris: et sic supra 12, 42. dedimus. Vett. edd. (it. cod. Flor. Bud. Agr.) *Ruffi Crispi*, usque ad Lipsium: qui *Crispinus* dedit. Ryckius primus, uti nos. Ern.

Filium genuerat] Is mari mersus jussu Neronis. Suet. 35.

Quin adult. matrim. jung.] Paullo aliter H. 1, 13. Scil. Tacitus prius historiam scripserat, meliora dein dedit in Annalibus. Cf. et Plut. in Galba 25. p. 1061. et Suet. Oth. 3.

Otho, sive amore incautus, etc.] Vere incautus. et simillima vecordia ille Candaules apud Justinum 1, 7. *Hic uxorem, quam propter pulchritudinem deperibat, prædicare omnibus solebat, non contentus voluptatum suarum tacita conscientia . . . prorsus, quasi silentium damnum pulchritudinis esset.* Vecordia inquam simili, sed et fato. Lips. Acidalius hic transposita membra putat, et verba *laudare formam principem*, post *adjiceret* poni vult. Putem, Tacitum sic dedisse, quia paullo longior altera ratio facti. Si tamen placeat transpositio, malim illa verba statim poni post nomen *Othonis:* quod mollius et probabilius. Ern.

Vinculum potentiam ei adjiceret] Sic editi omnes præter ed. pr. quæ habet *id quoque vinculum potentiæ adjiceret. Vinculum potentiæ* dicitur, ut *vinculum amicitiæ* ap. Cic. pro Plancio 2. quod potentiam, h. e. gratiam, firmat et stabilem reddit. atque, ut frequens est ap. eundem, *novum vinculum accessit*, sic hic *novum vinculum potentiæ adjecit.* Itaque mihi valde blanditur ista lectio; præsertim cum durum sit *vinculum potentiam adjicit.* Vinculum non auget potentiam, sed firmat. Ern.

Sibi concessam dictitans] Adhæresco. Fortean, *sibi concessam a Dis jactans nobilitatem, pulchritudinem.* Aut, *sibi concessam Dis dignam nobilitatem.* Budensi aiunt legi, *ubi concessam dictitaret.* ex eo divinabam, *ubi congestam delibaret.* Lips. Ita difficilis hic locus visus, ut Grævius fassus sit, se ex eo non expediri. Primum var. lect. notabimus. MS. Fl. habet, ut est in textu, nisi quod *seque* ante *ire:* unde J. Gron. conjicit *quippe.* frustra, ut opinor, cum nil præcesserit, cujus ratio reddatur. MS. Agr. consentit cum Budensi. Ed. pr. habet *ubi.* Guelf. Puteol. Ber. Alc. Rhen. Ald. Gryph. *ibi.* Lips. et ed. seqq. *sibi. Dictitaret* etiam MS. Agr. Peri-

tans *nobilitatem, pulchritudinem, vota omnium et gaudia feli-* A. U.
cium. His atque talibus inritamentis, non longa cunctatio 812.
interponitur. Sed accepto aditu, Poppæa primum per A. C.
blandimenta et artes valescere, *inparem cupidini et forma* 59.
Neronis captam simulans: mox, acri jam Principis amore, ad superbiam vertens, si ultra unam alteramque noctem adtineretur, *nuptam esse se* dictitans, *nec posse matrimonium amittere, devinctam Othoni per genus vitæ, quod nemo adæquaret. Illum animo et cultu magnificum: ibi se summa fortuna digna visere. at Neronem, pellice ancilla et adsuetudine Actes devinctum, nil e contubernio servili, nisi abjectum et sordidum traxisse.* Dejicitur familiaritate sueta, post congressu et co-

zon. An. Hist. p. 173. corrigebat *divinitus* pro *dictitans:* quod ridet J. Gronovius. Ego dudum locum sic corrigendum putavi: *sæpe auditus est, cum surgens e convivio Cæsaris . . . dictitaret nobilitatem:* quod verissimum puto. Nuper autem, cum collectionem epistolarum a Burmanno editam percurrerem, si quid esset, quod Tacito prodesset, reperi t. 4. p. 671. N. Heinsium similiter correxisse: nisi, quod ille *cum consurgens.* Ubi mirum est, Grævium non capere potuisse τὸ *cum* post *auditus* est: interrogantem, *quid factum est, cum dictitaret?* At nihil Ciceroni et Livio usitatius: estque in eo elegantia. Cic. ep. ad Div. 3, 7. *a Pausania audivi, cum diceret.* Sed Heinsius etiam pro *sibi* vult *uni,* ut Acidalius. Ern. Equidem cum Pichena sentio, nihil hic difficultatis adesse. Intelligitur, *sibi* a Diis vel a propitia sorte *concessam dictitans nob.* etc. Bud. omnino habet *ubic. dictitaret. Seque* Flor. stare nequit. Bud. *se* absque copula. recte. Heins. non pro *sibi* vult *uni* sed junctim *uni sibi.*

Vota omnium, gaudia felicium] Inscriptio vetus apud Grut. p. 637. QVOD. OMNES. ROGANT. SED. FELICES. IMPETRANT. Gron.

Accepto aditu] Muretus *hoc capto.* Acidalius *occœpto.* Heinsius *arrepto.* Non video, quare locum tentent. Nero laudibus feminæ incensus, cupit illam videre. Hoc modo cum illa aditum accepisset etc. Si dicitur *aditum dare,* cur non et *accipere?* Mox Heinsius vult deleri *se,* probante Grævio l. c. in Syll. B. At sæpe apud nostrum pronomina sic posita, item apud Suetonium, ubi abesse possent. v. ad Sueton. Cæs. c. 7. Ern. Bud. *accepto aditu.* Mox deerat *se,* intrusum a m. 2. Sic Heinsii votis codex respondet; delevi, elegantior dictio evadit.

Matrim. amittere] MS. Agr. *omittere:* probat Grævius l. c. et sic supra c. 44. *omittere maritum.* At idem *amittere,* quod omittere, dimittere. Sic *amittere occasionem* Liv. 7, 34. ubi v. Drakenb. Confundi hæc verba in libris, aliis infra locis videbimus. Ern.

Quod nemo adæquaret] Vidi qui legeret, *quod Nero non adæquaret.* Ego, *Nero haud æquaret.* Lips. Quasi recordaretur de Antonii et Cleopatræ fabulis, quod significat Plut. in Anton. 92. *Αὐτοὶ δὲ τὴν μὲν τῶν ἀμιμητοβίων ἐκείνην σύνοδον κατέλυσαν· ἑτέραν δὲ συνέταξαν, οὐδέν τι λειπομένην ἐκείνης ἁβρότητι καὶ τρυφαῖς καὶ πολυτελείαις, ἣν συναποθανουμένων ἐκάλουν.* Scholiastes vetus Juvenalis ad Sat. 2, 99. *Hunc incomparabilis vitæ bello civili Vitellius vicit apud Bedriacum.* Gron. Lipsii conjectura non videtur consentire arti feminæ, quæ ita offenderet Neronem. Sanus locus; nisi quis malit, *quo n. adæquaret* sc. Othonem. Mox *digna visere* ed. pr. Rhen. et seqq. At Puteol. Ber. Alc. *dignam visere,* ut Guelf. et ut Faernus volebat. Putavi ante vitium operarum esse in ed. Puteol. quod ceteræ secutæ essent, ut solent. *Visere* frustra Grævius corrigebat *videre,* Heinsius *intueri. Visere* sæpe etiam Livius dixit pro *videre.* V. Drakenb. ad 1, 31. Noster infra c. 54. *quo magnitudinem populi viserent.* ib. *comiter a visentibus acceptum.* 14, 1. *ubi audiret potius contumelias Principis, quam viseret.* Mox MS. Guelf. et alii, *magnifico.* Ern. Bud. *magnificum.* Idem a 1. m. *dignam,* a 2. *digna.* Rhen. editio a. 1544. habet *dignam,* etsi in adnot. præferat *digna.*

Nil e contubernio servili] Proprie. Non enim nuptiæ cum servis, sed contubernium. Lips.

A. U. 812. A. C. 59. mitatu, Otho; et postremo, ne in urbe æmulatus ageret, provinciæ Lusitaniæ præficitur: ubi usque ad civilia arma, non ex priore infamia, sed integre sancteque egit, procax
47 otii et potestatis temperantior. Hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quæsivit. Suspectabat maxime Cornelium Sullam, socors ingenium ejus in contrarium trahens, callidumque et simulatorem interpretando. Quem metum Graptus ex libertis Cæsaris, usu et senecta Tiberio abusque domum Principum edoctus, tali mendacio intendit. Pons Mulvius in eo tempore celebris nocturnis inlecebris erat: ventitabatque illuc Nero, quo solutius, urbem extra, lasciviret. Igitur, *regredienti per viam Flaminiam compositas insidias, fatoque evitatas, quoniam diverso itinere Sallustianos in hortos remeaverit, auctoremque ejus doli Sullam*, ementitur: quia forte, redeuntibus ministris Principis, quidam, per juvenilem licentiam, quæ tunc passim exercebatur, inanem metum fecerant. Neque servorum quisquam, neque clientium Sullæ agnitus: maximeque despecta, et nullius ausi capax natura ejus, a crimine abhorrebat: perinde tamen, quasi convictus esset, cedere patria, et Massiliensium mœ-
48 nibus coerceri jubetur. Iisdem Consulibus auditæ Puteolanorum legationes, quas diversas ordo plebsque ad Sena-

Ne in urbe æmulatus ageret] Grotius corrigit *æmulus*: Heinsius *augeret*. Illud melius, sed tamen non necessarium. Ern. Grotii conjecturam probat Broterius. Heinsius suam ex 1, 52. firmare laborat, quod et Grævio placebat in Syll. Burm. t. 4. p. 670.

Potestatis temp.] Vertranius ex libro Pontificali (i. e. Vatic.) adfert *egestatis temp.*

Corn. Sulla] Is Consul a. 804. V. 12, 52. Gener Claudii fuit per nuptias Antoniæ. V. c. 23.

A Tiberio usque] Vatic. *Tiberio avousque* ex quo fecerim, *Tiberio abusque*, deleta priore præpositione. Lips. Vaticano consentit Flor. (Bud.) Guelf. Agr. ed. pr. Lipsii correctionem cum J. Gronovio veram puto. Mox *Mulvius* vera scriptura, non *Milvius*. V. Cort. ad Sall. Cat. 45. et quos ibi laudat. Post *celebris* omnes edd. V. ad 2, 88. extr. *Ventabat* idem MS. et ed. pr. Eadem mox *solutus*. Ern. Emendationem Lipsii probant Heins. et Bip. Sequor et ego. Sic et 15, 37. *Oceano abusque*. Cod. Agr. *Mulvius*. Bud. *Solutius*.

Maximeque despecta] Copulam *que* ex Flor. restituit Pichena: quæ est etiam in Guelf. et ed. pr. *A crimine abhorrebat* est, erat ejusmodi, ut non videretur probabile, eum tale quid ausum esse, ut crimen objectum verisimile non esset. Ita eleganter *abhorrere* Ciceroni et Livio dicitur, Cic. pro Cœl. 4. *Cælius longe ab ista suspicione abhorrere debet*. Ern.

Massiliensium mœnibus] Relegandi genus tunc frequens. Sic Julia opido Rheginorum ab Augusto clausa: Silanus a Nerone Bario municipio Apuliæ: Dolabella in coloniam Aquinatem ab Othone sepositus. Lips.

Quas diversas Senatorius ordo] Certe delendum τὸ *Senatorius*, et obsequendum scriptis id vocabuli non agnoscentibus: quod miror in nos usque judicium esse dilatum. Quemadmodum enim Romæ *ordo amplissimus*, *ordo florentissimus* pro Senatu, sic in municipiis *ordo* sæpe pro Decurionibus ponitur. Tacitus ipse H. 2, 52. *Onerabat parentium curas ordo Mutinensis, arma et pecunias offerendo.* Ammianus Marc. 22, 9. *Ordo squalens occurrit et populus nimium quantum antehac florentissimus.* de Nicomediensibus. Idem 25, 9. *Et hoc quidem suppliciter ordo et populus precabatur.* Vide indicem Inscript. Grut. cap. 9. Gron. Rectissime. Non enim est in MSS. Flor. Bud. Agr. ed. pr. Est additamentum Puteolani, non Beroaldinum, ut J. Gron. vocat: sed

tum miserant: illi *vim multitudinis, hi Magistratuum et* A. U. 812. A. C. 59.
primi cujusque avaritiam increpantes. Cumque seditio, ad saxa et minas ignium progressa, necem et arma perliceret, C. Cassius adhibendo remedio delectus. quia severitatem ejus non tolerabant, precante ipso, ad Scribonios fratres ea cura transfertur, data cohorte Prætoria: cujus terrore, et paucorum supplicio, rediit oppidanis concordia.
49 Non referrem vulgatissimum Senatusconsultum, quo *civitati Syracusanorum egredi numerum, edendis gladiatoribus finitum, permittebatur:* nisi Pætus Thrasea contra dixisset, præbuissetque materiem obtrectatoribus arguendæ sententiæ: *Cur enim, si Remp. egere libertate Senatoria crederet, tam levia consectaretur? quin de bello, aut pace, de vectigalibus et legibus quibusque aliis Romana continentur, suaderet dissuaderetve? Licere patribus quotiens jus dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent, expromere relationemque in ea postulare. An solum emendatione dignum, ne Syracusis*

tamen e MSS. siquidem et Guelf. habet. Ceterum tamen cum Ryckio et J. Gronovio delevi. Sed præterea MS. Flor. *plebs* copula supra scripta: ed. pr. *plebs et ordo*, quod longe mollius: ceteræ *ordo plebesque*. Ceterum pro *diversas* Guelf. et alii ap. Brot. *divisas*. ERN. Bud. *quas divisas ordo plebsque*. Otto de Ædil. Colon. p. 60. docet, perperam æstuare viros doctos, ubi *Senatoris* hic nomen legunt, siquidem mille locis *Senatores* dicuntur coloniarum, ut et SC. municipalia occurrunt in lapidibus. Verum non de hoc, credo, ambigitur; sed, an Tacitus contra morem hic adjecerit vocem *Senatorius?* hoc negatur, et recte quidem. Vid. et Gorius Inscr. t. 2. p. 192. ad lap. p. 189.

Primi cujusque] An *primi* peculiaris dignitas in Senatu, ut ap. Cic. pr. R. A. 9. *decem primi Amerini*, et Verr. 2, 67. *Magistratus et decem primi*. ap. Liv. 39, 15. *deni principes*. V. Græv. ad Cic. l. c. et Noris. ad Cenot. Pis. 1, 3. Sic videtur Ryckio. Mox MS. Bud. eleganter *ad saxa, ad minas*. Horat. Ep. 1, 1. 46. *per mare pauperiem fugiens per saxa, per ignes*. Post ed. pr. *pelliceret*. Puteol. *perliceret* cum seqq. ut Guelf. Tacite post Lipsium receptum *proliceret*, nescio unde: quod tamen eodem redit. Pro *Scribonios fratres* ed. pr. *consobrinos fratres*. At *Scribonii fratres* etiam H. 4, 41. ERN. L. 1. D. de Muner. et hon. occurrit *decemprimatus* et l. 3. ib. *decaproti* memorantur. Bud. *perliceret . . . Scribonios* male quidam *Scribonianos*. De iis vid. Dio in Excerptis 63, 17.

Numerum edendis gladiatoribus] Augustus edixit a. u. 732. Μήθ' ὁπλομαχίαν . . . πλεονάκις ἢ δὶς ἐν ἑκάστῳ ἔτει, μήτε πλειόνων εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν ποιεῖν. Dio 54, 2. Simile edictum antea a Senatu, de quo Sueton. Julii 10. *Cum multiplici undique familia comparata inimicos exterruisset, cautum est de numero gladiatorum, quo ne majorem cuiquam habere Romæ liceret*. Saturnalia nostra vide. LIPS. Ed. pr. *civitatem*. ERN. *Tiberius quoque munerum impensas corripuit et paria gladiatorum ad certum numerum redegit*. Suet. 34. Triginta parium mentio in lap. ap. Grut. p. 352.

Materiem] Sic Flor. Bud.

Quibusque aliis Romana] Insero vocem, *res Romana continetur*. Sequentia emendavi, distinxi, sublata confusione, quæ in libris. LIPS. Ed. pr. sane *continetur*. Guelf. Puteol. *continentur*, quod omnes secuti sunt. At in MS. Bud. *continerentur*. Utrumque rectum, si modo *Romana* verum. sed Lipsii correctionem veram puto. ERN. Verba Rhenani non cepit Ern. Ex eo, quod in Bud. legitur *contineretur*, infert Rhen. apparere legendum *continerentur*.

Suaderet dissuaderetve] Nihil notatum video, unde hæc lectio sit, quæ jam est in edd. Lips. Nam ed. pr. Rhen. (e Bud.) et seqq. *suadere dissuadereve licere:* Puteol. Ber. Alc. idem sine *ve*. Sed illud melius. nam in hoc verbum non est, ad quod referatur *quin*, ut alia incommoda taceam. De re vide Gronov. Obs. 1, 22. ERN.

A. U. 812. A. C. 59.

spectacula largius ederentur? cetera per omnes Imperii partes perinde egregia, quam si non Nero, sed Thrasea regimen eorum teneret? Quod si summa dissimulatione transmitterentur, quanto magis inanibus abstinendum? Thrasea contra, rationem poscentibus amicis, *non præsentium ignarum*, respondebat, *ejusmodi consulta corrigere; sed Patrum honori dare: ut manifestum fieret, magnarum rerum curam non dissimulaturos, qui animum etiam levissimis adverterent.* Eodem anno, crebris populi flagitationibus, inmodestiam publicanorum arguentis, dubitavit Nero, *an cuncta vectigalia omitti juberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret.* Sed inpetum ejus, multum prius laudata *magnitudine animi*, adtinuere Senatores, *dissolutionem Imperii* docendo, *si fructus, quibus Resp. sustineretur, deminuerentur. quippe, sublatis portoriis, sequens, ut tributorum abolitio expostularetur. Plerasque vectigalium societates a Consulibus et Tribunis plebis constitutas, acri etiam Populi Rom. tum libertate: reliqua*

Quam si non Nero] Acidalius vult *quasi non Nero*. Et sic plane in ed. pr. Intelligendum autem, hæc non in Senatu dicta, sed in sermonibus privatis, cœtibusque. Post *quod si*, quod e MS. Flor. edidit Jac. Gron. est et in (Bud. Agr. et) ed. pr. Id mutatum in *quæ*, ut opinor, propterea, quod *summa* ad *dissimulationem* referebatur. Sed *summa* opponuntur *inanibus*. Ern.

Immodestiam public.] i. e. avaritiam: mox vocat *cupidines*. Vid. dicta ad Sueton. Tit. c. 4. et inde natam sævitiam, sive, ut post vocat, acerbitatem. Ern.

Vectigalia omitti] Tentat Pichena *remitti*, etsi timide. Quis librarius hæreret in *remitti*, idque in *omitti* mutaret? *Omitti* est aboleri: et de hoc dubitabatur. mox *abolitio* diserte memoratur, et *tollere*: quod plus est, quam *remittere*. nam *remissio* plerumque fit ad tempus: *abolitio* in perpetuum. Etiam Sueton. Vesp. 16. dixit *omissa vectigalia*: ad quem locum confirmandum loco Taciti bene utitur Duker. neque ullo modo ibi videndum, an aliquis MS. liber habeat *remissa*: qui si reperiretur, a librario, ita, ut Pichena ad h. l. affecto, corruptum dicerem. *Vectigalia* autem proprie, h. e. de portoriis, accipit Burmannus de Vect. P. R. c. 5. p. 66. et sane post *portoria* sola commemorantur. Ern.

Attinuere Senatores] Fero. sed præfero meum illud, *seniores*. Lips. Sed illud est in omnibus libris. Ern.

Sequens] Frustra Acidalius (cum Mur.) tentat *sequi*. int. *esse*. Cicero Or. 2, 53. *non esse consequens*. Tusc. 5, 8. *alterum alteri consequens est*. Ern.

Plerasque vectigalium societates] Quæ hæc conjuratio est? ut tot viri docti corrigant *necessitates*. *Socii* et *societates* pro publicanis toties apud unum Ciceronem commemorantur, ut annotare loca pigeat. Vide ad fam. 13, 9. Et tamen in his quoque Manutius erravit ad orat. pro Plancio c. 9. *Vel quod erat pater is, qui est princeps jam diu publicanorum: vel quod is ab sociis unice diligebatur.* Quia, inquit ille, perquam rarum, ut ab sociis publicani diligantur: ubi enim vectigalia exiguntur, ibi fere contentiones odiaque nascuntur. Quasi *Socii* sint hic provinciales, et hi momentum in comitiis istis fecerint. Immo *ab sociis* est, a publicanis. Sed captant verbum *constituere*. frustra: nam *vectigalium societates*, nihil aliud sunt quam ipsa vectigalia, ipsa publica; nullum enim publicum alicujus ponderis quod non exerceretur a societate. Gron. Mox *tum* quod Rhenanus (e Bud.) addidit, est etiam in ed. pr. et in hac præterea *acri in Remp.* In eadem est etiam *erog.* quod Rhen. se correxisse dicit. *Irrog.* natum credo, quod esset scriptum. ut in ed. pr. *errog.* Guelf. *erogationum*. Ern. Rhen. est qui *necessitates* conjiciebat, nec tamen in textum recepit. Probavere Mur. Acid. Male provocatur ad 1, 11. Urs. e cod. vet. *acri etiam tum P. R. lib.* sic et Mur. Acid.

mox ita provisa, ut ratio quæstuum et necessitas erogationum inter se congruerent. Temperandas plane publicanorum cupidines, ne, per tot annos sine querela tolerata, novis acerbitatibus ad invidiam verterent. Ergo edixit Princeps, *ut leges cujusque publici, occultæ ad id tempus, proscriberentur: omissas petitiones non ultra annum resumerent: Romæ Prætor, per provincias, qui pro Prætore aut Consule essent, jura adversus publicanos extra ordinem redderent: militibus immunitas servaretur, nisi in iis, quæ veno exercerent.* Aliaque admodum æqua, quæ brevi servata, dein frustra habita sunt. Manet tamen abolitio quadragesimæ quinquagesimæque, et quæ alia exactio-

A. U. 812. A. C. 59. 51

Verterent] Lall. supplendum *se* præcipit; sed frequenter absolute ponitur.

Leges cujusque publici] *Publicum* hic non civitas, aut commune cujusque oppidi, uti censent: sed τὸ δημόσιον, τελωνία. Plautus Trucul. 1, 2, 41. *Illa, haud ego, habuit publicum, perverse interpretaris.* Seneca ep. 120. (119.) *Jam ego paraveram fiscos: circumspiciebam, in quod me mare negotiaturus immitterem, quod publicum agitarem, quas arcesserem merces.* Suet. Cal. 40. *Additumque ad caput legis, ut tenerentur publico, quæ meretricium quæve lenocinium fecissent.* Seneca iterum epist. 102. (101.) *Ille, qui et mari et terra pecuniam agitabat, qui ad publica quoque, nullum relinquens inexpertum genus quæstus, accesserat.* ubi male substituunt, *publicanos.* LIPS. Publicani non vectigalia vetera renovabant, sed nova inveniebant. Nam, cum lex, sive formula, et capita conductionis non essent vulgata, exigebant quibusdam nominibus, quibus concessum non erat per legem, neque unquam fuerat. Has vocat *novas acerbitates* et *nomina exactionum illicitarum.* Exemplum est apud Cic 3. in Verr. 3, 78. *Ex omni pecunia, quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant: primum pro spectatione et collybo, deinde nescio pro quo cerario. Hæc omnia, judices, non rerum certarum, sed furtorum improbissimorum sunt vocabula.* Cæsar B. C. 3, 32. *Multa præterea ad avaritiam excogitabantur. In capita singula servorum ac liberorum tributum imponebatur. Columnaria, ostiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vecturæ imperabantur. Cujus rei modo nomen reperiri poterat, hoc satis esse ad cogendas pecunias videbatur.* Sic igitur isti quoque faciebant. Et licebat dolere, non recusare obnoxiis, quod illi se jure suo uti, et nihil nisi ex lege flagitare mentirentur. Hæc illis latebra sublata est legibus cujusque publici proscriptis: unde didicerunt, a quibus exigebatur, quid deberent, quid non deberent. Frustra etiam ex Suetonii Vesp. 1. probat, quod aliunde satis constat et probari non est necesse. Ibi enim sincerior lectio: *publicum quadragesimæ in Asia egit,* non *publicanum.* Adde Obs. 4, 23. GRON. In locis a Lipsio citatis alienus est e Suet. Cal. 40. nam ibi *publicum* est ærarium, quod sæpe ita vocatur, ut ap. Liv. 2, 9. *arbitrium salis in publicum sumtum.* ERN.

Prætor, per prov.] Cf. l. 1. D. de Public. et Vectig.

Quæ veno exercerent] *Quæstuosi* milites supra vocantur c. 35.

Quadragesimæ quinquagesimæque] Portorium id fuit, explicatum Quinctil. in parte, Declam. 359. *Præter instrumenta itineris, omnes res quadragesimam publicano debeant.* Sed abolitio hæc Neroniana, non firma, certe Symmachi ævo iterum præbita Quadragesima: ut discas e. l. 5. epist. 65. *Quadragesimæ portorium non recte poscitur a Senatoribus candidatis: quia nostri ordinis functiones onerari geminis incommodis non oportet . . . Quæso igitur, ut humanitatem nostri ordinis editoribus impartias, et ursorum transvectionem cupiditati mancipum subtrahas.* Etiam Quinquagesima: de qua ib. ep. 62. *Quæstores ordinis nostri numquam ferarum suarum portorium contulerunt. . . . Nunc a fratre meo Cynegio V. C. quinquagesimæ vectigal exigitur, quod solos ursorum negotiatores, utpote quæstui servientes, oportet agnoscere.* De hac quadragesima capio Suetonium Vesp. 1. *Hujus filius publicum quadragesimæ in Asia egit, manebantque* (lego,

A. U. 812. A. C. 59. nibus inlicitis nomina publicani invenerant. Temperata apud transmarinas provincias frumenti subvectio. et, *ne censibus negotiatorum naves adscriberentur, tributumque pro illis*
52 *penderent*, constitutum. Reos ex provincia Africa, qui Proconsulare imperium illic habuerant, Sulpicium Camerinum et Pomponium Silvanum absolvit Cæsar: Camerinum adversus privatos et paucos, sævitiæ magis, quam captarum pecuniarum crimina objicientes. Silvanum magna vis accusatorum circumsteterat, poscebatque *tempus evocandorum testium*: reus *illico defendi*, postulabat. Valuitque pecuniosa orbitate et senecta, quam ultra vitam eorum produxit, quorum ambitu evaserat.

53 Quietæ ad id tempus res in Germania fuerant, ingenio Ducum, qui, pervulgatis triumphi insignibus, majus ex eo decus sperabant, si pacem continuavissent. Paullinus

mantantque, quia pervenisse eas ad suum ævum subindicat Tranquillus: vel potius, *monebantque*) *imagines sub hoc titulo*, ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ. At in Caligul. c. 40. alia hercle ab ista: temporaria dumtaxat, et quæ cum impuro illo periit: *Exigebatur pro litibus atque judiciis ubicumque conceptis quadragesima summæ, de qua litigaretur.* Sed et quinquagesimam venalium, de qua supra, disparo ab ista: sicut quinquagesimas illas Cic. in Verr. 3, 10. sq. quæ ad aratores pertinuerunt decumanosque. LIPS. Non portorium, sed *quadragesimam litium* abolitam cum Cujacio Obs. 6, 28. aliisque statuit, et simul Spanhemium, qui de V. et P. N. diss. 13. t. 2. p. 550. s. Taciti fidem impugnat, e numo Galbæ, in quo XXXX REMISSA extat, refellit Burm. de Vectig. P. R. c. 5. p. 65. s. iis rationibus, quibus facile cessurum quemque putem. Mox *exactionibus* bene correxit Rhen. superiores *ex auctionibus*. ERN. Telonarii statuam cum titulo ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ dat Boissard. in topogr. urb. part. 3. t. 1. fol. 51. *Exactionibus* Rhen. ex ingenio dedit. nam Bud. a 1. m. *exauctionibus*.

Frumenti subvectio] Quæ hæc subvectio? illane, quæ Romam? ex Africa et Ægypto puta, aliisque provinciis ad alimenta plebis. An intellegit, in ipsis provinciis modum positum, quo et quatenus frumenta sua adveherent? Fraudes enim et hic committi solere, et molestias objici provincialibus, e Taciti Agr. 19. disces. *Emere*, inquit, *ultro frumenta, et vendere cogebantur. Devortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates a proximis hibernis in remota et avia deferrent: donec, quod omnibus in promtu erat, paucis lucrosum fieret.* LIPS. ERN.

Et ne censibus] Mutuare huic loco lumen a P. Fabro Sem. 1, 25. LIPS.

Habuerant] Sic Rhen. ex ingenio. Bud a 1. m. *habuerunt*.

Sulpicium Camerinum absolvit] Sed eumdem paullo post cum filio interfecit. Ἐγκαλέσας σφίσιν, ait Xiphil. 63, 18. ὅτι Πυθικοὶ ἐκ προγόνων ἐπικαλούμενοι, οὐκ ἐπαύσαντο πρόσρημα τοῦτ᾽ ἔχοντες, ἀλλ᾽ ἐς τὰς τοῦ Νέρωνος νίκας τὰς Πυθικὰς ἐκ τῆς ὁμωνυμίας ἠσέβουν. Qui Dionis sive abbreviatoris ejus corruptus locus, scriboque. Ὅτι Ποιτικοὶ ἐκ προγόνων etc. Sulpicii enimvero non Pythici, sed Poetici cognominati, uti liquere potest ex Fastis. Quod cognomen ad injuriam suam trahebat Nero, quia ipse solus victor, solus Pythicus. Notabit ergo philologus similitudinem aliquam inter eas voces, veteri germanaque pronunciatione fuisse. LIPS. *Sulp. Camerini* mentio in fragm. Fratrum Arvalium ap. Grut. p. 118. *Puthicus* dicitur ap. Pigh. in Annal. t. 3. p. 590. ad a. 808.

Pomponium Silvanum] Est cum Pompeium Silvanum in Tacito (H. 2, 86.) reperias; est cum Poppæum. Librariorum ea varietas sit, an hominum, alibi videbo. LIPS. Infra dedi ex MS. Flor. ed. pr. *vitam eorum*: deinde ex iisdem et Guelf. *Pompeius et Vetus*. ERN.

Ambitu] Sic Rhen. e Bud. Sed et Puteol. ita. Alibi *ambitum*. Faernus volebat *impetum*, quod ridet Grut.

Paull. Pomp. etc.] De Paullino

Pompeius et L. Vetus ea tempestate exercitui præerant. A. U. Ne tamen segnem militem adtinerent, ille inchoatum ante 812. tres et sexaginta annos a Druso aggerem coercendo Rheno, A. C. absolvit: Vetus Mosellam atque Ararim, facta inter utrumque 59. fossa, connectere parabat, ut copiæ per mare, dein Rhodano et Arare subvectæ, per eam fossam, mox fluvio Mosella in Rhenum, exin Oceanum decurrerent: sublatisque itinerum difficultatibus, navigabilia inter se occidentis septentrionisque litora fierent. Invidit operi Ælius Gracilis, Belgicæ Legatus, deterrendo Veterem, *ne legiones alienæ provinciæ inferret, studiaque Galliarum adfectaret. formidolosum id Imperatori* dictitans, quo plerumque prohibentur conatus honesti. Ceterum continuo exercituum otio, fama 54 incessit, *ereptum jus Legatis ducendi in hostem.* Eoque Frisii juventutem saltibus aut paludibus, inbellem ætatem per lacus admovere ripæ, agrosque vacuos, et militum usui sepositos, insedere, auctore Verrito et Malorige, qui nationem eam regebant, in quantum Germani regnantur. Jamque

Pompeio v. Plin. 33, 50. Ei Seneca inscripsit L. de Brev. vitæ. L. Ant. Vetus CS. fuit a. 808. vid. c. 11.

Inchoatum a Druso aggerem] Intelligitne fossam Drusianam, Isalæ hodie cognomine insignem? quæ Rhenum imminuit, exhausit, et quasi coercuit? An potius aliud opus in Gallica ripa, quo tumidum et vagum cum pernicie accolarum amnem reprimeret? Videtur. et refero ad aggerem istum, quæ H. 5, 19. scripta: *Quin et diruit molem, a Druso Germanico factam, Rhenumque prono alveo in Galliam ruentem, disjectis quæ morabantur, effudit.* Vidi, qui molem eam vellent esse Drusoburgum, ad Isalam nunc situm. Næ illi falluntur. Nam qui potest? In Galliarum ripa ea moles fuisse debuit, non in Germaniæ: uti facto Civilis, Tacitique verbis ratio constet. Refellere quidem igitur aliena possim, firmare adhuc ipse nihil. Lips. Ryckius LXVI. redigit, ducto initio numerandi ab A. U. 745. quo Drusus Consul in Germania mortuus. Sed non necesse est terminum temporis, cujus annos Tacitus tradit, ponere in anno eo, cujus res jam exponuntur. Turbæ ex ea re ortæ hic traduntur. Opus quidem ipsum aliquot annis ante cœptum est. De aggere ipso vide H. l. c. Ern.

Mosellam atque Ararim] Deusbone, utile, magnum, Regium vel Romanum plane opus! Sic Carolus Magnus Danubium et Rhenum statuit; alii alia: sed omnes statuerunt tantum. et nescio, quæ vis ab alto fere impedit, mutari hæc per Naturam statuta. Lips. Paullo post pro *exin* ed. pr. *dein.* Pichena volebat *et in:* quod non necesse puto. Ern. Abhinc multa stupenda ejus generis opera perfecere Galli. Sic Mediterraneum mare cum Atlantico junctum. Neque dubium, quin consilium id L. Veteris exsecutura sit nostra ætas. Ceterum ex hoc loco, Sequanos tum ad Germaniam superiorem relatos, infert Perreciot ap. Grandidier in Hist. d'Als. t. I. p. 168. Id ni esset, L. Veterem consilium illud capere non potuisse. Obstitit autem Gracilis, quia pars fossæ per Belgicam erat ducenda.

Ælius Gracilis] E libris *Ælius Gracchus.* Lips. Sic et MS. Agr. At ed. pr. *invidit operi ejus Gracilis:* fuit *Elius:* ut in seqq. Guelf. *helius:* ut ante Lips. edebatur. Mox vett. edd. *Vetere,* usque ad Rhen. *Veterem* MSS. Flor. Agr. Deinde idem MS. Agr. *cohibentur:* eleganter. Ceterum ad h. l. v. Marca Primat. Lugd. p. 160. Ern. In Bud. a l. m. erat *veteres.*

Quo] E scribendi compendio MS. elicit Pichena *quomodo.* Sed magis arridet vulg.

Malorige] Ammian. Marc. 15, 5. *Malarichum* dicit. Germ. fuerit *Malrich.*

In qua tum Germani regnabant] Flor. *in quantum Germani:* optime.

A. U. 812. A. C. 59. fixerant domos, semina arvis intulerant, utque patrium solum exercebant: cum Dubius Avitus, accepta a Paullino provincia, minitando *vim Romanam, nisi abscederent Frisii veteres in locos, aut novam sedem a Cæsare inpetrarent*, perpulit Verritum et Malorigen, preces suscipere. Profectique Romam, dum aliis curis intentum Neronem opperiuntur, inter ea, quæ barbaris ostentantur, intravere Pompeii theatrum, quo magnitudinem populi viserent. Illic, per otium (neque enim ludicris ignari oblectabantur) dum *consessum caveæ, discrimina ordinum, quis Eques, ubi Senatus* percunctantur, advertere quosdam cultu externo in sedibus Senatorum: et, *quinam forent*, rogitantes, postquam audiverant, *earum gentium legatis id honoris datum, quæ virtute et amicitia Romana præcellerent: nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse*, exclamant, degrediunturque et inter Patres considunt. quod comiter a visentibus exceptum, quasi inpetus antiqui et bona æmulatione. Nero civitate

id est, quatenus Germanis quidem est regnum, qui in semilibertate. Lips. Omnes conjecturas irritas fecit cod. Fl. cujus lectio editur inde a Pichena. Ed. pr. *in quam tunc Germani regnabant.* Ern. Bud. *in quam tum Germani regnabant.* Passiva dictio rectior, ut H. 1, 16. G. 43. De re ipsa G. 11.

Jamque fixerant domos] Castigat Rhen. (e Bud.) *Jamque finxerant domos.* Immo *fixerant*, id est posuerant, collocaverant. Juven. Sat. 3, 2. *Laudo tamen, vacuis quod sedem figere Cumis Destinet.* Gron. Edd. ante Rhenan. omnes *fixerant.* Ern.

Utque p. s. ex.] Bud. *atque p. s. ex.* Minus bene.

Dubius Avitus] Labor, ut scribam, *Vibius Avitus*, inducente me Plinio, qui Neronis temporibus præsedisse Galliæ Germaniæque inferiori, Vibium Avitum significat 34, 18. *Statuam Avernorum cum faceret, provinciæ Vibio Avito præsidente.* Antea suspicabar de Didio: fallebar. Lips. Male: nam et apud Plinium optimæ membranæ *Dubio Avito*, non *Vibio.* Gron. Lipsium sequitur cum Bucherio, Eccardo, Harduinus ad Plinium, *Dubius* pro barbaro et Rom. inaudito repudians, et Broterius, Gronovium Ryckius. Sane tum multa Romæ nomina barbara, nec ante Romæ audita: nec mirum. ut monuit recte Jac. Gron. ad c. 32. in nomine *Lurii.* Ern. *Dubius* codd. Flor. Bud. Agr. etc.

Advertere quosdam cultu externo] Armenios et Parthos, sedentes in Senatu, uti eleganter Suetonius loquitur. Morem autem eum fuisse, et hunc honorem bene meritis sociis, didici e Justino: qui de Massiliensibus 43, 5. *Ob quod meritum et immunitas illis decreta, et locus spectaculorum in Senatu datus.* Item Josepho, qui decretum C. Cæsaris et Senatus recitat pro Judæis 14, 10, 6. in hæc verba: Δίδοσθαί τε Ὑρκανῷ, καὶ παισὶ τοῖς αὐτοῦ, καὶ πρεσβευταῖς τοῖς ὑπ' αὐτοῦ πεμφθεῖσιν, ἔν τε πυγμῇ μονομάχων καὶ θηρίων, καθεζομένους μετὰ τῶν συγκλητικῶν θεωρεῖν. Dio 68, 15. Ὅτι ὁ Τραιανὸς τοὺς πρεσβευτὰς, τοὺς παρὰ τῶν Βασιλέων ἀφικνουμένους, ἐν τῷ βουλευτικῷ θεάσασθαι ἐποίει. Etsi vetuerat id ante, sua quadam caussa, Augustus: ut in Suetonio leges 44. interdicto tamen non firmo. Sed ait Justinus ecce, in Senatu: et Suet. Dom. 8. *in Equite spectare.* nec errent ultra, qui apud Suet. in Claudio, *in Senatoriis*, tentant reponere. Sed, quod de legatis his ad Neronis tempora Tacitus rettulit, eximium et antiquæ nostræ simplicitatis factum: Tranquillo visum Claudio attribuere 25. Errat, me judice, Tranquillus. Lips.

Degrediunturque] Sic bene e MS. Flor. dedit Pichena. Vett. omnes *digred.* ut alibi. Vid. ad 4, 49. 74. etc. Ern.

Bona æmulatio] Libri aliquot, *æmulatione*: ex quibus junctim tunc scribam, *quasi impetus antiqui et boni æmulatione*: et sane sic fuit. Lips. *Impetus* est repentinus animi ex honesto motus. Ut c. 50. *Sed impetum ejus, multum prius laudata magnitudine*

Romana ambos donavit: *Frisios decedere agris* jussit. Atque A. U.
illis adspernantibus, auxiliaris eques repente inmissus, ne- 812.
cessitatem adtulit, captis cæsisve, qui pervicacius restite- A. C.
rant. Eosdem agros Ansibarii occupavere, validior gens, 59. 55
non modo sua copia, sed adjacentium populorum miseratione: quia pulsi a Chaucis et sedis inopes tutum exsilium orabant. Aderatque iis, clarus per illas gentes et nobis quoque fidus, nomine Boiocalus, *vinctum se rebellione Cherusca, jussu Arminii,* referens, *mox, Tiberio et Germanico Ducibus, stipendia meruisse Quinquaginta annorum obsequio id quoque adjungere, quod gentem suam ditioni nostræ subjiceret. Quotam partem campi jacere, in quam pecora et armenta militum aliquando transmitterentur? Servarent sane receptos gregibus, inter hominum famam; modo ne vastitatem et solitudinem mallent, quam amicos populos. Chamavorum*

animi, attinuere seniores. Antiquum, quod quodammodo excedit modum sæculi, et antiquitati laudatæ par est. *Æmulatio* autem *bona*, ut alibi *prava*. Sic igitur accipe: *quasi* quod esset *impetus antiqui et bona æmulatione* fieret. GRON. *Bona æmulatione* MSS. (Bud. et alii) et edd. vett. ante Rhen. qui dedit *æmulatio*. ERN. Scil. Rhen. finalem *ne* a seq. vocis capite huc putat accessisse librarii oscitantia. Juretus ad Symm. 4, 56. legit *boni æmulatio*. Heins. volebat *bonæ æmulationis*.

Ansibarii] Ed. pr. *Ansivarii*. et infra *Ampsivarii*. In loco Ammiani 22, 10. ex quo Rhen. Ansuarios laudat, putatque eosdem cum his, *Attuarii* hodie leguntur, quæ est gens Francorum. Vid. ibi Lindenbr. et Vales. Male igitur e loco Taciti colligit Rhen. Francos e Chaucis prodisse. Mox ed. pr. *Boiaculus*. MS. Guelf. *Biocalus*. ERN. Bud. *Amsibarii*.

Quinquaginta annorum] Libri vett. *quadraginta*. A clade certe Variana ad hoc ævum, quadraginta sex circiter anni sunt. LIPS. Edd. vett. Guelf. *quinquaginta*: recte, numero rotundo, etsi aliquot anni ad veritatem desint. ERN. Bud. habebat *et quinquaginta annorum obsequio. Id q.* Sic et Puteol. Ante *quinq.* punctum posuit Gruterus. Copulam ante *quinq.* habent et codd. Flor. et Agr. In Bud. 2. m. bene delevit. Heins. volebat *sed*.

Quotam partem campi] Forte, *Quo tantam*, aut, *quo eam*. Vulgatam etiam tolero, et capio. LIPS. *Jacere* dicitur campus, qui non colitur, nullos fructus edit. Aliter *agri jacere* dicuntur ap. Petron. c. 44. nempe, cum non sunt in magno pretio, cum pretia eorum jacent, ut Cicero loquitur pro Rosc. Com. 12. ERN.

Servarent sane receptos] Scriberem, *exceptos* et *famem*. LIPS. Editi, ut est in omnibus scriptis et edd. ante Freinsh. qui de conjectura edidit *receptus* et *famem*: quorum illud quidem commodum sensum habet, non hoc, in hoc quidem loco. *Receptos* int. agros vel campos, ex antecedente. *Agri recepti gregibus*, sunt concessi, dati gregibus alendis. *Recipi* eleganter dicuntur, quæ excipiuntur, reservantur. v. Gron. ad Senecæ Cons. ad Marc. c. 10. atque idem est quod ante c. 54. *sepositus usui militum*. ap. Livium 1, 53. *reliquam captivam pecuniam in ædificationem templi seposuit*. Porro *inter hominum famam*. intellige; si modo campi illi sint inter homines, iis locis, ubi homines sint, habitent: quod clarum est e seq. *modo ne vastitatem et solitudinem mallent. Hominum famam*, sive *famam* pro locis habitatis illa ætas dixit, idque illustrat Gronov. Obs. 1, 4. ubi hunc locum similiter explicat. Freinsh. conjectura tamen recepta in edd. J. Fr. Gronovii, (non ab ipso) Ryckii, et, prima parte, Jac. Gronovii. Mox *sicuti* MS. Flor. ed. pr. ERN. Satis arridet conjectura Bip. quam recepi. sensus: ab hominum nunc viventium memoria. Bud. *receptos gr. inter hom. famam*.

Chamavorum] Pro his *Menapiorum* legendum suspicatur Spener Not. Germ. ant. 4, 3, 30. et loco *Tubantum* ponendum *Sugambrorum* vel *Sugambrum* Cluver. Germ. ant. 3, 12. In tot tantisque populorum mutationibus

A. U. *quondam ea arva, mox Tubantum, et post Usipiorum fuisse.*
812. *Sicuti cœlum Diis, ita terras generi mortalium datas: quæque*
A. C. *vacuæ, eas publicas esse.* Solem deinde respiciens, et cetera
59. sidera vocans, quasi coram interrogabat, *vellentne contueri inane solum? potius mare superfunderent adversus terrarum*
56 *ereptores.* Et commotus his Avitus, *patienda meliorum imperia. Id Diis, quos implorarent, placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret, quid darent, quid adimerent: neque alios judices, quam se ipsos, paterentur.* Hæc in publicum Ansibariis respondit: ipsi Boiocalo, *ob memoriam amicitiæ daturum agros.* quod ille, ut proditionis pretium adspernatus addidit: *deesse nobis terra, in qua vivamus; in qua moriamur, non potest.* atque ita, infensis utrimque animis, discessum. Illi Bructeros, Tencteros, ulteriores etiam nationes, socias bello vocabant. Avitus, scripto ad Curtilium Manciam, superioris exercitus Legatum, *ut Rhenum transgressus, arma a tergo ostenderet*; ipse legiones in agrum Tencterum induxit, *excidium* minitans, *nisi caussam suam disso-*

vix certi quid definiri posse judicat Broterius. Cf. G. 32, 33. Mox *sicuti* cod. Flor. et Bud.

Quæque vacuæ] Suspicor dedisse Tacitum: *quasque vacuas, eas publicas esse:* et hoc exemplum addendum iis, quæ notavimus Obs. 2, 14. GRON. *Sunt* etiam ab ed. pr. abest, ut a Flor. MS. delevit Pichena. copulam addidit Rhenanus. ERN. e Bud. in quo *sint* a 2. m. adjectum.

Solem respiciens] MS. Flor. Bud. Agr. ed. pr. *despiciens:* quod ridicule defendit, in textum receptum, Jac. Gronovius, quasi radios in terram missos a sole adspexerit. *Respiciens* inde a Puteolano omnes. Rhenanus conjiciebat *aspiciens.* At *respicere* pro adspicere etiam 14, 8. Pro *deinde* MS. Guelf. *idem.* ERN. Hill. Rac. 38. conjicit *suspiciens.* sed id jam occuparat Heinsius. Gruterus a glossa putat esse *respiciens* et *vocans.* Utrumque commode abesse posset.

Et commotus his Avitus] Turbata et trunca forsitan. Lego tamen: *Nec commotus his Avitus, patienda m. imperia ait. Dis quos, etc.* LIPS. Mox MS. Guelf. et duo alii ap. Broterium, *qui darent, qui adimerent,* quod sequentibus bene convenit. ERN. Bud. *quid — quid.*

Neque alios judices quam se ipsos paterentur] Nec male deleveris τὸ *se,* ut τὸ *ipsos* referatur ad *Deos.* Libro 15, 24. *quoniam Dii, quamvis potentium populorum arbitri, possessionem Parthis non sine ignominia Romana tradidissent.* Horatius Od. 3, 1, 5. *Regum timendorum in proprios greges; Reges in ipsos imperium est Jovis.* GRON.

Deese nobis terra] Sic primus èdidit Rhen. de conjectura: totidemque verbis est in MS. Agricolæ. Ed. pr. corrupte: *decere nobis terram vivam:* Puteol. *deese nobis terra viva,* quod secutus est Beroald. *terram vivam* etiam MS. Flor. Guelf. unde J. Gron. faciebat *terra in vitam.* Pichena conjicit: *terra vivis:* utrumque bonum, illud melius et elegantius. Sic *habere in sumtum.* Illud autem est corrumpere, non corrigere, quod N. Heinsius ep. ad Græv. t. 4. Coll. Burm. p. 498. vult, atque etiam est in margine ed. Gryph. adscriptum, *terra potest:* quasi non melius e seq. intelligatur. Vide hoc genus loquendi copiose illustratum a Gronovio Obs. 4, 2. p. 26. Adde ad 12, 64. ERN. Bud. a 1. m. *deese nobis terram vivam in q. m. n. p.* Bip. emendationi Rhenani substituunt hanc: *d. n. terram in vitam, in q. m. n. p.* Quippe homine forti et desperato magis dignam sic fore orationem putant. Quod ad ellipsin, similem habes H. 1, 8. *Et pacis artibus, bellis inexpertus.*

Curtilium Manciam] Phlegon. De admir. 27. *Curtilius Mancias Legatus in Germania exercitum duxit Q. Volusio et P. Scipione* coss. LIPS. MS. Guelf. *Ab Avito scriptum ad C. M.* ERN.

ciarent. Igitur absistentibus his, pari metu exterriti Bru- A. U.
cteri, et ceteris quoque aliena pericula defendentibus, sola 812.
Ansibariorum gens retro ad Usipios et Tubantes concessit. A. C. 59.
quorum terris exacti, cum Cattos, dein Cheruscos petissent, errore longo, hospites, egeni, hostes, in alieno, quod juventutis erat, cæduntur: inbellis ætas in prædam divisa est.
57 Eadem æstate, inter Hermunduros Cattosque certatum magno prœlio, dum flumen, gignendo sale fecundum et conterminum, vi trahunt; super libidinem cuncta armis agendi, religione insita, *eos maxime locos propinquare cœlo, precesque mortalium a Deis nusquam propius audiri. inde, indulgentia Numinum, illo in amne illisque silvis salem provenire, non, ut alias apud gentes, eluvie maris arescente unda, sed super ardendis.*

Absistentibus] Ita Rhen. ex Bud. *asistentibus.* prius legebatur *assistentibus.* Cf. 2, 31, 34. H. 3, 74. 4, 32.

Pari metu exterriti Bructeri, et ceteris] Flor. lectio, et ed. pr. Ceteræ (et Bud.) *exterritis Bructeris, et ceteris.* Mox *quoque* abest a MS. Bud. Ern.

Pericula deserentibus] MS. Flor. Bud. Guelf. ed. pr. *defendentibus:* quod interpretatur J. Gron. *a se arcentibus,* vultque servari, cum ipse interea vulgatum teneat. Ac, nisi *aliena pericula defendere* e consuetudine Latine loquentium esset, potius pericula ab aliis propulsare, quam communionem alieni periculi vitare, eam lectionem, propter librorum auctoritatem, reciperem: nunc vulgatam retineo et ipse, dum melius quid reperiatur: quum interea fatear, me nescire, an ducta sit e libro scripto. Eam primus induxit Rhenanus, corrigens lectionem superiorum edd. in quibus erat *deferentibus* (nam sic est in ed. Puteol. Ber. Alc. non *deserentibus,* ut J. Gronovius e Beroaldina laudat) sive vitium operarum in ed. Puteol. fuit, quod sequerentur ceteri, sive ita ille e MS. edidit, quod credo. Etiam infra 14, 33. confunduntur *deferentibus* et *defendentibus.* Id si est, tanto magis libet suspicari, Tacitum dedisse *defugientibus.* Ac fortasse in mente habuit locum Cæsaris B. G. 6, 13. *iis omnes decedunt,* (pro quo noster *absistere*) *aditum eorum sermonemque defugiunt.* Notio *deserendi* est jam in *sola;* quod est *deserta.* Ern. Restitui cum Bip. *defendentibus.* Rhen. hoc non posse stare putabat, nisi legatur *periculo.* Verum æque dicimus *defendere vim, injuriam, bellum* etc. imo Cic. pro Murena 3. *de civium periculis defendendis.*

Dum flumen gignendo sale] Non abhorret certe a fide, ut hoc flumen Sala fuerit? argumento vel nominis ipso. Flumen nobile, mihi carum: domicilii olim caussa. et Andreæ Ellingeri, medici primarii; cujus fides et doctrina, magna mihi, dum vivam. Lips. Mox *libidinem* est a Rhen. superiores omnes *libidine.* Illud tamen verum est. Mox Guelf. *vi, armis.* Ern. Eccard de Orig. Germ. 2, 35. Salam Franconicum hic designari docet, cui adjacet Kissinga, prope quam adhuc sal excoquitur. Cf. Thœldenii halograph. p. 177. De salinis istis iterum certatum tribus sæculis post, quum Burgundii Cattorum, Alamanni Hermundurorum sedes occupassent. Ammian. Marc. 28, 5.

Salem provenire] Jac. Gronov. notat e MS. Flor. *item:* et plane sic est in MS. Guelf. et ed. pr. *Salem* ceteri omnes. Mox idem Guelf. (et Bud.) *arentem.* male. Ern. A Bud. abest *salem.* 2. m. adjecit *item.*

Eluvie maris arescente unda, sed] Muretus *arescente, sed unda.* At ipsa de re Plin. 31, 39. *Galliæ Germaniæque ardentibus lignis aquam salsam infundunt.* Varro R. R. 1, 7. *In Gallia Transalpina intus ad Rhenum, cum exercitum ducerem, aliquot regiones accessi, ubi salem nec fossicium, nec maritimum haberent, sed ex quibusdam lignis combustis, carbonibus salsis pro eo uterentur.* Ubi lego, *intus Rhenum,* particula additicia rejecta. Lips. Isidorus Orig. 16, 2. *nam aquis maris sponte gignitur, spuma in extremis litoribus vel scopulis derelicta, et sole decocta.* Gron. Muretum sequitur Broterius. Ern.

A. U. *tem arborum struem fusa, ex contrariis inter se elementis, igne*
812. *atque aquis concretum.* Sed bellum, Hermunduris prospe-
A. C. rum, Cattis exitio fuit, quia *victores diversam aciem Marti ac*
59. *Mercurio* sacravere, quo voto equi, viri, cuncta vita occidioni dantur. Et minæ quidem hostiles in ipsos vertebant. Sed civitas Juhonum socia nobis, malo inproviso adflicta est. nam ignes, terra editi, villas, arva, vicos passim corripiebant, ferebanturque in ipsa conditæ nuper coloniæ mœnia. neque extingui poterant; non, si imbres caderent, non fluvialibus aquis, aut quo alio humore: donec inopia

Ex contrariis inter se elementis] *Ex* MS. Flor. Guelf. edd. omnes ante Rhenanum, qui (Bud. secutus) delevit. Pichena restituit. Idem MS. Flor. *alimentis:* vitiose. Initia hic et materia, ex qua sal fiat, non alimenta memorantur. *Concreta* scripti et editi olim omnes. *Concretum* est e correctione Lipsii, quam ille tamen non recepit in textum, sed Pichena et seq. Ern.

Cattis exitio fuit] Non dissimulo alucinationem et παρόραμα viri docti nostratis, qui ab hac pugna initia derivat Batavæ genti. Censet enim, victos pulsosque eo prœlio, Cattos devenisse maritimos locos, ubi nunc Batavia est, et originem dedisse inter Belgas nobilissimæ genti. Cæcitatem! Batavi noti celebresque diu ante hanc ævo Neronis pugnam: et Cattorum migratio, de qua Tacitus de Germ. 29. non dubie antiquior. *Batavi*, inquit, *non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus, et seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani Imperii fierent.* Lips. Sic omnes edd. inde a Puteol. ad Pichenam, qui e MS. Flor. dedit *exitiosius.* Ed. pr. *exitiosum.* Melius est *exitio fuit.* præsertim, cum Tacitus variare soleat formam orationis. Ern. Bud. *exitiosum fuit.* sed 2. m. syllabam *sum* erasit.

Cum ita victa occidioni] Placet Danesii conjectura, *cuncta viva.* Lips. MS. Flor. (Bud.) edd. omnes *cuncta victa*, idque defendit Freinsh. ad Flor. 4, 2. et ad h. l. Faernus quoque conjecit *viva.* At J. Fr. Gronovio neutrum placet, sed *victi:* cuncta, quæ victus antea possedit. Ern. Provocat Freinsh. ad Cæs. B. G. 6, 17. et 1. Sam. 15, 3.

In ipsos vertebant] Sic est in MS. Flor. et ed. pr. ut Rhen. conjecerat: idque ut Taciti stilo convenientius rescripsi, cum J. Gronovio. Vulg. (et Bud.) *vertebantur.* Ern.

Civitas Juhonum] De hoc igne nimia mira. Pighius, amicus noster, censebat, *Hujonum* scrib. quoniam in agro cognomine, hodie lapis multus sub terra fossilis, idoneus concipere ignem. Sed ego ambigo, ne ea gens in Germania ipsa alibi fuerit, non in Belgica: et quidam libri, *Vibonum.* Lips. *Vibonum* MS. Fl. (Bud.) Agr. Guelf. Nempe sæpe in libris scriptis *vi* et *iu* permutantur, centies in ed. pr. Taciti, ut jam supra notavi. Nullum igitur hinc argumentum pro corruptela vulgatæ lectionis. Ed. pr. *Jubionum.* Puteol. *Juhonum* et sic ceteri. N. Heinsius conjiciebat *Ubiorum*, quod etiam M. Altingio Not. G. ins. P. 1. p. 83. et Cellario probatur. Ryckius *Æduorum*, intelligitque incendium Lugdunense, de quo etiam 16, 13. quod nescio, an quisquam probaturus sit. Cluverus G. A. 3, 8. in Ducatus Bergensis austrina parte civitatem Juhonum ponit. Grævius ep. ad Heins. t. 4. Coll. B. p. 673. non urbem, sed gentem, Rempublicam intelligit. Ern. Sic et Cluver. l. c. Ita *civitas* et ap. Cæs. B. G. 2. Justin. 41, 5. etc. Apud historicos sæpe *Vibii* pro *Ubiis* ponuntur. Rhen. volebat *Bibonum* et intelligebat tractum, quem vocat, Bibensem, Bebenhusen, Bebelingen. Wustemann. de Hermunduris §. 10. *Tubonum* vel *Tubantorum* legendum præcipit. De Lugd. incendio v. et Sen. ep. 91.

Corripiebant] Ed. pr. *arripiebant*, quod rectum est, et fortasse illi præferendum. etiam 14, 8. *arripere servos*, pro corripere; et sic sæpe Livius. V. Drakenb. ad 3, 13. Ern.

Humore niterentur] Aiunt corruptum hoc verbi: *niterentur:* aut potius Flor. cod. exemplo delendum. Dissentio, et promptum est *niterentur exstinguere*, ordinari. Lips. Ego vero non dubitavi delere verbum, quod etiam (a Bud. et) ab ed. pr. abest, et in quo ceteri MSS. ita variant, ut pla-

remedii, et ira cladis, agrestes quidam eminus saxa jacere, A. U.
dein, residentibus flammis, propius suggressi, ictu fustium, 812.
aliisque verberibus, ut feras absterrebant: postremo te- A. C.
gmina corpori derepta injiciunt, quanto magis profana et 59.
usu polluta, tanto magis oppressura ignes. Eodem anno 58
Ruminalem arborem in comitio, quæ super octingentos et quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus et arescente trunco deminutam, prodigii loco habitum est, donec in novos fetus revivesceret.

num sit, id verbum e margine et a glossa natum esse. Nam MS. Agr. habet *perfunderentur*, Oxon. *uterentur*. Omitti vult etiam Cort. ad Sall. B. C. 3. p. 22. ubi similia exempla. J. Gronovius vocat donum Beroaldi. Immo Puteolani, sive cod. quem ille habuit. Nam est et in Guelf. Verum deleto hoc, consequens erat, ut etiam deleretur alterum *si:* ut vidit Pichena, frustra repugnante J. Gronovio. Atque credo, hoc ipsum *si*, frustra a librariis repetitum, occasionem dedisse inserendi verbi, ad quod referretur. Decepit librarios inscitia consuetudinis Cornelianæ, substantiva periphrastice exprimendi. Sufficiebat *non imbribus*. Ei periphrasi deinde adjungit substantiva nuda. Sic paullo ante c. 56. *quod juventutis erat: imbellis ætas*. Secutus nos est Broterius. ERN. Rhen. servavit *niterentur* et suadebat legere *reniterentur*, quod placebat Vertranio et Danesio. Frustra.

Agrestes quidam] Ed. pr. *agrestis:* mox *resistentibus flammis*. ut in Guelf. Ceteræ omnes (et Bud.) *residentibus*, quod verum. Paullo post correxi *derepta*, pro *direpta*, ut Ryckius e cod. Agr. ERN.

Profana et usu polluta] Adde vocem e prisca editione, *et usu viliori polluta*. Vestes vult sanguinis aut seminis notis sordentes. LIPS. Intelligit ed. Puteol. quam sequuntur Riv. Beroald. Alc. estque et in MS. Guelf. At ed. pr. MS. Bud. (Agr.) omnesque a Rhenano edd. eo verbo carent. recte. quorsum enim addatur? ERN.

Ruminalem arborem] De ficu Ruminali et Navia digna lectu Scaliger in Festum, illustrissimum ingenium nostri ævi. LIPS. Adde Salmas. ad Solin. p. 800. ERN. Plin. 15, 20.

Quæ super octingentos et quadraginta ante annos] Damno numerum. Nam hic annus u. c. 811. Romulus autem Remusque XVIII. dumtaxat annos nati, cum facta Roma est. Non ergo plures ab infantia eorum ad hunc diem annis triginta. Facilis putatio ex Dionysio, Livio, et aliis. Ita ergo hic emendem, et *octingentos et triginta* scribam, ne Tacitus manifesta sit in culpa. LIPS. *Oct. et trig*. probat Acidalius et putat *et quadraginta* ortum ex *atque triginta*, quod recepere Bip. In Bud. post *ante* legitur *per*, unde Rhen. conjicit *perennans*.

Revivesceret] Ita e Flor. Pichena edidit: cui consentit Guelf. *Reviviscceret* superiores omnes. Sed ante idem liber Guelf. non habet *habitum est*. ERN.

C. CORNELII TACITI

AB

EXCESSU DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIBER QUARTUS DECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. *Nero matris cædem agitat, incitante Poppæa.* 2. *Agrippina incestum tentat; an Nero potius?* 3. *De cæde matris deliberat Nero. Aniceti consilium.* 4. *Agrippinæ cum Nerone, scelus celante, convivium.* 5. *Mari mergenda ægre evadit. Acerronia remis conficitur.* 6. *Agrippina dissimulat.* 7. *Nero trepidat, cum Burro et Seneca deliberat. Anicetus cædem Agrippinæ suscipit et* 8. *perpetrat.* 9. *Agrippinæ viles exsequiæ.* 10. *Nero conscientia vecors adulatione erigitur.* 11. *Litteris ad Senatum matrem etiam post fata criminatur.* 12. *Senatus turpiter adulatur. Thrasea Pætus virum se præstat. Nero mite ingenium adfectat.*

13. *Urbem intrat anxius; blanditias expertus, in omnes libidines se effundit;* 14. *citharœdus, auriga, nobiles ad paria flagitia adigit.* 15. *Juvenalia. Nero in scena. Augustanos conscribit.* 16. *carmina pangit. philosophos ridet.* 17. *Cædes inter Nucerinos et Pompeianos occasione gladiatorii spectaculi.* 18. *Blæsus damnatur. Strabo absolvitur.* 19. *Mors Domitii Afri, M. Servilii.* 20. *Quinquennale ludicrum Romæ. Varia de ludis fama, eorum vituperia,* 21. *laudes et excusatio. Nero eloquentiæ victor.* 22. *Portentis commotus Rubellium Plautum in exilium agit.*

23. *Corbulo Mardorum latrocinia punit.* 24. *percussorem vitat, Tigranocerta capit.* 25. *Hyrcanos in societatem recipit.* 26. *Tiridatem arcet ab Armenia, quam tradit Tigrani, Syriæ præficitur.* 27. *Puteoli, Tarentum, Antium, coloniæ.* 28. *Comitia Prætoria. Vibius damnatus.*

29. *Clades Britannica. Suetonius Monam invadit,* 30. *incolas domat.* 31. *Iceni, Boadicea duce, et Trinobantes rebellant,* 32. *Camalodunum expugnant; Petilium Cerialem cum nona legione fundunt;* 33. *a Suetonio desertum Londinium et Verulamium spoliant, cives et socios Romanorum trucidant.* 34—37. *Boadiceam ferocientem superat Suetonius. Ipsa veneno vitam finit. Pœnius Postumus gladio se transfigit.* 38. *Classicianus, Suetonio discors, res turbat.* 39. *Missus Polycletus hostibus est irrisui. Suetonio Petronius Turpilianus successor datus.*

40. 41. *Ob falsum testamentum damnati.* 42. *Pedanius Se-*

cundus, urbis Præfectus, a servis cæsus. 43. 44. *In eos lege agi vult C. Cassius, et* 45. *contra aliorum sententiam obtinet. Populum supplicio renitentem Nero increpat.* 46. *Tarquitius Priscus damnatus. Census per Gallias actus.* 47. *Mors et laus Memmii Reguli.* 48. *Antistius majestatis delatus,* 49. *a Thrasea defensus.* 50. *Fabricius Veiento, calumniæ reus, Italia pellitur.*

51. *Burri mors, laus, successores Rufus et Tigellinus.* 52—54. *Criminationes discutere parat Seneca apud Cæsarem et commeatum petit, qui* 55. 56. *subdole respondet.* 57—59. *Rufum imminuit Tigellinus, Plauto et Sullæ periculum struit, eos opprimit.*

60. *Nero, ducta Poppæa, Octaviam amolitur. tam hanc revocat,* 61. *lætante Populo. Poppææ mox honos repositus. ejus doli.* 62—64. *Aniceti scelere Octavia in exilium pulsa necatur in Pandateria. Temporum infelicitas.* 65. *Libertos Doryphorum et Pallantem veneno tollit Nero. Seneca incusatur. Piso Neroni insidiatur. Gesta hæc annis circiter quattuor.*

C. VIPSTANO. C. FONTEIO CAPITONE. IMP. NERONE. IV. COSSO CORNELIO LENTULO. C. CÆSONIO PÆTO. C. PETRONIO TURPILIANO. P. MARIO CELSO. L. ASINIO GALLO COSS.

A. U. 813. A. C. 60.

1 CAIO Vipstano, Fonteio coss. diu meditatum scelus non ultra Nero distulit, vetustate imperii coalita audacia, et flagrantior in dies amore Poppææ, quæ sibi matrimonium et discidium Octaviæ, incolumi Agrippina, haud sperans, crebris criminationibus, aliquando per facetias incusare Principem, et *pupillum* vocare, *qui jussis alienis obnoxius, non modo Imperii, sed libertatis etiam indigeret. Cur enim differri nuptias suas? formam scilicet displicere et triumphales avos? an fecunditatem et verum animum? timeri, ne uxor*

Caio Vipsanio] Vulgati *Vipsano*. Viri docti Vipstanum eum nominant. Vide Fulvii nummos, in Apronia gente. LIPS. Quum alteri consulum nullum prænomen addatur; id autem fuerit non aliud, quam quod præscribebat collega, suspicor Tacitum scripsisse: *Caiis*. De gente *Vipstana* vide Ruperti et Reinesii alternas Epist. 48 et 53. GRON. *Vipstano* verum esse, clarum est ex inscriptionibus ab Ursino, Sponio et Grutero editis, quas vide ap. Ryckium et J. Gron. ad h. l. unde sic cum illis ipsis edi curavimus. Edd. vett. omnes *Vipsano*: recentiores ut Lipsii, J. Fr. Gron. *Vipsanio*. ERN. Flor. et Bud. *Vipsano*. Cf. et ad H. 1, 76.

Flagrantior in dies amore] Intelligi potest *flagrantior*. Melius tamen *flagrantiore*: quod Tacitum dedisse credo. Nam *et* conjungit hæc cum *audacia coalita*, non cum nomine Neronis. De vi verbi *coalescere* supra dictum. ERN. *Flagrantiore* volebat Acidalius. Sic edidere Bipontini. Præfero vulgatum.

Dissidium Octaviæ] Ut sæpe supra, *discidium*. GRON. Sic MS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. ed. pr. Ryckii, Gron. fil. *dissidium* Puteol. cum seqq. ERN.

Incusaret—vocaret] Sic MSS. Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. veteres omnes: idque verum. At recentiores, Lipsius et seqq. infinitivos dedere, nescio an e libris. ERN. Utut sit, hæc lectio planior est, quam sequor cum Pich. et Bip. Vertranius putabat transponenda esse verba sic: *cr. cr. incus. P. et per fac. p. voc.*

Triumphales avos] Unum tantum, Poppæum Sabinum. LIPS. Parentes, liberos, filios, et similia in plurali dici, etiam cum de uno sermo est, hodie notissimum. ERN. De Poppæo 4, 39.

An fecunditatem et verum animum] Distinguo, *verum animum? timeri, ne uxor*. Nam quod Erricus Memmius

saltem injurias Patrum, iram populi adversus superbiam avaritiamque matris, aperiat. Quod si nurum Agrippina non nisi filio infestam ferre posset, reddatur ipsa Othonis conjugio. ituram quoquo terrarum, ubi audiret potius contumelias Imperatoris, quam viseret, periculis ejus inmixta. Hæc atque talia, lacrimis et arte adulteræ penetrantia, nemo prohibebat; cupientibus cunctis infringi matris potentiam, et credente nullo, usque ad cædem ejus duratura filii odia. Tradit Clu- 2
vius, *Agrippinam ardore retinendæ potentiæ eo usque provectam, ut medio diei, cum id temporis Nero per vinum et epulas incalesceret, offerret se sæpius temulento comptam et incesto paratam. Jamque, lasciva oscula et prænuntias flagitii blanditias adnotantibus proximis, Senecam contra muliebres inlecebras subsidium a femina petivisse: inmissamque Acten, libertam, quæ, simul suo periculo, et infamia Neronis anxia, deferret, pervulgatum esse incestum, gloriante matre, nec toleraturos milites profani Principis imperium.* Fabius Rusticus, *non Agrippinæ, sed Neroni cupitum id,* memorat, *ejusdemque libertæ astu disjectum.* Sed, quæ Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere, et fama huc inclinat: seu concepit animo tantum inmanitatis Agrippina, seu credibilior novæ libidinis meditatio in ea visa est, quæ, puellaribus annis, stuprum cum Lepido, spe dominatio

A. U. 813.
A. C. 60.

legebat, *uterum annuum,* acutius quam verius censeo. Lips. Sic emendabat etiam Faernus, placebatque Ursino, Freinshemio et aliis. Sed *verum animum* probo, h. e. verum amorem. nam opponitur mox *infesta Neroni uxor. Verus animus* est etiam Hist. 1, 15. unde jam laudavit Ryckius. Heinsius ap. Græv. t. 4. Coll. epp. B. p. 672. corrigit: *a. f. et v. a. timeri? neve uxor* etc. quod mire placet Grævio, hoc sensu: neve, si uxor ejus sim, si non alia, at injurias, quibus a patribus afficitur, et odium populi in Agrippinam aperiam. Ern. H. 1, 15. legitur *verus adfectus,* i. e. dissimulare nescius.

Posset, reddatur] Acidalius vel *possit,* vel *redderetur* legendum censet. Probo posterius propter sequentia. Ern.

Othonis conjugio] Vide 13, 45, 46.

Ardore ret. A. p.] Sic scr. et edd. præter Corbei. qui habet *Agripp. a. r. p.* quod melius recte judicat Broterius. nam vulgata structura durior est. Ern. Omnino restituenda Tacito proba lectio.

Medio, diei, cum id temporis] Romani ergo epulabantur die medio? Non vulgo quidem: non item viri sobrii, sobrii, sicci. Sed describit Tacitus Neronis convivium adolescentis madidi, vere tempestivum. De quo, itemque de intempestivo, vide utiliter notata in Excurs. A. Lips. Mox edd. ante Rhen. male *lascivia.* Copula, quam e MS. Flor. addidit Pichena, est etiam in ed. pr. Sed iidem libri et MSS. Agr. Guelf. *flagitiis,* ut et ceteræ edd. ante Rhen. Post *proximis* colon posui, ut est in edd. ante Rhen. Ern. In edit. Beroaldi per errorem legitur *lascivia.* Puteol. jam habet *lasciva.* Sic et cod. Bud. Colon ab Ernestio positum sustuli, ne causa ab effectu sejungatur.

Suo periculo etc.] Heinsius malebat: *sui periculi et infamiæ N. anxia.* ut 4, 12 et 59. Habet tamen et Liv. 25, 40. *anxius gloria.* et Suet. Ner. 36. *anxius ea re.*

Seu concepit] Sic edidi e MS. Flor. et ed. pr. Nam mox etiam *visa est.* Atque sic etiam placebat J. Gronovio. Vulgo *conceperit.* Ern. Ita Bud.

Stuprum cum Lepido] Qui Lepidus antea maritus Drusillæ, convictus postea conjurationis in Caium. Suet. Cal. 24. Dio 59, 11 et 22. itemque stupri in Agrippinam et Livillam. Rutilius in Itin. de Lepidis v. 293.

A. U. 813. A. C. 60. nis, admiserat, pari cupidine usque ad libita Pallantis provoluta, et exercita ad omne flagitium patrui nuptiis. Igitur Nero vitare secretos ejus congressus: absce-
3 dentem in hortos, aut Tusculanum, vel Antiatem in agrum, laudare, *quod otium lacesseret*. Postremo, ubicumque haberetur, prægravem ratus, interficere constituit: hactenus consultans, *veneno, an ferro, vel qua alia vi.* placuitque primo venenum. Sed inter epulas Principis si daretur, referri ad casum non poterat, tali jam Britannici exitio; et ministros tentare arduum videbatur mulieris, usu scelerum adversus insidias intentæ: atque ipsa præsumendo remedia munierat corpus. Ferrum et cædes quonam modo occultaretur, nemo reperiebat; et, ne quis, illi tanto facinori delectus, jussa sperneret, metuebat. Obtulit ingenium Anicetus libertus, classi apud Misenum Præfectus, et pueritiæ Neronis educator, ac mutuis odiis Agrippinæ invisus. Ergo, *navem posse componi*, docet, *cujus pars, ipso in mari per artem soluta, effunderet ignaram. nihil tam capax fortuitorum, quam mare, et, si naufragio intercepta sit, quem adeo iniquum, ut sceleri adsignet, quod venti et fluctus deliquerint? Additurum Principem defunctæ templum et aras et cetera*

Haud procul hinc petitur signatus ab Hercule portus: Vergentem sequitur mollior aura diem. Inter castrorum vestigia sermo retexit Sardoam, Lepido præcipitante, fugam. Litore namque Cosæ cognatos depulit hostes, Virtutem Catuli Roma secuta ducis. Ille tamen Lepidus pejor, civilibus armis Qui gessit sociis impia bella tribus. . . . Insidias paci moliri tertius ausus, Tristibus excepit congrua fata reis. Quartus Cæsareo dum vult irrepere regno, Incesti pœnam solvit adulterii? Primum mali fati Lepidum intellegit, qui cum Q. Catulo dissensit post obitum Sullæ, et in Sardinia periit. Alterum, qui triumvir. Tertium, qui conspiravit in Augustum, illius filium. Quartum, de quo hic. Sed cur poeta ait, incestum ejus adulterium cum Agrippina et Livia? ideo, quia maritus Drusillæ Lepidus: et cum Agrippina etiam sanguine junctus. Credo enim, hunc Lepidum natum ex Æmilio Paullo et Julia, nepte Augusti. At Julia soror Agrippinæ, quæ mater Caii et sororum. Hinc clarum, cur Caius successorem illum Imperii destinaverit, et quinquennio maturius, quam per leges Magistratum capere voluerit: quod Dio tradidit 59, 22. Erat enim sanguinis gentisque Augustæ, pari cum Caligula gradu. Præter rem hæc dixi, ad Suetonii historiæque lucem. LIPS. Is Lepidus filius fuit M'. Lepidi, qui Consul cum Statilio Tauro a. 764.

Exercita] Pricæus ad Apul. Met. 9. p. 563. vult exercitata, sed non necesse. Sic enim et 4, 11. H. 4, 4. etc.

Otium lacesseret] i. e. capesseret, uti inciperet. ERN. Heinsius conjiciebat *capesseret*.

Prægravem] Bud. *prægrave*.

Placuitq. pr. venenum] Paullo aliter Suet. 34.

Metuebat] Acidalius malebat *metuebant* aut *metuebatur*, vel ante etiam *non reperiebat*. Sed non necesse est, ut Tacitum eodem modo omnia enunciasse putemus. Mox MS. Fl. (Agr.) et ed. pr. *classi*. Ceteræ edd. (et c. Bud.) *classis*, utroque modo loquitur Tacitus. ERN.

Navem — docet] Suet. Ner. 34. ipsum Neronem commentum esse tradit. Dio 61, 12, 13. etiam occasionem inventi tradit. Paullo post MS. Flor. (Bud.) Guelf. Hard. Bodl. *pietati:* quod etiam habet Puteol. et vett. omnes præter princ. Recentiores *pietatis* præter J. Gronov. quod et in MSS. reperit Broterius (et in Agr. Ryckius.) *Pietati* exquisitius est. ERN. Genit. tamen etiam sic 3, 7 et 9.

Templum et aras etc.] Respice 1, 11.

ostentandæ pietati. Placuit sollertia, tempore etiam juta, A. U.
quando Quinquatruum festos dies apud Bajas frequentabat. 813.
Illuc matrem elicit, *ferendas parentum iracundias et placan-* A. C. 60.
dum animum, dictitans, quo rumorem reconciliationis effi- 4
ceret, acciperetque Agrippina, facili feminarum credulitate ad gaudia. Venientem dehinc, obvius in litora, (nam Antio adventabat) excipit manu et complexu, ducitque Baulos. Id villæ nomen est, quæ, promontorium Misenum inter et Bajanum lacum, flexo mari adluitur. Stabat inter alias navis ornatior, tamquam id quoque honori matris daretur: quippe sueverat triremi, et classiariorum remigio vehi. ac tum invitata ad epulas erat, ut occultando facinori

Tempore etiam juta] Ita libri manuss. Lips. Sic et Guelf. et ed. pr. quamquam inversa prima syllaba, ut alias. Add. ad 3, 35. Ceteri ante Lipsium (et c. Bud.) *adjuta.* Et sic laudat Victorius ad Cicer. ep. ad Div. 2, 12. Ern. Lactant. opif. d. 10. *juta offensione dentium.*

Quinquatruum festos dies] Sueton. 34. solemnia Quinquatruum vocat. Horatius item Quinquatrus festas. Caussa, quia ii dies Minervæ, læti pueris, virisque. De pueris, Horatius Ep. 2, 2, 197. — *puer et festis Quinquatribus olim, exiguo gratoque fruaris tempore raptim.* Et Symmachus 5, 85. *Nempe Minervæ tibi sollenne de scholis notum est; ut fere memores sumus etiam procedente ætate puerilium feriarum. Ad eum diem convivium tibi paramus.* Feriæ ergo pueris: at viris etiam ludi et spectacula gladiatorum. Ovidius, de quinque bis diebus Fast. 3, 811. *Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro. Caussa, quod est illa nata Minerva die. Altera, tresque super rasa celebrantur arena, Ensibus exsertis bellica læta Dea est.* Hinc disce, secundum Quinquatruum diem natalem ejusce poetæ fuisse. De Tristib. 4, 11. *Lucifer amborum natalibus adfuit idem: Una celebrata est per duo liba dies. Hæc est armiferæ de festis quinque Minervæ, Quæ fieri pugna prima cruenta solet.* Natus ergo sexto post Martias Idus. Sed et moris, ut ii dies jucunde hilariterque traducerentur. Augustus ad Tiberium ap. Suet. Aug. 71. *Nos, mi Tiberi, Quinquatrus satis jucunde egimus. Lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus.* Lips.

Acciperetque Agrippina] Assentior Pichenæ, *deciperetque* (ex ingenio) scribenti: nisi placet, *alliceretque.* Lips. Edd. vett. omnes (et c. Bud.) præter pr. *acc. Agrippinam — venientem.* Lectio, quæ inde a Berneccero editur, est e correctione Freinshemii, quam ille cum seqq. editoribus recepit, eademque placebat Acidalio (et Ryckio.) Ea confirmatur ed. pr. in qua est *Agrippina:* sed interpunctio post *venientem:* ut fortasse casu irrepserit nominativus. De interpunctione Fr. non dubitem. De cetera lectione, Nerius in Analect. 1, 10. defendit vulgatam, et interpretatur *deciperet*, ut Pichena corrigebat: usus auctore Nonio: qui 4, 15. locum e Lucilio profert: *sic veteratorem illum vetulum lupum Annibalem acceptum*, ubi *accipere* interpretatur *decipere.* Sed, ut in illo loco sic possis intelligere, *accipere* per se, et in Taciti contextu id significare, non credo. *Rumorem accipere* nil aliud significare potest, quam *audire. Deciperet* vel *alliceretque* legendum puto, propter sequentia. Ern. *Accipere* audire est cum adsensu et voluptate, ut *accipere omen* ap. Cic. de divin. 1, 46.

Ducitque Baulos] Antea Hortensii villa: tunc in Principum bonis. De ea non ineleganter Symmachus, ejus possessor Ep. 1, 1. *Huc deus Alcides stabulanda armenta coegit, Eruta Geryonis de Lare tergemini. Inde recens ætas corrupta Boaulia Baulos Nuncupat, occulto nominis indicio. Ab Divo, ad proceres dominos fortuna cucurrit, Fama loci obscuros ne pateretur heros. Hanc celebravit, opum felix Hortensius, aulam; Contra Arpinatem qui stetit eloquio.* Fuit etiam Antoniæ Drusi, uti e Plinio disces 9, 55 (81.) Lips. Paullo post in ed. pr. ut in MS. Flor. (et Bud.) *matri:* unde colligit J. Gron. *id quoque honoris matri daretur:* quod non displicet. Etiam in Guelf. littera *s* erasa est. Ern.

A. U. 813. A. C. 60. nox adhiberetur. Satis constitit, exstitisse proditorem, et Agrippinam, auditis insidiis, an crederet ambiguam, gestamine sellæ Bajas pervectam. Ibi blandimentum sublevavit metum: comiter excepta superque ipsum conlocata. Nam pluribus sermonibus, modo familiaritate juvenili Nero et rursus adductus, quasi seria consociaret, tracto in longum convictu, prosequitur abeuntem, artius oculis et pectori hærens, sive explenda simulatione, seu perituræ matris supremus adspectus, quamvis ferum animum retinebat. Noctem sideribus inlustrem et placido mari quietam, quasi convincendum ad scelus, Dii præbuere. Nec multum erat progressa navis, duobus e numero familiarium Agrippinam comitantibus: ex quis Crepereius Gallus haud procul gubernaculis adstabat, Acerronia, super pedes cubitantis reclinis, *pœnitentiam filii, et reciperatam matris gratiam*, per gaudium memorabat: cum, dato signo, ruere tectum loci, multo plumbo grave: pressusque Crepereius et statim exanimatus est. Agrippina et Acerronia eminentibus lecti parietibus, ac forte validioribus, quam ut oneri cede-

Proditorem] Bud. *proditionem.*

Gestamine sellæ] Priscis libris abest vox *sellæ*. Atque ita sane locutus 11, 33. *In eodem gestamine sedem poscit sumitque*. De gestatoria sella, in Electis 1, 19. Libri iidem *Baulos*, non *Bajas*. Male. ex Sueton. 34. Nam Dio hæc parum clare 61, 13. et olim mihi imposuit. Lips. *Sellæ* omnes editi, et MSS. Flor. (Bud.) Agr. *Baulos* iidem MSS. Guelf. et. ed. pr. quod recte repudiant viri docti. Nam a Baulis sella pervecta est Bajas. Ern.

Blandimentum sublevavit metum, comiter excepta] Suspicabar: *Ibi blandimenta sublevarunt metum comiter exceptæ, superque ipsum collocatæ*. Gron.

Superque ipsum collocata] Ergo is locus in convivio honestior: quotiens duo accumberent. idque recte, (dissentiant licet) scio monuisse olim. Non refellit me alter Taciti locus 3, 14. *In convivio Germanici cum super eum Piso discumberet, infectos cibos manibus ejus arguentes*. Scito enim tres discubuisse, mediumque inter eos Germanicum. Lips.

Et rursus adductus] Id est, severus, compositus, gravis. In Historiis 3, 7. super hac voce. Lips.

Artius oculis et pectori hærens, sive explenda simulatione] Sic accipio; cum surrexisset Agrippina, et abitum pararet, prosequutus est eam ac deduxit comes ad littus, in ipso autem digressu oculos et ubera ejus dissuaviatus est, ultra modum veræ affectionis. Suetonius. *atque in digressu papillas quoque exosculatus*. Gron. Recte hæc. Ceterum frustra tentant statim viri docti (Pich. Lips. etc.) *explendæ simulationi*: nam etiam ablativos hoc sensu recte et exquisite dici, supra demonstratum est. Vide ad 3, 19. Ern.

Ex quis] Sic MSS. Flor. Agr. ed. pr. quod cum Ryckio et J. Gron. secutus sum. Ceteræ edd. (et c. Bud.) *quibus*. *Acerronia* ed. pr. et sic nomen hoc in optimis libris apud Suet. Tib. 73. et inscriptionibus antiquis scribitur. (ap. Muret. p. 1621. vulgo *Aceronia*.) Mox ed. pr. ut MS. (Bud.) Agr. Guelf. *recuperatam*. Heinsius autem volebat legi *matri*. Ern. Sic et Faern. Ursinus.

Tectum loci] Est *camara* Suetonii 34. lacunar diætæ in puppi. *Locus* de eo, ubi quis deversatur, deversorio, hospitio. V. Græv. ad Cic. ep. ad Div. 16, 21. Mox *est* MSS. Flor. Agr. edd. pr. Puteol. vett. omnes J. Gron. Pichena factum conjiciebat ex *at*. *Pressus* autem est pro oppressus, ut Hist. 4, 2. Ern. Tò *est* non habet Bud.

Eminentibus tecti parietibus, ac forte validioribus, quamvis oneri cederent] Video esse, qui legant, *quam ut oneri*. haud ab re. At mihi etiam vox *parietibus*, non firma: et quid si *arictibus?* Sane in Cæsare 4, 17. 13, 9. ubi pon-

rent, protectæ sunt. nec dissolutio navigii sequebatur, turbatis omnibus, et, quod plerique ignari, etiam conscios impediebant. Visum dehinc remigibus, *unum in latus incli-* A. U. 813. A. C. 60.

tem in Rheno struit. *sublicæ obliquæ pro ariete adiguntur.* Et videntur fabri metaphora sic appellasse ligna sustentantia, et modice inclinata instar arietis subsilientis, aut capræ: unde et *capreoli* vulgo. Lips. Recte hæsit Lipsius in *tecti parietibus;* qui intelligi non possunt, quicquid J. Gronovius obloquitur, etiamsi non planum tectum sumas, sed arcuatum fingas: eratque docendum, ab ullo uspiam tabulas lacunaris vel camaræ parietes dici. At etiam inepte tectum concavum fecissent, et contra consilium. Nam, quod dicit parietibus niti undiquaque tectum, id falsum est primo in lacunari, quod suspenditur potius; deinde, si nititur parietibus, cubiculi illi vel diætæ sunt, non tecti. Quod dicit, partem tantum tecti delapsam: fingit, non docet. Nam dicitur *ruisse tectum,* non *pars tecti:* et machinamentum haud dubie fuit, per quod suspensum arte tectum repente delaberetur: moles plumbi addita, non ut rueret tectum, sed ut magna vi rueret, elideretque subjectos. Si porro pars tecti non delabitur, atque ita in vacuo Agrippina, non potest dici *protecta* esse: quod verbum clare docet, aliquid obstitisse, quare tectum, quamvis magna mole ruens, tamen ipsam cum Acerronia non opprimeret. Tum velim scire, quomodo pars tecti non delapsa *eminentes parietes* dici possit. His et aliis moveor, ut lectionem cod. Agric. *lecti parietibus* certissimam putem, et cum Ryckio in textum inferre non dubitaverim, cum eandem editio prima exhibeat; unde apparet, eam etiam in alio bono et antiquo codice fuisse. (omnino sic in Bud.) Broterius etiam in Vaticanis duobus et Regio reperit. Corruptio orta est e vicinia verbi *tectum.* Quia parietes lecti erant eminentiores, h. e. qui extarent altius, ut arcerent, quæ illaberentur, et validiores, ut onere ruentis tecti non confringerentur, illæsa in lecto mansit Agrippina cum Acerronia. Memini me audire ac legere, sic infantes in cunis vivos et salvos, collapsis tectis, mansisse. Tum tota forma orationis docet legendum esse *quam ut.* Sic 13, 22. *validiore apud libidines Principis Paride, quam ut pœna afficeretur:* idque cum Pichena, aliisque recepi. MSS. Flor. (Bud.) edd. vett. omnes *quamvis,* usque ad Pichenam, (qui emendavit ex ingenio.) Sic placebat etiam Groslotio, Acidalio. Ern. Mirum videri potest, Rhenanum ad lectionem Budensis sui codicis non attendisse, qui clare id *lecti* habet. In eodem Bud. *ac* ante *forte* omissum est; commode potest abesse.

Nec dissolutio n. sequebatur] i. e. procedebat, succedebat. Mox *etiam,* quod e Flor. (ac Ven.) addit Pichena, est etiam in Guelf. ed. pr. omnibusque vett. Casu excidisse puto. Ern. In Bud. tamen non legitur.

Visum dehinc] Imo, *jussum,* ut libri aliquot (ut Ven.) a navarchis et fraudis auctoribus vel actoribus. Sane remiges id a se non excogitarunt: et additur, nec jussos omnes statim consensisse. Lips. Non possum hic sequi Lipsium. Si *jussum* fuisset, facilis consensus: quod alii non consentiunt, alii contra nituntur, planum facit, consilium id paucorum fuisse, ut bene monuit jam Freinsh. Quare cum *visum* libris firmetur, MSS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. Edd. pr. Rhen. et seqq. id secutus sum cum Ryckio et J. Gronovio. *Jussum* edidere Puteol. Riv. Ber. Alc. Pichena, J. F. Gron. Ern.

Unum in latus] Heins. Misc. Obs. t. 9. p. 385. notat in MS. Agr. non esse *unum.* Contra Guelf. addit ab initio *ratem.* Vereor, ne hic aliquid corruptelæ sit. Post idem in margine *demere* pro *dedere.* An fuit: *et alii contra nitentes ademere facultatem celerioris in mare jactus.* Certe *jactus* est remigum, non Agrippinæ. Mox Pichena in MS. Fl. ait esse *imprudentia:* idque plane sic est in ed. pr. (et sic a 1. m. in Bud.) Credo, natum e terminatione vocis præcedentis: non enim εὔφωνον. Eadem ed. et Guelf. non habent copulam *et* ante *ut.* MS. Flor. autem (et Bud.) *utque.* quod multo mollius: unde recepi. *Fors* iidem libri (cum Bud.). Ceteræ edd. ante Pich. male *sors,* ut Guelf. *Fors offert* aliquoties Terentius (ut Hec. 3, 3, 26. Ph. 1, 2, 88.) *quæ fors obtulit arma* etiam Virgilius, ni fallor. V. Gronov. ad Liv. 1, 9. Guelf. *quæque sors.* Ern. Respicit ad Virg. Æn. 7, 554. *Quæ fors prima dedit, sanguis novus imbuit arma.*

A. U. 813. A. C. 60. *nare, atque ita navem submergere.* Sed neque ipsis promptus in rem subitam consensus, et alii, contra nitentes, dedere facultatem lenioris in mare jactus. Verum Acerronia inprudens, dum, *se Agrippinam esse, utque subveniretur matri Principis,* clamitat, contis et remis, et, quæ fors obtulerat, navalibus telis conficitur. Agrippina silens, eoque minus agnita, unum tamen vulnus humero excepit. Nando, deinde occursu lenunculorum, Lucrinum in lacum vecta, vil-

6 læ suæ infertur. Illic reputans, ideo se fallacibus litteris accitam, et honore præcipuo habitam: quodque litus juxta, non ventis acta, non saxis inpulsa navis, summa sui parte, veluti terrestre machinamentum, concidisset: observans etiam Acerroniæ necem; simul suum vulnus adspiciens: solum insidiarum remedium esse, si non intelligerentur: misit libertum Agerinum, qui nuntiaret filio, *benignitate Deum, et fortuna ejus, evasisse gravem casum: orare, ut quamvis periculo matris exterritus, visendi curam differret: sibi ad præsens quiete opus.* Atque interim, securitate simulata, medicamina vulneri, et fomenta corpori adhibet: *testamentum Acerroniæ requiri, bonaque obsignari* jubet. id tantum

Occursu lenunculorum] Hæc est vera lectio, quæ extat MS. Flor. (Bud. a. 1. m.) Guelf. edd. pr. ceterisque ante Rhen. qui induxit *lembunculorum*: quod libros obtinuit usque ad Ryckium. Etiam apud alios in hac voce turbatum, ut ap. Gell. 10, 25. ubi MS. Schefferi *remunculus* (v. de Mil. nav. 2, 2.) ut etiam h. l. habet MS. Agr. quod non displicet Ryckio: qui tamen temere e Scheffero id Manuscriptis ap. Gellium tribuit. v. Gronov. ad Gell. l. c. Item ap. Cæs. B. C. 2, 43. ubi MS. Ciaccon. *lembunc.* ap. Valer. M. 1, 5. ext. 1. ubi v. Periz. et Torren. ap. Sallust. fr. Hist. 2. ubi etiam Cortius edidit *renunculo.* ERN. Cf. Nonius 13, 8. Ammian. 14, 2. item lapides ap. Grut. p. 398, 7. et p. 1077.

Vecta v. s. infertur] Sic e MS. Fl. bene dedit Pichena. Consentit ed. pr. Ceteræ inde a Puteol. *vectam inferunt,* ut est in Guelf. ERN. et Bud.

Illic reputans etc.] Coacervatio rerum Agrippinæ, factum cogitanti, oblatarum, inpeditiorem orationem facit. Ut nunc editur, inde ab Rhenano, antecedens est ab *illic* ad *intelligerentur*: consequens a *misit.* Sed MS. Guelf. Flor. (Bud.) ed. pr. Puteol. cum sequacibus, *misitque.* Unde suspicabatur J. Gronovius, totum illud superius conjungendum esse cum *infertur.* Sane etiam Puteol. (et Bud.) initium novæ sententiæ facit *Misitque:* sed in istis primis edd. interpunctioni non multum tribuendum, ut sciunt, qui eas tractarunt: et *illic reputans* etc. formam habet novæ sententiæ. Verumtamen, si τὸ *que* genuinum est, aliter esse non potest. Sed profecto durum. Nam secundum Latinitatem bonam deberet esse: *illata reputavit* etc. Ceterum et hoc, et quod vulgatur, melius est, quam cum Ryckio e MS. Agr. post *remedium esse* inserere *putavit,* quod recte improbat etiam J. Gronovius. Frigidum sane est *reputans putavit:* et pendet illa propositio ab *reputans,* quomodocunque de ceteris statuatur. ERN. Bip. reponunt *misitque,* verum sic illud *Illic reputans,* a quo periodum ordiuntur, non habet, quo referatur. Legunt etiam *intelligeretur.* Sub *intelligerentur* Acid. et Heins. subaudiebant *rata.* Ego ad *insidias* referri puto. Sensus: si fingeret, insidias non intelligi.

Id tantum non] *Non* abest ab MS. Reg. et ed. pr. Guelf. *id tamen per simul.* Turbare solent librarii in hac formula. V. Drak. ad Liv. 4, 2. Hoc loco accipiunt pro tantummodo non: id unum non per simulationem fecit. Sed quæ hic simulatio et causa simulandi esse potuerit, non intelligo, ut id addi necesse fuerit. Mox ante Rhen. edd. omnes *addito,* male. ERN. *Non* abesse a quibusdam MSS. non spernendum

non per simulationem. At Neroni nuntios patrati facinoris A. U.
opperienti, adfertur, *evasisse ictu levi sauciam, et hactenus* 813.
adito discrimine, ne auctor dubitaretur. Tum pavore exani- A. C. 60.
mis, et, *jam jamque adfore*, obtestans, *vindictæ properam, sive* 7
servitia armaret, vel militem accenderet, sive ad Senatum et Populum pervaderet, naufragium et vulnus et interfectos amicos objiciendo. quod contra subsidium sibi? nisi quid Burrus et Seneca reperirent. quos statim acciverat, incertum an et ante gnaros. Igitur longum utriusque silentium, ne irriti dissuaderent, an eo descensum credebant, ut, nisi præveni-

putat Lall. Hiller. Rac. 11. *tantum non* exponit per propemodum. Utcunque accipias, simulationis qui mentio hic fieri possit, non apparet. *Adito* Rhen. ex ingenio.

Quod contra subsidium sibi] Romana editio, *suffragium sibi?* Nec damno. Sane suffragari, adjuvare et opem ferre est: ut refragari, obsistere. Inde et refragium, quod Græcis ἐναντιότης. Hegesippus 5, 27. *Gubernator obliquat velorum sinus, et sine refragio scinditur fretum.* eaque voce et alii usi. Lips.

Quod contra subsidium sibi] Sic omnes inde a Puteol. in ed. pr. *suffragium.* Inde Groslotius corrigebat *suffugium.* quod probabile fit e loco Senec. de Ira 1, 11. ubi non unus liber habet *suffragia* pro *suffugia:* quamquam illud ibi probant Gruterus et Lipsius: male, ut opinor: deinde Ovidii Nuc. 119. ubi *suffragium* pro *suffugium*, etiam contra metrum irrepserat, ejectum jam ab Erasmo aliisque editoribus doctis. Unde apparet, valde pronos librarios in hanc confusionem fuisse. Sed acquiesco in vulgata, quia nihil simile e MSS. notatum video: ut in *subsidium* consentire videantur. Ern. Groslotii *suffugium* probant Bip. Grutero placebat *suffragium.*

Nisi quid Burrus et Seneca expergiscerentur] MS. Bud. et Guelf. habent *expurgent*, sed ille erasa priori scriptura. Flor. *expergens.* Agric. *expromerent:* quod recepit Ryckius. Ed. pr. *expertes.* Vulgatum est a Puteolano, non Beroaldo: in quem frustra invehitur J. Gronovius: ipse mire in h. l. inconstans, modo *expurgent*, modo *expurgetis*, modo *expergetis* tentans: quibus omnibus nihil sani inest. Quidam voluerunt *expedirent.* Ern. Boxh. expungebat τὸ *quid.* Heins. conjiciebat *expergiti suggerant.* Hiller. Rac. 11. probat τὸ *expromerent*, quod habes 13, 49. vel *exputent*, ut ap. Cic. ep. 10, 24. vel *expiscarentur*, quod et mihi in mentem venerat, quo sensu Cic. in Pison. 28. *Nihil expiscatus est.* et ep. 9, 19. Pichenæ placebat *reperirent.* hoc cum Bip. recepi. vulgatum certe stare nequit.

Incertum an et ante ignaros] Fides tibi, Corneli, magis curæ, quam Dioni, qui 61, 12. Senecam auctorem impulsoremque unicum Neroni ejus criminis facit. idque a fide dignis multis traditum esse.

Ἀλλ᾽ ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθε.

Lips. Hoc Tacitus addit, ut aliquid daret invido rumori, qui utrumque hujus culpæ alligavit. quod Tacitus affirmare noluit. Et sine dubio intelligit *ignaros* insidiarum in Agrippinam, non hujus tantum irriti cœpti. Neque obstant argumenta Vertranii. Quid enim? Burrus *promisit Agrippinæ mortem, si facinoris coargueretur:* ergo et conscius fuit, cum sine crimine, sine accusatione, interficeretur? Dein, Seneca Acten immisit, ut præveniret incestum, ergo parricidium probavit. Immo tum nemo credebat, *ad cædem matris filii odia duratura.* Denique Dio cum compluribus suis hac in re nulla fide dignus est, optimorum e Romanis obtrectator. Gron. Vir doctus in ed. Gryph. correxerat *gnaros.* Ern. Si certe legendum, ni *et* velis delere, quod fecerat Ernestius. Ceterum Dionis h. l. fidem fulcire laborat Reimarus.

Longum utriusque sil.] MS. Agr. *utrinque.* Ed. pr. *utrumque.* Heinsius conjiciebat *utrique.* Mox *an* MSS. Flor. Bud. ed. pr. sequentes *et.* Sed *an* bene restituit Pichena. Reddit, more suo, caussas silentii, sed dubitanter et duplici conjectura. Post pro *post* Guelf. *prior*, male. Ern. Pro *promptior* Bud. *promtius.*

A. U. retur Agrippina, pereundum Neroni esset. Post Seneca, 813. hactenus promptior, respicere Burrum, ac sciscitari, *an militi imperanda cædes esset?* Ille *Prætorianos toti Cæsarum domui obstrictos, memoresque Germanici, nihil adversus progeniem ejus atrox ausuros,* respondit, *perpetraret Anicetus promissa.* Qui, nihil cunctatus, poscit summam sceleris. Ad eam vocem Nero, *illo sibi die dari Imperium, auctoremque tanti muneris libertum* profitetur. *iret propere, duceretque promptissimos ad jussa.* Ipse, audito, *venisse missu Agrippinæ nuntium Agerinum,* scenam ultro criminis parat: gladiumque, dum mandata perfert, abjicit inter pedes ejus. tum, quasi deprehenso, *vincla injici* jubet, ut, *exitium Principis molitam matrem, et pudore deprehensi sceleris sponte mor-*

A. C. 60.

8 *tem sumpsisse,* confingeret. Interim vulgato Agrippinæ periculo, quasi casu evenisset, ut quisque acceperat, decurrere ad litus. Hi molium objectus, hi proximas scaphas scandere: alii, quantum corpus sinebat, vadere in mare, quidam manus protendere: questibus, votis, clamore diversa rogi-

Ac sciscitari] Sic legendum putavit Freinsh. Vere enim ille observat, quæ sequuntur e solo adspectu intelligi non potuisse. Accedit verbum *respondit,* quod disertam interrogationem supponit. Itaque cum sic sit in MS. Agr. non dubitavi cum Ryckio recipere, pro vulgato *ac si scitaretur.* Forte tamen Tacitum tantum dedit *scitari.* Ed. pr. *ac si scitaretur.* Sed eadem ante *respiceret.* Mox MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. *memoresque.* Sequentes *et memores,* præter J. Gron. Ern. In Bud. *despiceret B. ac sciscitaretur.* Bip. reponunt *ac si scitaretur,* quod non sit credibile, Senecam clare interrogasse; verum quod sequitur. *respondit,* id ita factum docet.

Imp. cædes esset] Cod. Agr. *imp. nex esset.*

Possit summam sceleris] Id est, peragere cupit, quod cœpit agere, et extremam velut manum sceleri imponere. Lips. Sive potius, sibi totam rem mandari, se præfici ei negotio cupit, pollicitus peragere cœpta. Mox MS. Flor. (Bud. Agr.) ed. pr. *ad eam vocem:* ceteri *illam.* male. Ern.

Illo sibi die] Sic legitur e correctione Rhenani. Superiores omnes *illos invidiæ.* MS. Guelf. (et Bud.) corrupte: *illos in brevi die.* Ern.

Hi molium objectus scandere] De his molibus ad Bajas Cassiodorus Variar. 9, 6. *Quantis ibi molibus marini termini decenter invasi sunt? quantis spatiis in visceribus æquoris terra promota est?* Strabo lib. 5. p. 245. Ἡ δὲ πόλις ἐμπορεῖον γεγένηται μέγιστον, χειροποιήτους ἔχουσα ὅρμους, διὰ τὴν εὐφυΐαν τῆς ἄμμου. Διόπερ τῇ χάλικι καταμίξαντες τὴν ἀμμοκονίαν, προβάλλουσι χώματα εἰς τὴν θάλατταν. Virgilius 9, 710. *Qualis in Euboico Bajarum litore quondam Saxea pila cadit.* Ausonium in ea re corrigo ep. 9, 30. *Vel quæ Bajanis pendent fluitantia pilis.* Male enim hactenus *palis.* Enimvero pilæ illæ e saxo, ut Virgilius: in eademque voce Livius corrig. 1, 26. *Modo intra illam pilam, et spolia hostium.* male vulgo *illa pila* intellegit columellam, quam Dionysius στηλίδα dixit, spoliis Curiatiorum insignem. *Horatia pila,* apud Propert. 3, 2, 7. tela ipsa sunt: nequis eo me refutet. At de pilis his ad Bajas, etiam Seneca epist. 77. *Omnis in pilis Puteolorum turba consistit.* Lips. De molibus istis v. et Horat. ode 3, 1, 33. Pilarum prope Puteolos hodieque ingentes visuntur reliquiæ.

Questibus, voti:] Edd. ante Rhen. *vocis,* conjunguntque cum *clamore:* male. *questus* sunt dolentium Agrippinæ vicem et periculum: *vota* pro salute ejus nuncupata. Mox *rogitantium* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. restituit Pichena (et Danes.) Ceteri editi ante Pichenam *rogantium.* De verbo *arripere* vid. ad 15, 57. Ern. In Bud. est *vocis,* quod Rhen. correxit ex ingenio. *Rogitantium* præferebat et Rhen. sed non expressit. Bud. mox *dejecti* et *obripit.*

A. U. 813. A. C. 60.

tantium, aut incerta respondentium, omnis ora compleri:
adfluere ingens multitudo cum luminibus, atque, ubi inco-
lumem esse pernotuit, ut ad gratandum, sese expedire, do-
nec adspectu armati et minitantis agminis disjecti sunt.
Anicetus villam statione circumdat, refractaque janua, ob-
vios servorum adripit, donec ad fores cubiculi veniret: cui
pauci adstabant, ceteris terrore inrumpentium exterritis.
Cubiculo modicum lumen inerat, et ancillarum una: magis
ac magis anxia Agrippina, quod nemo a filio, ac ne Ageri-
nus quidem. aliam fere litore faciem nunc, solitudinem ac
repentinos strepitus et extremi mali indicia. Abeunte de-
hinc ancilla, *tu quoque me deseris*, prolocuta, respicit Anice-
tum, trierarcho Herculeo, et Oloarito, Centurione classiario,
comitatum: ac, *si ad visendum venisset, refotam nuntiaret:
sin facinus patraturus, nihil se de filio credere; non impera-
tum parricidium.* Circumsistunt lectum percussores, et prior
trierarchus fusti caput ejus adflixit: jam in mortem Centu-
rioni ferrum destringenti, protendens uterum, *ventrem feri*,
exclamavit: multisque vulneribus confecta est. Hæc con- 9
sensu produntur. Adspexeritne matrem exanimem Nero,
et formam corporis ejus laudaverit, sunt, qui tradiderint, sunt,

Aliam fere litore nunc] Sic edidit Puteolanus, quod omnes secuti sunt. At MS. Fl. et ed. pr. *aliam fore lateret faciem.* MS. Agr. *aliam fere latere faciem, nunc.* unde Ryckius conjicit: *aliam ante fores faciem.* Broterius, *aliam fores ante rerum faciem.* Sed locus corruptus est, nec sine MSS. medela parata. MS. Guelf. et ipse *fore* habet: cetera, ut sunt in editis. Ern. Conjiciunt Bip. *aliam portendere faciem.* Triller. Obs. crit. 2, 21. *aliam fore litore faciem, si lætarentur.* Hiller. Rac. 10. et 11. *aliam verens litoris faciem.* Omnia vana.

Fusti caput] *Fusti* MS. Flor. (Bud. a l. m.) ed. pr. Lips. Pich. et seqq. Puteol. autem ceterique veteres editi *fuste.* male. Vid. ad 3, 21. Ern.

Nam in mortem Centurioni ferrum destringenti] *Nam* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Agr. edd. pr. Puteol. seqq. Faernus et Groslotius corrigebant *jam.* Credo verum esse, quod Acidalius conjecit: *caput ejus afflixit non in mortem.* qua forma loquendi non uno loco utitur Tacitus, ut 4, 45. 62. Hoc viso, Centurio ferrum destringit. At ne hic quidem in mortem illo ictu percussit: nam multis demum vulneribus confecta est. *Destringenti* recte Ryckius et J. Gron. Ern. Cum Bip. reposui *jam*, quod respondet τῷ *prior*. Bud. *distringenti*, ut vulg.

Multisque vulneribus confecta est] Sustuli insigne glossema aliquot versuum, qui huc transcripti e Senecæ Octavia (368. s.) verbatim. Eaque omnia jure desunt Vaticano. (Bud. habet.) Non visum id ante me, ne ab eo quidem, qui codices Vaticanos inspexisse jactat, miror et indignor. Hæc Agrippinæ mors. At Philostratus de Vita Apollonii 4, 38. adfirmavit, naufragio periisse Agrippinam solutili illa nave. Adeo ille et genere et partibus scriptionis suæ nugator est. Lips. Verba illa insititia etiam absunt ab ed. pr. sed mox edidit Puteolanus, imitantibus iis, qui secuti sunt. Mox *produntur* pro *traduntur* edidi cum J. Gronovio. Sic cum MSS. (Bud.) Guelf. Flor. Oxon. ed. pr. Puteol. quam hic deserit Beroaldus vitio sane operarum: ut patet e dictis in præfatione. Rivius habet ut Puteol. sequentibus ceteris. Mox sequens *tradiderint* errorem peperit. Ern.

Formam corp. ejus] *Ejus* abest a c. Agr.

Sunt qui tradiderint, sunt qui abnuant] Boethius 2. carm. 6. *Fratre qui quondam ferus interempto, Matris effuso maduit cruore: Corpus et visu gelidum pererrans, Ora non tinxit lacrimis, sed esse Censor extincti potuit decoris.*

A. U. 813. A. C. 60. qui abnuant. Cremata est nocte eadem, convivali lecto, et exsequiis vilibus: neque, dum Nero rerum potiebatur, congesta aut clausa humus. mox domesticorum cura, levem tumulum accepit, viam Miseni propter, et villam Cæsaris Dictatoris, quæ subjectos sinus editissima prospectat. Accenso rogo libertus ejus, cognomento Mnester, ipse ferro se transegit; incertum caritate in patronam, an metu exitii. Hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina contempseratque. Nam consulenti super Nerone, responderunt Chaldæi, *fore ut imperaret matremque occideret*: atque illa, *Occidat*, inquit, *dum imperet*. Sed a Cæsare, perfecto demum scelere, magnitudo ejus intellecta est. reliquo noctis, modo per silentium defixus, sæpius pavore exsurgens et mentis inops, lucem opperiebatur, tamquam exitium adlaturam. Atque eum, auctore Burro, prima Centurionum Tribunorumque adulatio ad spem firmavit, prensantium manu gratantiumque, *quod discrimen improvisum et matris facinus evasisset*. Amici dehinc adire templa, et, cœpto exemplo, proxima Campaniæ municipia victimis et legationibus læti-

GRON. Add. Suet. Ner. 34. pro *adspexerit* frustra amicus Ryckii *inspexerit*. Nam et illud pro *inspicere* dicitur. V. Drakenb. ad Liv. 42, 5. ERN.

Convivali lecto] Mox funebri, et legitime parato. LIPS. Mox recte editur *humus* e MS. Flor. a 1. m. consentiente ed. pr. *Humo* primus edidit Puteolanus. (Sic et Bud.) non enim hæc pendent a prioribus, nec ullo modo per Latinitatem hic ablativus locum habet. ERN.

Levem tumulum] Hodieque in ea regione sepulcrum Agrippinæ ostenditur. Supersunt et rudera villæ Cæsaris.

Quæ subjectos sinus] Apte ad hunc locum Seneca epist. 51. *C. Marius et Cn. Pompeius et Cæsar exstruxerunt quidem villas in regione Bajana, sed illas imposuerunt summis jugis montium. Videbatur hoc magis militare, ex edito speculari longe lateque subjecta.* LIPS.

Ipse ferro se tr.] *Se* abest a MS. Fl. et ed. pr. quæ et habet *ipso*. Unde J. Gronovius conjicit: *cognomento Mnesteris, se f. t.* aut *is se ferro tr.* illud melius, sed tamen non necessarium. Putem *ipse se*. Nam *se* sæpe ita excidit. Sic 13, 46. pro *esse se*. MS. Guelf. *esse*. et alibi centies in libris scr. ERN. Bud. *ipse ferro se*.

Atque illa] Heins. *ad quæ illa*.

Perfecto demum scelere] Ita sit. currimus ad scelus præcipites. quod sedente impetu, veris mox pretiis æstimamus. Aurea gnome, sumptane a Menandro? certe ab illo antea sic elata, apud Stobæum Serm. 4. Οὐδεὶς ξύνοιδεν ἐξαμαρτάνων, πόσον Ἁμαρτάνει τὸ μέγεθος, ὕστερον δ' ὁρᾷ. LIPS. *Reliquo*, quod se emendasse, ait Rhenanus (e Bud.) est jam in ed. pr. ERN. Puteol. *reliquum*.

Tamquam exitium allaturam] Barthius *exitum* i. e. finem mœroris. Quasi non tam tristium expectatio torqueat et cruciet, quam lætorum delectat. Petronius c. 125. *Dii Deæque, quam male est extra legem viventibus! quicquid meruerunt, semper expectant.* Seneca ep. 105. *Dat Pœnas, quisquis exspectat; quisquis autem meruit, exspectat.* GRON.

Prensantium manu] Sic edidimus etiam h. l. cum aliis in locis Taciti sic sit e bonis libris. V. ad Hist. 1, 36. 66. ubi tamen alii *prehensare*. Sed sæpe hoc illi substituitur, corriginturque. V. Drakenb. ad Liv. 1, 47. 4, 48. etc. Certe in MS. Flor. et ed. pr. est *pressare*: quod est, ut opinor, pro *prensare*. nam etiam sic variatur Hist. 1, 36. Porro dedimus ex iisdem libris *manu*. Nam ablativus in hac formula etiam l. l. c. c. *Prehensantium manum* primus edidit Puteolanus, quem omnes secuti sunt; et sic est in Guelf, ERN. Sic et in Flor. Ven. et probat Pichena. Bud. *pressantium manum*. Agr. *manu*.

tiam testari: ipse, diversa simulatione, mæstus, et quasi in- A. U.
columitati suæ infensus, ac morti parentis inlacrimans. 813.
Quia tamen non, ut hominum vultus, ita locorum facies mu- A. C. 60.
tantur, obversabaturque maris illius et litorum gravis ad-
spectus (et erant, qui crederent, sonitum tubæ collibus cir-
cum editis planctusque tumulo matris audiri) Neapolim con-
cessit, litterasque ad Senatum misit, quarum summa erat:
Repertum cum ferro percussorem Agerinum, ex intimis Agrip- 11
pinæ libertis, et luisse eam pœnam conscientia, qua scelus para-
visset. Adjiciebat crimina longius repetita; *quod consortium*
Imperii, juraturasque in feminæ verba Prætorias cohortes,
idemque dedecus Senatus et Populi speravisset: ac, posteaquam
frustra optata sint, infensa militi Patribusque et plebi, dissua-
sisset donativum et congiarium, periculaque viris inlustribus
instruxisset. Quanto suo labore perpetratum, ne inrumperet
curiam, ne gentibus externis responsa daret? Temporum quo-
que Claudianorum obliqua insectatione, cuncta ejus domina-
tionis flagitia in matrem transtulit, *publica fortuna extin-*

Morti parentis] MS. Flor. Guelf. (Bud.) ed. pr. Puteol. omnesque veteres *morte.* Dativus solennis huic verbo et *illacrimare morti* dixit Cicero N. D. 3, 33. At nec ablativum vitiosum dixerim. Intelligendum *in.* Ita *illacrimare* absolute dicitur, ut sæpe, Virgil. Georg. 1, 480. *illacrimat templis ebur.* i. e. in templis. Ceterum post *testari* colon, et post *illacrimans* punctum esse debet. Tacite mutatum est in *morti,* nescio an e libris scriptis, habentque Lips. Pichena. Mox *obversabaturque* bene Pichena e MS. Flor. Ante edd. omnes sine copula. Ern. ut Bud.

Locorum facies] *Facies* non est in MS. Oxon. Sane, ut Gron. judicat, commode abesse potest, et, si satis retinens brevitatis fuit Tacitus, debet. Fuit fortasse, qui *vultum* de locis non concoqueret, nec meminisset illius Ovidiani Met. 1, 6. *unus erat toto naturæ vultus in orbe.* Etiam Virgilius 5, 848. *maris vultum* dixit. Sed, ut sæpe dixi, nemo, nec Tacitus, ita brevitatis servans est, ut nuspiam aliquid redundare sinat. Nec tam severa constantia ab ullo scriptore exspectanda. Mox *circum* abest a Guelf. Ern.

Luisse eam p. c.] Hæc est lectio MS. Flor. Guelf. edd. pr. et ceterarum ante Rhen. qui *ea* edidit, nec necessitate urgente, nec εὐφωνίᾳ ferente. Igitur bene delevit Pichena. Ern. Bud. *eam penam ea consc.* et sic Rhen. Heins. pro *eam* volebat *clam.*

Adjiciebat] Bud. *adiciebat,* ita frequenter, ut in aliis antiquis codicibus.

Posteaquam frustra oblata] Perspicuum mendum. Farnes. *ablata.* Forte intercisæ voces explendæ; *frustra ab illa tentata sint.* Aut potius adhæreamus Romanæ lectioni, *optata sint.* Interpretor, posteaquam frustra ea voluerit voveritque Agrippina. Lips. Conjiciebam *ac posteaquam frustra tentasset.* nempe quæ dixit speravisse. Gron. Omnes editi, quos vidi, (ut Put. it. c. Bud.) *oblata.* Per Rom. lectionem, quam Lipsius laudat, intelligam Vaticani cod. MS. Nam in ed. pr. est *oblatu.* Quæ autem sit, ex qua Acidalius laudat *captata,* nescio. Sic volebat J. Gronov. MS. Flor. *ablata* ut Farnes. *optata* recepit Freinsh. et Ryck. Mox *militi* edidi pro *militibus,* ex MS. Flor. et ed. pr. (sic et Bud.) *Instruxisse* vitiose utraque Gronoviana. Ern. Rhen. conjiciebat *frustrata sit.* id et Danesio placebat, teste Ursino. Heins. *cœptata* vel *conata.* Groslotius legit *optata.*

Responsa daret] Id tentarat. V. 13, 5.

Obliqua insectatione] Vulgo, et libris scriptis, *oblita,* Ferrettus, *obita.* Nostra emendatio certa videtur ex ratione prisca scribendi, *oblica.* Lips. *Oblita* etiam MS. Fl. (Bud.) ed. pr. at *obliqua* MS. Agr. Ern.

Publica Fortuna exstinctam] Et inprimis ipsius privata. Hinc illud, jure laudatum Quinctil. 8, 5. Africani Oratoris ad Neronem super hac morte: *Rogant te, Cæsar, Galliæ tuæ, ut felicitatem tuam fortiter feras.* Lips. Sed

A. U. *ctam* referens. namque et naufragium narrabat: quod for-
813. tuitum fuisse, quis adeo hebes inveniretur, ut crederet? aut
A. C. a muliere naufraga missum cum telo unum, qui cohortes, et
60. classes Imperatoris perfringeret? Ergo non jam Nero, cu-
jus immanitas omnium questus anteibat, sed adverso rumore
12 Seneca erat, *quod oratione tali confessionem scripsisset*. Miro
tamen certamine procerum decernuntur *supplicationes apud omnia pulvinaria, utque Quinquatrus, quibus apertæ essent insidiæ, ludis annuis celebrarentur: aureum Minervæ simulacrum in curia, et juxta Principis imago statueretur: dies natalis Agrippinæ inter nefastos esset*. Thrasea Pætus, silentio vel brevi adsensu priores adulationes transmittere solitus, exiit tum Senatu; ac sibi caussam periculi fecit, ceteris libertatis initium non præbuit. Prodigia quoque crebra et inrita intercessere. anguem enixa mulier: et alia in concubitu mariti fulmine exanimata. jam sol repente obscuratus, et tactæ de cælo quatuordecim urbis regiones. quæ adeo sine

Latinorum mos, quæcunque præter modum salutaria *fortunæ Pop. R.* attribuere. Ern.

Namque et naufragium narrabat] Lipsius corrigebat *jamque*: quod, mea sententia, recte repudiat Pichena, et si alias pro *præterea* recte ponitur, ut mox c. 12. *jam sol repente obscuratus*. *Nam* commode referri potest ad præcedentia. Argumentum ejus, quod dixerat, publicam Fortunam consulere voluisse Romanis, erat a fortuito naufragio. Quod si non placet, *namque* accipe pro *quid? quod, præterea*. Etenim *nam* transitionibus servit eleganter. V. Manut. ad Cic. ep. 3, 11. 5, 20. Mox ed. pr. et *quod fort. fuisset*. Etiam aliæ ante Rhen. *fuisset*. *Qui perfringeret* i. e. qui speraret, se interficere Cæsarem posse, qui cohortibus et classe munitus esset. Verbum elegans, pro quo etiam dicitur *perrumpere*. Ern. Rhen. ex ingenio dedit *fuisse*; nam Bud. *fuisset*.

Oratione tali] Quinctil. l. c. l. 8. de hac oratione: *Facit quasdam sententias sola geminatio: qualis est Senecæ in eo scripto, quod Nero ad Senatum misit occisa matre, cum se periclitatum videri vellet. Salvum me esse adhuc nec credo, nec gaudeo*. Lips.

Quinquatrus ludis annuis] Nonne jam ante celebrabantur? Dixi enim de gladiatoribus. Sed puto, hic intellegi scenicos ludos annuos, aut circenses. Lips. Vett. edd. *quinquatria*. Sed jam P. Victorius ad Cic. ep. 2, 12. monuit, mendum esse, et in vetere cod. Bibliothecæ D. Marci esse *Quinquatrus*, ut supra c. 4. Ed. pr. etiam corruptius *quinquatrii*. quod tamen veram scripturam indicat. Nam MSS. interdum *quinquatriis* faciunt e *quinquatrus*, ut ap. Liv. 26, 27. Suet. Aug. 71. ubi v. Oudend. et Ciceronem l. c. *Quinquatria* citat e Liv. 44, 20. etiam diligentissimus Drakenb. sed ibi est *quinquatribus*. Ap. Sueton. Domit. c. 4. consentire libros editos in *quinquatria* video, sed id vitiosum puto, et in aliis locis ap. Suetonium est *quinquatrus*. Mox Flor. Guelf. ed. pr. *insidiæ essent*. Ern. Bud. *quinquatrium* a 1. m. unde 2. *tria*.

Exitium senatui ac sibi] Locus, qui mutilus videatur, et non est. Nihil enim narratur, in quo Thraseas offenderit. At scribe mecum fidenter: *exiit tum Senatu*. Hoc enim solo sibi discrimen peperit magnus ille vir, quod Senatu egressus est, cum de Agrippina referretur. Xiphil. 61, 15. Ὁ Πούπλιος δὲ Θρασέας Παῖτος ἦλθε μὲν ἐς τὸ συνέδριον, καὶ τῆς ἐπιστολῆς ἐπήκουσεν· ἀναγνωσθείσης δὲ αὐτῆς ἐξανέστη τε εὐθὺς, πρὶν καὶ ὁτιοῦν ἀποφήνασθαι, καὶ ἐξῆλθε· διότι, ἃ μὲν ἤθελεν, εἰπεῖν οὐκ ἠδύνατο, ἃ δὲ ἠδύνατο, οὐκ ἤθελε. Tacit. 16, 21. hunc ipsum locum respiciens: *Olim utrisque infensus, et accedentibus caussis in Thraseam. quod Senatu egressus est, cum de Agrippina referretur, ut memoravi*. Lips. Recepit Pichena. Ern.

Jam sol rep. obsc.] Cf. Plin. H. N. 2, 70. (72.)

Sine cura Deum eveniebant] Ἐπικουρίζειν et hic et alibi noster. Lips. i. e.

cura Deum eveniebant, ut multos post annos Nero imperium et scelera continuaverit. Ceterum, quo gravaret invidiam matris, eaque demota, auctam lenitatem suam testificaretur, feminas inlustres, Juniam et Calpurniam, Præfectura functos Valerium Capitonem et Licinium Gabolum, sedibus patriis reddidit, ab Agrippina olim pulsos. Etiam Lolliæ Paullinæ cineres reportari, sepulcrumque exstrui permisit: quosque ipse nuper relegaverat, Iturium et Calvisium, pœna exsolvit. Nam Silana fato functa erat, longinquo ab exsilio Tarentum regressa, labante jam Agrippina, cujus inimicitiis conciderat, vel tum mitigata. A. U. 813. A. C. 60.

13 Cunctanti in oppidis Campaniæ, *quonam modo urbem ingrederetur: an obsequium Senatus, an studia plebis reperiret,* anxio, contra deterrimus quisque, quorum non alia regia fecundior exstitit, *invisum Agrippinæ nomen, et morte ejus accensum populi favorem,* disserunt: *iret intrepidus, et venerationem sui coram experiretur:* simul *prægredi* exposcunt. et promptiora, quam promiserant, inveniunt: obvias tribus: festo cultu Senatum: conjugum ac liberorum agmina, per sexum et ætatem disposita: exstructos, qua incederet, spectaculorum gradus, quo modo triumphi visuntur. Hinc superbus, ac publici servitii victor, capitolium adiit, grates exsolvit: seque in omnes libidines effudit, quas male coercitas qualiscumque matris reverentia tardaverat. Vetus illi 14

apparuit, in his portentis nil Divini fuisse, non portendere iis Deos perniciem Neronis voluisse, ut iis creditum est, quæ ante mortem Claudii evenere. Irridet igitur potius portenta, et eorum vanitatem indicat. ERN.

Juniam] Calvinam, de qua 12, 4, 8. De Calpurnia, ib. 22. Statim, *Præturæ functos*, lego. LIPS. Recte. ERN. Sic et Grut. conjectabat, nil tamen temere mutandum judicat. De Lollia Paull. itidem 12, 22. De Silana 13, 19. et 22.

Iturium] Urs. e cod. vet. *Titurium.* Sic et Agr.

Repeteret anxio] Libri quidam (Flor. Ven.) *reperiret:* quod merito Pichena probat. Dubitabat scilicet et angebatur, an Senatum obsequentem, plebem faventem reperiret. LIPS. Sic etiam Guelf. ed. pr. et omnes ante Rhen. qui male e MS. Bud. induxit *repeteret.* Melius mox *regia* dedit (e Bud.) pro *regio*, quod in superioribus erat. ERN.

Prægredi exposcunt] Sic MS. Flor. recte, ut divinarat Grotius. Verbum *exposcunt* indicat, non rogasse, ut Nero progrediendo experiretur, sed sibi hoc dari voluisse, ut prægrediendo tentarent animum populi: supra c. 7. *poscit summam sceleris*, et alibi. Vett. edd. (et c. Bud.) omnes *progredi*, usque ad Gronovium. *Prægredi* et *progredi* sic confunduntur ap. Liv. 35, 30. init. Adde supra 11, 37. ERN.

Vetus illi copia erat] Ita libri prisci (et Bud.). Substituerunt, *cura:* ad sententiam non male. Nescio an, *copido*, sive *cupido*. LIPS. *Cura* libri edd. omnes a Puteol. ad Lips. qui *copia* reposuit: quod est in MSS. et ed. pr. Id ergo tamen servare malui, quia sensum aptum habet, *copia* nullum. Nam sequens, *nec minus fœdum studium*, indicat, hic verbum desiderari, idem significans, quod *studium*. *Copiam* de permissione matris et præceptorum accipit Ryckius, quod esse alienissimum facile patet. Si liber proferetur, in quo *cupido*, statim *cura* dimittetur: v. Sueton. Ner. c. 22. ubi de studio equorum curulium. ERN. *Cupido* probant et Mur. et Pich. ut 15, 33. Bip. reponunt *copia* eorum scil. quæ ad aurigandum pertinent. *vetus* intelligunt a majoribus accepta. Verum cum verbo *insistere* minus bene cohæret. Hiller. Rac. 38. dat *vetus*

A. U. 813. A. C. 60. cura erat, curriculo quadrigarum insistere: nec minus fœdum studium, cithara ludicrum in modum canere, cum cœnaret; quod *Regibus et antiquis Ducibus factitatum* memorabat: *idque vatum laudibus celebre, et Deorum honori datum. Enimvero cantus Apollini sacros; talique ornatu adstare, non modo Græcis in urbibus, sed Romana apud templa, Numen præcipuum et præscium.* Nec jam sisti poterat; cum Senecæ ac Burro visum, ne utraque pervinceret, alte-

illi culpa erat, quod propius accedit ad vulg. *copia.*

Curriculo quadr. ins.] Non adesse certaminibus quadrigariorum, ut e Sueton. l. c. colligas, sed quadrigas agere, e Latinitate. infra 15, 44. ***habitu aurigæ curriculo insistens.*** Ern. Huc Vertranius refert numum Neronis, in quo quadrigis insistens auriga cum epigr. ΕΥΤΥΜΙΟΣ. (in al. ΕΥΤΙΜΙΟΣ, ΕΥΘΥΜΙΟΣ). Sed spectat ad celebrem aurigam, qui et in Trajani numis occurrit. V. Patini Thes. NN. p. 104. Cf. p. 144.

Cithara ludicrum in modum] Non etiam displiceat, *ludiorum.* Numos certe cusit illa bellua, in quibus ipse citharœdico habitu, in tunica oblonga, citharam percutiens. Describit eum habitum graphice Apuleius 2. Flor. in persona Bathylli: *Eique prorsus citharœdicus status, Deam conspiciens, canenti similis. tunicam picturis variegatam deorsus ad pedes dejectus ipsos, Græcanico cingulo, chlamyda velat utrumque brachium adusque articulos palmarum. Cetera decoris instrumentis dependent. Cithara baltheo cælato apta, structim sustinetur; manus ejus teneræ, procerulæ, læva distantibus digitis nervos molitur; dextra psallentis gestu suo sabulum* (lege *pulsabulum*) *citharæ admovet, ceu parata percutere.* Ita enim locum eum legimus, distinguimus. Et, quod ait de chlamyda deque cingulo, etiam illa apparent in Neronianis numis: excipio, quod non brachia velat, sed ab humeris dependet chlamys. Lips. Non video, quare *ludiorum* legatur. Multo exquisitius est *ludicrum in modum:* eodem sensu: ut in ludis fieri solet, quæ *ludicra* dicuntur. Sic ap. Sueton. Ner. c. 11. *ludicræ partes* sunt histrionum, sive ludiorum. Mox ed. pr. *cum celaret,* quod fortasse aliquis defendet e Suet. c. 22. item *quis regibus — memoret.* MS. Flor. *qis regium memorat:* unde Jac. Gron. *quasi regium et — memorans.* quod mihi parum placet. MS. Guelf. (et Bud. a 1. m.) *quis regum e. a. d. factum memorabat.* Forte fuit: *antiquis regum et ducibus f. memorabat.* Vel si brevitas jactata Taciti fert *priscis regum et a. d. f. m.* Relativum sæpe inculcatum est in Tacito. Ern. Mox c. 16. occurrunt *ludicræ artes.* De re ipsa v. Suet. 21. Numum, in quo Nero citharœdus, exponit Eckhel in D. NN. vet. vol. 6. p. 276.

Quod Regibus et antiquis Ducibus] Ita in Panegyrico illo ad Pisonem, qui hoc ævo scriptus, inserta eadem defensio v. 157. *Nec pudeat pepulisse lyram, cum pace serena Publica securis exultent otia terris. . . . Ipse fidem movisse ferox narratur Achilles.* Quem, Ovidio ablatum, viri docti tribuunt Lucano. Neutri ego. Ab Ovidio ætas abjudicat: ab Lucano conditio scribentis. Nam ille quicumque poeta ignotus fuit, obscura domo fortuna tenui: et humilius blanditur Pisoni, quam ut decuerit Lucanum. Ait ecce v. 241. *— tu, Piso, latentem Exsere: nos humilis domus, at sincera parentum, Sed tenuis Fortuna sua caligine celat.* At Lucanus certe notus, celeber: per se, perque uxorem prædives. Adde Senecam patruum in aula: qui huic humili et tenui protendere manum potuisset, præ Pisone. Sed et decimo nono ætatis anno scriptum hoc carmen. nam ait v. 248. *Quamvis nunc juvenile decus mihi pingere malas Cœperit, et nondum vicesima venerit æstas.* Quod non convenit in ætatem Lucani, præsertim cum scriptum sit diu post Consulatum Pisonis; et paullo ante detectam, ni fallor, conjurationem. Certe post Consulatum diu: quoniam et eloquentiæ ejus specimen Neapoli præbitum celebrat. quod scimus contigisse nos quinquennali certamine, cum Nero in eadem urbe Græcanica copiam fecit suæ vocis, annis aliquot post Pisonis Consulatum, quem iniit a. u. 810. Sed nec Statius hujus carminis mentionem facit: cum omnia minima scripta ejus recenseat Silv. 2, 7. Lips.

Ne utroque pervinceret] Putarem, *ne utrumque:* id est, ne duo illa ex-

rum concedere. clausumque valle Vaticana spatium, in quo A. U.
equos regeret, haud promiscuo spectaculo. mox ultro vo- 813.
cari Populus Romanus, laudibusque extollere, ut est vul- A. C.
gus cupiens voluptatum, et, si eodem Princeps trahat, læ- 60.
tum. Ceterum evulgatus pudor non satietatem, ut rebantur,
sed incitamentum adtulit. Ratusque dedecus amoliri, si
plures fœdasset, nobilium familiarum posteros, egestate ve-
nales, in scenam deduxit: quos fato perfunctos, ne nomi-
natim tradam, majoribus eorum tribuendum puto. nam et
ejus flagitium est, qui pecuniam ob delicta potius dedit,
quam ne delinquerent. Notos quoque Equites Romanos
operas arenæ promittere subegit donis ingentibus: nisi,
quod merces ab eo, qui jubere potest, vim necessitatis ad-
fert. Ne tamen adhuc publico theatro dehonestaretur, in- 15
stituit ludos, *juvenalium* vocabulo, in quos passim nomina

torqueret, alterum indulgere, ut in eo acquiesceret. Lips. At *utraque* verum, quod e MS. Fl. protulit Pichena, habetque ed. pr. Ceteræ inde a Puteolano veteres *utroque*, ut Guelf. Bodl. Ern. Bud. *utroque*, sed 2. m. *utrumque*. Bip. *utraque* scil. libido. Potius sexto casu ponitur, subaudito *parte*, durior quippe altera ellipsis.

Valle Vaticana spatium] Credo id a Plinio denotari 36, 15. *Tertius obeliscus Romæ, in Vaticano Caii ac Neronis Principum circo.* Lips. Suet. l. c. *hortos* ponit. Sed ii in valle Vaticana. Add. Ryck. ad h. l. Mox *laudibusque* quod e Fl. dedit Pichena, etiam Guelf. ed. pr. pariter ut *eodem*: quod est etiam in ceteris ante Rhen. qui (e Bud.) dedit *eo*. denique etiam *evulgatus*. quod in *vulgatus* mutatum a Puteol. restituit Rhen. (e Bud.) Muretus tamen et Acidalius præferebant *vulgatus*: frustra. *Evulgare* dixit etiam Liv. 9, 46. similia ap. nostrum *emunire*, *emercari* et alia. In quo genere verborum libenter variavere librarii. V. Cuningam. ad Horat. p. 235. ut alios taceam. Ern. Bud. *laudibus* absque copula. Circi rudera hodieque restant. Obeliscus, qui olim ibi, a Sixto V. erectus est ante ædem D. Petri.

Ratusque dedecus amoliri] Romana editio, *dedecus molliri*. quod ego præfero. Lips. Sic etiam MS. (Bud. Flor. Agr.) Bodl. alii *moliri*. At Puteol. *amolliri* pro *amoliri*, ut sequentes omnes habent. *Molliri* probant etiam Freinsh. et J. Gronov. Simile est *invidiam mollire* supra 4, 30. Sed tamen nescio, quomodo magis placet *amoliri*, nec credo *molliendi* verbum esse aptum dedecori et turpitudini, in qua nulla acerbitas aut asperitas, ut in invidia intelligi potest. Et credibilius est, Neronem dedecus voluisse omne tollere, quam tantum minuere. Rom. ed. quam Lipsius laudat, non est Beroaldina, sed prima. Ern. Habet tamen et noster 11, 25. *ignominiam mollire*, quod hic placebat et Modio ep. 99.

Ne nomin. tradam] At Dio nominat. V. Xiphil. 61, 17.

Nam et ejus] Ed. pr. non habet *nam*: quod melius videtur. Duplex ratio silentii affertur, prima, ut majoribus parcatur; deinde, quia flagitium magis Neronis, quam ipsorum. Ern.

Equites Rom.] Respice ad 1, 16.

Instituit ludos juvenalium] Qui privati et per domum celebrati aut in hortis. Tacitus 15, 33. *Acriore in dies cupidine Nero agitabatur promiscuas scenas frequentandi: nam adhuc per domum aut hortos cecinerat juvenalibus ludis.* Mansit nomen ludorum posteriori ævo, et Imperatores, quos in palatio ludos dabant Kalendis novi anni (de quibus e Juliano monui ad 4, 70.) juvenalia videntur appellasse ab exemplo hoc Neronis. Sidonius in Narb. v. 307. *Janus forte suas bifrons Kalendas . . . Sumendas referebat ad curules. Mos est Cæsaribus die bis uno. (Privatos vocitant) parare ludos. Tunc cœtus juvenum sed antiquorum Elæi simulacra torva campi Exercet spatiantibus quadrigis.* Et addit post descriptionem curulium ludorum v. 428. *Jam vero juvenalibus peractis.* Ut videantur ii ludi, tunc quidem, scenicum nihil habuisse. Atque ita distinguit etiam, nisi fallor, Capi-

A. U. 813. A. C. 60. data: non nobilitas cuiquam, non ætas, aut acti honores inpedimento, quo-minus Græci Latinive histrionis artem exercerent, usque ad gestus modosque haud viriles. Quin et feminæ inlustres deformia meditari: exstructaque apud nemus, quod navali stagno circumposuit Augustus, conventicula et cauponæ et posita veno inritamenta luxus. dabanturque stipes, quas boni necessitate, intemperantes

tolinus in Gordianis 4. *Cordus dicit, in omnibus civitatibus Campaniæ, Piceni, Umbriæ, de proprio illum per quatriduum ludos scenicos et juvenalia edidisse.* Quod notari volo. Neronis tamen ævo et instituto, scenici: ex Tacito hic et Plinio, qui 37, 7. ad hos ludos respiciens, ait Neronem *peculiari theatro in hortis primum cantasse, et Pompeiano prælusisse.* Non prætereo notam Xiphilini, qui 61, 19. hos ludos institutos vult per caussam positæ a Nerone primæ barbæ. Et hercle ea nominis caussa. Juvenalia enim dicta, quia ut tirocinii die pueros exuebant: sic barba rasa juventutem, transibantque tunc in viros. Unde illud Domitiæ amitæ blandientis Neroni votum: *Simul hanc excepero, mori volo,* Sueton. c. 34. itaque is dies Romanis pariter festus. De Octaviano Dio 48. 34. Ἀμέλει τὸν πώγωνα ὁ Καῖσαρ τότε πρῶτον ξυράμενος, αὐτός τε μεγάλως ἑώρτασε, καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι δημοτελῆ ἑορτὴν παρέσχε. Καὶ ὁ μὲν καὶ ἔπειτα ἐπελειοῦτο τὸ γένειον, ὥσπερ οἱ ἄλλοι. Alia huic ritui in Excurs. B. Lips. Vox *theatro* abest a MS. Oxon. et alio ap. Brot. Mox *gestus modosque* vir doctus (Heins.) ap. Ryckium emendabat *gestus motusque* ex 15, 37. quod non displicet. *Modi non viriles* sunt *gestus motusque non viriles*, ut supra *in modum ludicrum.* Tum *modi* magis de voce et cantu, quam de gesticulationibus dicuntur. Ern.

Feminæ inlustres] Qualis Ælia Catella, quæ octogenaria saltavit. V. Dio l. c. ap. Xiphil.

Navali stagno circumposuit Augustus] Ad Tiberim. deque eo stagno supra 12, 56. *Augustus structo cis Tiberim stagno.* Et Suetonius Aug. 43. At nemus illud est, quod *Cæsarum nemus* appellatum. Vide et hic Xiphil. 62, 15. (et ibi Reim.) Lips. Mox *veno*, quod se correxisse (e Bud.) dicit Rhen. est jam in ed. pr. In Puteol. ed. irrepserat *vero* operarum errore: id fideliter servatum a Rivio, Beroaldo et Alciato. MSS. Vaticani (et Agr.) deinde ap. Vertran. *luxuria:* ed. pr. *luxui:* ut supra *caussæ bello* 2, 64. *fundamenta urbi* ap. Liv. 1, 12. Noster *incitamenta ingeniis allaturas* infra c. 21. Ern.

Dabanturque stipes] Cui re datæ stipes? ad ludosne? Ita olim sane Apollinaribus ludis factum reperio. *Prætor edixit,* ait Livius 25, 12. *ut populus per eos ludos stipem Apollini, quantum commodum esset, conferret.* Plinius 33, 48. *Populus Romanus stipem spargere cœpit Sp. Postumio, Q. Marcio coss. Tanta abundantia pecuniæ erat, ut eam conferret L. Scipioni, ex qua is ludos fecit.* Quæ verba ne te fallant. Nam stipes, de qua Livius, multis annis prior notatione Pliniana. Sed voluntariam, credo, Plinius intellexit, illa fuit ex edicto. Sed et Augustus stipem Prætoribus dari ad ludos voluit, inuente Dione 54, 2. Τοῖς μὲν στρατηγοῖς τὰς πανηγύρεις πάσας συνέταξεν, ἔκ τε τοῦ δήμου δίδοσθαί τι αὐτοῖς κελεύσας. nisi tamen τὸ δημόσιον intellegi voluit potius, quam δῆμον. Stipes alias usitate dabantur Diis, et ad res sacras. Seneca de Benef. 7, 4. *Omnia Deorum sunt: tamen Diis posuimus domum, et stipem jecimus.* Et Ep. 116. (115.) *Colitur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque suspenso, nec in thesauros stipe infusa, sed pia et recta voluntate.* Varro de L. L. 4, 36. *Diis cum thesauris assem dant, stipem dicunt.* Ita in capita fontium, quæ sacra, stipem jaciebant. Plinius Epist. 8, 8. de Clitumno: *Fons purus et vitreus, ut numerare jactas stipes, et relucentes calculos possis.* Seneca Quæst. Natural. 4, 2. de Nili venis: *In hac ora stipem Sacerdotes, et aurea dona Præfecti, cum sollenne venit sacrum, jaciunt.* Lips. Hic stipes datæ a Nerone, ut statim per libidinem absumerentur. Gruterus comparat factum Augusti ap. Sueton. c. 98. Mox non placet mihi: *nec ulla moribus—plus lib. addidit quam illa colluvies.* Delendum puto *ulla*, intelligendumque quid, quidquam. Puto, me similia exempla reperisse. Ern. De stipe fontibus

gloria consumerent. Inde gliscere flagitia et infamia; nec ulla moribus olim corruptis plus libidinum circumdedit, quam illa conluvies. Vix artibus honestis pudor retinetur: nedum, inter certamina vitiorum, pudicitia aut modestia aut quidquam probi moris reservaretur. Postremo ipse scenam incedit, multa cura tentans citharam et præmeditans adsistentibus. Facies accesserat, cohors militum, Centuriones Tribunique et mærens Burrus ac laudans. Tuncque primum conscripti sunt Equites Romani, A. U. 813. A. C. 60.

injici solita v. Caylus Rec. d'Antiq. t. 2. pl. 98. ubi exemplum in numo Nemausensi.

Reservaretur] Ed. pr. *reservatur:* unde possis conjicere *reservetur.* sed sollennis illa præsentis et imperfecti confusio. Vid. ad 3, 17. extr. Ern.

Postremo] Sic emendavit Lipsius. Bud. et edit. priores *postremus.*

Ipse scenam inscendit] Restitui ex libris. Vulgo, *ipse scenas incedit.* Lips. *Scenam incedit* MSS. Flor. Vatic. Agr. ed. pr. *Scenas incedit* Guelf. (Bud.) ed. Rhen. et seqq. usque ad Lipsium. Puteol. Beroald. Alciat. *scenas ascendit.* Lipsius edidit *scenam inscendit,* quod sequentes imitati sunt. Ego lectionem MSS. secutus sum, quæ a Tacito non aliena, ut jam Rhenanus monuit. Sic 1, 61. *incedunt locos mæstos.* Ern. Cf. et mox c. 22.

Assistentibus familiaribus] Falso. Nam Vatic. *absistentibus facies.* Farnes. *assistentibus facies.* Similisque lectio Budensis: quod facile odoreris e Rhenano conjectante, *absistentium facie.* Utrumne *assistentibus facibus?* Certe noctu ad lumen etiam hi ludi exerciti. sequiturque: *Hi dies ac noctes plausibus personare.* et ait postremum in scenam venisse Neronem. Ergo ad lumen. Infra etiam 20. *Noctes quoque dedecori adjectas.* Sed et Sueton. Calig. 18. *Quondam etiam et nocturnos ludos præbuit accensis facibus.* Noster iterum infra 21. *Lætitiæ magis, quam lasciviæ dari paucas totius quinquennii noctes, quibus tanta luce ignium nihil illicitum occultari queat.* Vos Divini conferte operam; si mihi Phœbus hic non favit. Lips. Etiam MS. Flor. Guelf. *assistentibus facies* et ed. pr. *abs. facies.* Vulgatam induxit Puteolanus. Muretus corrigebat *fonascis* s. *phonascis.* In MS. Fl. ultimæ voci superscriptum *homines.* Hinc J. Gronovius conjiciebat *assistenti histrionum aciei:* quod an aliquis probaturus sit, nescio. Qui *homines* adscripsit, voluit indicare, illo corrupto vocabulo homines significari. Vulgata an e MS. ducta sit, nescio. Sed valde consentit iis, quæ Suetonius narrat c. 21, apud quem pariter amicorum intimi adfuisse dicuntur. Ac fortasse inde correctionem Puteolanus sumsit. Ern. Bud. *asistentibus facies abscesserat.* Agr. *assistentibus ceteris.* Heins. vult *ass. amicis.* Bip. *præmeditans* i. e. præludens *assistentibus. Facies* i. e. facies principalis ex milite Prætoriano, Burro etc. *accesserat.* Eo fere sensu *facies* accipitur 1, 41. et ap. Cic. Phil. 8, 8. Hoc, etsi duriusculum videatur, sequi lubet, quia vim codicibus non adfert. Hiller. Rac. 11. parum adposite: vel *avertentibus facies omnibus,* vel *accendentibus faces familiaribus.*

Accesserat cohors militum] Ita legend. non, quia Suet. l. c. ita narrare videtur, sed quia res poscit. Nam Suetonius de alio ibi et publico theatro. Lips. Nempe ante in edd. erat *abscesserat,* male. Mox ed. pr. *Centurionesque.* Ern.

Mærens Burrus, ac laudans] Unus ergo hic tantum Præfectus Prætorio. nec pugnat Suetonius, qui duos nominat, quia Tacitus de juvenali ludicro adhuc loquitur; de publico theatro Suetonius, capite dicto. Lips. Verba quidem Taciti non indicant, unum tantum Præfectum Præt. adfuisse, sed Burrum, cum mœreret animo, tamen voce laudasse: de altero nihil præcipui erat, quod traderet. Mox vir doctus in ed. Gryph. deleverat *que.* Post Muretus pro *in spe* malebat *spe:* quod non displicet. At, quod idem deleri vult *hi,* quod et a MS. Bud. aberat, non probo. sed interpunctio mutanda, ut fecimus, et est in MS. Guelf. Vulgo punctum est post *personare,* et comma ante *quasi.* Ern. Acid. *volebat in spem.* Bip. forsan *et spe.* Fallitur et fallit Rhen. dum abesse pronomen *hi* a Regio i. e. Bud. codice refert. Clare legitur post punctum *Is dies* etc.

A. U. 813. A. C. 60. cognomento *Augustanorum*, ætate ac robore conspicui, et pars ingenio procaces, alii in spe potentiæ. Hi dies ac noctes plausibus personare formam Principis vocemque Deum vocabulis adpellantes: quasi per virtutem clari honoratique agere.

16 Ne tamen ludicræ tantum Imperatoris artes notescerent, carminum quoque studium adfectavit, contractis, quibus aliqua pangendi facultas. Nec dum insignis ætatis nati, considere simul, et adlatos vel ibidem

Augustanorum] Suet. paullo aliter c. 20. Idem c. 25. *Augustianos* vocat.

Carminum quoque studium] Plinius 37, 12. *Domitius Nero in ceteris vitæ suæ portentis, capillos quoque conjugis suæ Poppææ in hoc nomen adoptaverat, quodam etiam carmine Succina appellando.* Intellexit et Seneca hunc poetam Quæst. Natur. 1, 5. *Ut ait Nero Cæsar disertissime, Colla Cytheriacæ splendent agitata columbæ.* Laudat eum Martialis 8, 70. *Carmina qui docti nota Neronis habet.* et 9, 27. *Ipse tuas etiam veritus Nero dicitur aures, Lascivum juveni cum tibi lusit opus.* Lips.

Nec dum insignis ætatis] Forte leg. *quibus aliqua pangendi facultas, necdum insignis. Ii alternatim considere simul.* Muretus 15, 2. cui scriptor hic noster in amoribus, et jure, corrigit: *quibus aliqua pangendi facultas, necdum insignis erat. Ii considere simul; et natos ibidem versus connectere, atque ipsius verba quoquo modo prolata supplere.* Non damno: germana tamen esse non credo. Ceterum ab hoc Cornelii judicio Tranquillus dissentit c. 52. Lips. Meo judicio rem acu tetigit hactenus Muretus (id visum et Ryckio) post quem, quæ alii tentarunt quum considero, miror quemquam hiscere ausum: adeo nihil est, quod cum ejus conjectura putem comparandum. Quod si elidi τὸ *nati* ferre nequeunt, faciamus: *nec dum insignis erat ad famam:* vel *insignis erat. hi acciti considere simul.* Tales enim quæsivit, qui callerent versuum faciendorum studio, sed nihil dum edidissent, aut eo nomine celebres essent. *Insignis ad famam* ut Ciceroni de legib. 3, 8. *insignis ad deformitatem puer.* Quod autem Tacitum et Suetonium committunt; utrumque verum, sed in diversis opusculis, existimo tradidisse. Neque enim dubito, quin et potuerit scribere versibus Nero, et quædam scripserit sine cujusquam auxilio. Et in hujusmodi tabulas incidit Suetonius. Sed et, quum repentinus hic impetus ei venisset, dum festinat, omnis moræ impatiens, et gestit eloquentiæ auctoribus accenseri, atque illam laudem rapere potius, quam mereri; non tantum sumpsisse temporis et otii et secessus, quantum justa cura requirit; ideoque hos adjutores adhibuisse, facile credo Tacito, et id tyranni juvenis, lascivientis et luxuriantis, indoli valde conveniens mihi videtur. Licet et suspicari factum id in opere, quod parabat ad instantem commissionem. Gron. Idem videbatur viro docto in ed. Gryph. ubi hunc locum ad mentem Mureti correxerat. Jac. Gronovius addi vult *laus: nec dum insignis erat laus.* J. F. Gronovii *acciti* probari non potest. quia id jam est in *contractis.* Broterius locum sic constituit: *quibus a. p. facultas, nec dum insignis. Ætate pares considere simul etc.* Ego nihil expedio destitutus libris melioribus. Ern. Addo aliquot conjecturas. Pich. *necdum ins. erat. Ii jussi cons.* Triller. Obs. crit. 2, 21. *nec tam insignis artis gnari.* Hill. Rac. 16. τὸ *nati* vertit in *vates.* Danesius et Ursin. *necdum ins. ætatis vatibus.* Quid si legas, *contr. q. al. p. f. necdum insignis artis vatibus, cons.* Demum Bip. sic: *necdum insignia arte conati.*

Et allatos] Pichena conjicit *oblatos* e cod. Fl. ubi est *ablatos.* Ego vero haudquaquam hoc sollicitandum censeo. *Allatos* est domi meditatos. Quod ad primum quidem congressum non congruit; sed, postquam semel studia junxere, vix est, ut unquam discesserint, quin præcepissent animis proximi conventus materiam, et ad eam aliquid domi per habentes carmina somnos natum possent afferre. Sed et ad illos, quos subito ad jussum principis effuderant, emendandos aliquid domi potuit subnasci, et inde allatum in regia repertis addi. Gron. Sed ita Mureti correctio probatur tan-

repertos versus connectere, atque ipsius verba, quoquomodo A. U.
prolata, supplere. quod species ipsa carminum docet, non 813.
inpetu et instinctu, nec ore uno fluens. Etiam sapientiæ A. C.
doctoribus tempus inpertiebat post epulas, ut contraria ad- 60.
severantium discordiæ eruerentur. nec deerant, qui ore vultuque tristi inter oblectamenta Regia spectari cuperent.
Sub idem tempus, levi contentione atrox cædes orta, inter 17
colonos Nucerinos Pompeianosque, gladiatorio spectaculo, quod Livineius Regulus, quem motum Senatu retuli, edebat. quippe oppidana lascivia invicem incessentes, probra, deinde saxa, postremo ferrum sumpsere, validiore Pompeianorum plebe, apud quos spectaculum edebatur. Ergo reportati sunt in urbem multi e Nucerinis, trunco per vulnera corpore, ac plerique *liberorum aut parentum mortes* deflebant. Cujus rei judicium Princeps Senatui, Senatus Consulibus

tum usque ad *simul.* Mox *quoquo modo* bene Pichena e Flor. Sed sic et Guelf. ed pr. omnesque veteres. Vitium operarum fuit *quoque modo*, in editione ea, qua Pichena usus est. Velut id reperi in ed. Lips. 1585. correctum in aliis. Ern. Bud. *ablatos* sed a. 2. m. *adlatos.*

Nec uno ore fluens] Miror, hic neminem tentasse *fluentium*, cum alibi talia tententur in Tacito et aliis. Nam *fluens* et *species* non bene conveniunt. Sed illa ἀκρίβεια non semper a Tacito servata est, ad poeticam rationem inclinante. Vide ad 4, 32. Mox in ed. pr. abest *tempus.* Ern.

Utque contraria asseverantium discordiæ eruebantur] Malim nihil hic mutari: nam illud, *utque eruebantur*, habet quandam ἔμφασιν, quam in nulla earum, quas subjiciunt, lectione reperio. Illæ namque significant modo, quid fieret: hoc etiam vanum, simulatum, fucatum fuisse, quod fiebat. Perinde namque est, quasi dixisset: *et quasi eruebantur:* et volebat videri se id agere, ut variæ et diversæ sectarum opiniones cognoscerentur et excuterentur. Nam τὸ *Ut* similitudinis est, ut bene Salinerius animadvertit. Gron. Rhenanus conjiciebat *quærerentur:* quod maxime mihi placuit ante ex iis, quæ vidi. Emphasin illam Gronovianam vix assequor, nec *utque eruebantur* est *et quasi.* MSS. Flor. *rueretur*, Bud. *ruerentur.* Agr. *eruerēt.* Guelf. *atque eruebantur.* Ed. pr. *ruerēt.* sed puto, virgulam errore operarum ex ultima litera in vicinam translatam. Puteol. *eruerentur.* Beroald. cum seq. omnibus *eruebantur.* Credo Tacitum scripsisse *viderentur* Juvat etiam, quod subjicitur: fuisse tamen etiam, qui non riderent cum Principe, sed, dum ille rideret Philosophos disputantes, severo vultu adsiderent. MSS. Fl. Reg. (Bud.) et ed. pr. mox *ore vultuque* pro *voce v.* quod recepi; et quia sequitur *spectari*, et quia alibi quoque *os* et *vultus* junguntur, ut ap. Virgil. 9, 251. et alibi. Ern. Bip. reponunt *eruerentur*, quod verum puto. *e* initiale a finali præcedentis vocis est absorptum. Sed sic rectius legetur: *ut c. ass. d. eruerentur*, quod visum et Hillero Rac. 38. Bud. a 1. m. habebat *atque c. ass. d. ruerentur.* unde 2. m. fecit *utque.* Bip. conjectant porro: *ut qui c. asseverarent, in discordias ruerent.* Ernestinæ conjecturæ *viderentur* prælusit jam Heinsius. Scopo Neronis omnino hæc convenientior. Paullo ante Bud. *impartiebat*, ut edit. veteres.

Levi contentione] MS. Fl. *intentione:* Puteol. item ed. pr. *intentio:* unde possis conjicere *levi initio* vel *levi ab initio:* sed ultima syllaba excidit. Intelligenda tamen præpositio *ab*, quam in hac formula omittere noster solet, ut infr. c. 32. Beroaldus primus edidit *contentione*, ut est in Guelf. quod omnes secuti sunt. Mox vett. edd. *Lividineius.* male. (Bud. *libidini ejus*) Recte hic et 3, 11. editur *Livineius*, ut e cognomine appparet. Ern.

Retuli] Libro deperdito.

Invicem incessente] Lege, *incessentes.* Lips. Mox edd. pr. Puteol. ceteræque vett. MS. (Bud.) Guelf. *deportati* sc. e spectaculo, et MS. Fl. (Bud.) ed. pr. *aut parentum*, non *ac*, ut sequentes. Ern.

A. U. permisit. Et rursus re ad Patres relata, prohibiti publice
813. in decem annos ejusmodi cœtu Pompeiani, collegiaque,
A. C. quæ contra leges instituerant, dissoluta: Livineius, et qui
60.
18 alii seditionem conciverant, exsilio multati sunt. Motus Senatu et Pedius Blæsus, accusantibus Cyrenensibus, *violatum ab eo thesaurum Æsculapii, delectumque militarem pretio et ambitione corruptum.* Iidem Cyrenenses reum agebant Acilium Strabonem, Prætoria potestate usum, et missum disceptatorem a Claudio agrorum, quos Regi Apioni quondam habitos, et Pop. Rom. cum Regno relictos, proximus quisque possessor invaserant, diutinaque licentia et injuria, quasi jure et æquo nitebantur. Igitur abjudicatis agris, orta adversus judicem invidia: et Senatus, *ignota sibi esse mandata Claudii, et consulendum Principem*, respondit. Nero, probata Strabonis sententia, *se nihilominus subvenire sociis,*

Re ad patres relata] Sic scripsi e MS. Flor. et ed. pr. ut etiam videbatur J. Gronovio, pro *delata*, quod est in (Bud. et) omnibus aliis edd. intelligendumque de relatione, quam Coss. re caussaque cognita, fecere. Non jam *res deferri* ad Senatum poterat, quod factum erat, re nunciata Senatui, et ultione petita: sed, quam poenam statui vellet, quæsitum. Similiter plerique codd. ap. Liv. 21, 6. *tunc delata res ex integro ad Senatum:* sed ex MS. Flor. et Cantabrig. recte Gronovii correxerunt *relata*, atque ita edidit Drakenb. Ern.

Livineius] Bud. hic *lividineius*.

Pedius Blæsus Sen. mot.] Postea restitutus. H. 1, 77.

Delectum militarem etc.] i. e. in delectu militari inique versatum esse, et vacationem militiæ dedisse pro pecunia, aut gratiæ caussa iis, qui ætatem militarem haberent, et stipendia facere deberent etc. Ern.

Apionis quondam habitos] Lego, *Regi Apioni.* Rufus hac de re: *Cyrenas cum ceteris civitatibus Libyæ Pentapolis Ptolemæi antiquioris liberalitate suscepimus. Libyam supremo Regis Apionis arbitrio sumus assecuti.* Item Eutropius 6, 11. *Quo tempore Libya quoque Romano imperio per testamentum Apionis, qui Rex ejus fuerat, accessit, in qua inclytæ civitates erant, Berenice, Ptolemais et Cyrenæ.* Appianus in extremo Mithridatico: Τοῖς Ῥωμαίοις Κυρήνην Ἀπίων βασιλεὺς τοῦ Λαγιδῶν γένους νόθος ἐκ διαθήκης ἀπέλιπεν. Factum hoc a. u. 660. C. Cœlio L. Domitio coss. Sed, ut moneam, in verbis Rufi vereor ut menda sit, licet occultior. Quis ille *Ptolemæus antiquior?* Plerique omnes Ægyptii Reges Ptolemæi, et parum proba aut recepta discriminis hæc nota. Ausim rescribere, *Ptolemai Apionis.* Nam hic sane Rex Ptolemæus fuit, sed cognomento Apion. Appianus Civil. I, 111. *Sequenti anno, Populus Romanus duabus provinciis ex testamentis Regum est auctus, Bithyniam Nicomede relinquente, Cyrenen Ptolemæo ex Lagidis, cui Apioni cognomentum fuit.* Lips. *Regi Apioni* bene probat Ryck. ex 11, 35. Lipsius olim conjiciebat *avitos* pro *habitos*, sicque correxerat vir doctus in ed. Gryph. sed illud melius; *Regi habitos* i. e. possessos. ad 11, 35. 13, 34. Ern. Bud. et alii *Regis Apionis*, quod servat Brot. In loco Appiani lege Λαγιδῶν, ut Civ. 1, 111.

P. R. c. Regno relictos] A. u. 658. teste Julio Obseq. c. 109. Cf. Vales. ad Amm. Marc. 22, 16.

Nero, probata] Sic primus edidit Pichena, cum ante esset *Princeps*, e vestigiis MS. Flor. *ne probata*, ut et habet Guelf. nisi quod tamen addit *Princeps.* J. Gronovius tamen malebat, *Nero rata.* At in ed. pr. est *ne improbata:* quod verbum etiam exhibet MS. Agr. nisi quod ille addit: *tum princeps non.* Mihi venit in mentem: *nec improbata S. s.* Sæpe Tacitus eventum rei tradit initio facto ab *et.* Principis verbum e proximo intelligi potest. Et nescio, quomodo aptius huic loco videtur *non improbata sententia*, quam *probata*, et multo magis *rata.* Nam rata quidem sententia illa non fuit, cum nihil ex ea actum sit, nec agri veteribus possessoribus ademti. Omnino *rata sententia* dici, pro, cum ratam sententiam esse jussisset, vix credo. Ern.

et usurpata concedere, scripsit. Sequuntur virorum inlu- A. U.
strium mortes, Domitii Afri et M. Servilii, qui summis ho- 813.
noribus et multa eloquentia viguerant. Ille orando caussas, A. C.
Servilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris, 60. 19
et elegantia vitæ; quam clariorem effecit, ut par ingenio,
ita morum diversus. Nerone quartum, Cornelio Cosso A. U.
coss. quinquennale ludicrum Romæ institutum est, ad 814.
morem Græci certaminis: varia fama, ut cuncta ferme A. C. 61.
nova. Quippe erant, qui *Cn. quoque Pompeium incusatum* 20

Et elegantia vitæ, quam clariorem] Trajecerim, *et quem elegantia vitæ clariorem effecit.* LIPS. *Elegantiam* accipio in optimam partem, et prorsus, ut de Pomponio Secundo 5, 8. *At Pomponius multa morum elegantia et ingenio illustri.* Ille autem, *ut par ingenio, ita morum diversus,* non Servilius est, sed Domitius. Quam, inquit, elegantiam vitæ Servilii effecit clariorem Domitius, ut par ingenio, ita morum diversus. Fecisse dicitur Domitius, quod, ut homines facerent, occasionem dedit. In contrarium Cicero ad fam. 12, 9. *Tu velim animo sapienti fortique sis, ut tua moderatio et gravitas aliorum infamet injuriam.* GRON. Verissima hæc, et omnes aliorum conjecturas inanes reddunt. Sed tamen excidisse puto nomen proprium, quod post *effecit* necessario desideratur: *quam clariorem effecit Afer.* Nam ad hunc certe ista pertinent. ERN. Frustra in hoc loco constituendo laborant interpretes. Sanus est, nec medicina eget. *Eloquentiam,* qua, *ut ingenio, par Domitio fuit Servilius,* hic *elegantia vitæ clariorem effecit,* quippe *morum* ab Afro *diversus* i. e. honestiore vita conspicuus, quam Afer. Is enim *Afer,* ut noster ait 4, 52. *prosperiore eloquentiæ quam morum fama fuit.* Fraudi fuit Gronovio, Ernestio, Hillero Rac. 38. aliis, quod Afrum elegantia morum eminuisse putarent. Nec ferenda conjectura Bip. qui ex *vitæ quam* effingunt *uterque eam,* quasi vitæ elegantia tribuatur utrique. Ita jam in versione Itala locum reddiderat Davanzati, perperam.

Nerone IV. Corn. Cosso COSS.] Quorum mentio in lapide Romæ (ap. Grut. p. 8, 5.) ET. GENIO. VENALIC. P. ACILIVS. CERDO. VOTVM. SOLVIT. NERONE. CAESARE. AVG. IIII. COSSO. LENTVLO. COSS. F. COS. LIPS. Aliam inscr. vide ap. Ryckium. ERN.

Quinquennale ludicrum] Est hoc ipsum, quod noster 16, 4. *lustrale certamen* appellat. Quod longo intervallo post reduxit et firmavit Gordianus Junior Imp. de quo apposite Victor. c. 27. *Eoque anno lustri certamine, quod Nero Romam invexerat, aucto firmatoque, in Persas profectus est.* Exemplum autem, credo, Nero sumsit a Neapolitis, de queis Strabo lib. 5. p. 246. Νυνὶ δὲ πεντετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται παρ' αὐτοῖς, μουσικός τε καὶ γυμνικὸς ἐπὶ πλείους ἡμέρας, ἐνάμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα. Nota quod ait, νυνὶ δέ. Institutum enim id certamen ejus ævo in honorem Augusti. Suetonius clare Aug. 98. et in Claud. 11. Herodes etiam Judææ Rex theatrum et certamen quinquennale condidit, ad honorem gratiamque Augusti, ut Josephus narrat 15, 8. Sunt et nummi Neroniani, in quibus mensa cum corona et lebete, inscripti: CERTA. QVINQ. ROM. CO. SC. id est, *Certamen Quinquennale Romæ constituit.* LIPS. Quidni exemplum sumserit a ludis quinquennalibus Actiacis ap. Sueton. Aug. c. 98. Sed forte etiam sponte instituturus fuerat. Vid. de his ludis Neronis Scalig. Emend. temp. p. 469. et ad 16, 2. ERN. De numis Neronis v. Eckhel D. NN. vet. vol. 6. p. 264. De re ipsa Suet. 12. A Neapolitisne sumserit Nero exemplum ludicri quinquennalis, dubitat P. Faber agonist. 3, 15.

Pompeium incusatum, quod] Perpetuum sane theatrum Pompeius condidit primus a. u. 689. Antea subitaria erant, et Censorum jussu plerumque disjecta. Tertull. de spectac. 10. *Sæpe Censores renascentia theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lascivia providebant. . . . Itaque Pompeius Magnus solo theatro suo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum extruxisset, veritus quandoque memoriæ suæ Censoriam animadversionem, Veneris ædem superposuit.* Donec, præcipitantibus moribus, exstruxerunt ipsi Censores. Valerius 2, 4, 2. *Theatra inchoata quidem sunt a Messalla et Cassio Censoribus, ceterum*

A. U. 814. A. C. 61. *a senioribus ferrent, quod mansuram theatri sedem posuisset. nam antea subitariis gradibus et scena in tempus structa ludos edi solitos: vel, si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse, ne, si consideret, theatro dies totos ignavia continuaret. Spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens Prætores ederent, nulla cuiquam civium necessitate certandi. Ceterum abolitos paullatim patrios mores, funditus everti per accitam lasciviam, ut, quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in urbe visatur, degeneretque studiis externis juventus, gymnasia et otia et turpes amores exercendo, Principe et Senatu auctoribus; qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant: Proceres Romani, specie orationum et carminum, scena*

auctore Scipione Nasica omnem apparatum operis eorum subjectum hastæ vænire placuit. Appianus Civil. 1, 28. Τῷ δ' αὐτῷ χρόνῳ Σκιπίων ὕπατος καθεῖλε τὸ θέατρον, οὗ Λεύκιος Κάσσιος ἦρχετο, καὶ ἤδη που τέλος ἐλάμβανεν· ὡς καὶ τόδε στάσεων ἄρξον ἑτέρων, ἢ οὐ χρήσιμον ὅλως Ἑλληνικαῖς ἡδυπαθείαις Ῥωμαίους ἐθίζεσθαι. Eamque in rem SC. interpositum, quod legis nomine Tertullianus intellexit in Apolog. 6. *Quonam illæ leges abierunt, . . . quæ theatra stuprandis moribus orientia, statim destruebant?* Velleii locus addatur, qui corruptus vulgo, 1, 15. *Cassius Censor, a Lupercali in Palatium versus, theatrum facere instituit: cui in demoliendo eximia civitatis severitas et Consul Cæpio restitere.* Scribe, *in emoliendo* et *Scipio*. LIPS.

Antea subitariis gradibus] Ausonius in prol. ad Lud. 7. Sap. 14. *Ædilis olim scenam tabulatam dabat Subito excitatam, nulla mole saxea.* LIPS.

Stantem populum spectavisse] Valerius l. c. ait: *SC. cautum, nequis in urbe propiusve passus mille, subsellia posuisse, sedensve ludos spectare vellet.* Sessionem tamen adstruere Livius 1, 35. et Dionysius videntur 3, 68. sub Tarquinio Rege: *Loca divisa Patribus Equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent, fori appellati. Spectavere furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes.* Sed tantum in Circo. LIPS.

Ne si consideret] Omnes hic *ne si cons.* scribendum censent, cum vulgo sit in scriptis et editis *si consideret.* Solus Ryckius in textum recepit *ne*, et mox ante *spectaculorum* idem delevit, auctore cod. Agr. quem nos imitati sumus. Nempe loco motum est τὸ *ne*, quod e sequente versu huc retrahendum erat. Etiam J. Gronovius secutus est, sed tacite, Ryckium, ne confiteretur, aliquid boni esse in cod. Agr. præsertim, quod non esset in Florentino. ERN.

Quoties P. R. sederet] Libri scripti (in his Bud.) *Prætor sederet.* Facile et vere emendes, *Prætores ederent.* Enimvero editionem ludorum Magistratibus incubuisse, præsertim Prætori, notum iis, qui in vestibulo versantur antiquitatis. Facit huic parti illa responsio: *Nec proinde Magistratus rem familiarem exhausturos*, etc. LIPS. Ed. pr. *Prætor sederet.* et sic ceteræ usque ad Rhen. qui edidit *quoties P. R. sederet.* Lipsius vere correxit. recepit Pichena. ERN.

Necessitate certandi] Secutus sum manuscriptos. Vulgata scriptio tamen recta adæque, *spectandi.* Utrumque enim factitatum sub his comœdis Principibus, ut viri illustres et ad certandum cogerentur et ad spectandum. Nec displiceat geminari, *necessitate spectandi aut certandi.* LIPS. *Certandi* edd. omnes ante Rhen. qui edidit *spectandi.* quod secuti sunt omnes usque ad Lipsium. *Certandi* etiam MS. (Bud. et) Guelf. ERN. *Spectandi* posset defendi ex 16, 5.

Funditus everti] Libris meis abest τὸ *everti.* et omiseris recte. Scribi etiam possit *et verti.* LIPS. *Everti* edd. omnes habent, nisi quod in pr. corrupte *eunti* (ut c. Agr.). Omitti posse censebat etiam Muretus. Acidalius *verti* volebat, quo sæpius Tacitus utatur, quam *everti* (ut 4, 42.). Ego abesse posse non credo: esse enim ante deberet *aboleri*, non *abolitos.* Tum, quid est *abolitos paullatim funditus?* Immo, cum ante paullatim aboliti sint, nunc repente funditus everti per peregrinam lasciviam. ERN. Bud. etiam *everti.*

Specie orationum et carminum] Ad Musicum certamen referto. LIPS. Im-

polluantur. quid superesse, nisi ut corpora quoque nudent et A. U. 814. A. C. 61.
cæstus adsumant, easque pugnas pro militia et armis meditentur? An justitiam augurii, et decurias Equitum egregium judicandi munus expleturos, si fractos sonos et dulcedinem vocum perite audissent? Noctes quoque dedecori adjectas, ne quod tempus pudori relinquatur, sed, cœtu promiscuo, quod perditissimus quisque per diem concupiverit, per tenebras audeat.
Pluribus ipsa licentia placebat, ac tamen honesta nomina 21
prætendebant: *Majores quoque non abhorruisse spectaculorum oblectamentis, pro fortuna, quæ tum erat; eoque a Tuscis*

mo etiam ad oratorium. v. c. 21. Ante *proceres* colon scripsimus, ut est etiam in ed. pr. Ita difficultas tollitur, quam fingit Acidalius, eoque aut *ut* addi, aut *potiui* corrigi vult. Pendet scil. membrum a superiori *ut*. Mox possis conjicere *cæstus sumant*, ut ex ultima præcedentis verbi nata sit syllaba prima in vulgato: est enim usitatius in tali re simplex. sed etiam Agric. 3. *assumere fiduciam*, pro quo alii potius *sumere fiduciam*. Ern. De cæstu v. Servius ad Æn. 5, 401.

An justitiam augurii] Vitium: cui medendo impar ego. Lips. *Fracti soni* non significant aliquid ad artem pertinens, sed id, quod Seneca dicit *non virile*, cum in Hercule Furente canit v. 450. *Ad non virilem tympani movit sonum. Decuriæ* autem *Equitum* ut nihil respiciunt militarium muniorum, ita nec augurali ullus hic est locus disciplinæ. Tamen est etiam, qui sensui serviisse ait sese, absque cura verborum, quæ Lipsius corrupta credat. Hoc autem velle Tacitum, vaticinatur: ubi posthac inventum iri severitatem judicis et sanctimoniam Sacerdotis inter homines gnaros mollium sonorum et numerorum musicorum? Id elici satis commode putat ex infra scriptis, quæ positis hic respondent: *nec cuiquam judici grave aures studiis honestis et voluptatibus concessis impartire.* Ubi etiam sine cura, opinor, verborum, interpretatur judicem nihil perdere gravitatis. Interim hoc posteriore in loco, quid est, quod confirmet illam castimoniam Sacerdotis? De solis judicibus excusat, quia de solis judicibus mota erat invidia. Desinamus nugari et audiamus solum Pichenam, qui corrigit *an institutos Augustanos et d. E.* Posset legi: *An institutos Augustanos e decuriis Equitum:* sed non est necesse. Nam *institutos Augustanos et decurias Equitum* per ἓν διὰ δυοῖν dicitur de iisdem, prorsus ut 13, 25. *ludicram licentiam et fautores histrionum.* c. 46. *Pellice ancilla et assuetudine Actes.* Num, inquit, adolescentulos secundi ordinis (qui conscripti sint cognomento Augustanorum, aliquando in decurias judicum allegendi) paratius et religiosius caussas audituros, si molliter et dulce canenti Cæsari artificiose plaudere et docte atque ingeniose acclamare didicissent? Nam hoc est *perite audire* (ut apud Suet. 22. *solus scire audire Græcos*) *plausibus personare formamque Principis et vocem Deum vocabulis appellare*, quemadmodum interpretatus ipse Tacitus c. 15. Quod quia fiebat assidue, *dies et noctes*, ideo justior hæc invidia in tam male perdentes tempus, quod collocare deberent in sanctissimo judicum officio discendo, cui destinabantur. Gron. Broterius locum sanari putat, una copula transposita *et egr. i. m.* Justitiam augurii intelligit auguratum. Ern. Brot. ita explicat: an augurum, an judicum muneribus pares futuros homines etc. Equidem cum Salinerio initium periodi refero ad *proceres*, et post *Equitum* comma tollo. hoc sensu: an proceres curatius executuros, quæ ad jus augurii pertinent; an Equites, quæ ad munus judicandi? Bip. *augurii* mutant in *augures*, et per justitiam intelligunt jus, juris rationem summam, de qua Cic. de Legg. 2, 12.

Ac tamen] Ed. pr. *attamen*. Licentia illa uti cupiebant, sed sub honestioribus nominibus. Ern.

Spectaculorum oblectamentis] Farnes. *oblectamenta*. vere. Lips. Edd. omnes ablativum habent. Ern.

A Tuscis accitos histriones] Freinsh. pro *Tuscis* putat legendum *Oscis* ex 4, 14. Frustra. Nam et Livius 7, 2. *ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Tusco dabant.* Atque etiam nomen Tuscum est, auctore eodem Livio ibid. *quia hister Tusco verbo ludio vo-*

A. U. 814. A. C. 61. *accitos histriones, a Thuriis equorum certamina: et, possessa Achaia Asiaque, ludos curatius editos: nec quemquam Romæ, honesto loco ortum, ad theatrales artes degeneravisse, ducentis jam annis a L. Mummii triumpho, qui primus id genus spectaculi in urbe præbuerit. Sed et consultum parcimoniæ, quod perpetua sedes theatro locata sit potius, quam inmenso sumptu singulos per annos consurgeret ac strueretur. Nec perinde Magistratus rem familiarem exhausturos, aut populo efflagitandi Græca certamina a Magistratibus caussam fore, cum eo sumptu Resp. fungatur. oratorum ac vatum victorias incitamentum ingeniis adlaturas: nec cuiquam judici grave, aures studiis honestis et voluptatibus concessis inpartire. lætitiæ ma-*

cabatur, nomen histrionibus inditum. Nempe ludus ipse ab Oscis est, ut noster tradit 4, 14. Livius l. c. histriones ex Etruria venere, cum ludi jam essent, ut clarum e Livio, ut magis excitarentur, fierentque jucundiores. Ern.

A Thuris equorum certamina] Atqui Livius 1, 35. etiam equos a Tuscis derivat. *Ludicrum fuit, equi pugilesque, ex Etruria maxime acciti.* Et, cum equorum certamina antiquissima Romæ sint, vix videntur ea petiisse tam longinque. Magna Græcia certe et illa ora, in qua Thurii, non tam pernota tunc Romanis. Quæ tamen frons mea a Tacito dissentientis? Thurii vicini Tarentinis, ab iisque eversi, ut Strabo narrat: quorum olim Sybaris, oppidum celebre deliciis. Ab Augusto colonia illuc deducta, Copiæ. Lips. Vir doctus in marg. ed. Gryph. *Tyriis:* nescio unde, aut quare. Ern.

Ludos curatius editos] Germana Cornelii vox, non *accuratius*, ex libris. Lips. Sic et Guelf. ed. pr. Puteolanus dedit *accuratius.* Ern.

Nec quemquam] Sic Pich. e codd. vet. prius *neque q.*

Ducentis jam annis] Et paullo pluribus, quoniam triumphavit de Achæis et Corinthiis Mummius a. u. 608. Lips. Ceterum *Mummii* MS. Flor. ed. pr. non *Mumii*, ut est in edd. ceteris usque ad Ryckium. Ern. Consentiunt lapides Capitolini.

Qui primus id genus] Quod genus? gymnicosne? inclinabam, sed primus athletas dedisse legitur in Ædilitate Æmilius Scaurus, multis post annis. Potes igitur capere ludos Græcos. Nam antea noti tantum Osci et Latini. Cicero ad Marium 7, 1. *Non enim puto te Græcos aut Oscos ludos desiderasse: præsertim, cum Oscos vel in Senatu spectare possis, Græcos vero ita non ames, ut nec ad villam tuam via Græca ire soleas.* Hos triplices ludos Tranquillus in Julio intellegit 39. *Ludos regionatim urbe tota dedit, et quidem per omnium linguarum histriones.* Et Aug. 43. *Ludos fecit nonnunquam vicatim, ac pluribus scenis, per omnium linguarum histriones.* Lips.

Consurgeret ac strueretur] Haud dubie elegantius et ad brevitatem aptius foret, si abesset *ac strueretur*, quod habet speciem glossæ. Nam *surgere* et *consurgere* eleganter dicuntur, quæ *struuntur, ædificantur.* quorsum ergo idem bis dicitur, et suavitas tropi explicatione exstinguitur? Admiratores brevitatis et elegantiæ Cornelianæ facile largientur, delendum esse. Sed tamen omnes scripti et edd. habent, et Tacitum sibi in brevitatis cura non satis constare semper id quoque jam alibi monuimus. Igitur ἐπέχω. Si Cicero aut Livius esset, non dubitarem esse insititium. magis tamen inclino in partem eam, ut Tacito abjudicem, propter frequentiam glossematum, quibus ejus libri interpolati sunt. V. ad 16, 1. Ern. *Destrueretur* invenit in libro quodam J. Ad. Nodell. in crit. obs. edit. Campæ 1781. Verum exergasia vulg. bene habet.

Efflagitandi Græca certamina] Certaminis vox ad gymnasium spectare potius videtur, quam ad scenam. Sed in scena ipsa certamen quoddam victoriæ. Lips.

Nec cuiquam judici grave] Respondetur ad verba: *an institutos Augustanos et decurias Equitum egregium judicandi munus expleturos.* Judicium caussarum forensium et carminum orationumque bene conjungi. Cicero pro Arch. 10. *aures poetis dedere* dixit. Ern.

gis quam lasciviæ dari paucas totius quinquennii noctes, A. U.
quibus, tanta luce ignium, nihil inlicitum occultari queat. 814.
Sane nullo insigni dehonestamento id spectaculum transiit. A. C.
Ac ne modica quidem studia plebis exarsere, quia, redditi 61.
quamquam scenæ, Pantomimi certaminibus sacris prohibebantur. Eloquentiæ primas nemo tulit, sed, *victorem esse Cæsarem,* pronuntiatum. Græci amictus, quis per eos dies plerique incesserant, tum exoleverant. Inter quæ et sidus 22

Totius quinquennii] Ita scripserim, non, *potius*. LIPS. Bud. *potius*.

Ac ne modica quidem] *Immodica* legendum videtur: quæ videlicet excitari solebant pantomimorum certamine. Supra 1, 77. et 13, 25. GRON. Sane verbum *exarsere* vehementius est, quam pro *ne modica quidem*. At contra mihi *immodica* non videntur pati *ne quidem*. Igitur vulgatum huic conjecturæ præfero. Si quid tamen tentandum, malim *ne solita quidem*. ERN. Non opus. Sensus est, ne mediocres quidem plausus orti sunt. *Exardescere* sæpe non plus significat, ut H. 2, 38. Vell. 2, 48. Cf. Hiller. Rac. 38.

Pantomimi certaminibus sacris] Certamina sacra, sive *ἱεροὺς ἀγῶνας, ὧν τὰ ἆθλα ἐν στεφάνῳ μόνῳ*, definit Pollux 3, 30. Tale hoc Neapolitanum, quod et *ἱερὸς ἀγὼν* a Strabone dicitur l. 5. p. 246. LIPS.

Eloquentiæ primas partes] Farnesiano abest *partes*. recte. LIPS. Item a Flor. et ed. pr. ERN.

Græci amictus] Libri leviter aberrant. Nam Farnes. *Circetiam jactam quo.* Vatican. *Græciam jactus ta quo.* Dixi aberrant. nam vera lectio hæc: *Græci etiam amictus, quis per eos dies p. incesserant.* vel, *quos p. e. d. p. ingesserant.* Græcanicum scilicet hoc certamen fuit, et ideo amiciebantur plerique ad morem Græcum, palliati crepidatique. Hæsi olim, sed expedivit me plane Dio 60, 6. de hoc ipso spectaculo, Neapoli: *Ἐπεὶ ἔν γε τῇ Νεαπόλει καὶ παντάπασιν ἰδιωτικῶς ἔζη. Τά τε γὰρ ἄλλα Ἑλληνικῶς καὶ αὐτὸς καὶ οἱ συνόντες οἱ διητᾶτο, καὶ ἐν μὲν ταῖς τῆς μουσικῆς θεωρίαις ἱμάτιον καὶ κρηπῖδας, ἐν δὲ τῷ γυμνικῷ ἀγῶνι πορφυρίδα καὶ στέφανον χρυσοῦν ἐλάμβανε.* Et simile, quod in Commodo tradit 72, 17. quotiens theatrum ingrederetur, solitum sumere *χλαμύδα ὁλοπόρφυρον τὸν Ἑλληνικὸν, τρόπον, καὶ στέφανον ἔκ τε λίθων Ἰνδικῶν καὶ ἐκ χρυσοῦ πεποιημένον.* Ex his facile intellego restituoque Suetonii locum Domitiani 4. *Certabant etiam et prosa oratione Græce Latineque, ac præter citharœdos chorocitharistæ quoque et psilocitharistæ. In stadio vero cursu etiam virginum certamini præsedit crepidatus purpureaque amictus toga Græcanica, capite gestans coronam auream.* Corrigo et distinguo: *et psilocitharistæ: in stadio vero cursu etiam virgines. Certamini præsedit,* etc. Vera lectio, vera mens: certasse, præter citharœdos, etiam chorocitharistas, et in stadio, certamine cursus, etiam virgines. At certamini toti quinquennali præsedisse Domitianum ritu Græco, purpurea toga, et corona ornatum. Dixit enim togam: mallem chlamydem, uti idem scriptor Neronis c. 25. reditum in urbem describens, habitu Græcanico: *in veste purpurea, distinctaque stellis aureis chlamyde.* ubi, *veste*, glossematium puto, deleoque. Item Dio supra, et Capitolinus in Pertinace 8. *Purpureasque chlamydes Græcanicas.* LIPS. Scribo, *incessirant*. quos, inquit, per eos dies toga posita gestatos plerique arguebant, jam vulgares tum erant, et sero reprehendebantur. GRON. MSS. Flor. (Bud.) Guelf. *Græci amictus*, ut est in omnibus edd. præter pr. quæ habet *græciam jactus* ut MS. Vatic. Mox MSS. præter Guelf. omnes (et Bud.) et ed. pr. *quo:* unde Pichena colligebat, legendum *quomodo*. Id recepit Berneggerus: *Quos*, quod edd. omnes inde a Puteol. habent, estque in Guelf. restituit J. F. Gron. In *quo* nihil impedit, quo minus intelligas *amictu*, etsi pluralis præcedit: cujus formæ exempla ap. Græcos et Latinos sunt. sic mox c. 22. post *stagna*, in *cui* intelligi posse *stagno* putabat J. Gronovius. Groslotius malebat *quis*. Sed *quos* melius. *Incesserant* (al. *incessiverant*) int. conviciis. Gronovii *incessirant*, defendam, si in libris occurrat: corrigendo nulli obtrudam. ERN. Bip. prætulerunt *quis* pro *quibus* usi erant. Mihi quoque magis hæc lectio arridet. Dein Bud. *exoluerant*.

Inter quæ etc.] Cf. Sen. N. Q. 7, 17. sq. et Octav. v. 231.

A. U. 814. A. C. 61. cometes effulsit: de quo vulgi opinio est, tamquam mutationem Regnis portendat. Igitur, quasi jam depulso Nerone, quisnam deligeretur, anquirebant. et omnium ore Rubellius Plautus celebrabatur, cui nobilitas, per matrem, ex Julia familia. Ipse placita majorum colebat, habitu severo, casta et secreta domo, quantoque metu occultior, tanto plus famæ adeptus. Auxit rumorem pari vanitate orta interpretatio fulguris. Nam, quia discumbentis Neronis apud Simbruina stagna, cui *Sublaqueum* nomen est, ictæ dapes, mensaque disjecta erat, idque finibus Tiburtum acciderat, unde paterna Plauto origo, hunc illum numine Deum destinari credebant. fovebantque multi, quibus, nova et ancipitia præcolere, avida et plerumque fallax ambitio est. Ergo permotus iis Nero, componit ad Plautum litteras, *consu-*

Tamquam mutationem Regis p.] Bentleius ad Lucan. 1, 529. corrigit *Regnis*. Sane admodum probabiliter. Broterius recepit in textum. ERN. Ita et Bip. recte.

Anquirebant] Sic cum J. Gron. correxi vulgatum *inquirebant*, e MS. Flor. adjuvante loco simili 13, 6. ea verba et alibi confusa. Secutus est Broterius. MS. Agr. et ed. pr. *perquirebant;* quod certe malim, quam *inquir.* quod est in omnibus edd. reliquis. Mox *celebrabatur* est a Pichenæ correctione, quæ jam Mureto in mentem venerat. Nam MSS. (Bud. etiam et Agr.) edd. superiores omnes *celebratur*. At J. Gronov. in MS. Flor. legit *celebratus*, idque recepit. Præsens imperfecto sæpe in Tacito substitutum esse, jam vidimus. V. c. 15. ERN. In Bud. a 1. m. fuisse videtur *anquirebant.*

Rub. Plautus] Cf. mox c. 57. et 13, 19.

Apud Simbruina stagna, cui Sublaqueum nomen est] Plinius 3, 12. (17.) *Anio lacus tres amœnitate nobiles, qui nomen dedere Sublaceo* (ita enim potius scribend. quia a lacu) *defert in Tiberim.* Addubito, num vox Tacito desit, legendumque: *villa, cui Sublaqueum nomen.* Certe Neronis villa Sublacensis Frontino 2. de Aquæduct. cognita. Æmoinus 2, 16. *Benedictus pater in loco, qui Sublacus dicitur, qui ab urbe Roma* 40. *millibus abest . . . effulsit.* Philostratus 4, 43. De vita Apollonii ad hanc rem addit, calicem Neronis, quem jam ori admoverat, fulmine excussum. LIPS. Suspicor a Tacito fuisse: *discumbentis Neronis apud Simbruina stagna (loco Sublaqueum nomen est) ictæ dapes.* ut H. 4, 26. *nec ausi ad hostem pergere (loco Gelduba nomen est) castra fecere.* Sic et restituendum apud Florum 3, 3. *Prioresque Theutonos sub ipsis Alpium radicibus assequutus (locum Aquas Sextias vocant) quo (fidem Numinum!) prælio oppressit?* GRON. Gronovii correctio probatur Ryckio. Et est sane usitata ista ratio nostro, et Livio in primis. Sed tamen nulla necessitas sic loquendi; et, ut recte monet J. Gronovius, relativo noster non minus sæpe utitur. Ipse intelligit *stagno:* non male. Immo cur non *loco*, quod non raro per ellipsin abest. Vir doctus in ed. Gryph. correxerat *quis*. De Simbruinis collibus v. ad 11, 13. *Stagna* sunt tres lacus Plinio memorati. MS. Guelf. pro *ictæ* habet *jactæ*. ERN. Ryck. supplet *loco, cui. Villa, cui Subl.* legit Cluver. Ital. ant. 2, 10. Boxh. pro *cui* vult *quibus*. De Simbruinis stagnis dixi ad Vib. Seq. p. 53.

Hunc illum numine Deum destinari credebant] Groslotius, Rhenanus et Grotius *hinc* corrigunt. Quasi non alterum multo sit elegantius. (Bud. *hunc*). Virgilius Æn. 4, 675. *Hoc illud germana fuit? me fraude petebas?* Petronius c. 101. *hic est Cyclops ille et archipirata, cui vecturam debemus.* GRON. Sic supra *quem illum:* ubi frustra tentabant *ullum*. Mox *præcolere nova et ancipitia* est colere, præteritis tutis et præsentibus. ERN.

Consuleret sibi et turbis] Volebam, *sibi et urbi:* sed notat in Flor. legi *consuleret quiet urbis:* ex quo apposite Pichena, *quieti urbis*. Sed sic tamen prius illud deest *sibi:* nec abeo a mea conjectura. LIPS. Repugnat Pichenæ Lipsius, passus ἀνθρώπινόν τι. Neque enim τὸ *sibi* vel Neronis vel Taciti ora-

leret quieti urbis, seque prave diffamantibus subtraheret. esse A. U.
illi per Asiam avitos agros, in quibus tuta et inturbida juventa 814.
frueretur. Ita illuc cum conjuge Antistia et paucis fami- A. C. 61.
liarium concessit. Iisdem diebus nimia luxus cupido infamiam et periculum Neroni tulit, quia fontem aquæ Marciæ, ad urbem deductæ, nando incesserat: videbaturque potus sacros, et cærimoniam loci corpore loto polluisse, secutaque anceps valetudo iram Deum adfirmavit.

At Corbulo, post deleta Artaxata, utendum recenti ter- 23
rore ratus ad occupanda Tigranocerta, quibus excisis, metum hostium intenderet, vel, si pepercisset, clementiæ famam adipisceretur; illuc pergit, non infenso exercitu, ne spem veniæ auferret, neque tamen remissa cura, gnarus, facilem mutatu gentem, ut segnem ad pericula, ita infidam ad occasiones. Barbari, pro ingenio quisque, alii preces offerre, quidam deserere vicos, et in avia digredi: ac fuere, qui se speluncis, et carissima secum, abderent. Igitur Dux Romanus diversis artibus, misericordia adversus supplices, celeritate adversus profugos, inmitis iis, qui latebras insederant, ora et exitus specuum, sarmentis virgultisque completos, igni exurit. Atque illum, fines suos prægredientem,

tio necessario requirit, ut, si absit illud, manca vel vitiosa debeat putari. Posset id tenere locum, si constarent cætera. *Sibi et turbis* (ut in Bud.) tolerari nequit: et arguitur ab antiqua manu, ex qua corrector indoctior fabricavit vulgatum, cum faciendum haberet, quod Pichena. Tum *consuleret urbi*, quam laxum. At *consuleret quieti urbis* tale, nihil ut possit expressius aut definitius. GRON. MS. Corb. Ed. pr. *sibi e turbis.* Mox *prava.* ERN. Sic et Bud.

Iisdem] Bud. *Isdem.* ita frequenter.

Aquæ Marciæ] Vera lectio. frustra turbant libri, qui partim, *aquæ marginæ*, partim *morgio* referunt. LIPS. Hoc habet ed. pr. Sed inde a Puteol. vulgatum est in omnibus edd. In MS. Guelf. a manu pr. *Marsiæ*, a sec. *Marsyæ.* Mox Heinsius e cod. Agric. corrigebat *incestarat.* V. ad Vellei. 2, 73. Sed hic narrat Tacitus modo, quid fecerit, de polluta aqua statim sequitur. Recte igitur et a Ryckio hæc correctio rejicitur. ERN. Ex h. l. clare patet ap. Ryckium, amicum, quem citare solet, esse Heinsium.

Corpore toto polluisse] Imo, *corpore loto.* Fontes et capita aquarum priscis sacra: in iisque natare nefas. Plinius ep. 8, 8. de Clitumno: *Pons terminus sacri profanique: in superiori parte navigare tantum, infra etiam natare concessum.* Imo in quibusdam aquis navigare etiam vetitum. Ib. ep. 20. de lacu Vadimonis: *Nulla in hoc navis (sacer enim est) sed innatant insulæ,* etc. Seneca epist. 41. de his cæremoniis: *Magnorum fluminum capita veneramur; subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet: coluntur aquarum calentium fontes, et stagna quædam vel opacitas vel immersa altitudo sacravit.* LIPS. *Loto* etiam volebat Heins. ep. ad Græv. t. 4. Coll. Burm. p. 424. valdeque probat Grævius ibid. p. 426. Recte. Sic supra confusa *tecti* et *lecti*. c. 5. ERN. Bud. *toto corpore.* Recepi *loto* cum Bip.

Post deleta Artaxata] V. 13, 41.

Ad occupanda Tigranocerta] Sic MS. (Bud.) Guelf. ed. pr. Rhen. et sequentes omnes. At Puteol. Beroald. Alc. *occupandum*, quod ipsum quoque rectum est, nec inusitatum bonis scriptoribus. Mox *infidam ad occasiones* est, si occasio opportuna deficiendi daretur, defecturam facile. ERN.

In avia digredi] Proprie dicimus *in avia degredi:* sed, quia non omnes easdem partes petiere, sed fuga illa etiam dispersi sunt, vulgatum ferendum puto. ERN.

Fines suos prætergredientem] MS. Flor. (et Bud.) *prægredientem.* Ed. pr. (et c. Agr. *inf. s.*) *progredientem* vitiose, pro *prægredientem:* quod non

A. U. 814. A. C. 61. incursavere Mardi, latrociniis exerciti, contraque inrumpentem montibus defensi. quos Corbulo, inmissis Hiberis, vastavit, hostilemque audaciam externo sanguine ultus est.

24 Ipse exercitusque, ut nullis ex prœlio damnis, ita per inopiam et labores fatiscebant, carne pecudum propulsare famem adacti. Ad hæc penuria aquæ, fervida æstas, longinqua itinera, sola Ducis patientia mitigabantur, eodem plura, quam gregario milite, tolerante. Ventum dehinc in locos cultos, demessæque segetes, et ex duobus castellis, in quæ confugerant Armenii, alterum inpetu captum; qui primam vim depulerant, obsidione coguntur. Unde in regionem Taurantium transgressus, inprovisum periculum vitavit. Nam haud procul tentorio ejus, non ignobilis barbarus cum telo repertus, ordinem insidiarum, seque auctorem et socios per tormenta edidit. convictique et puniti sunt, qui specie amicitiæ dolum parabant. Nec multo post legati Tigranocerta missi, patere moenia adferunt, intentos popularis ad jussa. Simul hospitale donum, coronam auream, tradebant. Accepitque cum honore; nec quidquam urbi detractum, quo promptius obsequium integri retinerent.

25 At præsidium Regium, quod ferox juventus

spernendum cum J. Gronovio puto. Sic *prævehi* pro *prætervehi* sæpe, etiam apud nostrum, ut suo loco videbimus. Et *prægredi* quoque sic Livio aliisque usurpatum, et adsertum a viris doctis. V. J. F. Gronov. et Drakenb. ad Liv. 29, 32. Similiter hæc verba in libris confunduntur ap. eundem 35, 30. ubi *prægredi* præfertur. Recepit et Broterius. MS. Guelf. habet quidem *prætergred.* sed ut literæ *æter* sint in litura. Ern.

Carne pecudum propulsare] Ut Tacitus, sic et Cæsar B. G. 7, 17. *usque eo, ut complures dies milites frumento caruerint, et pecore, e longinquioribus vicis adacto, extremam famem sustentarent.* Nempe carere frumento militi Romano extrema fames est. Gron.

Ad hæc] Bud. *Ad hoc.* Mox Agr. *aquarum penuria.*

Eodem plura quam gr.] Ed. pr. *eodem plura gregario milite toleranti.* Unde suspicor Tacitum scripsisse *eadem plura gregario milite tolerantis.* Nam, si accurate perpendas, non *eodem*, sed *ipso* Latinitas postulat. Tum ablativi prope nimis frequentes. quanquam *tolerante* ad *patientia* referri potest. Ern. Bud. *quam gr. m. toleranti.*

Alterum impetu captum] Vox addita, auctore Vatic. Lips. Nempe *captum*, quod etiam Guelf. ed. pr. exhibent. Ern.

Taurauntium] Sic cum J. Gron. rescripsimus, qui ita reperit in MS. Flor. Vereor tamen, ne verum sit *Taurannitium*, quod est in ed. pr. consentitque cod. Guelf. Agr. Quod Beroaldum primum exhibuisse dicit idem *Taurauntium*, fallitur: secutus est Puteolanum, qui ita habet. *Taurantium* esse a Lipsio dicit Ryckius: sed ita jam reperio in Gryphiana, operarum, ut opinor, vitio; nam alioqui Rhenanum sequitur, qui dedit *Taurauntium.* Ern. In Rhen. forsan vitium hæret, nam Bud. habet *Taurantium.* Agr. *Tauramnitium.*

Vitavit] Acid. conjicit *vix vitavit.*

Non ignobilis barbarus] Unus Megistanum, estque ille ipse, de quo Frontinus sic narrat 2, 9. *Domitius Corbulo, cum Tigranocertam obsideret . . . in quemdam ex Megistanis, quos ceperat, animadvertit, caputque ejus ballista excussum, intra munimenta hostium misit. Id forte decidit in medium concilium, quod tum cum maxime habebant Barbari. ad cujus conspectum velut ostento consternati ad deditionem festinaverunt.* Lips.

At præsidium Regium etc.] *Præsidium* accipe de castello, ut supra 3, 21. Id milites impositi, fortitudine freti, clauserant, cum contra Tigranocertis moenia paterent. Frustra Muretus *quod, i. clausa erat*, et non animad-

clauserat, non sine certamine expugnatum est. nam et prœlium pro muris ausi erant, et pulsi intra munimenta aggeris demum, et inrumpentium armis cessere. quæ facilius provenicbant, quia Parthi Hyrcano bello distinebantur. Miserantque Hyrcani ad Principem Romanum, societatem oratum, *adtineri a se Vologesen pro pignore amicitiæ*, ostentantes. eos regredientes Corbulo, ne Euphraten transgressi hostium custodiis circumvenirentur, dato præsidio, ad litora maris rubri deduxit: unde, vitatis Parthorum finibus, patrias in sedes remeavere. Quin et Tiridaten, per Medos extrema Armeniæ intrantem, præmisso cum auxiliis Verulano Legato, atque ipse legionibus citis, abire procul, ac spem belli amittere subegit: quosque nobis, ob Regem, aversos animis cognoverat, cædibus et incendiis perpopulatus, possessionem Armeniæ usurpabat: cum advenit Tigranes, a Nerone ad capessendum imperium delectus, Cappadocum ex nobilitate, Regis Archelai nepos, sed quod diu obses apud urbem fuerat, usque ad servilem patientiam

A. U. 814. A. C. 61.

26

versa elegantia vulgati. Pro *regium* MSS. Bud. Guelf. et ed. pr. *legerat*. (Agr. *inerat*.) Forte latet hic nomen istius castelli. Mox MSS. Fl. (Bud. Agr.) Guelf. edd. vett. omnes *et irrumpentium:* quod restituit J. Gron. Recentiores copulam omiserant. Ryckius pro *aggeris* vult *aggeribus* sc. obsidentium. (cf. H. 3, 20.) Non displicet: aggeribus demum muro injunctis, et irrumpentibus hostibus cessere. Ern.

Hyrcano bello distinebantur] Scribendum *detinebantur.* Sic Livius 27, 12. *Hannibalem acerrimo bello detineret.* Apud Cic. Phil. 11, 2. est quidem in recentioribus libris *distineri bello:* sed edd. vett. omnes *detineri.* Ern.

Ad litora maris Rubri deduxit] Valde equidem hic nunc hæreo, olim et in primis editionibus transitum aut neglectum. Ad quod *mare rubrum* Hyrcanos (de iis sermo) deduxit? Illud Ægyptium, quod vulgo sic appellant? ingens via sit, et nec sic in fines suos, nisi per Parthorum, intrarint. An alterum illud magnum et Indicum? ita solent veteres, fateor: sed nec hic ei locus, aut omnis Chorographia me fallit. Sunt enim Hyrcani ad mare Caspium ipsum siti, procul ab omni Indico: et pone, vel flexu magno isse, tamen Parthorum fines omnia illa maritima fere tangebant. Plinius 6, 26. (29.) *Persæ rubrum mare semper accoluere;* atque aliæ sub Parthis gentes. Considera, et inspice (oculorum res est) abeunt a patria millibus millium; et in discrimina ipsa veniunt, quæ vitabant. Quod dicam, non habeo, nisi si scripsit Tacitus, *ad litora maris sui.* Nam Tacitum ut imperitiæ accusem, durum improbumque sit: et mea ista lectio haud ab re sit, ex Armenia cum præsidio, brevi flexu, deductos ad mare, juxta quod habitabant. Supra Euphratem igitur iverint, per montana et finitima Iberiæ ad suum mare. Lips. Vide quæ contra pro vulgata disputat Ryckius ad h. l. Ern. Paucis. Duxit per Syriam ad sinum Persicum s. Indicum. Non enim licebat aut itinere terrestri, nisi per vastas regiones, quæ Parthis parebant, aut maritimo, periculosum quippe Caspium mare.

Spem b. amittere] Hic quoque Acidalius tentat *omittere.* sed supra jam ei satisfactum. *amittere* est omittere, dimittere. Ern. *Omittere* c. Agr. probat Heins.

Quosque nobis etc.] Lectio vulgata est a Puteolano. At MS. Flor. et ed. pr. *q. n. ab Rege animis cog.* sed syllaba *ge* in Fl. superscripta, ut *ab re* fuisse videatur. Unde J. Gron. conjicit *abhorrere.* MS. Agr. *q. n. alienos a. c.* Guelf. *adversos animis.* De confusione *advers.* et *avers.* infra dicetur. *Animis* pro *animi* recepi. Mox a codd. Oxon. Guelf. et aliis abest *delectus.* Et commode sane abfuerit. Ern.

Usurpabat] Bud. *occupabat* et in marg. *exurpabat*, puto pro *usurpabat.* Vocem *delectus* habet Bud.

A. U. demissus. Nec consensu acceptus, durante apud quosdam
814. favore Arsacidarum. at plerique, superbiam Parthorum
A. C. perosi, datum a Romanis Regem malebant. Additum et
61. præsidium, mille legionarii, tres sociorum cohortes, duæque Equitum alæ, quo facilius novum Regnum tueretur. Pars Armeniæ, ut cuique finitima, Pharasmani Polemonique et Aristobulo atque Antiocho parere jussæ sunt. Corbulo in Syriam abscessit, morte Ummidii Legati vacuam ac sibi
27 permissam. Eodem anno, ex inlustribus Asiæ urbibus, Laodicea tremore terræ prolapsa, nullo a nobis remedio, propriis opibus revaluit. At in Italia vetus oppidum, Puteoli, jus Coloniæ et cognomentum a Nerone adipiscun-

Additum et præsidium] Sic Fl. (Bud.) Guelf. et ed. pr. Vulgo, *additum etiam præsidium*. a Puteol. usque ad Pichenam. Post Freinsh. bene, ut opinor, corrigit: *equitum alæ, quo facil. n.r. tueretur. Pars* etc. Sic videbatur etiam Ryckio. At isti violentiæ, ut vocat, valde adversatur J. Gron. Quid ad tuendum Regnum prosunt aliorum incrementa? MS. Guelf. *tuerentur*. Ern. Heins. malebat *Add. ei præs.* Recte Ernesti probat emendationem Freinshemii, quam in textum recipere nullus dubito. In Bud. quoque, etsi conjunctio adsit ante *quo*, nova tamen periodus infit a *Pars*.

Pars Nipolique] Latet in corruptione nomen alicujus Regis. Forte *Thrascypolique*. qui dynasta alibi in finitimis Armeniæ locis. Lips. Ego divinabam: *Pars Armeniæ, ut cuique finitima, Pharasmani Polemonique et Aristobulo atque Antiocho parere jussæ sunt*. Iberus est Pharasmanes jamdudum per filium Rhadamistum insidiatus fratris Mithridatis Regno, Armeniæ: unde cum absterreretur a Romanis, partim ut horum gratiam mereretur, partim proprio metu filium interfecit, et ex eo adversus Tiridatem Corbuloni militavit. Vide nostrum 12, 44. etc. Item 13, 37. ubi et mentio de Antiocho, quemadmodum sæpius alibi. Polemo notissimus Rex Ponti, Josepho Κιλικίας Ant. 20, 7. et ap. nostrum H. 3, 47. commemoratur. Aristobulus 13, 7. Josephus 20, 8. Τὴν Μικρᾶς Ἀρμενίας προστασίαν Ἀριστόβουλος, Ἡρώδου τῆς Χαλκίδος βασιλέως παῖς, ὑπὸ Νέρωνος ἐγχειρίζεται. Gron. Felicem correctionem merito vocat Ryckius, quam et in textum recepit Broterius. MS. Fl. (et Bud.) *Pars Armenia eunt cuique*. ut et ed. pr. MS. Agr. *per Armeniam eunt cuique*. Sequentia ib. sic: *pars manipulique*. ed. pr. *pars impulique*. Vulgata est a Puteolano, quæ tamen et in Guelf. extat, nisi quod mox *visæ* pro *jussæ* habet. Ern. Gronovium sequor cum Bip. Probat et Lall.

In Syriam abscessit] Ita emendavit Lipsius (probante Pichena). Editi ante omnes *accessit*. Ern. Sic et Bud.

Ummidii] Respice ad 12, 45.

Puteoli jus coloniæ] Puteoli, ais, adipiscuntur jus coloniæ? Ego vero advocationem peto, ut deliberem. Nonne enim jampridem id oppidum eo jure? Liquet ex Livio 34, 44. Velleioque 1, 15. qui coloniam Puteolis deductam volunt a. u. 660. P. Scipione Africano II. Ti. Sempronio coss. Sed et lapides testantur hodie (ap. Grut. p. 110, 7. 115, 9.) AB. COLONIA. DEDVCTA. ANNO. XC. *et* AEDILIS. COLON. PVTEOLANORVM. *et*, GENIO. COLONIAE. PVTEOLANORVM. An colonis eorumque posteris intermortuis, colonia esse desiit? an tempore interjecto transiit ad municipale jus? Ciceronis certe ævo municipium fuit, non colonia. Oratione pr. M. Cœlio 2. *Nam, quod est objectum, municipibus adolescentem non esse probatum suis, nemini umquam præsenti Puteolani majorem bonorum habuerunt*, etc. Concutit me tamen iterum Frontinus in Catalogo coloniarum, cujus verba e MS. (ap. Gœs. p. 139.) *Puteoli, colonia Augusta. Augustus deduxit. ex uno latere iter populo debetur ped. xxx. Ager ejus in jugeribus veteranis et Tribunis legionariis est adsignatus*. Colonia ergo adhuc recenti ævo. Recreat Agellius 16, 13. qui ostendit, sæpe commutari solere colonias in municipia, et contra. Nisi tamen Cornelii verbis ea vis, ut velit universum oppidum incolasque (plures autem inquilini ejus loci, ob commercia et mare) præter eos, qui restabant ex colonis Augusteis, colonico jure donatos. Et

tur. Veterani Tarentum et Antium adscripti: non tamen A. U.
infrequentiæ locorum subvenere, dilapsis pluribus in pro- 814.
vincias, in quibus stipendia expleverant: neque conjugiis A. C. 61.

sane, duplex hoc genus hominum in coloniis fuisse, e Cicerone clarum, pro Sulla 21. ubi dissidia etiam inter Pompeianos (ii erant cives veteres) colonosque recenset. Alterum horum nisi sit, tu videris: mea in his salebris hæret navis. Ern.

Add. Placet eruditissimo nostro Pighio truncum locum esse, ob caussas, quas in commentario dixi. Itaque supplet voce addita, *Puteoli novum jus coloniæ.* (In Herc. Prodic. p. 357.) Ipsum vide. Nam nos sententia nostra non demovemur, quam in extrema nota posuimus, de toto oppido in coloniæ jus nunc translato. Lips. Probat hanc Lipsii sententiam Pagius Crit. ad a. C. 60. adnotans, illo anno decennalia Imp. Proconsularis a Nerone celebrata: moris autem fuisse, colonias deducere, novas urbes condere, aut veteribus nova nomina dare, per occasionem talium solennium. Ern. Contra Lipsium hic pugnat Cam. Peregrinus in Camp. Fel. diss. 2, 19. ubi per vetus oppidum intelligit eam partem, quæ principio condita fuit in supercilio non admodum spatiosi montis, quæ tum colonia fuerit per aliquam prærogativam denuo impetratam quasi renovata. In notis ad h. l. observatur de cetero, municipii et coloniæ vocabula sæpe promiscue usurpari. Ryck. e Flor. legit *apiscuntur*, ut alibi.

Tarentum et Antium adscripti] *Et Antium* abest a MS. Bud. Sed edd. omnes habent, unde in aliis MSS. reperiri patet: et de colonia Antium missa tradit etiam Suet. 9. Porro, quod in provincias dilapsi sunt, in quibus stipendia explessent, causa fuit, quod ibi multis noti essent, et negotiari et similia facere suevissent. Ern.

Neque conjugiis suscipiendis] Milites itaque olim sine uxore ut apparet. nec ritu, sed lege id vetitum ait Dio 60, 24. Τοῖς στρατευομένοις ἐπειδὴ γυναῖκας οὐκ ἐδύναντο ἔκ γε τῶν νόμων ἔχειν, τὰ τῶν γεγαμηκότων δικαιώματα ἔδωκε. Resolvisse hoc jus Severus Imp. videtur, si recte capio Herodianum 3, 25. Τοῖς στρατιώταις, inquit, πολλὰ συνεχώρησεν, ἃ μὴ πρότερον εἶχον. . . Καὶ δακτυλίοις χρυσοῖς χρήσασθαι ἐπέτρεψε, γυναιξί τε συνοικεῖν. Certe enim de conjugio legitimo capiendum videtur, quia contubernii militibus, opinor, semper jus. A Junone arcebant eos, non a Venere Romanæ leges. Testis Livius 43, 3. qui quattuor millia hominum a Senatu petisse oppidum, ubi habitarent, ait: qui nati in Hispaniis ex militibus Romanis et mulieribus Hispanis, cum quibus nullum connubii jus. Imo peregrini milites, id est, non cives, non amicas modo habuisse videntur, sed uxores. nisi me inducunt frustra tabulæ Vespasiani et Domitiani ævo: quibus insculptum, *civitatem datam militibus e classe Ravennate et cohortis III. Alpinorum itemque connubium cum uxoribus, quas tunc habuissent, cum est civitas eis data, aut quas postea duxissent.* Tamen pugnat in eam sententiam Tertullianus, qui suo etiam ævo cælibes fuisse milites ostendit. Ævum autem ejus sub Severi. ait in Exhort. ad Castit. 12. *Scilicet solis maritorum domibus bene est? Perierunt cælibum familiæ, spadonum, militum, aut peregrinantium sine uxoribus? Non enim et nos milites sumus?* Severi ergo permissus aut ad Prætorianos tantum pertinuit: aut verba arte capienda, ut tantum permiserit συνοικεῖν γυναιξὶ, cohabitare feminis, sub eodem tecto agere et contubernales habere, non legitimas uxores. Sed non repugnat, inquies, toti huic sententiæ Livius, qui diserte uxores militibus attribuit? Ut ecce 21, 41. in Scipionis exhortatione ad milites: *Unusquisque se non corpus suum, sed conjugem ac liberos armis protegere putet.* Et alibi. Respondeo. Temporaneam tunc (bello Punico secundo) militiam fuisse, nec legibus suis, ut postea, devinctam. Capiebantur, mittebanturque milites, non pro stipendiorum tempore, sed bellorum. At, perpetua et firma XXV. annorum militia instituta, hoc quoque inductum de cælibatu. Sane etiam jurisconsulti hac caussa, caussam solvendi matrimonii militiam numerant. L. 60. *Bona gratia dissolvi matrimonium illud dicitur, quod propter sacerdotium, sterilitatem, valetudinem, militiam, retineri non potest.* Lips. Ceterum vinculum orationis ante *neque* desideratur: refertur enim ad *veterani*, ut præcedens *non subvenere*. Ern.

A. U. suscipiendis, neque alendis liberis sueti, orbas sine posteris
814. domos relinquebant. Non enim, ut olim, universæ legio-
A. C. nes deducebantur, cum Tribunis et Centurionibus, et sui
61. cujusque ordinis militibus, ut consensu et caritate Remp.
efficerent: sed ignoti inter se, diversis manipulis, sine
rectore, sine adfectibus mutuis, quasi ex alio genere morta-
lium repente in unum conlecti; numerus magis, quam
28 colonia. Comitia Prætorum, arbitrio Senatus haberi so-
lita, quod acriore ambitu exarserant, Princeps composuit,
tris, qui supra numerum petebant, legioni præficiendo.
Auxitque Patrum honorem, statuendo, *ut, qui a privatis
judicibus ad Senatum provocavissent, ejusdem pecuniæ pericu-
lum facerent, cum iis, qui Imperatorem adpellavere.* nam
antea vacuum id solutumque pœna fuerat. Fine anni
Vibius Secundus, Eques Romanus, accusantibus Mauris,
repetundarum damnatur, atque Italia exigitur, ne gra-

Non enim, ut olim, universæ legiones] Exprimit deductionem veterem Hyginus (ap. Gœs. p. 160.) *Multis legionibus contigit bellum feliciter transigere, et ad laboriosam agriculturæ requiem primo tirocinii gradu pervenire. Nam cum signis et aquila et primis ordinibus ac Tribunis deducebantur.* Lips. Mox *sui cujusque ordinis* corrigebat Groslotius. Plane sic MS. (Bud.) Guelf. ed. pr. veteresque omnes: ut *suis*, quod hodie in edd. est, ab errore operarum natum putem. Illud restitui, quod elegantior Latinitas postulat. Ern.

Remp. efficerent] Idem est, quod Livius dicit 1, 8. *coalescere in populi unius corpus.* Ern. In cod. Bud. a 2. m. adjectum *repente*. 1. m. etiam dederat *quo acriore.* et *jussitque* loco *auxitque*.

A privatis judicibus ad Senatum] Lucis caussa, rem appellationum a capite deduxi ad hoc Neronis ævum, in Excurs. C. atque illinc lucem istis pete. Lips.

Cujus ii] Bud. egregie *cum iis.* quod recepi.

Vibius Secundus] Ed. pr. habet *Julius*, ut et H. 4, 43. Sed H. 2, 10. et 4, 41. *Jubius*, quod est, inversa prima syllaba *Vibius*. V. ad 12, 16. extr. Ern. Bud. pessime *niuius*. Sed mox recte *Vibii Crispi*. De hoc v. de Orat. 8. At Agr. *Julii Crispi*.

Ne graviore pœna afficeretur] An ergo in crimine repetundarum pœna gravior, quam relegatio? Attente legas, quia nec relegatio quidem. Olim sane exsilium fuit, et æstimatio, uti Asconius notat in Verrem Act. 1, 13. et Cicero subindicat non semel: sed secuta lex Julia immutavit. Ex ea pœnam fuisse, adfirmo amissionem ordinis, et æstimationem: nihil ultra. id est, qui damnatus eo crimine esset, Senatu moveretur, et judices acciperet ad æstimandam litem. Docet Suetonius in Julio 43. *Repetundarum convictos, etiam ordine Senatorio movit.* Sed et hauries ex Tacito infra 48. *Erin a Cossutiano Capitone, qui nuper Senatorium ordinem precibus Tigellini soceri sui reciperaverat.* Is autem repetundarum lege damnatus 13, 33. Et H. 1, 77. *Redditus Cadio Rufo, Pedio Blæso senatorius locus, qui repetundarum criminibus sub Claudio aut Nerone ceciderant.* Apertius ex Plinio ep. 2, 11. ubi *Marius Priscus, accusantibus Afris, sponte Senatu abiit, et judices petiit, omissa defensione:* scilicet, quasi ea ratione satisfactum legi. et 4, 9. cum *Bassum Bæbius Macer lege repetundarum teneri censuisset; mitigans Cæpio, salva dignitate judices dandos* pronuntiavit. id est; uti in Senatu remaneret, facta saltem æstimatione. Vide Epistolas ipsas, et volens favebis sententiæ huic. Ab hac re Suetonianis verbis lumen, Oth. 2. *Tantum potentia,* inquit, *valuit, ut damnatum repetundis Consularem virum, priusquam plane restitutionem ei impetrasset, non dubitaret in Senatum ad agendas gratias introducere.* Motus enim illic quicumque Senatu erat: sed Otho quasi plane restitutum in Senatum introduxit. Hæc ergo ordinaria pœna:

viore pœna adficeretur, Vibii Crispi, fratris, opibus enisus. A. U. 814. A. C. 61.

Cæsonio Pæto, Petronio Turpiliano coss. gravis clades in Brittannia accepta. In qua neque A. Didius Legatus, A. U. 815. A. C. 62. ut memoravi, nisi parta retinuerat, et successor Veranius, modicis excursibus Siluras populatus, quin ultra bellum proferret, morte prohibitus est: magna, dum vixit, severi- 29 tatis fama, supremis testamenti verbis ambitionis manifestus. quippe multa in Neronem adulatione addidit, *subjecturum ei provinciam fuisse, si biennio proximo vixisset.* Sed tum Paullinus Suetonius obtinebat Britannos, scientia

sed gravius et plerumque extra ordinem in id crimen animadversum, pro delicti modo. Atque ea Macri mens leg. 7. ad leg. Jul. repet. *Hodie ex lege repetundarum extra ordinem puniuntur; et plerumque vel exsilio, vel etiam durius, prout admiserint. quid enim, si ob hominem necandum pecuniam acceperint? vel . . . interfecerint innocentem?* Eademque ratione Plinius scripsit Ep. 2, 11. *excessisse Priscum immanitate et sævitia crimina, quibus dari judices possent, cum ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam, pecunias accepisset.* Nec aliter capies, quod hic Vibius relegatus est: exsilii etiam pœnam meritus, nisi frater intercessisset. sicut et 3, 68. C. Silano Proconsuli Asiæ repetundarum damnato, aqua atque igni interdictum, ob insignem scilicet sævitiam. Lips.

Favore enixus] Quidam libri *opibus enixus.* Lips. Primus Pichena edidit *fratris opibus enisus* e vestigiis c. Flor. *frīsoribus.* Concinit Bud. Guelf. *fratri sororibus.* MS. Corb. laudat Broterius. In ed. pr. est *fratri enisus*, sed vacuo spatio interjecto, ut aut lacuna in MS. fuerit, aut extricare descriptor nil potuerit. In ceteris edd. ante Pichenam est *fratris favore:* eodem sensu, sed haud dubie e conjectura Puteolani. Ern.

Cæsonio Pæto] Freinsh. et Lipsius putant *Cæsonium Pætum* esse eundem, qui 15, 6. *Cæsennius Pætus* dicitur. Sed bene Ryckius ostendit diversos, ex inscriptionibus duabus ap. Gruterum: quarum altera hunc *Cæsonium* Consulem exhibet, cum *Petronio*, altera *L. Cæsennium Pætum* cum *P. Calvisio Rusone.* Ern.

Petr. Turpil.] Filio ejus, qui sub Aug. IIIvir, et cujus numi exstant.

Avius Legatus, ut memoravi] Atqui A. Didium eum vocavit 12. 40. et Didium Gallum in Agricolæ vita 14. Ut ambigere possis, num rescribend. *A. Didius.* Plura tamen cognomina habere potuit, more sui sæcli. Lips. Ego vero non dubitavi rescribere *A. Didius*, ut volebat vir doctus in marg. Gryph. inductus primum ed. pr. in qua (ut in Bud.) est *Adjutus*, in quo satis perspicua vestigia veræ lectionis: deinde ratione, quod, si vel maxime duo cognomina Didio fuere, non credibile videtur, Tacitum eundem hominem alio nunc, quam supra, nomine appellaturum fuisse, veluti de alio homine loqueretur. MS. Guelf. *Alutus.* Recepit et Broterius, qui laudat *Bimardi* Diss. de vita, rebus gestis et numis T. Didii Cos. et gente Didia p. 19. Mox *Veranius* MSS. Fl. (Bud.) Guelf. ed. pr. Ceteræ ante Pichenam *Verannius.* Ern. Cf. Vit. Agr. 14.

Nisi parta] Bud, *nisi ut parta.*

Silvas populatus] Emendo, *Siluras populatus.* cum ea enim Britanniæ gente tunc maxime bellum. Consule Tacitum 12, 32. Lips. Recepit Pichena. Ante edd. omnes *silvas.* Ern. Bud. *silvas.*

Supremis testamenti verbis] Glossematium est *τὸ verbis.* et statim, *subjecturum ei provinciam fuisse*, lego. capioque Britanniam ipsam, quæ nondum perdomita. Lips. Acidalius etiam *testamenti* delet. Hoc vero est vim facere. *Suprema* de morte dici scio, non de testamento. Ego vulgatum sanum puto. In ultima testamenti parte ambitionem prodidit, ut innuit verbum *addidit.* Sic ap. Cic. Ep. 2, 13. *extrema pagella me pupugit chirographo tuo.* Ed. pr. *supremi test. verbis*, quod eodem redit, sed exquisitius est, pro *verbis in extremo testamento scriptis.* sed mox *provinciam* MS. Flor. non *provincias.* Ern. Bud. *supremis t. v. . . . provincias.* et mox *timore populi.*

A. U. militiæ et rumore populi, qui neminem sine æmulo sinit,
815. Corbulonis concertator: receptæque Armeniæ decus
A. C. æquare, domitis perduellibus, cupiens. Igitur Monam
62. insulam, incolis validam et receptaculum perfugarum, adgredi parat, navesque fabricatur plano alveo, adversus breve litus et incertum. Sic pedes. equites vado secuti,
30 aut altiores inter undas, adnantes equis, transmisere. Stabat pro litore diversa acies, densa armis virisque, intercursantibus feminis, in modum Furiarum, quæ veste ferali, crinibus dejectis, faces præferebant. Druidæque circum, preces diras, sublatis ad cælum manibus, fundentes, novitate adspectus perculere milites, ut, quasi hærentibus membris, immobile corpus vulneribus præberent. Dein, cohortationibus Ducis, et se ipsi stimulantes, ne muliebre et fanaticum agmen pavescerent, inferunt signa, sternuntque

Igitur Monam insulam] Credo, hunc locum esse, quem aspexit Jornandes in Goth. 2. *In extrema Britanniæ parte Memma, quam Cornelius Annalium scriptor narrat.* Corrigo enim, *Mona*. Lips. Intelligenda *Mona* ea, quæ magis versus austrum sita, hodie *Anglesey* dicitur, diversa a Mona Cæsaris B. G. 5, 13. Mox *litus* abest ab ed. pr. et (a cod. Agr.). A suis libris afuisse dicit Lipsius in editione prima. Etiam Broterius in quibusdam MSS. non reperit delevitque. Volebantque deleri Muretus et Acidalius. Frustra. *Brevia et incerta maris* scio; similiter dici *breve et incertum*, nec scio, nec credo. In omnibus MSS. Taciti non raro verba integra omissa. Ern. *Litus* etiam in Bud. a 2. m. adjectum.

Sic pedites. equites vado secuti] Videtur Tacitus scripsisse *vada*. pergentes qua vada ducebant. Gron. Ryckius defendit vulgatum ex eo, quod Cæs. B. G. 1, 6. *vado transire* dixit. At non quæritur, an Latinum sit, *vado sequi*, sed an hic locum habeat: quod non puto. Deberet enim sequi *aut adnando equis*. At nunc dicit equites transisse, partim quærendis vadis, partim dum adnatant equis. Sed MS. Fl. (Bud.) ed. pr. habet *pedes*: quod cum J. Gron. restituimus. Idem codex *tramisere*, ut alibi. Ern. (Bud. *vados*. duplicato *s* seq. vocis.)

In modum Furiarum, quæ] Semper credidi, hic excidisse pronomen *quæ*. Id repertum jam in ed. pr. restituimus. Recepit pariter Broterius, repertum et in MSS. Reg. Corb. Sed videatur esse alieno loco, ponendumque ante *in modum Furiarum*: quod hoc maxime Furiis similes erant, quod faces gestabant. Sed potest prius illud *in modum Fur.* referri ad cursum. Nam et Liv. 4, 33. *fanaticum cursum* habet. Qui vulgatum mavult, punctum faciet post *feminis*. *Feralis vestis* eadem est, quæ furialis, in morem Furiarum facta: similique sensu *feralem habitum* dixit Florus 1, 12, 7. quamquam ibi de toto apparatu dixit. Ceterum *feralem vestem* aut de *vittis* capiam, quas in habitu furiali memorat Florus: non enim credibile, feminas illas, præsertim barbaras, sibi vestes fecisse, quales a poetis tribuuntur Furiis: aut legam *vitta* e Floro l. c. ubi in furiali habitu vittæ ponuntur. *Crines dejecti* sunt fluentes, non collecti in nodum: neque ullo modo opus cum Acidalio corrigere *disjectis* vel *rejectis*. Ceterum præ oculis habuisse Tacitus videtur locum Livii 4, 33. adde 7, 17. Ern. Bud. non habet pronomen *quæ*. *Feralis vestis* forsan nigra. Vid. Germ. 43. Cf. Hiller. Rac. 17.

Druidæque circum] Cod. Agr. addit *frementes*. Glossema ductum e Virg. Æn. 1, 60.

Perculere milites] Frustra vir doctus in ed. Gryph. corrigit *perpulere*. Terror hic est, qui percellit, stupefacit, non perpellit. Et Livius l. c. in re simili *Romanos exterruit*. *Milites* e Flor. edidit Pichena, quod secuti Gronovii: Ryckius *militem* servavit. Ut hic porro *fanaticum agmen*, sic ab simili re Livius l. c. *fanaticum cursum* dixit. Denique *involvere flammis* etiam dixit Virgil. Georg. 2, 308. Ern. Bud. *militem*. Sic et Agr.

obvios, et igni suo involvunt. Præsidium posthac inpo- A. U.
situm victis, excisique luci, sævis superstitionibus sacri. 815.
nam cruore captivo adolere aras et hominum fibris consu- A. C. 62.
lere Deos, fas habebant. Hæc agenti Suetonio, *repentina defectio provinciæ* nuntiatur. 31 Rex Icenorum Prasutagus, longa opulentia clarus, Cæsarem hæredem, duasque filias scripserat, tali obsequio, ratus, Regnumque et domum suam procul injuria fore: quod contra vertit: adeo, ut Regnum per Centuriones, domus per servos, velut capta vastarentur. Jam primum uxor ejus, Boadicea, verberibus adfecta, et filiæ stupro violatæ sunt. Præcipui quique Icenorum, quasi cunctam regionem muneri accepissent, avitis bonis exuuntur, et propinqui Regis inter mancipia habebantur. Qua contumelia, et metu graviorum (quando in formam provinciæ cesserant) rapiunt arma, commotis ad rebellationem Trinobantibus, et, qui alii nondum servitio fracti, resumere libertatem occultis conjurationibus pepigerant; acerrimo in veteranos odio. quippe in colo-

Præsidium posthac impositum victis] Rectius *vicis*. Sic appellat, quæ habebant pro captu gentis oppida. *Vici* Marsorum 1, 50. Adde quæ scripsimus Observ. 1, 20. GRON. *Vicis* edidit Rhen. (e Bud.) quod omnes imitati sunt usque ad Pichenam, qui e MS. Fl. (et Ven.) ed. Puteol. dedit *victis*, quod etiam MS. Guelf. edd. pr. Beroaldi, Alc. habent, Gronovius pater *vicis* ediderat: filius et Ryckius *victis:* quod et nos servavimus propter auctoritatem librorum, quibus quatuor alii ap. Broterium accedunt. Ceterum fere locis imposita præsidia reperies. ERN. Non spernendum *vicis* judicat Ryckius, si alicujus scripti auctoritate nitatur. Habet autem Bud. Parum interest.

Cruore captivo adolere aras] De hac Britannis, Gallis, Germanis, communi immanitate, dicam ad libellum De moribus Germaniæ. LIPS.

Longa opulentia clarus] Scribo, *longe*. ut sit, longe notum clarumque fuisse, propter opes. Iceni autem in libris scriptis, *Tigeni* sunt. LIPS. Etiam in ed. pr. At ceteræ usque ad Rhen. et MS. (Bud.) Guelf. *Igeni*. Porro ed. pr. *Phrasuragus*. *Longa* bene defendunt Gruterus et Pichena, pro *diuturna*, antiqua. Sic 1, 8. Augusto *longa potentia* tribuitur. *longa decora* infra c. 53. Mox *Regnumque et domum* e MS. Fl. (Bud.) Guelf. et ed. pr. ERN. Bud. *Prasutagus*.

Boodicia] Dioni, Βουνδουίκα est: Tacito infra c. 37. *Boudicea;* in vita Agricolæ 16. *Voadica*, scriptum. Est illa, quam perplexe Gildas *Leænam dolosam* appellat, *quæ rectores sibi relictos trucidavit*. LIPS. *Ejus* e MS. Flor. addidit Pichena. Sic et ed. pr. MS. Guelf. et al. In iisdem libris est post *rebellationem:* quod restituit Pichena. *Rebellionem* est in duobus MSS. ap. Brot. Habetur etiam in quibusdam MSS. ap. Liv. 8, 14. Sed Livii ætate vox ea non usitata fuit, recteque repudiata est a Drakenb. Bis eo verbo usus est Valerius M. 7, 3, 9. ext. ERN. In Bud. *Boodicia . . rebellationem*. Idem post *uxor* non habet *ejus*. Scribo cum Rapino in Hist. Angl. et Bip. *Boadicea*.

Servitio assuefacti] Scripta veraque lectio, *servitio facti*. LIPS. Sic MSS. Flor. Reg. ed. pr. Cicero dicit *factus ad aliquid*. MS. Agr. *fracti*. Puteolanus dedit *assuefacti*, quod est et in (Bud.) Guelf. et aliis tribus ap. Brot. et omnes secuti sunt usque ad Pichenam. Sane *factum ad aliquid esse* refertur potius ad naturam et ingenium, quam ad consuetudinem, ad quam hic referri, indicat τὸ *nondum:* nec posterioris generis exemplum memini me reperire. Ipse Tacitus distinguit mox c. 56. *factus natura, et consuetudine exercitus*. Igitur vereor, ne verum sit *sueti*, quo sæpe noster utitur, ut supra c. 27. vel *fracti*. ERN. Hoc et Bip. probant, quumque firmetur cod. Agr. accepi sine hæsitatione.

A. U. 815. A. C. 62. niam Camulodunum recens deducti, pellebant domibus, exturbabant agris, *captivos*, *servos* adpellando: foventibus inpotentiam veteranorum militibus, similitudine vitæ, et spe ejusdem licentiæ. Ad hæc templum, D. Claudio constitutum, quasi arx æternæ dominationis adspiciebatur; delectique Sacerdotes, specie religionis, omnes fortunas effundebant. Nec arduum videbatur, exscindere coloniam, nullis munimentis septam: quod Ducibus nostris parum provisum erat, dum amœnitati prius, quam usui consulitur.

32 Inter quæ, nulla palam caussa, delapsum Camuloduni simulacrum Victoriæ, ac retro conversum, quasi cederet hostibus. Et feminæ in furorem turbatæ, *adesse exitium*, canebant. Externosque fremitus in curia eorum auditos; consonuisse ululatibus theatrum, visamque speciem in

Templum D. Claudio] De eo Seneca in Menippæa: *Parum est, quod templum in Britannia habet, quod nunc* (lego, *hunc*) *barbari colunt et ut Deum orant.* Quod in Tacito est, *ara dominationis*, libenter scripserim, *arra*. quasi id templum pignus et arrabo æternæ servitutis. Quamquam et aras sane habuisse Claudium in Britannia fateor: Poeta ejus ævi ad ipsum: *Oceanusque tuas ultra se respicit aras. Qui finis mundo est, non erit imperio.* Nec tamen hic in Tacito templum ideo dixeris aram. LIPS. Immo *arx*, ut vult Freinshemius, quod merito receptum inde a Berneggero. V. Freinsh. ad h. l. qui e Tacito satis illustrat. *Ara* est perfugium, ut *ara sociorum* ap. Cicer. Verr. 5, 48. lex de repetundis: quod alienum. *Arx* est munimentum, firmamentum, sedes, ἐπιτείχισμα, unde fit impetus dominantium. Et forte respexit Tacitus ad locum Cic. in Pison. 5. *templum illud fuit arx civium perditorum, . . . castellum forensis latrocinii.* Similiter dixit idem aliquo loco in Verrinis. pro Ligar. 7. simili sensu Africa dicitur *arx provinciarum omnium*. ERN. In Bud. *ara.*

Dilectique Sacerdotes] Legebantur enim Pontifices Flaminesque Claudio ex provincialibus ipsis: quibus in sacra victimasque ejus Divi multi faciendi sumptus. Vide Arriani verba, quæ adduxi 1, 10. LIPS.

Omnes fortunas] Bud. *omnis f.* ut sæpe apud eundem.

Cederet] Cod. Agr. *cedens.*

Feminæ in furore turbatæ] J. Gron. *feminas in furore* capit ita dictum, ut *miles in hasta*, et *turbatæ*, ut *turbata mente*, 4, 22. repudiatque Faerni correctionem *in furorem*, et cod. Agr. lectionem *furore*. Sufficiebat sane *in furore*, i. e. per furorem, dum vaticino furore correptæ sunt. Nam *feminæ turbatæ*, cum de vatibus sermo est, sunt profecto furentes, alienatæ animis. sic *turbidus Orestes* ap. Val. Fl. 7, 147. Pythiaque *turbata* non uno loco. Ab ejus rei intellectu, Faerni non inelegans conjectura videbitur. ERN. Bud. *in furore turbatæ.* Bip. recepere *in furorem*. Puto, recte, sequor.

Externosque fremitus in curia eorum auditos, consonuisse ululatibus theatrum] Prodigia eadem recenset Dio 62, 1. Ἔκ τε τοῦ βουλευτηρίου θρoῦς νυκτὸς βαρβαρικὸς μετὰ γέλωτος, καὶ ἐκ τοῦ θεάτρου θόρυβος μετ' οἰμωγῆς, ἐξηκούετο. LIPS.

Visamque speciem in æstuario] Quam speciem? aliquid deest, aut latet. In Dione hoc editur, statim post illa dicta: Οἰκίαι τέ τινες ἐν τῷ Ταμέσᾳ ποταμῷ ἔφυδροι ἑωρῶντο. Ergo legebam: *visamque ædium speciem.* Sed enimvero Pichena in Flor. esse asserit: *in æstuario tam esæ subversæ coloniæ.* Itaque nihil verius, quam quod sentit, *Tamesæ* scribendum. Nimirum species subversæ coloniæ, quæ apparuerat, signum erat evertendæ: et hæ sunt istæ Dionis ædes, sed subversæ, dirutæ, incensæ. LIPS. Cum MS. Fl. consentit plane ed. pr. sed in ceteris paullo corruptius *in æstuamootam ese.* Sed hinc apparet, unde Puteolani lectio effecta, *notam esse subversæ coloniæ*, quod omnes deinde usque ad Pichenam secuti sunt: estque sic in MS. Guelf. ERN. et Bud. In loco Dionis Reimarus legit ὕφυδροι. Mox Bud. *trahebantur.* dein *imperatore* male pro *procuratore.*

æstuario Tamesæ subversæ coloniæ; jam Oceanum cruento adspectu; dilabente æstu, humanorum corporum effigies relictas, ut Britanni ad spem, ita veterani ad metum trahebant. Sed, quia procul Suetonius aberat, petivere a Cato Deciano, Procuratore, auxilium. Ille haud amplius, quam ducentos, sine justis armis misit: et inerat modica militum manus. Tutela templi freti, et inpedientibus, qui occulte rebellionis conscii, consilia turbabant, neque fossam aut vallum præduxerunt, neque, motis senibus et feminis, juventus sola restitit: quasi media pace incauti, multitudine barbarorum circumveniuntur. Et cetera quidem inpetu direpta, aut incensa sunt: templum, in quo se miles conglobaverat, biduo obsessum expugnatumque. Et victor Britannus Petilio Ceriali, Legato legionis nonæ, in subsidium adventanti obvius, fudit legionem, et, quod peditum, interfecit. Cerialis cum equitibus evasit in castra et munimentis defensus est. Qua clade et odiis provinciæ,

A. U. 815.
A. C. 62.

Manus, tutela templi freti. Et impedientibus] *Tutela* (video enim non omnes capere, ut oportebat) hic septum est et aliqua non magni operis munitio. Sic Varro R. R. 1, 14. *Nunc de septis, quæ tutandi caussa fundi aut partis fiant, dicam. Earum tutelarum genera quatuor.* GRON. *Freti* refertur ad *militum manus:* et Latine sic dici potest: etsi nobis tum propter vicinum *templi* non satis placet, tum propter sensum non commodum. Nam, quorsum hoc memoratur? De ordinario præsidio dicitur, non de novo, quod sine justis armis venerat. Ex non dixisset opinor *tutela:* nam nemo sic: sed aliter etc. *Tutelam templi* intelligo præsidium templi, quale fuit in Hierosolymitano et aliis: in *freti* forte aliquid latet, quod nondum assequor. Conjiciebam *spreti* scilicet Britannis; sed non satisfacit. Forte spurium est verbum: nam commode absit. ERN.

Et impedientibus etc.] Ter initium fieri ab *et* sane non admodum elegans: sed negligam tamen. Verum primum *et* mihi suspectum est: et diligentius contextum inspicienti spero apparitu-rum, *at* vel *sed* desiderari. Sed ne sic quidem satis apte cohærens reliqua oratio. Itaque Acidalius ante *quasi* inserebat *ita*. Ryckius, auctore Freinshemio, sic interpunxit: *m. m. manus: Tutela t. f. et imped.* Non repugnem. Sed tamen facile intelligitur, deese *sed*, aut aliud verbum, quod cum superioribus aliquo modo conjungat. Ed. pr. pro *imped.* habet *inobedientibus.* it. MSS. Reg. Corb. ERN. Freinsh. sequor cum Brot. Lall. Bip. Dein Bud. *impedientibus qui occulte.* bene. Idem *preduxerunt*, quod recte Rhen. recepit. prius legebatur *produxerunt.* Dein Bud. *senibus aut feminis.*

Qui occulti rebellionis conscii consilia turbabant] Sic e Flor. cui Guelf. consentit, pro vulgato, *occultæ rebellionis*, edidit Pichena. sane rebellio non occulta erat, sed conscii. Idem est in ed. pr. Sed, quia meis auribus durum est *qui occulti conscii* (nec Tacitum sic scripsisse credo) corrigas non male *occulte.* atque ita fuisse videtur in libris, e quibus *occultæ* editum est, cum editor *e* pro *æ* scriptum putaret, ut sæpe est in scriptis et olim editis. Multo tamen melius putem, et Tacito dignius *occulti rebellionis*, deleto *conscii*, quod e verbi sequentis initio glossave nasci potuit. Sic 6, 36. *occultos consilii.* Post *neque motis* etc. intellige, *et non motis.* Faernus corrigebat *amotis*, quod est verbum proprium in hac re: Heinsius *submotis, remotis.* Sed etiam infra *movetur* pro amovetur c. 60. ERN.

Pæto Ceriali] Scribe, *Petilio.* Ita enim statim dicitur: estque ille, qui bellum Germanicum sub Vespasiano administravit. LIPS. Recepit recte Pichena. Ed. pr. (et Bud.) habet *Petio.* Post *medios*, quod Rhen. dedit (e Bud.) etiam ed. pr. At Puteol. Ber. Alc. *medius:* hoc quoque rectum: id habet Guelf. ERN.

A. U. 815. A. C. 62. quam avaritia in bellum egerat, trepidus Procurator Catus in Galliam transiit. At Suetonius mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit, cognomento quidem colo-
33 niæ non insigne, sed copia negotiatorum et commeatuum maxime celebre. ibi ambiguus, an illam sedem bello deligeret, circumspecta infrequentia militis, satisque magnis documentis temeritatem Petilii coercitam, unius oppidi damno servare universa statuit. Neque fletu et lacrimis auxilium ejus orantium flexus est, quin daret profectionis signum: et comitantes in partem agminis acceperat. Si quos inbellis sexus, aut fessa ætas, vel loci dulcedo adtinuerat, ab hoste oppressi sunt. Eadem clades municipio Verulamio fuit; quia barbari, omissis castellis præsidiisque militarium, quod uberrimum spolianti et defendentibus intutum, læti præda et aliorum segnes, petebant. Ad septuaginta millia civium et sociorum, iis quæ memoravi locis, cecidisse constitit. neque enim capere, aut venundare, aliudve quod belli commercium, sed cædes, patibula, ignes, cruces, tamquam reddituri supplicium, ac prærepta interim ultione,

Transiit] Sic recte Rhen. e Bud. prius *transit.*

Londinium copia negotiatorum] Etiam hodie. eoque nomine princeps Britanniæ urbs. Commeatum proprie accipit, uti Suetonius, Ner. 20. *Alexandrini, qui de novo commeatu Neapolim confluxerant:* Græcis κατάπλουν. Ammianus 27, 8. de hac urbe; *Londinium vetus opidum, quod Augustam posteritas appellavit.* Lips. *Commeatuum* est e Flor. sic et ed. pr. Variandæ orationis caussa, aut, ut simile esset præcedenti, dixit pro *commeantium.* Ceteræ usque ad Pich. *commeatu.* Consentiunt MSS. (Bud.) Reg. Corb. Ern.

Et comitantes] Acidalius vult interpungi post *signum*, et legi *acceperat.* De interpunctione consentit ed. pr. alterum series orationis et sensus desiderat. Ern. Bene.

Præsidiisque militarium] Bene Pichena *militaribus*, ut est inf. c. 45. Ern. Muretus volebat *militum.*

Et deferentes in tutum] Repone lectionem scriptam, *et defendentibus in tutum.* quæ in prima recensione, mea culpa me fugit. Cetera etiam Mercerus ingeniose sic concinnat: *quod uberrimum spolianti, et defendentibus intutum, læti præda et aliorum segnes, petebant.* Alacres ad prædam, segnes ad cetera. Mihi tamen probaretur, *et laborum segnes.* Lips. *Spoliant* MSS. omnes et edd. vett. *spolianti* est e verissima correctione Merceri. J. Gronovius tamen malebat *spoliatu. Defendentibus intutum* etiam MSS. Fl. (Bud. a. 1. m.) Corb. et ed. pr. Ceteræ ante Lips. omnes *deferentes intutum.* hæc verba confundi in libris etiam supra 13, 56. vidimus. Denique *segnes* est a Mercero. MSS. (in his Bud.) et edd. olim *insignes. in* natum est e finali præcedentis. *Occasionum segnis* est 16, 14. Ern.

Septuaginta millia civium] At Dio, in pleraque hac historia Taciti velut interpres, periisse ait 62, 1. μυριάδας ὀκτὼ τῶν τε Ῥωμαίων καὶ τῶν συμμάχων αὐτῶν. ut hic LXXX. fortasse verior scriptura sit. Lips. *Cecidisse* MSS. Fl. Guelf. et alii. ed. pr. Ceteri libri *occid.* Ern.

Patibula, ignes, cruces] Diversa hæc igitur, patibula et cruces? quodam sensu. Patibulum enim proprie, in quo suffixus homo expanditur, transverso tamen ligno. Crux vero etiam, cum is erecto simplicique stipiti adfigitur, sive infigitur: diximus abunde in libellis *De Cruce.* Lips.

Tamquam reddituri supplicium] Potius, *reddituris.* Lips. Non assecuti sunt viri docti, qui de hoc loco egere, elegantiam. *Reddituri supplicium* verum est. Imitatus est Livium, qui simili ratione dixit *reddere cladem.* 24, 17. *quo minus accepta ad Cannas redderetur hosti clades.* ibid. 20. Heins. ad Vellei. 2, 35. legi vult *redditum*

festinabant. Jam Suetonio quartadecima legio cum vexilla- A. U.
riis vicesimanis, et e proximis auxiliares, decem ferme mil- 815.
lia armatorum erant: cum omittere cunctationem et con- A. C. 62.
gredi acie parat. deligitque locum artis faucibus et a tergo 34
silva clausum; satis cognito, nihil hostium, nisi in fronte,
et apertam planitiem esse, sine metu insidiarum. Igitur
legionarius frequens ordinibus, levis circum armatura, con-
globatus pro cornibus eques adstitit. At Britannorum co-
piæ passim per catervas et turmas exsultabant, quanta non
alias multitudo et animo adeo fero, ut conjuges quoque te-
stes victoriæ secum traherent, plaustrisque inponerent, quæ
super extremum ambitum campi posuerant. Boadicea, 35
curru filias præ se vehens, ut quamque nationem accesserat,
solitum quidem Britannis, feminarum ductu bellare, testaba-
tur: *sed tunc non, ut tantis majoribus ortam, Regnum et opes,
verum ut unam e vulgo libertatem amissam, confectum verbe-
ribus corpus, contrectatam filiarum pudicitiam ulcisci. eo
provectas Romanorum cupidines, ut non corpora, ne senectam
quidem, aut virginitatem inpollutam relinquant. Adesse ta-
men Deos justæ vindictæ. cecidisse legionem, quæ prœlium
ausa sit: ceteros castris occultari, aut fugam circumspicere.
Ne strepitum quidem et clamorem tot millium, nedum inpetus
et manus perlaturos. Si copias armatorum, si caussas belli*

supplicium: non male, sed tamen sine necessitate: ceterum vim verborum bene assecutus: laudans e Senec. de Ira 2, 32. *dulce est dolorem reddere.* Mox idem vult *præcepta*, quod et in MS. uno reperit Broterius. Vulgatum verbo *festinabant* aptius videtur. Ern. Bud. *prær. int. ult.* absque præmisso *ac.* Bip. conjiciunt leg. *promti interim ultioni.* ut 11, 32.

Vexillariis vicesimariis] Vere arbitror Acidalium correxisse *vicesimanis*, ut est c. 37. et alibi. Si vel maxime forma verbi, hoc quidem sensu, nihil vitii haberet: tamen non credibile est, Tacitum istis homœoteleutis usurum fuisse. Librarius temere terminationem præcedentis verbi repetiit, ut alibi. V. ad 11, 6. Itaque non dubitavi eum J. Gronovio *vicesimanis* recipere. Ern.

Levis c. armatura, conglob.] Sic e MSS. Fl. et Agr. restituere hunc locum Ryckius et J. Gronovius: cum ante vulgo esset (ut in Bud.) *levi c. armatura conglobatus.* Consentit MS. Reg. *Levis* est etiam in ed. pr. Ern.

Quanto non alias m.] Vid. Dio 62, 8.

Plaustrisque imponerent] Bud. *pl. super imponerent.*

Sed tunc non etc.] Ursin. et Boxh. conjiciunt *Se tunc non.* Acid. *Sed se . . .*

Confectum vulneribus c.] Sic ed. pr. et recentiores omnes præter J. Gron. At a Puteolano veteres reliquæ omnes *consectum:* item MSS. Oxon. Corb. et Jes. ap. Brot. qui recepit. Non displicet. Horat. Epod. 4, 11. *flagellis sectus.* Sed quia *confectum* etiam MS. Flor. (Bud.) et Guelf hoc prætuli. Gronovius ap. Liv. 26, 46. probat *cædendo confectus*, pro concisus, *confractus*, ut ibi alii libri habent. quidni *verberibus confectus* dicatur? Tum in ed. Puteol. etiam alio loco observavimus *s* expressum pro *f*. Atqui ab illa ed. reliquæ ductæ, ut in præfatione ostendimus. Ern.

Ne str. tot millium] Fuisse enim in acie hostili δώδεκα μυριάδας, id est, centum viginti millia hominum, Dio annotavit 62, 2. Noster omisit, ut pleraque alia, in hac narratione: non incuria, aut culpa sua, sed, quod facile odorere, librariorum exscriptorumve, qui hos libros pessime admutilarunt. Lips. At vett. edd. omnes *militum*, ut MS. Guelf. (et Bud.) sed *millium* melius. Ern.

A. U. 815. A. C. 62. *secum expenderent, vincendum illa acie, vel cadendum esse. Id mulieri destinatum: viverent viri et servirent.* Ne Suetonius quidem in tanto discrimine silebat. qui, quamquam con-
36 fideret virtuti, tamen exhortationes et preces miscebat, *ut spernerent sonores barbarorum, et inanes minas. plus illic feminarum, quam juventutis adspici. inbelles, inermes cessuros statim, ubi ferrum virtutemque vincentium totiens fusi agnovissent. etiam in multis legionibus paucos esse, qui prælia profligarent: gloriæque eorum accessurum, quod modica manus universi exercitus famam adipiscerentur. Conferti tantum, et pilis emissis, post umbonibus et gladiis, stragem cædemque continuarent, prædæ inmemores: parta victoria, cuncta ipsis cessura.* Is ardor verba ducis sequebatur, ita se ad intorquenda pila expedierat vetus miles et multa prœliorum experientia, ut certus eventus Suetonius, daret
37 pugnæ signum. Ac primum legio gradu inmota, et angustias loci pro munimento retinens, postquam propius suggressus hostis certo jactu tela exhauserat, velut cuneo erupit. Idem auxiliarium inpetus: et eques, protentis hastis, perfringit, quod obvium et validum erat. Ceteri terga præbuere, difficili effugio, quia circumjecta vehicula sepserant abitus. Et miles ne mulierum quidem neci temperabat: confixaque telis etiam jumenta, corporum cumulum auxerant. Clara et antiquis victoriis par ea die laus parta.

Viverent viri et serv.] Bud. *viverent et viris serv.*

Qui, quamquam] *Qui* abest MSS. Reg. (Bud.) Corb. ed. pr. non male. Ern.

Sonores barb.] Vatic. *sonores.* atque ita scripsisse Tacitum pertendo. Alibi: *sonorem alterius prælii non audirent.* Lips. Sic et Flor. Reg. (Bud.) ed. pr. Ern.

Ubi ferrum—agnovissent] Sententia a Livio sumta, qui ea non uno loco utitur, et noster quoque aliis locis H. 2, 4. 4, 50. Mox *esse* abest ab ed. pr. Ern. Et a cod. Bud.

Quod modica manus] Sic MSS. Flor. (Bud.) Oxon. Reg. alii, et ed. pr. ut volebat Acidalius: quod Tacito restituimus cum Ryckio. Supra c. 32. *modica manus, tutela templi freti.* ceteri libri *manu.* Mox recte *conferti.* Vid. ad 6, 35. Ern.

Ut certus eventus] Vett. edd. usque ad Rhenanum *eventu.* etiam cod. Agr. et alii ap. Broterium, cui placet ob *εὐφωνίαν.* nec mihi displiceret, nisi nimis insolens esset constructio. Ferretus se *eventi* alibi legisse dicit. Vellem dixisset, ubi. Id haud dubie, si in bono libro esset, præferrem. nam ista homœoteleuta offendunt aures nimis: quamquam talia etiam melioribus scriptoribus, nominatim Livio, interdum excidere. Ern. Bud. *certo eventu.*

Propius suggressus hostis] Certitudo hæc jactuum non videtur ad hostes referenda (paucissimi enim e Romanis cecidere, ut addit) sed ad ipsos Romanos: ideoque legam: *suggressis hostibus:* atque ea veritas. Lips. Pichena contra ad hostes refert et *incerto jactu* legit: quod recte repudiat Freinsh. Nam, si propius suggressus hostis demum misit tela, incertus jactus non fuit. Itaque aut Lipsius audiendus, aut aliud quid vitii in *certo* latet. forte *crebro.* Nam profecto *certus jactus* non satis convenit verbo *exhaurire,* si ad hostes verbum hoc pertinet. Mox *cuneo* MSS. Flor. Vat. Guelf. edd. vett. usque ad Rhen. qui (e Bud.) dedit *cuneus: cuneo* restituit Pichena. Post *perfringunt* MSS. Reg. Jes. ed. pr. non male, nec abhorrens a Taciti more. Ern. Bud. *perfringit.* Rhen. pro *cuneus* per errorem dedit *cuneis.*

Sepserant abitus] Bud. *sepserant ambitus.* Mox *octingenta m. Br. occidisse tr.*

quippe sunt, qui paullo minus quam octoginta millia Bri- A. U.
tannorum cecidisse tradant, militum quadringentis ferme 815.
interfectis, nec multo amplius vulneratis. Boadicea vitam A. C.
veneno finivit. Et Pœnius Postumus, Præfectus castrorum 62.
secundæ legionis, cognitis quartadecimanorum vicesimano-
rumque prosperis rebus, quia pari gloria legionem suam
fraudaverat, abnueratque, contra ritum militiæ, jussa Du-
cis, se ipsum gladio transegit. Contractus deinde omnis 38
exercitus sub pellibus habitus est, ad reliqua belli perpe-
tranda. Auxitque copias Cæsar, missis e Germania duo-
bus legionariorum millibus, octo auxiliarium cohortibus ac
mille equitibus: quorum adventu nonani legionario milite
suppleti sunt; cohortes alæque novis hibernaculis locatæ,
quodque nationum ambiguum aut adversum fuerat, igni
atque ferro vastatur. Sed nihil æque, quam fames, adfli-
gebat serendis frugibus incuriosos, et omni ætate ad bel-
lum versa, dum nostros commeatus sibi destinant: gentes-
que præferoces tardius ad pacem inclinant: quia Julius
Classicianus, successor Cato missus, et Suetonio discors,
bonum publicum privatis simultatibus inpediebat. disper-
seratque, *novum Legatum opperiendum esse, sine hostili ira et
superbia victoris clementer deditis consulturum.* Simul in
urbem mandabat, *nullum prœlio finem exspectarent, nisi
succederetur Suetonio:* cujus adversa pravitati ipsius; pro-

Vitam veneno finivit] Dio 62, 12. morbo. ἀποθανούσης, ait, ἐν τούτῳ τῆς Βουδουίκης νόσῳ. Lips. Sed, nisi fallor, legendum τόπῳ. Ern.

Pœnius Postumus] Reinesio placebat *Hœnius.* Et est *Hœnia* familia clara, ex qua Consul a. u. 894. T. Hœnius Severus. Sed et *Pœnii* in monimentis antiquis occurrunt, etsi minus nobiles. Ern.

Auxiliarium cohortibus] Sic cum J. Gron. edidi e MS. Fl. ed. pr. (sic et Bud.). Ceteræ *auxiliariorum.* Mox forte melius fuerit *vastatum.* Post ed. pr. *versos.* unde conjicias *omni æstate ad bellum versos.* Ern. Bud. *versa.*

Serendis frugibus incuriosos] Heins. fors. *serendæ frugis.* Sed noster etiam H. 2, 17. *melioribus incuriosos.*

Simul in urbe mandabat] Vett. edd. usque ad Rhen. *in urbe,* quod et MS. Guelf. (et Bud.) exhibet. V. ad c. 36. extr. *mandare in urbem,* pro mittere, qui nunciarent, s. literas, quibus nunciarent, illa ætas dixit sæpe, quamquam ita etiam antiquiores, sed raro. v. ad Sueton. Calig. 25. Ern. *In urbem* Rhen. ex ingenio.

Nullum prœlio finem] 'Ακύρως. legerem, *bello:* aut certe, *prœliorum.* Lips. Probat Gruterus. Possis etiam *prœliis.* Atque etiam verba *bellum* et *prœlium* sæpissime in MSS. confundi, satis constat, atque in ipso Tacito, ut infra bis videbimus: unde merito priorem Lipsii conjecturam probes. Ern. *Bellum* haud raro pro *prœlio* poni, Cortius docet ad Sall. Cat. 9. Ita hic forsan v. *prœlium* pro *bello.* Cf. et Hiller. Rac. 39.

Prospera, ad fortunam Reip.] In Rom. edit. legas, *prospera fortunæ.* At sententia tota sumpta a Sallustio: cujus fragmentum in similes calumniatores ap. Non. 4, 403. *Ad hæc, rumoribus, adversa in pravitatem; secunda, in casum, fortunam in temeritatem declinando, corrumpebant.* Lips. Edit. Rom. intellige princ. aliam a Beroaldina, quæ habet a Puteolano *ad f. reip.* cum seqq. omnibus. *Reip.* est haud dubie a Puteolano. Nam in MSS. est *ipsius,* ut Flor. Bud. Guelf. ed. pr. Tum ille cod. *fortunam,* hi (Bud. Guelf.) *ad fortunam.* Ed. pr. *fortunæ.* Unde varietas corrigentium nata. J. Gron. volebat *Imperii.*

A. U. 815. A. C. 62. spera ad fortunam Reipublicæ referebat. Igitur ad spectandum Britanniæ statum missus est ex libertis Polycletus, magna Neronis spe, posse auctoritate ejus, non modo

39 inter Legatum Procuratoremque concordiam gigni, sed et rebelles barbarorum animos pace componi. Nec defuit Polycletus, quo minus, ingenti agmine Italiæ Galliæque gravis, postquam Oceanum transmiserat, militibus quoque nostris terribilis incederet. Sed hostibus inrisui fuit, apud quos, flagrante etiam tum libertate, nondum cognita libertorum potentia erat: mirabanturque, quod Dux et exercitus, tanti belli confector, servitiis obedirent. Cuncta tamen ad Imperatorem in mollius relata: detentusque rebus gerundis Suetonius, quod post paucas naves in litore remigiumque in iis amiserat, tamquam durante bello, *tradere exercitum Petronio Turpiliano*, qui jam Consulatu abierat, jubetur. Is non inritato hoste, neque lacessitus, honestum pacis nomen segni otio inposuit.

40 Eodem anno Romæ insignia scelera, alterum Senatoris, servili alterum audacia, admissa sunt. Domitius Balbus erat Prætorius, simul longa senecta, simul orbitate et pecunia insidiis obnoxius. ei propinquus Valerius Fabianus, capessendis honoribus destinatus, subdidit testamen-

Quid si: *cujus adversa pravitati ipsius, prospera fortunæ referebat?* ut illud alterum *ipsius* temere ex antecedentibus repetitum sit. Ern. Cf. Agr. 27.

Postquam] Bud. *posteaquam*.

Cognita libertorum potentia] In MSS. Bud. Guelf. ed. pr. Puteol. est, *libertinorum*. Sed vulgatum rectum, intellectu Cæsaris, de cujus solis libertis sermo. Ern.

Detentusque rebus gerundis Suetonius] Faernus legebat, *demotusque rebus gerundis*, quod verum videtur. Sic 13, 14. *demovet Pallantem cura rerum* etc. nam hoc melius consentit exercitibus. Ern.

Quod post paucas] Scribe: *postquam paucas*. Gron. MSS. Flor. Guelf. *quod post p.* Bud. *quod perpaucas*, sine relativo. Agric. *quod postpaucas*. Florentino consentit ed. pr. Puteol. autem dedit *qui quod post p.* quod Beroaldus et Alciatus secuti sunt. Male ergo Ryckius Beroaldum dicit induxisse *qui post p.* Rhenanus: *quod perpaucas*, cum sequacibus Aldo, Gryphio. sed post lectio *quod post* restituta a Lipsio, Pichena, Ryckio. In ed. Gron. patr. est *qui post*, nescio unde. Sed id tamen repetiit filius. *Quod* verum puto, si *demotus* verum. Sin *detentus*, necessarium est, cum Gronovio corrigere *postquam*. Sed illud tota res suadet, ut credamus. *Post* deinde aut delendum, aut e cod. Bud. *perpaucas* legendum. Ab ed. pr. etiam abest *durante*. Ern. Sic cape. Post relationem Imperatori factam *Suetonius* aliquamdiu *detentus est rebus gerundis, sed, quod postea paucas naves in l. r. in his* (sic Bud.) *amiserat, quasi durante bello* etc. ubi non opus cum Mureto legere *quamquam dur. b.* Ergo lectio recepta bene se habet. *tanquam* indicat, bellum jam deflagrasse, quum Petronius Suetonio surrogaretur.

Alterum Senatoris] Sic MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Oxon. ed. pr. idque consentit magis stilo Taciti: unde restitui. vulgo *senatoria*. Mox pro vulg. *ejus propinquus*, dedi cum J. Gron *ei:* quod in MSS. Flor. Guelf. Bud. Agr. et ed. pr. est *et*. Et sic dudum conjecit Rhenanus. *Ejus* est e conjectura Puteolani. Ern. Cum Rhenano faciunt et Muretus, Acidalius.

Domitius Balbus] Reinesius ad marginem scripserat: *an est Domitius Tullus, de quo simile quiddam narrant?* Plin. Ep. 8, 18. Dissimilem rem, qui inspexerit Plinium, videbit. Ern.

A. U. 815. A. C. 62.

tum, adscitis Vinicio Rufino, et Terentio Lentino, Equitibus Romanis. Illi Antonium Primum et Asinium Marcellum sociaverant. Antonius audacia promptus: Marcellus Asinio Pollione proavo clarus, neque morum spernendus habebatur, nisi quod paupertatem præcipuum malorum credebat. Igitur Fabianus tabulas iis, quos memoravi, et aliis minus inlustribus, obsignat. quod apud Patres convictum: et Fabianus Antoniusque, cum Rufino et Terentio, lege Cornelia damnantur. Marcellum memoria majorum, et preces Cæsaris, pœnæ magis, quam infamiæ exemere.

41 Perculit is dies Pompeium quoque Ælianum, juvenem Quæstorium, tamquam flagitiorum Fabiani gnarum: eique Italia et Hispania, in qua ortus erat, interdictum est. Pari ignominia Valerius Ponticus adficitur, quod reos, ne apud Præfectum urbis arguerentur, ad Prætorem detulisset, interim, specie legum, mox prævaricando, ultionem elusurus. Additur Senatus consulto: *qui talem operam empti-*

Vicio Rufino] Vett. *Vincio.* Lips. MSS. Flor. Oxon. Bud. Agr. Guelf. ed. pr. At ceteræ edd. omnes *Vicio.* Corrigunt *Vinicio.* Etiam *Vincios* occurrere in monumentis antiquis, notavit bene Ryckius: sed tamen *Rufinus* esse cognomen *Viniciorum*, ex iisdem patere. Ern. *Vinicio* jam Rhen. volebat. Consentiunt Faernus, Mercerus. Recipio cum Bip.

Antonium Primum] Illum, qui postea acerrima fax Vespasiano ad civile bellum: cujus multa in Histor. libris 3 et 4. mentio. Lips.

Fabianus tabulas iis] Manuduxit me ad veram hanc lectionem Vaticanus, qui *tabulasiis* refert. Reliqui omnes *tabulariis.* Quantillus error, quantas tenebras? Nam JCti nostri misere torquentur in tabulariis istis eruendis. Alciatus eos putat, quos nunc tabelliones vocamus: contra Ferretus obsignatores et scriptores testamenti. Vertranius postremo, tanquam cornicum oculos, rescribendum censet: *Fabianus tabularius iis.* Lips. *Tabulasiis* quoque MSS. Flor. sed ita ut *s* erasum et *r* recentiori manu rescriptum esset. Etiam ed. pr. *tabulariis:* sed Guelf. *tabellariis.* Ern. Bud. *tabulariis.*

Lege Cornelia damnantur] Id est, ordine Senatorio moventur. Nam, quamvis legis Corneliæ ordinaria pœna deportatio sit, et bonorum publicatio: tamen in honestioribus submotio etiam ordinis admissa est. Tacitus H. 2, 86. *Primus Antonius legibus nocens, et tempore Neronis falsi damnatus, inter alia belli mala Senatorium ordinem reciperaverat.* Paullus Sent. 5, 15. *Hi, qui falsum vel alia testimonia dixerunt, aut in exsilium aguntur, aut in insulam relegantur, aut curia submoventur.* Lips. Cf. idem Sent. 4, 7, 1.

Pompeium] Sic Flor. Bud. alii. male vulgo *Pompeianum.*

Ad Prætorem detulisset] Quem Prætorem? urbanumne? Non opinor. nec enim ejus in crimine cognitio. Olim sane proprius peculiarisque Prætor, qui constitutis quæstionibus perpetuis cognosceret de Falso. Eum hic intellegi credo. Etsi enim pleraque judicia in Senatu aut apud Praef. urbis, et Prætorum potestas imminuta: mansit tamen, opinor, veteris ritus imago quædam et umbra. quam Ponticus hic pro re amplexus, non sine sua fraude. At *Præfectum urbis omnia crimina omnino sibi vindicasse* ab Ulpiano traditum est, l. 1. De offic. Præfect. urbis; non quidem ab Augusto, (falluntur, qui id censent; et Augustus jus tantum ei dedit in servos; et quod civium audacia turbidum, nisi vim metuat) sed crescente paullatim, concessu Principum, ut solet, nova potestate. Lips.

Additur SCto] Sic MSS. Flor. Bud. Agr. ed. pr. Ryckius, J. Gron. cf. H. 4, 45. Ceteræ edd. *SCtum:* quod sane speciosum est. Non enim videtur, in decretis Senatus de pœnis singulorum sancitum esse de generibus criminum. Potuere librarii verbo *additur* decipi, ut SC. acciperent *Sena-*

A. U. 815. A. C. 62. *tasset, vendidissetve, perinde pœna teneretur, ac publico judicio calumniæ condemnatus.* Haud multo post præfectum urbis, Pedanium Secundum, servus ipsius interfecit: seu

42 negata libertate, cui pretium pepigerat, sive amore exoleti infensus, et dominum æmulum non tolerans. Ceterum cum, vetere ex more, familiam omnem, quæ sub eodem tecto mansitaverat, ad supplicium agi oporteret, concursu plebis, quæ tot innoxios protegebat, usque ad seditionem ventum est: Senatuque in ipso erant studia nimiam seve-

tusconsulto. Mox *venditassetve* e MS. Agr. edidit Ryckius, quod videtur natum, dum librarius hoc verbum præcedenti conformat. Post ed. pr. *perinde*, sine *ut*, quod inde a Puteol. omnes habent, usque ad Pichenam, estque et in Guelf. Delevimus deinde etiam *si*, post *ac*, quod non est in (cod. Agr. nec in) ed. pr. delerique voluit Faernus. Ern. Bud. *vendidissetue* (hoc *ue* delevit 2. m.) *ut perinde . . ac si.* Id *ut* non habet Flor.

Judicio calumniæ condemnatus] Eum, qui prævaricatus sit, quive prævaricatorem emerit, fecerit, punit hoc SC. calumniæ pœna. Ea est talio et infamia, uti colligas ex l. penult. et l. 4. D. de prævaricat. Lips. Mox ed. pr. *interficit.* Ern. Bud. *interfecit.* De pœna cf. Paull. Sent. 5, 4, 11.

Cui pretium pepigerat] Moribus receptum, uti servus interdum cum domino quasi pacisceretur in certum pretium: quod si exsolvisset, liber esset. Id pretium e peculio servi, vel adventicio lucro. Seneca Ep. 80. *Mancipia quoque conditionis extremæ, et in his sordibus nata, omni modo exuere conantur servitutem; peculium suum, quod comparaverunt ventre fraudato, pro capite numerant.* Virgilius eo respiciens Ecl. 1, 33. *Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.* Et vetus sane ille mos, cujus vestigia plura in Plauto. ut Aulul. Strobilus reperto thesauro 5, 8. *Quin ego illi invenisse me hanc prædam dico, atque eloquor? Igitur orabo, ut manu me mittat, ibo atque eloquar.* Gripus servus, Rudente 4, 2, 23.—*ad herum veniam docte atque astute, Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut sim liber.* Et clarius in Casina 2, 5, 7. *Quid ista tu me libertate territas? Vobis invitis atque amborum ingratiis Una libella liber possum ego fieri.* Quod non aliter intellegendum, quam ut cum hero jam ante pactus fuerit in libram. Et in hanc sententiam scripsit Hermogenianus adversus dominum consistere servis licere, *siqui suis nummis redemptos se, et non manumissos contra placiti fidem, adseverent.* l. 53. D. de judiciis. Item Ulpianus: *Qui se dicit suis nummis redemptum, si hoc probaverit, exinde liber erit, ex quo redemptus est.* Interdum vero imaginaria quædam emptio, interposita persona tertia, adhibebatur. de qua l. 4. de Manumiss. Quod si dominus non servaret fidem, querela servo Romæ apud Præf. urbi, apud Præsidem in provinciis, ex constitutione Divorum fratrum fuit l. 5. ib. Lips.

Amore exoleti infensus] *Amore* edd. pr. Rhen. (e Bud.) et seqq. omnes ut et MS. Guelf. Sed Puteol. Riv. Beroald. Alciat. *amori.* Pro *infensus* Pichena malebat *incensus.* (sic c. Agr.) Sane infensus animus exprimitur sequentibus. Ern. Ryckius præfert *infensus*, ne idem bis dicatur; sed hoc potius de *infensus* valet.

Cum vetere ex more] Bene, veteri ex more. Nam etiam libera Rep. id. obtinuit, ex epistola Servii Sulpicii de cæde Marcelli in Cic. Epp. 4, 12. *Ego tamen ad tabernaculum ejus perrexi: inveni duos libertos et pauculos servos: reliquos aiebant profugisse metu perterritos, quod dominus eorum ante tabernaculum interfectus esset.* Hunc priscæ severitatis ritum firmavit postea SC. Silanianum sub Augusto, itemque nunc Neronianum, de quibus Cujacium vide Obs. 1, 18. et 10, 33. Addo, ne feminas quidem immunes exceptasque fuisse: suasus Taciti infra verbis, *numerum, ætatem, aut sexum miserantium.* item rescriptio Hadriani l. 1. de SC. Silaniano. Lips. Cf. 13, 32.

Senatusque, in quo] Expeditior sententia, *Senatuque in ipso.* Lips. MS. (Flor. Bud. Oxon.) *Senatusque in quo ipso.* idemque exhibent edd. Rhenan. et seqq. usque ad Bernegg. qui Lipsii correctionem recepit cum seq. nisi quod in pr. est *ipse.* At Puteol. dedit

ritatem adspernantium, pluribus nihil mutandum censenti- A. U.
bus. Ex quis C. Cassius, sententiæ loco, in hunc modum 815.
disseruit. *Sæpenumero P. C. in hoc ordine interfui, cum* A. C. 62.
contra instituta et leges majorum nova Senatus decreta postu- 43
larentur: neque sum adversatus: non, quia dubitarem, super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum, et, quæ converterentur, in deterius mutari; sed ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer. Simul, quidquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam, ut maneret integrum, si quando Respublica consiliis eguisset. quod hodie evenit, Consulari viro domi suæ interfecto, per insidias serviles, quas nemo prohibuit aut prodidit, quamvis nondum concusso Senatus consulto, quod supplicium toti familiæ minitabatur. Decernite hercule inpunitatem. At, quem dignitas sua defendet, cum Præfectura urbis non profuerit? quem numerus servorum tuebitur, cum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint? cui familia opem feret, quæ ne in metu quidem pericula nostra avertit? An, ut quidam fingere non erubescunt, injurias suas ultus est interfector? quia de paterna pecunia transegerat, aut avitum mancipium detrahebatur? Pronuntiemus ultro, dominum jure cæsum videri.
Libet argumenta 44

Senatus in q. i. quod secuti sunt Ber. Riv. Alc. Lipsius verum vidit. Nam nihil est, ad quod nominativus *Senatus* referatur. Mox MS. Flor. et ed. pr. vitiose *multandum*. recte contra *ex quis*, ut sæpe. Vulg. *quibus* usque ad Ryckium. Ern. Bud. *mutandum . . . ex quibus.*

C. Cassius] Legum probe gnarus 12, 12. Cf. Ryck. ad 6, 15. Paullo post Bud. *melius ac rectius.*

Quod h. evenit] Sic MSS. ed. pr. Rhen. et seqq. In ed. Puteol. *venit* vitio operarum: id tamen tenuere Riv. Beroaldus, Alciatus. Ern.

At, quem dignitas sua defendet] Rhen. e MS. Bud. notat *ut quem:* ex aliis nil notatum video. At mirum, ni hic dissentiat MS. Flor. cum dissentiat ed. pr. quacum tam sæpe convenit illi optime. Ea habet: *ut quem dignitas sua defendat, cui Præfectus urbis non profuit? Præfectus* haud dubie pro *Præfectura*. Certe *at* h. l. non satis commodum, ut sensit etiam Rhenanus, qui volebat *ecquem*. In illo autem ironia belle continuatur. Vulgatum est a Puteolano: qui hæc sequentibus similia efficere voluit. Guelf. *atque d. s. defendet, vel cui præfectura urbis non profuit*. At MS. Reg. ap. Brot. *ut quem*. MS. Corb. *et quem* quod favet conjecturæ Rhen. Mox MSS. plures ap. Brot. *cui*. Ern. Rhen. servavit *at quem*. Bud. *cum præfectus urbis.* unde 2. m. fecit *cui præfectura*. Mox idem *opem ferat*. et p. p. *anne.*

Ne in metu quidem] Agr. *ne sui m. q. p. n. avertit*. probat Heins.

Avertit] Suspicor Tacitum scripsisse: *quam ne in metu quidem pericula nostra advertunt*. Sic habes verbum exquisito illo usu, quo esse solet interdum apud nostrum et Livium. Gron. Ut edidi, est in edd. vett. omnibus, unde restituit jam Ryckius (ex Agr.). *Advertit* edidit Lipsius et seqq. quod et MS. (Bud. et) Guelf. exhibet. Elegans tamen est J. F. Gronovii conjectura. Ern.

Quia de paterna pecunia] Abite sinistræ manus: nihil mutandum. Εἰρωνικῶς ista et ἐξ ἀντιστάσεως capienda sunt. Lips.

Libet argumenta conquirere] Interrogationis nota est a Freinshemio: et sic placebat Ursino. Sensus est: Frustra argumentis demonstrabimus, quod majores, nobis haud paullo sapientiores, re satis deliberata jam decrevere. Sequentia Rhenanus sic cum antecedentibus conjungenda censet: *ac si nunc primum st. haberemus*. Ern. Bud. *Sed si.*

A. U. 815. A. C. 62. *conquirere in eo, quod sapientioribus deliberatum est? Sed et, si nunc primum statuendum haberemus; creditisne, servum interficiendi domini animum sumpsisse, ut non vox minax excideret? nihil per temeritatem proloqueretur? Sane consilium occuluit, telum inter ignaros paravit: num excubias transiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, cædem patraret, omnibus nesciis? Multa sceleris indicia præveniunt. Servi si prodant, possumus singuli inter plures, tuti inter anxios, postremo, si pereundum sit, non inulti inter nocentes*

Animum insumpsisse] Sic MSS. edd. pr. Puteol. Ber. Alc. sed Rhenanus (e Bud.) correxit *sumsisse*. Vetus restituit Ryckius, sequente J. Gronovio. Ego quoque veterem lectionem retinui, sed vereor, ne *sumsisse* melius sit. Ryckius ad Statium Theb. 12, 643. provocat: *dignas insumite mentes cœptibus*. Sed ibi *cœptibus* videri potest esse dativus. Aliud autem est *mentem insumere alicui*, aliud *mentem insumere* simpliciter. Illa forma sæpe apud nostrum ut 3, 44. 16, 23. hujus nullum exemplum mihi, quod sciam, alibi occurrit. In MS. Guelf. syllaba *in* est in litura, potuitque nasci, ut alibi, e finali litera præcedentis verbi. ERN. Bene Bip. sequuntur Budensem.

Occuluit] Flor. *occultavit*.

Num excubias transiret] Nocturnas ergo ad limen excubias servorum habuerunt domini potentiores. Quod tu mihi, philologe, observa. Quinctil. Declam. 1. pro Cæco: *Dicitur cæcus sine rectore, sine duce . . . per inane longum, per tot offensa limina, per excubantes servulos errasse cum ferro: cubiculum deinde patris ingressus*. Idem Declam. 2, 16. pro Cæco: *Tu sentis, quando senem vicerit lassitudo curarum. . . . Scis pariter, an una quiescentium fores vallaverit cura servorum*. Apuleius Met. 2. *Pueros ablegat arbitrio nocturni gannitus:* qui alioqui de more procubabant Silius 1, 66. ad hunc ritum de Annibale: *Sæpe etiam famuli turbato ad limina somno Expavere trucem per vasta silentia vocem*. Vide et Appianum Civ. 2, 99. in Catonis morte, et Tacitum in Othonis H. 2, 50. LIPS.

Multa sceleris indicia præveniunt servi si] Retineo veterem interpunctionem: et *præveniunt* non accipio, ut sit, præcedunt, ante scelus existunt; sed, ut sit, occupant, præcipiunt, deprehendunt, antequam scelus eventum habeat. Sic alibi noster *præventam gratiam*, id est, occupatam. Hæc illi *si prodant*, extra periculum sumus: si dissimulant et succumbimus sceleri, manente SC. Silaniano, *non inulti* peribimus. GRON. At hæc non est vetus interpunctio, sed ea, quam nos exhibuimus; quæ est in ed. pr. Puteol. Beroald. Alc. In ed. Rhenani mutata est, sed tacite, et vitiose, ut manifestum est. Sic enim habet (e Bud.) *præveniunt servi, si prodant. Possumus*. et tamen hoc secuti Aldus, Gryphius etc. Inde factum deinde, *præveniunt servi. si prodant, possumus*. Et hæc est vetus Gron. interpunctio. Sensus est planus in vetere interpunctione, quam nos restituimus. Multa sceleris indicia se exserunt ante, quam facinus patretur, nec ita tale consilium premi potest, quin indicia quædam, vel per imprudentiam, erumpant. Ea si servi animadversa prodant, nihil a servis timendum est. ERN.

Possumus singuli inter pl.—anxios] Hæc sunt, ut mihi videtur, vitiosa. Nam hæc conjunctim haud dubie capienda sunt, *possumus singuli inter plures tuti*, ut mox, *inter nocentes non inulti*. Quid jam fiet reliquis, *inter anxios?* Scire velim, unde ista sint? In pr. ed. *anxios* non est. Quid in libris aliis scriptis sit, non reperio notatum. Guelf. quidem *anxios* habet, quod a Puteolano editum, omnes secuti sunt. Vereor, ne ita supplere maluerit aliquis, quam *inter* illud delere, quod librarius, per errorem scriptum, delere noluerat, ut sæpe factum scimus. Si deleas cum *anxios*, belle procedit oratio. Nisi quis malit, alium nominativum ante ista verba excidisse, quia sequitur *postremo:* quod saltem duo membra præcedentia exigere videntur. An *securi?* Sed etiam ap. Cic. Mur. 23. *denique* est, præcedente uno tantum membro. ERN. Non video, quid sibi hic velit Ern. tria membra hic adsunt, egregie disjuncta. Opponuntur *singuli pluribus*, *tuti anxiis*, *non inulti nocentibus*.

agere. Suspecta majoribus nostris fuere ingenia servorum, A. U.
etiam cum in agris aut domibus iisdem nascerentur, caritatem- 815.
que dominorum statim acciperent. Postquam vero nationes A. C.
in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra, aut 62.
nulla sunt, conluviem istam non nisi metu coercueris. At
quidam insontes peribunt. Nam et ex fuso exercitu, cum
decimus quisque fusti feritur, etiam strenui sortiuntur.
Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra
singulos utilitate publica rependitur. Sententiæ Cassii, ut 45
nemo unus contra ire ausus est, ita dissonæ voces respon-
debant, *numerum, aut ætatem, aut sexum, ac plurimorum*
indubiam innocentiam miserantium. Prævaluit tamen pars,
quæ supplicium decernebat. sed obtemperari non poterat,
conglobata multitudine et *saxa ac faces* minitante. Tum
Cæsar populum edicto increpuit, atque omne iter, quo
damnati ad pœnam ducebantur, militaribus præsidiis
sepsit. Censuerat Cingonius Varro, ut liberti quoque, qui
sub eodem tecto fuissent, Italia deportarentur. Id a Prin-
cipe prohibitum est, *ne mos antiquus, quem misericordia non*
minuerat, per sævitiam intenderetur. Damnatus iisdem 46
Consulibus Tarquitius Priscus repetundarum, Bithynis

Nam et ex fuso exercitu] Neque interrogationis notam admiserim, nec negandi particulam, quam fatetur satis Pichena in Flor. non apparuisse, quum ex Veneto accessit. Est autem oratio brevis, continens rationem ejus, quod non ponitur, sed intelligitur ex præcedenti. Quasi foret: *At quidam insontes peribunt.* Pereant sane; neque id hoc solum casu contingit. *nam et ex fuso exercitu* etc. *etiam strenui sortiuntur.* id est, sortem trahunt inter decimandos, et sæpe accipiunt iniquiorem, pereuntque insontes. Neque enim *sortiuntur* παθητικὸν, ut volunt. Cicero in Verr. 2, 29. *Dic, inquit, illi adesse non possunt. Nam hercle, inquit Minucius, me quoque Petilius, ut sibi in consilio essem, rogavit: et simul a subselliis abire cœpit.* Intelligitur, immo et ego, inquit Minucius, adesse non possum: *nam hercle me* etc. Pluribus alibi hoc in sermone compendium illustramus. GRON. Rectissime. Et plane sic est in ed. pr. Rhen. (e Bud.) Ald. Gryph. Alterum dedit Puteol. quem secuti Riv. Ber. et Alc. A MSS. Flor. Guelf. etiam abest *non.* Ac mirum, cur lectionem Puteol. receperint recentiores. Bene igitur antiquius ac verius restituere Ryckius et J. Gron. In *fusti* (sic Bud.) hic quoque variatur, ut supra c. 8. ERN. Puteol. *Num et ex fuso . . . non sort?* Acid. *Non et ex f. . . sort?* Bip. conjiciunt: *Nonne ex f.*

Ut nemo unus] In MS. Guelf. *unus* est in litura. Fuerat *bonus.* (Sic Bud.) Sed *unus* verum est. Mox in eodem est *dubiam,* absorpta syllaba *in,* ut sæpe, a præcedente litera. ERN. Bud. a 1. m. *indubiam innocentiam.* unde 2. m. fecit *indubie.* Admitti posset deleto *ac* præcedente.

Et saxa ac faces] Sic MSS. Flor. Guelf. et edd. omnes ante Rhenan. qui (e Bud.) copulam *et* delevit. Notum est Virgilianum Æn. 1, 150. *jam faces et saxa volant.* MSS. idem etiam et edd. Puteol. Ber. Alc. habent *minante.* Sed frequentativis gaudet noster. Mox *incenderetur* scripti (Bud. a 2. m.) et edd. omnes ante Pichenam, qui conjecturam Rhenani et Merceri recepit primus, idque secuti sunt ceteri. ERN. Bud. *minitante.* Idem *incenderetur* a 2. m.

Tarquitius Pr.] Hujus *M. Tarquitii* ProC. nomen in numo Claudii et Neronis, apud Patinum, Valentem, cuso a Nicomediensibus: unde patet, statim ab accusatione, quæ facta est anno ante mortem Claudii, accepta provincia missum Proconsulem. Quod in numo Neronis est M. Ταρκυτίου Πριτα-νικ. id puto esse cum viris doctis vitio-

A. U. interrogantibus, magno Patrum gaudio, qui accusatum ab
815. eo Statilium Taurum, Proconsulem ipsius, meminerant.
A. C. Census per Gallias a Q. Volusio et Sextio Africano
62. Trebellioque Maximo acti sunt, æmulis inter se, per nobilitatem, Volusio atque Africano: Trebellium dum uterque
47 dedignatur, supra tulere. Eo anno mortem obiit Memmius Regulus, auctoritate, constantia, fama, in quantum, præumbrante Imperatoris fastigio, datur, clarus: adeo, ut Nero, æger valetudine, et adulantibus circum, qui *finem Imperio adesse* dicebant, *si quid fato pateretur*, responderit, *habere subsidium Rempublicam.* Rogantibus dehinc, *in quo potissimum?* addiderat, *in Memmio Regulo.* Vixit tamen post hæc Regulus, quiete defensus, et quia nova generis claritudine, neque invidiosis opibus erat. Gymnasium eo anno dedicatum a Nerone, præbitumque oleum Equiti ac
A. U. Senatui, Græca facilitate. P. Mario, L. Asinio coss. An-
816. tistius Prætor, quem in Tribunatu plebis licenter egisse
A. C.
63.
48

sum. Sed, ut cum Spanhemio putem, esse potius pro Πρίσκου (vid. de Us. et Pr. Num. t. 2. p. 593.) quam cum Perizonio Πρυτανικοῦ ap. Ryckium ad 12, 59. Ceterum libri, ita ut supra, variant inter *Tarquitius* et *Tarquinius*. Ern. Bud. *Tarquitius. Interrogare* pro accusare occurrit et 16, 21.

Qui accusatum ab eo Statilium Taurum] Supra 12, 59. Lips. Guelf. (et Bud.) *quia*. MS. Flor. *proconsule*, quod recepit J. Gron. Ceteri omnes scripti (etiam Bud.) et editi *proconsulem*. recte. Vid. ad 2. 52. Pro *ipsius* MSS. Reg. Corb. ed. pr. *ipsi*. Ern. Bud. *ipsius*. Ryckius præfert *quia*, quod et Flor. et Agr. et ed. Ven. habent. Mihi hiatus qui ex seq. voce oritur, displicet. Mox Bud. *valitudine*, sic sæpius.

A Q. Volusio, etc.] Ed. pr. *Volusino*. V. Lips. ad c. 56. sed deinde MSS. Flor. (Bud.) Reg. Corb. Agr. *Sextio* pro vulg. *Sexto*, quod cum Ryckio et J. Gron. recepimus. *Supra tulere* i. e. fecere, ut plus ipse gloriæ, laudis, gratiæ ferret. Ern.

Eo anno] MS. Reg. *eodem anno*, ut supra *iisdem* coss. Mox in *præumbrante imp. f.* ductum verbum e Græco ἐπισκιάζειν, quo sic utuntur elegantissimi, Demosthenes, Lucianus et alii. Ern.

Addiderat] Sic edidi ex MS. Guelf. et ed. pr. cum in ceteris omnibus sit *addiderit*. Atqui illud necessarium est in recepta ab omnibus interpunctione. *Addiderit* requirit *et rogantibus dehinc*. Ern. Bud. *addiderat*.

Gymnasium] Hac occasione vide quæ de Demetrio Cynico referat Philostr. in v. Apoll. 4, 42.

Præbitumque oleum] Si oleum populo tantum præbitum, nihil novum aut Græcanicum: præbuit ante P. Scipio, quem Ædilem dedisse congium olei in vicos singulos Livio credo 25, 2. Dedit et C. Cæsar post victoriam Africanam. Τόν τε δῆμον, inquit Dio 43, 31. λαμπρῶς εἱστίασε, καὶ σῖτον ἔξω τοῦ τεταγμένου καὶ ἔλαιον προσέδωκεν αὐτῷ. Etiam M. Agrippa in Ædilitate oleum et salem, ut auctor idem Dio 49, 43. Sed nemo eorum ad gymnasium, quod hic Nero. Plinius 15, 5. *Usum olei ad luxuriam vertere Græci, in gymnasiis publicando.* Adde Sueton. 12. Lips. Exemplum talis Græcæ facilitatis in Seleuco Nicatore ap. Jos. A. l. 12, 3. qui etiam Judæis a præfectis gymnasiorum pecuniam ad oleum emendum dari jussit. Ern. Oleum in eo gymnasio præbitum aut ad ludorum gymnicorum, aut ad thermarum, quæ ibi, usum, existimat P. Faber Agonist. 3, 16.

P. Mario, L. Asinio coss.] Nomen hujus primi Consulis corrupte legas in vetusta Persii vita nuper cum Juvenalis Scholiaste edita; *Decessit Persius VIII. Kalend. Decembr. Rubrio Mario, Asinio Gallo COSS.* scribe, *Publio Mario*. cui cognomen fuit Celsus. Lips. Cf. et Grut. Inscr. p. 1106, 7.

Quem in Tribunatu licenter egisse memoravi] 13, 28. Lips.

memoravi, probrosa adversus Principem carmina factitavit, vulgavitque celebri convivio, dum apud Ostorium Scapulam epulatur. Exin a Cossutiano Capitone, qui nuper Senatorium ordinem, precibus Tigellini, soceri sui, receperat, majestatis delatus est. Tum primum revocata ea lex: credebaturque haud perinde exitium Antistio, quam Imperatori gloria quæsita, ut condemnatus a Senatu, intercessione Tribunicia morti eximeretur. Et, cum Ostorius, *nihil audivisse*, pro testimonio dixisset, adversis testibus creditum: censuitque Junius Marullus, Consul designatus, *adimendam reo Præturam, necandumque more majorum.* Ceteris inde assentientibus, Pætus Thrasea, multo cum honore Cæsaris, et acerrime increpito Antistio, *non, quidquid nocens reus pati mereretur, id, egregio sub Principe, et nulla necessitate obstricto Senatu, statuendum,* disseruit. *carnificem et laqueum pridem abolita: et esse pœnas legibus constitutas, quibus, sine judicum sævitia et temporum infamia, supplicia decernerentur. Quin in insula, publicatis bonis, quo*

A. U. 816. A. C. 63.

A Cossutiano Cap.] De hoc 11, 6. 13, 33.

Tum primum revocata etc.] Locus haud dubie vitiosus, eaque de caussa, varie tentatus. Libri non magnopere variant, nisi quod edd. Puteol. Beroald. Alc. *ne condemn.* ed. pr. *exponeret*, pro *eximeretur;* utrumque vitiose: denique MS. Flor. *ut* non habet, quod in Guelf. est in litura. (Bud. habet *ut.*) Tentatur correctio sic, ut alii, auctore Mercero, *qua* corrigant, alii cum Mureto *quæreret:* Acidalius *credebaturque quæsisse:* Freinsh. *credebaturque —gloria quæsita:* Jac. Gronovius denique *credebaturque quæri, uti.* quod ille etiam in contextum recepit. De *credebaturque* haud ambigo: nam non lex quæsivit gloriam Neroni, sed accusator et ipse Nero: de altera parte nihil dum definire audeo. Magis tamen inclino in *quæsitam.* Etenim non videtur dicere velle Tacitus, quid homines de re judicarint ante eventum, sed quid post eventum: ex quo videbant, Neronem spe falsum sua et accusatorem. Si ante caussam actam sic credidissent, nihil impedisset, quo minus durius statuerent. Sed offensio Neronis et rescriptum indicabat, voluisse materiam habere gloriæ. Atque ante qui scire poterant? Ern. Bud. vulgatum habet, *credebatur, quæ . . . gloriam quæsivit.* Freinshemii emendationem meam feci. Ryckius probavit, nec tamen recepit.

Intercessione tribunicia] Intercessione ipsius Cæsaris: qui ita clementiæ gloriam pararet. Lips. Ad instar Augusti 1, 2.

Junius Marullus Consul designatus] Inter suffectos non dubie Consules. Sed in hunc ipsum annum, Annæum Senecam et Trebellium Maximum coss. referunt viri docti in opere Fastorum; et loca sunt, quæ annuunt. Ausonius tamen in Panegyrico Senecæ Consulatum aperte detrahit: *Dives Seneca, nec tamen Consul, arguetur rectius quam prædicabitur non erudiisse indolem Neronis, sed armasse sævitiam.* quo loco video esse qui negationem subtrahant, legantque: *Dives Seneca, tamen Consul.* Lips. V. Pigh. ad a. 814. et Vinet. ad h. l. Ausonii, qui Consules suffectos parum curasse videtur.

Obstricto Senatu] Vett. edd. ante Rhenanum *Senatui.* si copula *et* abesset, probarem. nunc *Senatu* verum est. Ern. Bud. *Senatu.* et sic jam Puteol. contra Beroald. *Senatui.*

Carnificem et laqueum] Respondent illi decreto, *more majorum necandum.* Ex quo clare discis, quid *punire* Tacito *more majorum.* Lips. Add. Suet. Ner. 39. Ern.

Quin in insula] Hæc lectio a Pichena inducta, velut ex ed. Veneta Puteol. Sed in ea est *quin in insulam:* ut in MS. Guelf. ed. Beroald. Alc. Ceterum veram puto. MS. Flor. *qui in insula.* Agr. *qui in insulam.* Ed. pr. *qui ne insula.* Rhenanus *quin insula*, quod omnes usque ad Pichenam secuti sunt. Ern. Bud. *qui insula.*

A. U. 816. A. C. 63. *longius sontem vitam traxisset, eo privatim miseriorem, et publicæ clementiæ maximum exemplum futurum.* Libertas Thraseæ servitium aliorum rupit. et, postquam discessionem

49 Consul permiserat, pedibus in sententiam ejus iere, paucis exemptis: in quibus adulatione promptissimus fuit A. Vitellius, optimum quemque jurgio lacessens et respondenti reticens, ut pavida ingenia solent. At Consules, perficere Senatus decretum non ausi, de consensu scripsere Cæsari. Ille, inter pudorem et iram cunctatus, postremo rescripsit, *nulla injuria provocatum Antistium, gravissimas in Principem contumelias dixisse: earum ultionem a Patribus postulatam, et, pro magnitudine delicti pœnam statui, par fuisse: ceterum se, qui severitatem decernentium inpediturus fuerit, moderationem non prohibere. statuerent ut vellent: datam etiam absolvendi licentiam.* His atque talibus recitatis, et offensione manifesta, non ideo aut Consules mutavere relationem, aut Thrasea decessit sententia, ceterive, quæ probaverant, deseruere: pars, ne Principem objecisse invidiæ viderentur; plures numero tuti; Thrasea sueta firmitudine animi, et ne

50 gloria intercideret. Haud dispari crimine Fabricius Veiento conflictatus est, *quod multa et probrosa in Patres et*

Eo privatim miserior] Lego: *eo privatim miseriorem:* et sermonis textus ita postulat. Lips. Recte: nec dubitavi recipere. Faernus malebat *futurus:* sed accusativi cum infinitivo sunt in superioribus. Ern.

Silentium aliorum] Vett. *servitium.* At velim consideres satin' sana hæc tota narratio sit. Antea prædixit, *tum primum revocata ea lex credebatur, quæ haud perinde exitium Antistio, quam Imperatori gloriam quæsivit, ut condemnatus a Senatu, intercessione Tribunicia morti eximeretur.* Quid? condemnatusne Antistius a Senatu? Contra video. in insulam seponitur. Idem intercessione Cæsaris morti eximitur? Falsum. nec quidquam in tota re, quod Neroni clementiæ gloriam, sævitiæ potius invidiam, parere possit. Ego sane æstuo: nec cuneum reperio huic nodo. Nisi placet cum Josia Mercero elegantissimo juvenum legi, *qua haud perinde*, ut ad accusatorem referas, non ad legem: qui non tam exitium eo facto quærebat, quam gloriam Principi. Sed hominis consilium Thraseæ sententia subvertit. Lips. *Servitium* omnes edd. ante Rhen. qui *silentium* invexit. non bene. Notior formula *silentium rumpere*, imposuit sive ipsi, sive MS. Bud. librario. Pichena bene vetus restituit. Sensus est: παῤῥησία Pæti fecit, ut ceteri quoque libere decernerent. Ern. Omnino in Bud. *silentium*, unde Rhen. At *servitium* fere sic 15, 61.

Paucis exemtis] Flor. habet, *exeptis*. Forte, *exceptis*, Pichena inquit. Foret id sane melius. Sed a scriptura illa nihil extrices. Virgula super *e* omissa est. Ed. pr. *exēptis*. Ern. Sic et Bud.

Et respondenti reticens] Sic etiam Livius 23, 12. ubi v. J. Fr. Gron. Ern.

Data etiam absolvendi] Melius e priscis, *datam etiam abs. licentiam.* Lips. Nam sic MSS. Flor. (Bud. a 1. m.) Guelf. edd. pr. Puteol. Ber. Alc. idque bene restituit Pichena. Ablativi sunt a Rhenano. *Licentia* dicitur illa quidem etiam in bonam partem apud nostrum, ut 1, 26. sed forte hic non absurdum sit, existimare, data opera ambiguitatem quæsitam. Ceterum in Guelf. (it. ed. Put. Ber.) est *et* pro *etiam*, fortasse melius. Vide tamen ad c. 36. extr. Ern.

Fabricius Veiento] Puto illum esse, qui A. Fabricius Dioni dicitur: quique Prætor, canes Circensibus ad currus adjunxit pro equis. Lips. Ryckius de eo laudat Plinium ep. 4, 22. Juvenal. Sat. 4, 113. Mox bene Pichena *quod multa* e MS. Flor. pro *qui m.* Sic etiam ed. pr. MS. (Bud.) Guelf. Ern. Bud. *Vegento.*

Sacerdotes composuisset, iis libris, quibus nomen Codicillorum *dederat.* Adjiciebat Talius Geminus, accusator: *venditata ab eo munera Principis, et adipiscendorum honorum jus.* quæ caussa Neroni fuit suscipiendi judicii: convictumque Veientonem Italia depulit, et libros exuri jussit, conquisitos lectitatosque, donec cum periculo parabantur: mox licentia habendi oblivionem adtulit. A. U. 816. A. C. 63.

Sed gravescentibus in dies publicis malis, subsidia minuebantur: concessitque vita Burrus, incertum valetudine, an veneno. Valetudo ex eo conjectabatur, quod in se tumescentibus paullatim faucibus, et inpedito meatu, spiritum finiebat. plures, jussu Neronis, quasi remedium adhiberetur, inlitum palatum ejus noxio medicamine, adseverabant: et Burrum, intellecto scelere, cum ad visendum eum Princeps venisset, adspectum ejus aversatum, sciscitantium. 51

Nomen Codicillorum dederat] Noto, fuisse morem, uti in testamentis convicia quædam et probra liberius scriberent: quæ ante Augustum inobservata et permissa. Scilicet, quia supremis illis tabulis et voci, danda videbatur aliqua libertas. Frenum injicere Senatus voluerat; sed ille idem Princeps, ut Suet. ait c. 56. *de inhibenda testamentorum licentia ne Senatus quidquam constitueret, intercessit.* Ea enim germana lectio, germana mens ejus loci: non ut vir doctus substituit, *scommatorum.* Exempla in Tacito passim, de iis, qui supremis tabulis multa atrocia in Macronem, in Tiberium, aliosque potentes composuerint. Hoc exemplo ergo maledicentiæ suæ cavens Veiento, inscripsit opicos et Oscos eos libros Codicillos. LIPS.

Talius Gem.] Muretus volebat *T. Allius*, idque olim probabat Lipsius, rejecit postea. Nec spernendum putat Ryckius, proferens ex inscr. vetere *Q. Allium Max. Consulem. Talia* occurrit ap. Murator. p. 1501, 2. Mox MS. Bud. et Guelf. a manu sec. *vendicata.* male. Post idem Guelf. *indicii.* ERN.

Valetudine an veneno] Sic Rhen. ex scriptura, ut ait, Regii codicis i. e. Bud. quod secus est, nam is clare habet *valitudine aut veneno*, ut Puteol. Beroald.

Quod in se tumescentibus] Muretus corrigit *intumescentibus.* Placet. Certe *in se* vitiosum est. ERN. *In se* idem esse ac *per se* autumat Hiller. Rac. 39. Sic *per se* quædam *intumescere* docet Celsus 7, 2. i. e. *vitio intus orto.* Heinsius eo sensu apud Senecam ep. 95. sumi *tabem* tradit *in se* putrescentium.

Impedito meatu spiritum finiebat] Hæc corrupta esse credo, legendumque: *et imped. meatu spiritus, finiebat,* sive etiam *finierat. Spiritus meare* dicitur, ut ap. Curtium 3, 5. *Finire* autem simpliciter pro mori, noster cum aliis dixit 6, 50. Id ignorans librarius e *spiritus* fecit *spiritum.* Adjuvat MS. Guelf. in quo est *spiritu.* Litera *s* absorberi potuit ab initiali sequentis verbi. Denique hæc conjecerunt homines post mortem Burri. Itaque melius *finierat;* quod et sequentia desiderant. ERN. *Animam finire* Ovid. dixit Met. 7, 591.

Illitum palatum ejus] *Ejus* habet MSS. Flor. Guelf. et edd. vett. ante Rhen. qui auctore MS. Bud. delevit, ut mox *eum.* Tacitus, etsi brevitatem alias affectans, libenter hoc pronomine sine necessitate utitur, ut supra jam notavimus. Item infra hoc capite *veterem imp. atque inf. in eo secutus.* Cicero et Livius sine *in eo* dixissent. c. 59. *talem eum centurio trucidavit.* Sufficiebat *talem.* c. 62. *accitum eum Cæsar admonet.* Ciceroni et Livio suffecisset *accitum Cæsar admonet:* quamquam et Livius interdum sine necessitate pronomen addit. V. not. ad Suet. Cæs. 7. ERN.

Aspectum ejus aversatum, sciscitantique hactenus respondisse, Ego me bene habeo] Heinsius sic distinguit: *sciscitantique, hactenus, respondisse, ego me bene habeo.* Acute: et illud *hactenus*, ut Burri, non Taciti. etiam præfert Aurelii lectio, verba ista, *hactenus ego me bene habeo.* alio charactere formata exhibens. Commode tamen, *hactenus respondisse*, potest

A. U. 816. A. C. 63. tanti hactenus respondisse, *Ego me bene habeo.* Civitati grande desiderium ejus mansit, per memoriam virtutis, et successorum alterius segnem innocentiam, alterius flagrantissima flagitia et adulteria. quippe Cæsar duos Prætoriis cohortibus inposuerat: Fenium Rufum, ex vulgi favore, quia rem frumentariam sine quæstu tractabat: Sofonium Tigellinum, veterem inpudicitiam atque infamiam in eo secutus. Atque illi pro cognitis moribus fuere: validior

exponi, hoc tantum. Vide Observ. in Eccles. cap. 22. In eo autem responso quæ vis sit, dicet Seneca Epist. 24. *sicut illum Cn. Pompeii socerum Scipionem, qui contrario in Africam vento relatus, cum teneri navem suam videret ab hostibus, ferro se transverberavit, et quærentibus, ubi imperator esset, Imperator, inquit, bene se habet. Vox hæc illum parem majoribus fecit et fatalem Scipionibus in Africa gloriam non est interrumpi passa*, etc. GRON. Hoc verum. Sed MS. Flor. (et Bud.) et ed. pr. habent *sciscitanti*, sine copula *que*: quod secutus sum. Mox ed. pr. *flagitia adultima*: vitiose pro *adulteria*. Etiam a Flor. abest copula. Sed, nisi Tacitum parum accurate scripsisse dicamus, hic aliud quid latet. Nam *adulteria* sunt in *flagitiis*. Nisi vero voluit generi hanc speciem addere, ut in quam in primis flagitiosus esset. Post Rhen. malebat *tractaverat*. Immo *tracturat*. ERN. Bud. *tractabat*.

Sofonium Tigellinum] Tigellinum libri appellant, et Græci, quibus semper Τιγελλῖνος. Sophronium corrupte epitoma Dionis: Ofonium Tacit. H. 1, 72. Quod ait de vetere infamia, intellegit credo stuprum ejus cum Agrippina matre Neronis: qua caussa a Caio in exsilium pulsus. Dio 59, 23. ἐν τούτοις δὲ τότε φεύγουσι καὶ ὁ Τιγελλῖνος ὁ Σωφόνιος, ὡς καὶ Ἀγριππίνην μεμοιχευκὼς, ἐξέπεσεν. Mentio clara hominis, imo brevis vitæ descriptio, in scholiaste veteri Juvenalis ad versum 1, 155. *Pone Tigellinum. C. Fulcinius* (corrigendum, *C. Ofonius*) *Tigellinus, patre Agrigentino, Scylaceum relegatus juvenis, egens, verum admodum pulcher, in concubinatum a Bincio et Lucio Domitio maritis Agrippinæ et Fulviæ sororum Cæsaris, atque in utrisque uxoribus suspectus, ob hoc urbe summotus.* Plura illic vide, sed hæc corrige: *a Vincio et Lucio.* itemque *Agrippinæ et Liviæ, sororum C. Cæsaris.* Nihil certius. Nam M. Vinicius Liviam Germanici filiam uxorem habuit, et L. Domitius Agrippinam. Tacitus 6, 45. Idem Tigellini nomen corruptum odoror in Egesippi 4, 20. ubi de Nerone. *Et ideo*, inquit, *nequissimis se Nymphidio et Gemellino præcipue credendum putavit.* Gemellinum hunc nusquam reperias, et suppone fidenter *Tigellino.* Adprobat, quod ipse subdit desertum Neronem ab utroque: quod historiæ, et nominatim de Tigellino Tacitus, prodiderunt. LIPS. *Offonium* vel *Ofonium Tigillinum* vett. edd. usque ad Lipsium. ERN. Sic et Bud.

Ac quæ illi pro cognatis moribus] Non displicet Farnesiana scriptura. *Atque illi pro cognitis moribus fuere.* id est, præscitum antea, qui mores utriusque. Vatic. refert, *progenitis moribus.* tentabam, *pro gentis majoribus.* quasi commendatione vitiorum pro natalibus usus. Humilitatem quidem generis ejus notat idem Tacitus H. 1, 72. *Sophonius Tigellinus obscuris parentibus, fœda pueritia.* Forte et sic leg. *ut qui illi pro geminis moribus faveret.* Geminum, simile. Emeritus ergo Tigellinus favorem Neronis similitudine morum vitiorumque. Sed, ne dissimulem, Farnesiana lectio firmari omnino a Victore videtur, phrasim hanc æmulante, imo sumente a Tacito, in Othone: *Qui potentia dies fere quinque et octoginta, præcognitis moribus, potitus, postquam a Vitellio pulsus est, mortem sibi conscivit.* Atque ita Victor: tamen ingeniosus Mercerus divisim illa Farnesiani codicis legebat: *illi pro cognitis:* tales, quales jam ante noti. LIPS. Sive potius, ita valuere, ut mores cogniti cujusque ferebant. Ita certe vult Mercerus, atque id sequentia desiderant; in quibus explicatur distincte de singulis, quid sit, *pro cognitis moribus esse.* Ceterum correctionem Merceri recepit primus Pichena, quem ceteri secuti sunt. MSS. Fl. (Bud.) Guelf. *atque illi pro cognatis moribus fuere:* quod J. Gronovius explicat *congenitis*, quos juvenes velut insitos

Tigellinus in animo Principis, et intimis libidinibus adsum- A. U.
ptus: prospera populi et militum fama Rufus: quod apud 816.
Neronem adversum experiebatur. Mors Burri infregit A. C. 63.
Senecæ potentiam; quia nec bonis artibus idem virium 52
erat, altero velut duce amoto, et Nero ad deteriores inclinabat. Hi variis criminationibus Senecam adoriuntur, *tanquam ingentes et privatum supra modum evectas opes adhuc augeret, quodque studia civium in se verteret, hortorum quoque amœnitate et villarum magnificentia quasi Principem supergrederetur.* Objiciebant etiam, *eloquentiæ laudem uni sibi adsciscere, et carmina crebrius factitare, postquam Neroni amor eorum venisset. Nam oblectamentis Principis palam iniquum, detrectare vim ejus equos regentis; inludere voces, quotiens caneret. Quem ad finem nihil in Rep. clarum fore, quod non ab illo reperiri credatur. Certe finitam Neronis pueritiam, et robur juventæ adesse. exueret magistrum, satis
amplis doctoribus instructus majoribus suis.* At Seneca cri- 53
minantium non ignarus, prodentibus iis, quibus aliqua honesti cura, et familiaritatem ejus magis adspernante Cæsare, tempus sermoni orat: et accepto, ita incipit: *Quartusdecimus annus est, Cæsar, ex quo spei tuæ admotus sum: octavus, ut Imperium obtines: medio temporis tantum honorum atque opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meæ desit, nisi moderatio ejus. Utar magnis exemplis, nec meæ fortu-*

secuti erant, nec ad honores provecti emendarant. Mirum. Immo, si Tacitus ita dedit, sensus est: ita apud quemque favorabiles fuere, ut cuique similes moribus erant. Nam ut Græcis *σύμφυτος* est, pro similis, sic *cognata* Latinis, similitudine quadam inter se conjuncta, similia. Ryckius e cod. Agr. dedit: *quæ illi pro cognitis moribus fuere.* male. Ed. pr. *atque illi prægenitis moribus fuere.* Ern.

Ex intimis libidinibus] Vatic. *in intimis*, esset, ad intimas libidines electus. Lips. MS. Flor. *et intimis*, ut edidit Rhen. (e Bud.) Consentit ed. pr. nisi quod est *et in intimis*: idque secutus sum cum J. Gron. *Ex intimis* est a Puteolano. Sed id h. l. non convenit. Esset enim, cum ante intimis ejus libidinibus conscius fuisset. Atque socius potius et adjutor nunc sumitur. Ceterum sic etiam est in Guelf. Ern. In Rhen. 1544. errore typographi servatum est *ex*, etsi castigationes profiteantur positum *et*.

Ad deteriores inclinabat] Bud. habebat *ad terrores*, unde 2. m. *ad errores*, truncato vocis capite.

Et privatum modum evectas] Sic recentiores: unde colligo, in MS. Flor. nullam esse præpositionem. (nec est in Bud. nisi a 2. m.) At vett. edd. inde a Puteolano omnes *supra modum*. Sane *evectas* præpositionem desiderat: nec dicitur pro *egressas*, aut *supergressas*, sed est simpliciter *sublatas*. Quia ergo illud *supra* e MSS. est: quippe quod est et in Guelf. restitui. In ed. pr. est *et in privatum modum*, unde conjicias *et ultra privatum modum*. (sic cod. Agr.) *Privatim* male Puteol. Beroald. et Alc. (*privatum* Rhen. e Bud.) Dein Guelf. *hortorumque am.* Mox *quasi* est propemodum. Cic. Acad. 4, 26. *quasi pedalis.* Pro *supergrederetur* (quod in Bud.) MS. Guelf. *prægrederetur.* Ern.

Carmina crebrius factitare] Tragœdiasne, quæ ejus nomine feruntur? Non, opinor, et alibi videro. Lips.

Exueret magistrum] Relinqueret, amoveret: a Græcis sumtum; qui dicunt ἐκδύσασθαί τινα, pro repudiare, inprimis de magistris. Sequens sententia est e Cic. ad Div. 1, 7. extr. Ern.

A. U. 816. A. C. 63. *næ, sed tuæ. Abavus tuus, Augustus, M. Agrippæ Mitylenense secretum; C. Mæcenati, urbe in ipsa, velut peregrinum otium permisit: quorum alter bellorum socius, alter Romæ pluribus laboribus jactatus, ampla quidem, sed pro ingentibus meritis, præmia acceperant. Ego quid aliud munificentiæ tuæ adhibere potui, quam studia, ut sic dixerim, in umbra educata? et quibus claritudo venit, quod juventæ tuæ rudimentis adfuisse videor, grande hujus rei pretium. at tu gratiam immensam, innumeram pecuniam circumdedisti: adeo, ut plerumque intra meipse volvam: egone, Equestri et provinciali loco ortus, proceribus civitatis adnumeror? Inter nobiles, et longa decora præferentes, novitas mea enituit? Ubi est animus ille, modicis contentus? Tales hortos instruit, et per hæc suburbana incedit, et tantis agrorum spatiis, tam lato fenore exuberat? Una defensio occurrit, quod muneribus tuis obniti*
54 *non debui. Sed uterque mensuram implevimus, et tu, quantum Princeps tribuere amico posset, et ego, quantum amicus a Principe accipere. Cetera invidiam augent. quæ quidem, ut*

Atavus tuus Augustus] Immo *abavus*. Lips. Sic ipse noster vocat supra 13, 34. unde cum Ryckio recepi. Ern. Cf. Seneca de Clem. 1, 10.

Quid munif. adhibere] MS. Agr. addit *tuæ*. Sensus est, qua re potui promereri munificentiam tuam: qui sine illa vocula non constat. Itaque recepi. Secutus est Broterius, qui idem in MSS. tribus reperit. Ern. In Bud. deest.

Studia in umbra educata etc.] quæ in vita privata tractavi, formavi. Sumtum e Cicerone, ni fallor: apud quem de Legg. 3, 6. etiam sunt *umbracula eruditorum* et *otium*, quæ opponuntur *soli et aciei*, h. e. administrationi Reip. Non hic de schola cogitandum cum Pichena, ut jam monuit Freinsh. Etiam *educata oratio* est ap. Cic. Ern. Potius *eloquentia*. Sic in Orat. 13.

E quibus claritudo venit] Sic ed. pr. et seqq. omnes. At J. Gronov. e MS. Flor. *et quibus*, ut conjecerat Acidalius. Mox *circumdedisti* MSS. Flor. Bud. Guelf. recepit Pichena. Veteres edd. omnes (in his Rhen.) *dedisti*. Deinde Fl. Bud. Oxon. edd. pr. veteresque omnes *meipse*, quod temere in *meipsum* (a Rhen. quoque) mutatum, restituit Ryckius. Ern. *Et quibus* nexus postulat. Ita quoque habebat Bud. a 1. m. Usum verbi *circumdare* apud nostrum dabit Index. Unde sciat Ern. in Bud. legi *me ipse*, non capio. Saltem in Castigat. Rhenanus id tacet, nisi forsan in edit. sua priore a. 1519. dederit, quæ in altera a. 1544. desiderantur. Prior ista mihi non ad manus.

Longa decora] i. e. antiqua. v. ad c. 31. *decora* sunt majorum imagines et eorum honores, res gestæ. Sed MS. Flor. et ed. pr. *cura*, quod J. Gronovius factum conjicit e *jura*. Mox MS. Reg. et ed. pr. *emicuit*. Ern. Bud. *decora* a 2. m. Idem *enituit*.

Hortos instruit] Vides hic opes Senecæ in villis, agris, pecunia. Sed quid est *instruit?* referri ad statuas, tabulas, aliumque ornatum potest: etsi Flor. codex, *exstruit:* quod ad ædificia ibi superba et nova. Lips. *Exstruit* cum MS. Flor. habet ed. pr. Simile supra fuit, *hortos extollebat:* unde non omnino spernendum putem. Ed. pr. etiam *talis*. In verbo *incedit* est significatio ostentationis et superbiæ, de qua sæpe viri docti dixere. V. Cort. ad Sall. Jug. 31. *Fenore* possis etiam ad reditus ex agris referre: primum propter epitheton *lato:* deinde quia c. 55. *horti, fenus et villæ;* nulla *agrorum* mentione. Ern. *Exstruit* habet et cod. Agr. Sed Bud. *instruit*. De his Senecæ divitiis vid. et Juven. Sat. 10, 16.

Cetera invidiam augent] MS. Flor. *agent;* quod J. Gron. factum putat ex *alent*. Sic et ed. pr. ubi antiqua manus correxit *augent*. Confundi *agere* et *alere*, notum est. V. viros doctos ad Cicer. pro Arch. c. 7. et Vir-

omnia mortalia, infra tuam magnitudinem jacent; sed mihi incumbunt: mihi subveniendum est. quomodo in militia, aut via, fessus adminiculum orarem; ita, in hoc itinere vitæ, senex, et levissimis quoque curis inpar, cum opes meas ultra sustinere non possim, præsidium peto. Jube eas per Procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipse detrudam; sed traditis, quorum fulgore præstringor, quod temporis hortorum aut villarum curæ seponitur, in animum revocabo. Superest tibi robur, et tot per annos

A. U. 816. A. C. 63.

gil. Æn. 5, 231. Nec *agent* absurdum, aut ab h. l. alienum. Dicitur enim pro acuere, excitare, incitare, ἐρεθίζειν. v. Gebh. ad Liv. 10, 14. Sed tamen *augent* verum puto, cui non raro in MSS. *agere* substituitur, ut ap. Livium, l. c. Vid. ibi Drakenb. item ad 3, 3. 27, 9. Add. infra ad c. 58. etiam 15, 10. pro *augeretur* ed. pr. *ageretur*. Nec futurum huic loco convenit. Ern. Bud. *augent*. bene.

Infra tuam magn. jacent] *Jacent* et mox *incumbunt* MS. Guelf. (et Bud.) edd. pr. Puteol. Beroald. Alc. ut ad *cetera* referantur: quod restitui. Adjuvant *mortalia*, quæ melius de bonis humanis, quam de vitiis, velut invidia, capiuntur: item sequentia: *quomodo in militia* etc. in primis verba, *cum meas opes ultra sustinere non possim*. *Cetera* quæ sint, vid c. 56. extr. Ceteri libri edd. habent *jacet* et *incumbit*: quæ lectio orta est ex eo, quod ad *invidiam* referri putabant. Ern.

Quomodo in militia] Intellegit Optiones, quia adjutores Centurionibus dati. Festum corrigo, *Optio qui nunc dicitur, antea appellabatur accensus. Is adjutor dabatur Centurioni a Tribuno militum, qui ex eo tempore, quem velint, Centurionibus permissum est optare, et nomen ex facto sortitus est.* legoque, *a Tribuno, militemque ex eo tempore.* Lips. Mox ed. pr. *possum*. Post *eas* abest a Guelf. Ern. Bud. pro *quomodo* male *quo*. Dein *eas* non habet. Per *adminiculum in militia*. J. Fr. Gron. referente et probante Ryckio, potius caussariam missionem intelligit. Vox ipsa *adminiculi* petita ex agricultura. V. Sen. de Clem. 2, 7.

Quorum fulgore perstringor] Cannegieterus Diss. ad Avian. p. 320. corrigit *præstringor*. Verum videtur. Cic. Vatin. 10. *Dignitas et splendor præstringebat oculos Vatinii:* ubi similiter quidam MSS. et edd. *perstringebat*. Adde Drakenb. ad Silium 1, 358. Sensus est: relictis iis, quorum invidia mihi obest, tempus omne animo impendam, quod hortorum et villarum cura absumit. Ern. Bud. *perstringor*. Sed omnino *præstringor* rectius, quod et Bip. recepere.

Et tot per annos nixum fastigii regimen] Hæc vitiosa esse, facile intelliget, qui attenderit, perspicueque volet interpretari, conservata Latinitate. Nam, quod Maphæus, per tot annos sustinuisse imperii onus: Gronovius Obs. 2, 4. bene magno tempore fundata potentia: bonus sensus est; sed e contextu sumtus, non e verbis ipsis, in quibus ille non inest. Nec probabilis Grotii conjectura *enisum fastigio* i. e. ad fastigium. Grotianæ sententiæ sufficeret *nixum*. Cicero Planc. 27. *huc per me nixus ascendi*. sed illa sententia ab h. l. aliena. Idem ille J. F. Gronovius ap. Ryckium conjicit *nixum fastigio:* ut *fastigium* dictum sit pro imperio, potentia, ut 15, 1. Sed et hic manet difficultas, quod non convenit *tot per annos*. Illud mihi videtur esse clarum, hoc quæri: an Nero jam per se, sine Senecæ auxilio, possit imperare. Ei sententiæ quæ lectio vel correctio maxime convenit, ea est optima. Sed ei sic satis congruit lectio MSS. (Bud.) Agr. Guelf. ed. pr. *tot per annos visum fastigii regimen*. Vidisti, inquit, tot per annos, quomodo summum imperium tractari, Respublica regi debeat, habesque adeo usum rerum idoneum, ut tibi non amplius opus sit auxilio meo. Sed vereor, ut satis prudenter ista dicta sint, et sine offensione Neronis dici potuerint; et ne *visum* factum sit e *nisum*, ut factum passim in libris veteribus. V. Heins. ad Ovid. A. A. 2, 660. Drakenb. ad Sil. 5, 284. item ad Livium pluribus locis. Interim nihil melius aut vidi, aut ipse excogitare potui. Ern. Hiller. Rac. 10. legit *fixum fastigii regimen*, eo sensu, quo ap. Cic. Ac. Q. 4, 9. *stabile. quod mo-*

A. U. 816. A. C. 63. *nixum fastigio regimen: possumus seniores amici quieti respondere. Hoc quoque in tuam gloriam cedet, eos ad summa vexisse, qui et modica tolerarent.* Ad quæ Nero sic ferme

55 respondit: *Quod meditatæ orationi tuæ statim occurram, id primum tui muneris habeo, qui me non tantum prævisa, sed subita expedire docuisti. Abavus meus, Augustus, Agrippæ et Mæcenati usurpare otium post labores concessit: sed in ea ipsa ætate, cujus auctoritas tueretur, quidquid illud et qualecumque tribuisset: attamen neutrum datis a se præmiis exuit. Bello et periculis meruerant: in his enim juventa Augusti versata est. Nec mihi tela et manus tuæ defuissent, in armis agenti. Sed quod præsens conditio poscebat, ratione, consilio, præceptis pueritiam, dein juventam meam fovisti. Et tua qui-*

vere nulla ratio queat. et pro Rabirio 9. Verum, quæ addit de imperiis ex Stoica doctrina fato fixis, ab hoc loco sunt aliena. Probo emendationem Bip. *nixum. fastigio* i. e. Imperatoria dignitate. Favent huic sententiæ loca nostri 14, 1. H. 1, 16. 2, 76. Sed ita jam Ryckius cum J. Fr. Gronovio.

Possumus seniores amici] Non usquequaque placet. Vatic. *quietem* præfert. Fortean, *possumus seniores amici quietem jure spondere.* Fuit, cum inculcatam vocem e sequenti linea putarem, legeremque rejecta, *poscimus seniores amici quietem.* Quid si, *quietem respondere?* Apuleius phraseos hujus approbator Apol. 2. *Hascine gratias bonus filius matri respondes?* Lips. At tu vide, si lubet, Observ. 2, 4. Gron. Ibi sic interpretatur: nos seniores amici satisfacimus tibi etiam quiete, otium lacessendo, et in reliquum viribus tuis confidendo. Quæ sane interpretatio valde arridet. Sed tamen hic restat mihi scrupulus, quod ita sententia hæc non satis apta argumento Senecæ. Vult abire cura Reip. h. e. ad quietem et otium redire. Tu vales ætatis robore, et habes imperium satis firmum. Ergo ego senex possum deponere illud onus. Quod sane non satis commode videtur exprimi per *satisfacere quiete.* Etiam MSS. Vatic. Bud. ed. pr. habent *quietem:* forte et Flor. quod plerumque ille cum pr. ed. consentit. Non abhorrebat animus a conjectura, Tacitum scripsisse, *possumus seniores amici quietem repetere* vel *resumere.* Error in verbo oriri potuit, quod mox est *respondit: quiete* primus edidit Puteol. idemque exhibet Guelf. Sed sensus forte est; possumus vicissim quietem sumere, vel quiete uti, posteaquam tu, nobis laborantibus quievisti; quod *respondere* esse potest e Græcorum imitatione, qui ἀντιστρέφειν sic dicunt, et ἀντίστροφα. Et sic alii quoque *respondere* dixere. Broterius mavult cum Petavio *quietem respicere.* Ern. Heinsius egregie conjicit *quieti respondere*, ad quam scil. senium ipsum nos invitat. Sic et Bip. Hiller. Rac. 10. volebat *quietem retinere.*

Ad summa vexisse] Heins. *evexisse.* Non male.

Qui tolerarent] Sic ed. pr. Rhen. (e Bud.) et seqq. at Puteol. Ber. Alc. *tolerarunt.* et sic fuit in Guelf. a man. pr. Ern.

Avus meus Augustus] Legam, ut supra, *abavus.* Lips. Quod rescripsi. Ryckius mire: *avos Latina lingua etiam ultra secundum gradum vocat:* Recte. verum, ubi pro majoribus ponuntur, et non nisi in plurali: *avum meum* posse de alio, quam de mei parentis patre, dici, id vero etiam atque etiam nego. Mox MS. Flor. (et Bud.) *ac tamen*, quod et Mureto et Acidalio placebat. Vulgatum probo. Mox *in ea ipsa ætate.* an *ipse?* Ern. *Ipse* cod. Agr. Probant Faern. Lall.

Quicquid illud etc.] *Illud* abest a cod. Agr. Faernus malebat *illis*, quod placet Lall.

Bello et periculis meruerant] Sic Guelf. ed. pr. Rhen. (e Bud.) et seqq. At Puteol. Ber. Alc. *bellis.* Acidalius autem putabat excidisse *at.* Est enim objectio. Ern.

Et tua quidem etc.] Primum non redundat, ac pæne ineptum est, *dum vita suppetet?* Vereor, ut genuinum sit. Deinde ed. pr. *obnoxiæ*, et mox *inferre* pro *referre.* Mox *rubori mihi est* et Livius dixit 45, 13. Ern.

idem erga me munera, dum vita suppetet, æterna erunt: quæ a A. U.
me habes, horti et fenus et villæ, casibus obnoxia sunt. ac, licet 816.
multa videantur, plerique, haudquaquam artibus tuis pares, A. C.
plura tenuerunt. Pudet referre libertinos, qui ditiores spe- 63.
ctantur. Unde etiam rubori mihi est, quod præcipuus cari-
tate, nondum omnes fortuna antecellis. Verum et tibi valida 56
ætas, rebusque et fructui rerum sufficiens: et nos prima Imperii spatia ingredimur: nisi forte aut te Vitellio ter Consuli, aut me Claudio postponis. Sed, quantum Volusio longa parsimonia quæsivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest. Quin, si qua in parte lubricum adolescentiæ nostræ declinat, revocas; ornatumque robur subsidio impensius regis. Non tua moderatio, si reddideris pecuniam; nec quies, si reliqueris Principem; sed mea avaritia, meæ crudelitatis metus in ore omnium versabitur. Quod si maxime continentia tua laudetur, non tamen sapienti viro decorum fuerit, unde amico infamiam paret, inde gloriam sibi recipere. His adjicit complexum et oscula, factus natura et consuetudine exercitus, velare odium fallacibus blanditiis. Seneca (qui finis om-

Et fructui rerum sufficiens*] *Fructui contra JCtum Parisiensem, qui *functui* corrigebat, late defendit Salmasius ad Jus Att. et Rom. c. 16. p. 373. Ern.

Claudio præponis] Si quid video, aut negatione insita scribend. ***non præponis:*** aut mutandum in *postponis*. Certe et Nero judicio ante Claudium: et Seneca omni re ante Vitellium. Lips. ***Postponis*** et aliis placitum. Et id esse in MS. Fl. auctor J. Gron. in Reg. Broterius, qui recepit in textum, quem sequor. Interpretatio vulgati: nisi plura Vitellio te accepisse, me plura Claudio dedisse putas, angustior est, quam pro re et antecedentibus. Ern. Vulg. *præponis* tuetur post Salinerium Pichena. In *postponis* recentiores omnes conspirant. Bud. *præponis*. Agr. *anteponis*.

Volusio longa parcimonia] Dixi supra: addo hoc nomen in Vatic. constanter semper scribi, *Volusino*. Porro de divitiis Volusiorum Silii egregius locus est, huc alludentis 5, 261. *Occumbis, generose Volux. nec clausa repostis Pondera thesauris, patrio nec regia quondam Præfulgens ebore et possessa mapalia soli Profuerint.* Lips. Broterius corrigit *vel quantum* aut *et q.* cum Acidalio, quod placet. Ed. pr. *Volusino*. Ern. In Bud. a 2. m. *sed si q.* Agr. *sed an q.*

In te mea liberalitas*]** MS. Flor. ed. pr. *in me mea libertas*. de quo vide J. Gron. Vulgatum verum. ***Parsimonia et *liberalitas* opponuntur apte. Ern. Bud. a 1. m. *in me mea liberalitas.*

Inornatumque robur] *Inornati* vox displicet, cum sequantur verba parum illi congrua. Malim, *inordinatumque*. Id est, incompositum ætatis hujus robur. Nec displicet sane Faerni, *innatumque robur*. Lips. Frustra conjecturis indulsere viri docti. Bene e MS. Flor. *ornatum* rescripsit Pichena: quo loco tamen ab alia manu additum ī tradit. At MS. Agr. ed. pr. plane *ornatum* habent. Robur, quod tu præceptis, consilio ornasti, instruxisti. Ern. Bud. *inornatumque. Ornatum* recepere certatim recentiores. Bip. non a *regis*, sed ab *ornatum* pendere judicant abl. *subsidio*.

Unde amico infamiam paret] Quod mihi olim sponte in mentem venit, e grammatica ratione, legendum esse *paret* pro vulg. *parat*, id deinde ap. Ryckium reperi esse in MSS. Flor. et Agr. E MS. Reg. protulit etiam Broterius. Veteres edd. *parit:* id corrigere debebat Rhen. *paret*, non *parat:* quod omnes habent, usque ad Ryckium: item MS. Guelf. Ern. Bud. *parat*.

Factus natura] Libri ita. Vulgo, *facetus*. Lips. *Facetus* in quatuor MSS. reperit Broterius. Sed *factus* verum est. Ern. Bud. *facetus*.

A. U. 816. A. C. 63.

nium cum dominante sermonum) grates agit: sed instituta prioris potentiæ commutat: prohibet cœtus salutantium: vitat comitantes; rarus per urbem; quasi valetudine infensa aut sapientiæ studiis adtineretur.

57 Perculso Seneca, promptum fuit, Rufum Fenium imminuere, *Agrippinæ amicitiam* in eo criminantibus: validiorque in dies Tigellinus, et malas artes, quibus solis pollebat, gratiores ratus, si Principem societate scelerum obstringeret; metus ejus rimatur: compertoque, Plautum et Sullam maxime timeri, Plautum in Asiam, Sullam in Galliam Narbonensem nuper amotos; *nobilitatem eorum, et propinquos huic Orientis, illi Germaniæ exercitus* commemorat. *Non se, ut Burrum, diversas spes, sed solam incolumitatem Neronis spectare: cui caveri utcumque ab urbanis insidiis præsentia; longinquos motus quonam modo comprimi posse? Erectas Gallias ad nomen Dictatorium, nec minus suspectos Asiæ populos claritudine avi Drusi. Sullam inopem; unde præcipuam audaciam: et simulatorem segnitiæ, dum temeritati locum reperiret. Plautum magnis opibus, ne fingere quidem cupidinem otii, sed veterum Romanorum imitamenta præferre: adsumpta etiam Stoicorum adrogantia sectaque, quæ turbidos et negotiorum adpetentes faciat.* Nec ultra mora. Sulla, sexto die pervectis Massiliam percussoribus, ante metum et rumorem interficitur, cum epulandi caussa discumberet. Relatum caput ejus in-

58 lusit Nero, tamquam præmatura canitie deforme. Plauto parari necem, non perinde occultum fuit, quia pluribus salus ejus curabatur; et spatium itineris ac maris tempus-

Cum dominante sermonum] Quibusdam abest vox *sermonum*: nec ego requiram. Lips. At est in Flor. (Bud.) Guelf. ed. Puteol. seqq. Omisit Lipsius, restituit Pichena. Abest ab ed. pr. et MS. Reg. Ern.

Plautum et Sullam] De isto supra c. 22.

Præsentia; longinquos] Flor. (et Bud.) est *præsentiora*: ex quo alii, *præsentiore*; ego, *præsenti opera* vellem, si tamen vulgata mutanda. Lips. Freinshemius *præsenti cura*, quod in MS. Agr. repertum recepit Ryckius. Vulgatum verum puto. Ipsa præsentia in nonnullis rebus valet plurimum. Et hic clare opponitur *longinquitati*. Ceterum *præsentiora* etiam habet ed. pr. Ern. Heins. *præsenti cura* probat. inde τὸ *præsentiora* videtur ortum. Abhinc *præsentia* omne punctum tulit.

Nec minus suspectos] Scribo, *suspensos*. Lips. Nempe ut melius conveniat verbo *erectas*: quod elegantius sane foret, necessarium non est. Ern. Bip. recepere *suspensos*.

Sullam, simulatorem segnitiæ] Sæpe sic evenit: ut, qui maxime ambitiosi, occultent. Pulchre et ad Taciti lucem Seneca in Œdipo v. 682. *Certissima est regnare cupienti via, Laudare modica, et otium ac somnum loqui. Ab inquieto sæpe laudatur quies.* Ejusdem sententiæ illud nostri est: *cujus disparem mitioremque naturam contra interpretabatur.* H. 4, 86. Lips. Add. 13, 47. Ern. In loco Senecæ pro *laudatur* alii *simulatur*.

Relatum caput ejus] MS. Flor. habet: *prælatum caput ejus*. Si *perlatum* esset, quod est in MS. Agr. probari posset. Atque sic conjiciebat fuisse Pichena; sed *relatum* eodem redire vidit. Id est in (cod. Bud. et) edd. omnibus: ut et mox c. 59. Mox, *quia pluribus* etiam ed. pr. in sequentibus, usque ad Rhenanum, est *quia a pluribus*. Ern. Rhen. Bud. secutus præpositionem sustulit.

Spatium itineris ac maris] A MS. Guelf. abest *ac maris*. Ern.

que interjectum moverat famam: vulgoque fingebant, *petitum ab eo Corbulonem*, magnis tum exercitibus præsidentem, si clari atque insontes interficerentur, præcipuum ad pericula. *quin et Asiam favore juvenis arma cepisse; nec milites, ad scelus missos, aut numero validos, aut animo promptos: postquam jussa efficere nequiverint, ad spes novas transisse.* Vana hæc, more famæ, credentium otio augebantur. Ceterum libertus Plauti celeritate ventorum prævenit Centurionem, et mandata L. Antistii, soceri, adtulit: *effugeret segnem mortem, otium: suffugium et magni nominis miseratione reperturum bonos, consociaturum audaces. nullum interim subsidium adspernandum. si sexaginta milites (tot enim adveniebant) propulisset; dum refertur nuntius Neroni, dum manus*

A. U. 816. A. C. 63.

Petitum Corbulonem] i. e. tentatum, ut deficeret a Nerone, et cum Plauto consilia conjungeret. *Magnis tum*, quod e MS. Fl. dedit Pichena, etiam ed. pr. Eadem post *ut clari:* sive *ubi* verum est, sive *et si:* quod malim. Nam copula h. l. vix commode abesse potest. *Ut* etiam in MS. Guelf. sed in margine: in textu est *ne*. Ern. Bud. etiam habet *ne*, sed a 2. m. Sensus, qui præcipue sese exponeret periculis, ut impediret, ne clari etc. Si legas *si clari*, intelliges, si periculum immineret claris etc.

Hæc in ore famæ] Modius noster in Novoantiquis ep. 15. legit, *more famæ.* et *augebantur.* acute. Ita H. 4, 50. *More famæ in majus innotuere.* Lips. Vix est, ut non scripserit Tacitus *odio*. Sic H. 1, 51. *Sed plurima ad fingendum credendumque materies in ipsis castris odio, metu, et, ubi vires suas respexerant, securitate.* Gron. *More* verum esse docuit post MS. Flor. estque etiam in ed. pr. et MS. Agric. unde merito receptum a Pichena. Idemque Modii e conjectura recepit *augebantur*, cum ante esset *agebantur*. Recte. Vid. supra ad c. 54. *Credentium otio* feram, et habet commodum sensum. Si tamen *odio* placeat, legendum, opinor, erit *præsentium odio*, non *credentium*, ut alibi noster loquitur. Boxhornius non male notavit, illud *una* non satis commode poni in fine præcedentis orationis: sed, quod id mutari vult in *vana* (quamquam hæc verba non raro in libris permutantur) et ad sequentia referri, id non necessarium videtur. Placet tamen Broterio. Interpunctio vitiosa est, quam nos e pr. ed. correximus. Ed. Puteol. interpungit post *hæc*. Vulgatam post *una* induxit Beroaldus. Ern. Dubium vix est, quin Boxh. verum viderit. Recipio *vana* cum Bip. Bud. habebat *more* a 1. m. Idem *agebantur*. Recte interpunxit Ernesti.

Otium, suffugium] Suspecta. Lips. Optime hunc locum emendatum puto a N. Heinsio, qui legendum putabat *odii suffugium*. Juvat MS. Agricolæ, qui habet *ocii suffugium*. *Odium* autem et *otium* facile confusa in libris, etiam ob scripturam. Solebant enim scribere per *c* librarii, ut etiam in ed. pr. semper exprimitur. *Mors segnis* est vel quæ infertur inulta ab aliis, vel quam sibi quis ipse infert inultus. Sensus ergo est, ne sineret se inultum perire. Nam talem mortem esse quidem odii suffugium, liberare ab odio; at nihil aliud nisi miserationem habere inanem: homines quidem misericordia moveri, si vir magnus tali morte pereat, sed eam misericordiam nihil prodesse. Petavius corrigebat *otiosum suffugium*, quod probat et Broterius. Sed *otiosum* lenius est pro re. si esset *ignavum suffugium*, secus foret. *et* pro *at* sæpe Tacitus, vid. ad 5, 3. Mox *adveniebant* ed. pr. Rhen. sed Puteol. Ber. Alc. *veniebant*. Deinde legitima Latinitas postulabat *referretur* et *permearet:* et sæpe in hoc genere peccatum in libris Taciti a librariis, vidimus. Ern. Bip. conjiciunt *ocius suffugium esse m. n. m.* quod illustrant ex Sall. Cat. 40. *miseriis suis remedium mortem exspectare.* Hiller. Rac. 22. tuetur vulg. Mihi locus interpunctione sanari posse videtur ita: *effug. s. m. otium: suff. et m. n. miseratione r. b.* etc. *Miseratione* a 2. m. habet Bud.

Propulisset] Bud. male *protulisset*.

A. U. *alia permeat, multa secutura, quæ ad usque bellum evalescerent.*
816. *denique aut salutem tali consilio quæri, aut nihil gravius au-*
A. C. 63. *denti, quam ignavo, patiendum esse.* Sed Plautum ea non
59 movere. sive nullam opem providebat inermis atque exsul, seu tædio ambiguæ spei, an amore conjugis et liberorum, quibus placabiliorem fore Principem rebatur, nulla sollicitudine turbatum. Sunt, qui *alios a socero nuntios venisse* ferant, *tamquam nihil atrox immineret; doctoresque sapientiæ, Cœranum Græci, Musonium Tusci generis, constantiam opperiendæ mortis, pro incerta et trepida vita, suasisse.* Repertus est certe, per medium diei, nudus exercitando corpori. Talem eum Centurio trucidavit, coram Pelagone, spadone, quem Nero Centurioni et manipulo, quasi satellitibus ministrum Regium, præposuerat. Caput interfecti relatum: cujus adspectu, (ipsa Principis verba referam) *Quin,* inquit,

Quæ ad usque bellum evalescerent] Sic MS. Fl. Agr. Guelf. edd. omnes. Ab Oxon. abest *bellum.* Rhenanus conjicit: *quoad usque bellum evalesceret.* Ern.

Cœranum Græci, Musonium Tusci] Cœranus mihi irrepertus. nisi quod Plinius Indice libri 2. inter auctores, quos delibitavit, recenset *Ceranum.* In Senecæ Ep. 66. valde celebratur hujus ævi *Claranus* quidam Philosophus. numquid ibi *Cœranus?* aut magis, in Tacito *Claranus?* Sed Musonius notior, qui Vulsiniis in Etruria natus, *Equestris ordinis, studium philosophiæ et placita Stoicorum æmulatus est,* ait noster H. 3, 81. Nomina illi C. Musonius Rufus, uti ex Tacito H. 4, 40. et Plinio colliges Ep. 3, 11. Supervixit ad imperium Vespasiani, ut jure culpes Suidam. interfectum eum a Nerone, bis adfirmantem. Vide eum in voce Μουσώνιος et Κορνοῦτος. Melius veriusque Philostratus 7, 16. qui Musonium Tyrrhenum in Gyaron insulam projectum a Nerone scripsit. Unde rediit, cum ille abiisset. Lips. Ed. pr. Puteol. *Cœranum,* quod restituit Rhenanus (e Bud.) cum in ed. Beroald. errore operarum factum esset *Coëtanum,* quodque secutus Alc. De Musonio adde Ryck. ad h. l. Ceterum a Guelf. totum hoc *Cœranum—generis* abest. Ern. De Musonio v. et 15, 71. ubi in exilium actus scribitur et de philosophia laudatur.

Constantiam opperiendæ mortis] Heinsius corrigebat, *oppetendæ mortis,* quod verum videtur. (et Boxh. probat.) in Guelf. est *opprimenda,* alterum in margine. Mox ed. pr. *et coram P.* Ern.

Centurioni et manipulo] Parum proprie *manipulo.* Erant sexaginta tantum (v. c. 58.): qui non faciunt manipulum, ut male Ferretus ad h. l. putabat. Dicitur igitur h. l. vel pro centuria, quæ sexaginta ad minimum habebat, aut pro manu quacunque. Pro centuria apud Tacitum dici, etiam Schelio ad Hygin. p. 4. placebat: ubi rectius h. l. usus esset. In locis, qui ibi e Libro 1. laudantur, proprie verbum accipi potest. Ern.

Caput interfecti relatum] Non ergo idem hic ille Plautus, cujus necem Suetonius rettulit c. 35. Non hercle idem, multa obstant. Primum ille inter pueros, aut certe ætate inferior quam Nero: (stupro enim ante mortem illi cognitus.) At iste grandior. Ille Romæ fuisse debuit, cum cæsus est; in Asia iste. Ille viva Agrippina; hic mortua pridem interfectus. Itaque illum cum libris aliquot verius est, A. Plautium vocari, filium fortasse ejus, qui de Britannis triumphavit. Cum nostro isto si confundis (quod faciunt plures) quomodo vel hac parte Tacitum cum Suetonio junges, qui diversissima Neronis verba depromunt? Dio an de hoc Plauto locutus sit 62, 14. nescio. Τόν γ' οὖν Πλοῦτον (scribo Πλαῦτον) ἀποκτείνας, ἔπειτα τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ προσενεχθεῖσαν οἱ ἰδὼν, Οὐκ ᾔδειν, ἔφη, ὅτι μεγάλην ῥῖνα εἶχεν. Nam et ea verba diversa ab istis. Quis tamen neget, quin et hæc potuerit adjungere? Lips.

Referam] Bud. *referebant.* Mox *hujusmodi.*

Quin, inquit] MS. Flor. (et Bud.) *Cur i. N. et posito metu.* Etiam MS.

Nero, deposito metu, nuptias Poppææ, ob ejusmodi terrores di- A. U.
latas, maturare parat, Octaviamque conjugem amoliri; quam- 816.
vis modeste agat, et nomine patris, et studiis populi gravem? A. C.
Sed ad Senatum litteras misit, de cæde Sullæ Plautique 63.
haud confessus, verum *utriusque turbidum ingenium esse, et sibi incolumitatem Reip. magna cura haberi.* Decretæ eo nomine *supplicationes, utque Sulla et Plautus Senatu moverentur,* gravioribus tamen ludibriis, quam malis.

Igitur accepto Patrum consulto, postquam cuncta scele- 60
rum suorum pro egregiis accipi videt, exturbat Octaviam, *sterilem* dictitans. Exin Poppææ conjungitur. Ea diu pellex, et adulteri Neronis, mox mariti potens, quendam ex ministris Octaviæ inpulit, *servilem ei amorem* objicere. destinaturque reus, cognomento *Eucerus,* natione Alexandrinus, canere tibiis doctus. Actæ ob id de ancillis quæstiones, et vi tormentorum victis quibusdam, ut falsa adnuerent, plures perstitere sanctitatem dominæ tueri. Ex quibus una instanti Tigellino, *castiora esse muliebria Octaviæ* respondit, *quam os ejus.* Movetur tamen primo, civilis discidii specie: domumque Burri, et prædia Plauti, infausta

Guelf. edd. vett. ante Rhen. *cur,* sed mox *Nero deposito.* Hinc J. Gron. locum sic constituit: *Curre Nero, et . . . maturare para.* Quod mihi non placet. Dixisset. opinor, *matura* et *amolire,* quam *para maturare.* Nam τὸ *para* ita jam esset in *curre.* Tacitus quidem alibi in tali cohortatione dixit *iret propere.* sed semet aliosve incitantium maxime solennis particula *quin* est, ut nemo nescit. *Quin* confunditur et aliis locis cum *cur* et *cum:* quod pro *cur* in antiquis libris, ut etiam in MS. Guelf. h. l. scribebatur *quor.* Ceterum si quis malit *paras;* non repugnem. Ern. In Bud. *Cur . . . parat.* Ubi 2. m. præmisit verbo *non.* Hiller. Rac. 13. conjicit: *quin . . para . . . amolire.* ubi *quin* hortantis est. *Paras* Mureti probat Acid. Pich. etsi hic vulg. non rejiciat.

Modeste agat, et] MSS. Flor. Guelf. edd. vett. ante Rhen. *ageret, nomini:* absorpta copula. Mox Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. *cædibus.* Ern. Rhen. *agat et* ex ingenio. *De cæde* e Bud.

Gravioribus tamen ludibriis quam malis] Vulgatam sic interpretabar: quæ severa tamen adulatio non tam aggravabat augebatque mala, indignas nimirum cædes Sullæ Plautique, quam mimica, vana, ludiera mala veris addebat. Gron. Recte Freinsh. pro *tamen* malebat *jam:* graviora fuisse illa ludibria ipsis malis. Mox *suorum* e MS. Flor. addidit Pichena. Est etiam in ed. pr. Neque commode abfuerit. Ern. *Jam* habet cod. Agr. *Suorum* Bud.

Eucerus natione Alexandrinus] *Eucerus* scripti et edd. *Eucærus* a correctione Freinshemii venit: qui putabat esse græcum Εὔκαιρος: quod incertum: Post *Alexandrina* MSS. Flor. (Bud.) Ox. Guelf. edd. vett. omnes. Ern.

Canere tibiis doctus] Flor. (et Agr.) *canere per tibias.* An forte, *canere pares tibias?* Lips. *Per tibias* etiam ed. pr. Jac. Gron. comparat: *vita per virtutem acta.* frustra. Mox MS. Guelf. vitiose *persistere satietatem* etc. Ern. Bud. *canere tibias* omisso *per.* Heins. conjicit *canere tibias perdoctus.* Hiller. Rac. 21. *c. tibiis perdoctus,* ut Cic. pro Balbo 27.

Ex quibus una] Nomen liberrimæ ancillæ, Pythias, ex Dione 62, 13. Lips.

Civilis dissidii specie] Id est, divortii. Lips. Immo *discidii,* ut est in MS. Flor. (Bud.) Guelf. Agr. ed. pr. aliquoties jam correctum sic in Tacito. Restituit h. l. Ryckius. Pro *movetur* sine necessitate viri docti (Faern. Pich. Acid.) corrigunt *amovetur.* Vid. dicta supra ad c. 32. Mox MS. Fl. (et Bud. a 1. m.) *domumque B. pr. Pl.* quod placet J. Gron. in ed. pr. est *prædiaque.* Ern.

A. U. 816. A. C. 63. dona, accipit. mox in Campaniam pulsa est, addita militari custodia. Inde crebri questus, nec occulti per vulgum; cui minor sapientia, et, ex mediocritate fortunæ, pauciora pericula sunt. His Nero, haudquaquam pœnitentia flagitii,
61 conjugem revocavit Octaviam. Exin læti Capitolium scandunt, Deosque tandem venerantur. Effigies Poppææ proruunt: Octaviæ imagines gestant humeris, spargunt floribus, foroque ac templis statuunt: repetitam venerantur.

His haud quaquam Nero] Mutila, fracta: et in quibus restituendis sine libris frustra allaborem. In eadem noxa, sequentia. In Agricolæ tamen codice notatum: *His motus Nero, an pœnitentia flagitii.* sed ingenio, ut opinor, duce. Lips. Hoc tamen recepit Ryckius. *Motus Nero* sane etiam MSS. Oxon. Guelf. estque usitata Tacito formula *his motus,* etsi non perpetua. MSS. Flor. Bud. Guelf. ed. pr. omnesque vett. *his:* quod Tacito non absonum, ut Pichena et Jac. Gron. jam docuere. 15, 12. *his atque talibus.* 15, 25. *talibus literis.* Si quid tentandum esset, mallem *ab his.* Sed *his* tenendum. Post *quamquam* MS. Flor. ed. pr. *tanquam* MS. Bud. Oxon. item Guelf. sed alio loco. *haud quaquam,* edd. inde a Puteol. omnes. Utrumvis e duobus posterioribus placeat. *Nero* tamen vitiosum est, sive loco, sive scriptura: loco, si *tanquam:* scriptura, si *haud quaquam:* legendumque *vera.* Forte tamen alicui placeat scriptura libri Guelf. *His motus Nero, tamquam pœnitentia flagitii.* Broterius corr. *His motus Nero, haud quaquam p.* et sic edidit. Ern. Bud. *his tanquam* (sed hoc a 2. m. nam prius aderat *quamquam*) *Nero pœn.* etc. *His* scil. questibus motus. ita jam Lampugn. et Pichena. Expressum esse particip. *motus* sequente *Nero, an* in cod. Agr. et quidem a prima manu, testatur Ryckius. quod non impedit, quo minus ex ingenio librarii, ut alia ejus codicis, sit profectum. Ex Puteol. lectione *his haud quaquam Nero p. fl.* effinxit Acid. *his auditis, tanq. p. fl. Nero* etc. quod sequuntur Bip. ita: *his auditis Nero tq. p. fl.* Improbat id Hiller. Rac. 21. et ad lectionem Broterii redit, aut omisso *motus* efficit: *his Nero haudquaq. p. fl.* quæ fere vulgata, sic modice mutata, potest admitti, ni malis *his Nero tq. p. fl.*

Deosque tandem venerantur] *Tandem* eleganter additum ad indicandum desiderium rei factæ diuturnum. Longum nimis visum hominibus hoc videre; esse tamen Deos, esse cœleste Numen, ut ille apud Livium ait. Lipsio olim suspectum *τὸ tandem:* sed mutavit sententiam. Mullerus intelligi mavult, *tandem,* post multas simulatas gratias Diis actas, serio venerantur. Bona sententia est, sed non est in verbis Taciti. Ern. Bip. legunt *Deosque laude venerantur,* ut 12, 37.

Spargunt floribus] Sparsio illa florum recepta in eos, quos honore honestos volebant, quosque benevolentia prosequebantur. Liv. 33, 33. *Omnes tendere ad Imperatorem Romanum, ut ruente turba in unum, adire, contingere dextram cupientium, coronas lemniscosque jacientium, haud procul periculo fuerit.* Capitolinus in M. Anton. 4. *In Saliatu omen accepit Imperii, coronis omnibus in pulvinar ex more jacentibus, aliæ aliis locis hæserunt, hujus velut manu capiti Martis aptata est.* ubi recte scripseris *coronas,* et *jacientibus.* Ovidius de Germanico triumphante Trist. 4, 2, 49. *Quaque ibis manibus circumplaudere tuorum: Undique jactato flore tegente vias.* Herodianus 1, 18. de Commodi adventu in urbem: Τοιοῦτον δὲ θεασάμενοι τὸν Βασιλέα οἱ Ῥωμαῖοι εὐφημίαις τε παντοδαπαῖς καὶ στεφάνων καὶ ἀνθέων βολαῖς ὑπεδέχοντο. Virgilius Æn. 6, 884. *Purpureos spargam flores, animamque nepotis His saltem accumulem donis.* Lips.

Repetitum venerantium] Hæc est lectio antiquorum librorum, ut MSS. Flor. Bud. ed. pr. unde restituit Rhenanus, cum Puteol. et seqq. dedissent *venerantur,* ut est in Guelf. Cod. Agr. *expetitur venerantibus,* quod recepit Ryckius. Grotius conjiciebat *reperitur veneratio:* Harlæus *repetita veneratione:* sensu uterque commodo. At J. Gronovius propius ad scripturam *repetitu venerantium.* Jos. Nerius Anal. 1, 5. *repetitum venere Antium.* Carum oppidum Neroni fuisse, sæpeque ibi egisse, satis constat. Vid. 15,

Itur et in Principis laudes. Jamque et palatium multitudine et clamoribus complebant, cum emissi militum globi verberibus et intento ferro turbam disjecere. Mutataque, quæ per seditionem verterant, et Poppææ honos repositus est. Quæ semper odio, tum et metu atrox, ne aut vulgi acrior vis ingrueret, aut Nero inclinatione populi mutaretur, provoluta genibus ejus; *Non eo loci res suas agi, ut de matrimonio certet (quamquam id sibi vita potius) sed vitam ipsam in extremum adductam a clientelis et servitiis Octaviæ, quæ plebis sibi nomen indiderint, ea in pace ausi, quæ vix bello evenirent. Arma illa adversus Principem sumpta: ducem tantum defuisse; qui, motis rebus, facile reperiretur. Omitteret modo Campaniam, et in urbem ipsam pergeret, ad cujus nutum absentis tumultus cierentur. Quod alioquin suum delictum? quam cujusquam offensionem? An, quia veram progeniem Penatibus Cæsarum datura sit, malle Populum Romanum tibicinis Ægyptii subolem Imperatorio fastigio induci? Denique, si id rebus conducat, libens, quam coactus, acciret dominam, vel consuleret securitati justa ultione. Et modicis remediis primos motus consedisse: at, si desperent uxorem Neronis fore Octaviam, illi maritum daturos.* Varius sermo, 62
et ad metum atque iram accommodatus, terruit simul audientem et accendit. Sed parum valebat suspicio in servo, et

A. U. 816. A. C. 63.

23. Probat et in versione sequitur Mullerus. Ryckium sequitur Broterius. Ern. Heinsius lectionem Puteol. Beroaldi et seq. bene, ut puto, emendat, una litterula mutata: *repetitam* scil. Octaviam *venerantur.* Suam fecere et Bip. transpositis phrasibus ita, ut expressi.

Emissi mil. globi] Sic Bud. a 2. m. videtur adfuisse *emissorum.*

Turbam disjecere] Sic MSS. (Bud.) Reg. Corb. ed. pr. quod non displicet. Ern. Imo vero unice admittendum. Sensere et Bip. vulgo *turbatos.*

Et Poppææ] Copulam addidit e Flor. Pichena: sic et ed. pr. Mox *tum et* MSS. Ed. pr. (et Bud.) habet *tumet* una voce. Puteol. edidit *tumens:* quod est et in MS. Guelf. *tum et* Rhenanus. Ern.

A clientelis et serv.] Sic ed. pr. Pich. seqq. At Puteol. et seqq. (et Bud.) *clientulis*, eadem varietate, qua supra. Mox dedi *ausi* ex ed. pr. et vett. omnibus, quas vidi, item MS. Guelf. In recentiori aliqua ed. irrepserat *ausis*, vitio correctoris, ut opinor, qui ad *servitiis* male referebat, et genus non concoquebat. Id propagatum est a Lipsio usque ad Gronovium, qui e MS. Fl. correxit. Talia etiam sine libris debebant corrigi. Ceterum *ausi* refer ad *clientes* et *servos*, qui latent in *clientelis* et *servitiis*: cujus generis exempla plura in Tacito et aliis. Paullo post pro *cierentur* male Guelf. *cerneretur.* Ern.

An, quia veram etc.] Hic aliquid turbatum est. Nam argumentatio non procedit: quod facile animadvertet, qui attendet. Atque etiam libri variant. Nam ed. pr. habet *mallet P. R. quam tib. etc.* Igitur puto verum esse: *an, quia veram progeniem P. C. datura sit?* (immo) *malle Populum R.* (sc. veram progeniem Cæsarum) *quam tibicinis Ægyptii subolem Imperatorio fastigio induci.* Id non displicet Broterio. *Mallet Populus Rom.* etiam MS. (Bud. et) Guelf. Ern.

Primos motus consedisse] i. e. considere potuisse, opprimi potuisse, s. considere solere. Mox *ac* pro *at* malebat Acidalius. Lipsius etiam olim *an* corrigebat, sed eam conjecturam deinde damnavit. in ed. a. 1585. adhuc est: in ultima non. Ern. Bud. *primos motus consecutos consedisse.*

A. U. quæstionibus ancillarum elusa erat. Ergo confessionem
816. alicujus quæri placet, cui rerum quoque novarum crimen
A. C. adfingeretur. Et visus idoneus maternæ necis patrator,
63. Anicetus, classi apud Misenum, ut memoravi, Præfectus, levi post admissum scelus gratia, dein graviore odio: quia *malorum facinorum ministri quasi exprobrantes adspiciuntur.* Igitur accitum eum Cæsar *operæ prioris* admonet: *solum incolumitati Principis adversus insidiantem matrem subvenisse: locum haud minoris gratiæ instare, si conjugem infensam depelleret. nec manu aut telo opus: fateretur Octaviæ adulterium. Occulta quidem ad præsens, sed magna ei præmia, et secessus amœnos* promittit, *vel, si negavisset, necem* intentat. Ille insita vecordia, et facilitate priorum flagitiorum, plura etiam, quam jussum erat, fingit, fateturque apud amicos, quos velut consilio adhibuerat Princeps. Tum in Sardiniam pellitur, ubi non inops exsilium toleravit, et
63 fato obiit. At Nero, *Præfectum in spem sociandæ classis corruptum,* et incusatæ paullo ante *sterilitatis* oblitus, *abactos partus conscientia libidinum, eaque sibi comperta,* edicto

Quæstionibus ancillarum eluserat] Jacobo Lectio erudito juveni adsentior scribenti: *elusa erat.* Lips. Idem placebat Faerno, Pichenæ: idque, ut evidens, recepimus, exemplo virorum doctorum, qui hoc modo sæpe veram lectionem restituere. Nam frequens iste error in MSS. vide exempla plurima ap. Drakenb. ad Liv. 23, 29. sed ed. pr. et seqq. usque ad Rhen. *illuserat.* Ante *servo* (Bud. et) ed. pr. Sequentes usque ad Rhen. *servitio.* Ern. Rhen. e Bud. dedit *eluserat.* Ursinus conjecerat *illusum erat.* Freinsh. præferebat *eluserat,* quasi neutraliter sumtum, ut *vertere, mutare* solent.

Graviorum facinorum ministri] Itane tam obtusæ cuiquam aures, ut non offendantur illa fatua repetitione vocis: *graviore odio, quia graviorum.* Nos vero sine dubitatione recipimus scripturam Florentinam (*malorum,* teste Pich.). Plautus Menæchm. 5, 7, 15. *O facinus indignum et malum.* Tibullus 2, 4, 25. *Illa malum facinus suadet.* Noster 12, 8. *At Agrippina ne malis tantum facinoribus notesceret.* Gron. Recte *malorum* etiam ed. pr. (*majorum* Bud.) *Graviorum* MS. Guelf. et id præferebat Schurzfleischius. Eadem post, pro *minoris gratiæ,* habet *minoris ergo.* Deinde mihi τὸ *vel* post *promittit* suspectum: saltem melius abesset, ut quisque facile sentiet. Sed, scilicet, non, ut quidque elegantius, ita verius, in tali præsertim scriptore. Ern. Grut. suspicabatur *majorum fac.* ut in Bud.

Facilitate pr. fl.] Ed. pr. *judiciorum.* sed *flagitiorum* verum est. (sic Bud.) Mox pro *jussum* Acidalius malebat *jussus:* quod et ipse præferrem, si libri alicujus auctoritate firmaretur. Similiter neutrum male in vulgatis plerisque c. 65. Ern.

In spem s. c. corruptum] Sic MSS. Fl. ed. pr. quod mutatum in *spe* a Puteol. (estque sic et in [Bud. et] Guelf.) restituit Pichena. Sensus est, corruptum esse Anicetum, ut tentaret classem, cui præesset, eamque ad societatem consiliorum adversus Cæsarem adduceret. Sic 4, 10. *corrupta ad scelus Livia.* 2, 62. *corruptis primoribus ad societatem.* Similiter *spes regni* sæpe dicitur de iis, qui regnum affectant. Infra 15, 42. *spes irrita* pro conatu irrito. Ern.

Paullo ante] c. 60.

Dicto memorat] Legendum hic, *edicto memorat,* idem Lectius, quem nominavi, docuit me vere. Nam Principes per edicta populum adfabantur, ut notum. Lips. *Dicto* omnes editi ante Pichenam, qui primus *edicto* recepit. Recte. Nam talia aut ad Senatum scribebantur, aut edicto publicabantur. *Edictum* et *dictum* etiam apud Livium in MSS. confusa 7, 35.

memorat: insulaque Pandataria Octaviam claudit. Non alia exsul visentium oculos majore misericordia adfecit. Meminerant adhuc quidam Agrippinæ, a Tiberio; recentior Juliæ memoria obversabatur, Claudio pulsæ. Sed illis robur ætatis adfuerat: læta aliqua viderant, et præsentem sævitiam melioris olim fortunæ recordatione adlevabant. Huic primum nuptiarum dies loco funeris fuit, deductæ in domum, in qua nihil nisi luctuosum haberet, erepto per venenum patre et statim fratre: tum ancilla domina validior: et Poppæa non nisi in perniciem uxoris nupta: postremo crimen omni exitio gravius. Ac puella, vicesimo 64 ætatis anno, inter Centuriones et milites, præsagio malorum jam vita exempta, nondum tamen morte acquiescebat. Paucis dehinc interjectis diebus mori jubetur: cum jam *viduam se et tantum sororem* testaretur, communesque *Germanicos*, et postremo *Agrippinæ* nomen cieret, *qua incolumi,*

A. U. 816. A. C. 63.

8, 7. 9, 14. ubi v. Drakenb. et infra 15, 36. pro *edicto testificatus*. MS. Bud. et Guelf. *dicto*. Ern.

Insulaque Pandataria] Quid ergo in mentem illi poetæ ignobili venit (non enim Senecæ: cum certis argumentis post mortem ejus scripta ea Tragœdia sit) qui relegare Octaviam in Ægyptum videtur v. 969. — *data vela fretis Ventisque, petat puppis rector Tandem Phariæ litora terræ.* Nisi si hoc vult, Alexandrina dumtaxat navi avectam Octaviam. Id enim contentiosus aliquis possit parum εὐλόγως dicere. alias reposuerim ego, *Pandatariæ litora terræ*. Lips. In margine Guelf. adscriptum: *nunc appellatur Ischia*. Ern.

Melioris olim fortunæ recordatione allevabant] Sic MS. Flor. Guelf. edd. vett. usque ad Rhen. qui *elevabant* induxit (e Bud.) Illud Pichena restituit. *Allevare* est consolari, lenire: quomodo etiam Cicero dixit, ut et *allevationem* pro diminutione mali. Tusc. 3, 29. Brut. 12. Fin. 1, 12. etiam noster 12, 51. Ern.

Huic primum nuptiarum dies] *Primum* omnes scripti, et editi ante Pichenam: qui conjecturam Lipsii *primus* recepit. Male. Nam clarum est τῷ *primum* respondere *tum* et *postremo*. Itaque *primum* restitui: et ei sententiæ interpunctionem accommodavi. Ern. Bud. quoque *primum*.

Ac puella] Edd. Puteol. Ber. Alc. *at*: quod placebat Mureto. (Bud. *ac*, quod recepit Rhen.) *Puellam* de nupta etiam dici, apud poetas inprimis, satis notum. Mox *jam vita exemta* MSS. Flor. Agr. ed. pr. quod jam J. Gron. restituit, explicans, cum jam vita ei nulla inesset. Ego potius capio intellectu præpositionis *de* vel *ex*, nec necesse est cum N. Heinsio corrigere *vitæ*, quod placebat Ryckio. *Eximere* cum ablativo sæpe Livius ut 9, 21. *ad eximendos obsidione socios*, quod pluribus exemplis illustrat Drakenb. repudiatis MSS. qui *ab* addunt. MS. (Bud. et) Guelf. *a vita*, ut edd. inde a Puteol. habent. Post pro *morte* Heinsius malebat *morti*. Sed illud quoque rectum. Cicer. Mil. 37. *qui morte ejus acquierunt*: Idque, ni fallor, jam supra monitum. Ern.

Communeque Germanici] Accipere possis, appellasse Octaviam patris nomen, qui Germanicus dictus, uti et Nero. Commune igitur utrique. Tamen, cum in priscis libris sit *communesque*; nata mihi lectio, *cum manesque Germani*; ut fratrem appellaverit sublatum, et deinde matrem. Lips. Nihil opus hac correctione. Non enim ultionis exposcendæ caussa ciet, sed misericordiæ movendæ, in quo manes alieni sunt. MSS. Flor. Agr. edd. pr. et seqq. usque ad Rhen. *communesque Germanicos*, quod bene restituit Freinsh. Utriusque, Octaviæ et Neronis, majores erant Germanici. Rhenanus dedit e Bud. *communeque Germanici*, quod omnes deinceps secuti sunt, ut solent, usque ad Freinsh. et sic habet etiam MS. Guelf. Verbum *ciere* proprium in tali re verbum. Ern.

A. U. 816. A. C. 63. *infelix quidem matrimonium, sed sine exitio, pertulisset.* Restringitur vinculis, venæque ejus per omnes artus exsolvuntur: et, quia pressus pavore sanguis tardius labebatur, præfervidi balnei vapore enecatur. Additurque atrocior sævitia, quod caput amputatum, latumque in urbem, Poppæa vidit. dona ob hæc templis decreta. Quod ad eum finem memoravimus, ut, quicumque casus temporum illorum, nobis vel aliis auctoribus, noscent, præsumptum habeant, quotiens fugas et cædes jussit Princeps, totiens grates Deis actas, quæque rerum secundarum olim, tum publicæ cladis insignia fuisse. Neque tamen silebimus, si quod Senatus consultum adulatione novum, aut patientia postre-
65 mum, fuit. Eodem anno libertorum potissimos veneno interfecisse creditus est; Doryphorum, quasi adversatum nuptiis Poppææ; Pallantem, quod inmensam pecuniam longa senecta detineret. Romanus secretis criminationibus incusaverat Senecam, ut C. Pisonis socium; sed validius a Seneca eodem crimine perculsus est. Unde Pisoni timor, et orta insidiarum in Neronem magna moles, sed inprospera.

Restringitur vinculis] Sive int. manus post tergum: sive potius pro *constringitur, adstringitur* capiendum: ut supra 13, 55. *respicere* pro *adspicere*, et alia similia in hoc et aliis, præsertim hujus ætatis scriptoribus, v. ad Suet. Aug. c. 78. ERN.

Additurque atrocior sævitia] Malebam *atrocius sævitia*, hoc est, gravius ludibrium crudelitate. Sic libro seq. *Adjecisse Deos dignum Arsacidarum. Dignum, atrocius*, res digna, res atrocior. GRON. Etiam Heinsius *atroci hoc sævitiæ*. Sed vulgatum verum puto. Nam et hoc sævitiæ est: primum lacerari mortuæ corpus: deinde caput, velut maleficæ, circumferri: tertio permittere, ut æmula ejus aspectu pascat oculos: hoc enim est in verbis, *Poppæa vidit*. ERN. *Atrocior sævitia*. Flor. Bud. Agr.

Dona ob hæc] Hic locus sic habet in ed. pr. *Dona ob hæc templis decreta, quæ ad finem memorabimus. Quicunque ... noscent, præsumtum habebunt etc. Quæ* etiam est in Guelf. et e MS. Fl. notat J. Gronovius, unde colligo, cetera quoque sic esse, ut in ed. pr. Nam in vulgata lectione *quæ* ineptum. Vulgatum est a Puteolano, idque melius puto. *Memorabimus* habet et Guelf. V. ad 13, 20. ERN. Bud. a 2. m. habet *quæ . . memorabimus.* prius aderat *quod.*

Veneno interfecisse creditum est] Vel, *creditus est.* Vide Sueton. Nerone 35. LIPS. *Creditus* MS. Fl. Agr. ed. pr. idque jam receptum Ryckio. idem volenti J. Gronovio operæ non paruere. ERN. Bud. *creditum est.*

Doryphorum] Est nomen sive cognomen liberti proprium. Fortasse et in hoc Xiphilini loco, in Nerone 61, 5. Δορυφόρῳ, τῷ τὰ τῆς ἀρχῆς βιβλία διέποντι, πεντήκοντα ἅμα καὶ διακοσίας μυριάδας δοθῆναι ἐκέλευσε. *Qui a libellis erat.* Ita ego verterim, et munus nostri Doryphori eruerim: at interpres, *Prætoriana cuidam militi* fecit: qui non solent profecto a libellis aut talibus officiis esse. LIPS.

Romanus] F. Romanus Hispo, de quo 1, 74.

Sed improspera] MS. Guelf. a manu sec. *improspecta.* Vulgatum verum est. ERN.

C. CORNELII TACITI

AB

EXCESSU DIVI AUGUSTI

A N N A L I U M

LIBER QUINTUS DECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. 2. *Vologeses Rex Parthorum bellum mente volvit, instigantibus fratre Tiridate et Monobazo Adiabeno, quem Tigranes vexarat.* 3. *Corbulo Syriæ tuendæ providet.* 4. *Parthi Monese Duce Tigranocerta obsident.* 5. *Vologesi Corbulo inducias offert et inpetrat.* 6. *Cæsennii Pæti Armeniæ recens præfecti vanitas,* 7. 8. *ferocia, inperitia, jactantia.* 9. *Ab invadenda Syria Corbulo absterret Parthos, qui* 10. *Armeniæ et Pæto incumbunt. Hic ægre Corbulonem auxilio vocat,* 11. *Parthis prementibus.* 12. *Is, in Armeniam profectus, fugientes objurgat, suos hortatur.* 13. *Vologeses instat Pæto.* 14. *Disceptatio inter Romanos et Parthos, ex qua* 15. *Pæti fœda compositio.* 16. *Corbulo in Armeniam venit.* 17. *Pæto increpito Syriam repetit.* 18. *Romæ inania de Parthis tropæa. Frumentum plebis. Vectigalia.*

19. *SC. de simulatis adoptionibus.* 20. 21. *Claudius Timarchus Cretensis adcusatur, quod Thrasea Pætus ad bonum publicum vertit.* 22. *Decretum, grates Præsidibus non agendas. Portenta.* 23. *Ob filiam Neroni natam inmodica gaudia et frustranea. In Thraseam Principis odium.*

24. *Legati Parthorum Romæ inrisores.* 25. *Bello Armeniaco præficitur Corbulo. Pætum Cæsar facetiis insectatur.* 26. *Corbulo in Armeniam ducit exercitum.* 27. *Legatos Parthorum audit. Defectores Armenios ulciscitur.* 28—30. *Tiridates a Corbulone pacem petit et, posito apud effigiem Cæsaris insigni Regio inpetrat, comiterque excipitur a Corbulone.* 31. *Vologesis pro fratre sollicitudo.*

32. *Alpinos maritimos Nero in jus Latii transfert. Equitum Rom. in circo locos sedilibus plebis anteponit. Feminæ inlustres Senatoresque in arena.* 33. *Nero ipse Neapoli scenam inscendit.* 34. *Theatrum ruit. Beneventi Nero munus Vatinii spectat.* 35. *Torquatum Silanum mori adigit.* 36. *Iter frustra meditatur in Orientem.* 37. *Convivia luxu fœda celebrat, ministro Tigellino. Pythagoræ nubit.* 38. *Clades Romæ ex incendio, forte, an dolo Principis, qui* 39. *in remedium multa popularia usurpat.* 40. 41. *Cladis magnitudo. Novæ urbis condendæ consilium.* 42. *Ex patriæ*

ruinis inmensam domum exstruit Nero. Majora frustra molitur. 43. Nova urbis facies. 44. Petita Diis piacula, frustra. Incendii invidia in Christianos devoluta, misere excruciatos. 45. Italiam, socios, templa spoliat Nero; aversantem id Senecam veneno petit.

46. Gladiatorum eruptio apud Præneste. Classis ad Misenum amissa. 47. Prodigia. 48. Conjuratio Pisonis in Neronem. 49. 50. Conjuratorum nomina, mores, odiorum in Neronem caussæ. Iis accedit Rufus, Præfectus Prætorio. Subrii inpetus. 51. Epicharis classem tentans proditur. 52. Conjuratorum inpetus retardatus a Pisone ob sacra mensæ. 53. Aliud conjuratorum consilium. 54. Scevini inprudentia. Milichus servus herum defert. qui egregie se defendit, sed muliebri astutia deprehenditur. 55. 56. Natalis conjurationem fatetur, Pisonem, Senecam nominat, Lucanus matrem. 57. Epicharis, tormentis dilacerata, mirum fidei exemplum præstat. 58. Nero reos audit, quos violenter urget Rufus, dissimulata conscientia. 59. Piso, neglectis amicorum monitis, occiditur. Ejus testamentum et uxor. 60. 61. cædes Laterani et Senecæ. hujus defensio spreta, 62 supremi sermones, 63. amica contentio cum uxore, 64. cujus mortem inhiberi Nero imperat. Senecæ cruciatus, mors, funus. 65. Ipse destinatus Imperator. 66. Rufus proditur. 67. Subrii Flavii, 68. Aspri, aliorum constantes voces et exitus. Rufi mollities. 69. Nero Vestinum quamvis insontem interimit; 70. mox Lucanum, Senecionem, Quinctianum, Scevinum. 71. Simulata per urbem gaudia. Indicibus præmia, suspectis militiæ vacatio, aliis exsilia. 72. Turpiliano, Nervæ, Tigellino triumphalia, Nymphidio Consularia insignia data. 73. Nero adversum rumores se purgat. Gallionis periculum. 74. SC. ob servatum Neronem. Pugio Scevini dicatus Jovi Vindici. Gesta hæc annis paullo amplius tribus

C. MEMMIO REGULO. VERGINIO RUFO. C. LECANIO BASSO. M. LICINIO CRASSO. P. SILIO NERVA. C. JULIO ATTICO VESTINO COSS.

A. U. 816. A. C. 63.

1 INTEREA Rex Parthorum Vologeses, cognitis Corbulonis rebus, Regemque alienigenam Tigranen Armeniæ inpositum: simul, fratre Tiridate pulso, spretum Arsacidarum fastigium ire ultum volens; magnitudine rursum Romana, et continui fœderis reverentia, diversas ad curas trahebatur: cunctator ingenio et defectione Hyrcanorum, gentis validæ, multisque ex eo bellis inligatus. Atque illum ambiguum novus insuper nuntius contumeliæ exstimulat:

Defectione Hyrcanorum] Sic edd. ante Rhen. qui induxit *dissensione*, quod secuti sunt omnes usque ad Pichenam. *Defectione* verum esse patet etiam e 13, 37. extr. *Illigatus* est impeditus: ut l. c. *defectione Hyrcanorum attineri Vologesen.* alias deberet esse *defectioni.* Ern. Bud. habebat a l. m. *defensione.* inde Rhen. legendum duxit *dissensione;* sed in marg. est ab antiqua manu *defectione.* De hac v. 14, 25.

Novus insuper nuntius cont.] Ed. pr. *novis et insuper conjeci novæ ins. contumeliæ?* Sed idem est sensus vulgati. Ern.

quippe egressus Armenia Tigranes Adiabenos, conterminam A. U.
nationem, latius ac diutius, quam per latrocinia, vastave- 816.
rat: idque primores gentium ægre tolerabant: *eo contem-* A. C.
ptionis descensum, ut ne Duce quidem Romano incursarentur, 63.
sed temeritate obsidis, tot per annos inter mancipia habiti.
Accendebat dolorem eorum Monobazus, quem penes Adia-
benum regimen, *quod præsidium, aut unde peteret?* rogitans.
Jam de Armenia concessum: proxima trahi, nisi defendant
Parthi: levius servitium apud Romanos deditis, quam captis,
esse. Tiridates quoque Regni profugus, per silentium aut
modice querendo, gravior erat. *Non enim ignavia magna*
imperia contineri: virorum armorumque faciendum certamen.
• *Id in summa fortuna æquius, quod validius. Et sua retinere*
privatæ domus: de alienis certare, Regiam laudem esse. Igi- 2
tur commotus his Vologeses concilium vocat, et proximum
sibi Tiridaten constituit, atque ita orditur: *Hunc ego,*
eodem mecum patre genitum, cum mihi, per ætatem, summo
nomine concessisset, in possessionem Armeniæ deduxi; qui ter-
tius potentiæ gradus habetur. nam Medos Pacorus ante cepe-
rat. videbarque, contra vetera fratrum odia et certamina,

Egressus Armenia] Cod. Agr. *Armeniam*, ut c. 45. *cubiculum*.

Obsidis] Cod. Agr. *obsidii*. ut alibi ap. nostrum *servitium, clientelæ, transfugia, adulteria* etc.

Accendebat dolorem eorum] *Dolorem eorum* intelligo earum rerum, ex iis rebus Vologesi natum: ut e seqq. patet. Sed melius sane *eorum* abesset: nam et sensus salvus et sonus melior foret: ac fortasse e terminatione præcedentis verbi natum est. Broterius ad Vologesen et primores gentium refert. Sed Monobazi querelæ non apud primores gentium, sed Vologesen, fusæ. ERN.

Monobazus] De hoc cf. Joseph. 20, 4.

Proxima trahi: et nisi etc.] Transpositione copulæ sententiam explicandam sic: *proxima trahi, nisi defendant Parthi: et levius servitium*, Acidalius putabat. Vulgatum vitiosum esse, dubitari non potest. Sed *et* ante *proxima* ponendum: quod ita evidens est, ut ita corrigere non dubitaverim. Ultimis verbis tecte minatur deditionem, ni succurrat Vologeses. ERN. Ernestium sequuntur Lallem. et Brot. Acidalium Bip. Equidem copulam tanquam superfluam delevi. Bud. *et nisi*.

Per silentium haud modice querendo] Muretus et Acidalius volebant *per silentium, aut modice:* quos probat Ryckius. Sed nihil mutandum censent Freinshemius, Boxhornius, J. Gronovius. Vivum exemplum, J. Fr. Gronovius ait, est ap. Cæs. B. G. 1, 32. in Sequanis. Sane silentium, ut Longinus ait sect. 9, 3. interdum quavis oratione fortius. Sed id in omnibus exemplis, quæ proferri video, tantum est in exprimenda πάθους magnitudine, non in sensibus talibus, consiliis, cohortationibus, cujus generis est, quod sequitur, in quo diserta oratio desideratur. Itaque *aut* verum puto, quod jam edidit Beroaldus, et nuper Broterius. Mox *contineri* est retineri. ERN. Bip. *haud modice* referunt ad *accendebat* et *querendo* ad *gravior*. Sic incisio facta et in Bud. post *modice*. Verum *accendebat* nimis longe abest, et querela ipsa exponitur. partim ergo *per silentium*, partim *modice querendo gravior* fuit. unde præferenda lectio Mureti *aut*, quæ particula frequens cum *haud* commutatur in codd.

Et certamina] Emendavit *certamina* Rhenanus. Nam Puteol. et seqq. habent *certamen*. Puteolanus forte non assecutus est ed. pr. lectionem, in qua est *certamen in:* quod est corruptum pro *certamina:* quamquam MS. Guelf. plane *certamen*. Sensus est: videbar rem ita composuisse, ut nulla odia et certamina talia inter nos esse possent, qualia semper fere inter fratres de regno fuere. Mox *pax lacessita* est violata. ERN.

A. U. 816. A. C. 63. *familiæ nostræ Penates rite composuisse. prohibent Romani, et pacem, ipsis numquam prospere lacessitam, nunc quoque in exitium suum abrumpunt. Non ibo inficias: æquitate quam sanguine, caussa quam armis, retinere parta majoribus malueram. si cunctatione deliqui, virtute corrigam. Vestra quidem vis et gloria in integro est, addita modestiæ fama: quæ neque summis mortalium spernenda est, et a Diis æstimatur.* Simul diademate caput Tiridatis evinxit; promptam equitum manum, quæ Regem ex more sectatur, Monesi, nobili viro, tradidit, adjectis Adiabenorum auxiliis: mandavitque, Tigranen Armenia exturbari, dum ipse, positis adversus Hyrcanos discordiis, vires intimas, molemque belli ciet, provin-
3 ciis Romanis minitans. Quæ ubi Corbuloni certis nuntiis audita sunt, legiones duas cum Verulano Severo et Vettio Bolano subsidium Tigrani mittit, occulto præcepto, *compositius cuncta, quam festinantius, agerent.* quippe bellum habere, quam gerere malebat. Scripseratque Cæsari, *proprio Duce opus esse, qui Armeniam defenderet: Syriam, ingruente Vologese, acriore in discrimine esse.* Atque interim reliquas legiones pro ripa Euphratis locat: tumultuariam provincialium manum armat: hostiles ingressus præsidiis intercipit. Et, quia egena aquarum regio est, castella fontibus inposita: quosdam rivos congestu arenæ abdidit.

In integro est] Bud. a 1. m. *integra est.*

Ex more sectatur] Sic e MS. Fl. edidit J. Gronovius; sic est etiam in ed. pr. *sectabatur* est a Puteolano: quod ipsum quoque rectum esset, si e libris melioribus esset. sic tamen MS. (Bud.) Guelf. Adde Tacitum inf. c. 33. extr. Ern.

Sectatur] Id est sectari solet.

Tigranen Arm. exturbari] Ed. pr. *exturbat.* Puto, Tacitum scripsisse *exturbet:* aut saltem *exturbare.* Jussit Monesen cum istis copiis Tigranen exturbare Armenia, et restituere Tiridaten. *Exturbari* est a Puteol. et sic ceteræ edd. omnes, et MS. G. Putarunt *mandare* esse pro nunciare, ut alibi: quo sensu sane *exturbari* sequi deberet. Similiter infra c. 28. *operiri imperavit*, male in nonnullis libris, pro *operire.* Mox *compositis* dedit Rhenanus et seqq. ad Pichenam usque. Ern. Bud. a 1. m. *depositis*, a 2. m. *compositis.*

Vectio Bolano] Scribe, *Vettio*, ex lapide (ap. Grut. p. 128, 5.): C. CALPVRNIO. PISONE. M. VETTIO. BOLANO. COS. De hujus Bolani bellica gloria Statius Silvar. 5, 2, 34. ad filium ejus Crispinum: — *rigidi summam Mavortis agebat Corbulo, sed comitem belli sociumque laboris. Ille quoque egregiis multum miratus in armis Bolanum, atque illi curarum asperrima suetus Credere.* Lips. *Vettio* MS. Flor. *Vetio* MS. Agr. ed. pr. Itaque jam Ryckius et J. Gron. rescripsere: de eaque scriptura v. Ryckium ad h. l. Ante ed. pr. pro *certis* habet *cunctis:* quod non spernam. Sic *omnium nunciis perfertur*, Cic. ad Q. Fr. 2, 12. Ern.

Festinatius agerent] *Festinantius* ed. pr. Rhen. (e Bud.) sqq. Ern.

Hostiles ingressus] Intelligo loca, per quæ ingredi provinciam soleant, aut possint Parthi. Nam nondum ingressi eo tempore. *Intercipere* exprimit Græcorum διαλαμβάνειν; Polybius 5, 99. et alii sæpe de impositis itineri præsidiis utuntur. Ern.

Et, quia egena] Non videtur hoc factum, quod jam olim esset, sed ut posthac esset. Forte Tacitus: *Et, quo egena aquarum regio esset, castella fontibus imposita.* Gron. Verissime. Ern. Probat Lall. Cod. Agr. *egens.*

Congestu terræ abdidit] Sic ed. pr. Rhen. (e Bud.) et seqq. At Puteol. Ber. Alc. *obdidit*, quod et e vet. cod. laudat Ursinus: vitiose. *Arenam obdidit*, at non *rivos.* Male recepit Ryc-

Ea dum a Corbulone tuendæ Syriæ parantur, acto raptim A. U.
agmine Moneses, ut famam sui præiret, non ideo nescium 816.
aut incautum Tigranen offendit. Occupaverat Tigrano- A. C. 63.
certa, urbem copia defensorum et magnitudine mœnium 4
validam. Ad hæc Nicephorius, amnis haud spernenda la-
titudine, partem murorum ambit: et ducta ingens fossa,
qua fluvio diffidebatur. Inerantque milites et provisi ante
commeatus: quorum subvectu pauci, avidius progressi et
repentinis hostibus circumventi, ira magis, quam metu,
ceteros accenderant. Sed Partho ad exsequendas obsidio-
nes nulla cominus audacia, raris sagittis: neque clausos ex-
terret, et semet frustratur. Adiabeni, cum promovere sca-
las et machinamenta inciperent, facile detrusi, mox, erum-
pentibus nostris, cæduntur. Corbulo tamen, quamvis se- 5
cundis rebus suis, moderandum fortunæ ratus, misit ad
Vologesen, qui expostularent *vim provinciæ inlatam: socium
amicumque Regem, cohortes Romanas circumsideri. omitteret
potius obsidionem, aut se quoque in agro hostili castra positu-
rum.* Casperius, Centurio, in eam legationem delectus,
apud oppidum Nisibin, septem et triginta millibus passuum
a Tigranocerta distantem, adiit Regem, et mandata feroci-
ter edidit. Vologesi vetus et penitus infixum erat, arma
Romana vitandi: nec præsentia prospere fluebant. inritum
obsidium: tutus manu et copiis Tigranes: fugati, qui ex-
pugnationem sumpserant: missæ in Armeniam legiones: et
aliæ pro Syria, paratæ ultro inrumpere: sibi inbecillum
equitem pabuli inopia. nam exorta vis locustarum ambede-

kius. Ern. Ursinus in vet. c. reperit: *congestis arenæ obdidit.*

Occupaverat Tigranocerta] Sic MS. Flor. defenditque J. Gron. Quia sic etiam ed. pr. id secutus sum. Vulgo *qui occupaverat*, inde a Puteol. V. ad c. 19. 44. Ern. Bud. *qui occup. Tigranocertam.*

Magnitudine mœnium validam] Adeo, ut Appianus Mithr. 84. producat mœnia Tigranocertæ in altitudine ad quinquaginta cubitos: quæ in imo adaptata equorum stabulis. Lips. Mox etiam ed. pr. *inerantque milites*, quod e MS. Fl. recepit jam Pichena. (Sic et Bud.) Post, *quorum subvectu* est, qui commeatus dum subvehuntur in urbem et conquiruntur. Ern.

Circumsidere] Sic omnes scripti et edd. præter cod. Agr. in quo est *circumsideri*, quod Ryckius recepit. Recte. Nam et passivum præcedit, et res ipsa ita postulat. omissio copulæ post *Regem* corruptelæ locum fecit. Ern.

Omitteret potius] Lego *ocius*, non *potius*. Lips. Sic Faernus. Boxh. *protinus.* alterutrum verum est. Ern. Pichena probat vulg.

A Tigranocerta distantem etc.] Genus femininum supra 14, 24. jam occurrit, et in ed. pr. etiam mox *Monesen amittere Tigranocertam jubet.* Mirum tamen, Tacitum eodem loco genus variare, supra et hic. Mihi res suspecta: et vereor, ne vitiosum sit: etsi non nescio, etiam ex Appiano exemplum proferri. Mithr. 67. Mox aut *adiit* legendum pro *adit*, aut *edit*. Sic c. 7. ed. pr. *hostia opera fuga perrumpit, seque vallo extulit.* bene a Puteol. correctum *perrupit.* Add. ad 11, 37. Sed *adiit* MS. G. quod recepi. nam sequitur *edidit*. De *vitandi* pro *vitare* diximus ad 2, 43. Ern. Bud. *adit.* De gerundio v. et c. 21.

Pabuli inopia] MSS. Oxon. Guelf. dirimit ab antecedentibus, et habet *pabuli inopiam.* mox MS. Flor. et ed. pr. *nam exorta vi locustarum aberat*, (Bud. etiam *vi.*) Reliquæ vett. edd.

A. U. 816. A. C. 63. rat, quidquid herbidum aut frondosum. Igitur, metu abstruso, mitiora obtendens, *missurum ad Imperatorem Romanum legatos, super petenda Armenia et firmanda pace*, respondet. Monesen *omittere Tigranocerta* jubet; ipse retro concedit.
6 Hæc plures, ut *formidine Regis et Corbulonis minis patrata, magnifice* extollebant. *Alii, occulte pepigisse*, interpretabantur; *ut, omisso utrimque bello et abeunte Vologese, Tigranes quoque Armenia abscederet. Cur enim exercitum Romanum a Tigranocertis deductum? cur deserta per otium, quæ bello defenderant? An melius hibernavisse in extrema Cappadocia, raptim erectis tuguriis, quam in sede Regni modo retenti? Dilata prorsus arma, ut Vologeses cum alio, quam cum Corbulone, certaret: Corbulo meritæ tot per annos gloriæ non ultra periculum faceret.* Nam, ut retuli, proprium Ducem tuendæ Armeniæ poposcerat, et adventare Cæsennius Pætus audiebatur: jamque aderat, copiis ita divisis, ut quarta et duodecima legiones, addita quinta, quæ recens e Mœsis excita erat, simul Pontica et Galatarum Cappadocumque auxilia Pæto obedirent: tertia et sexta et decima legiones, priorque Syriæ miles, apud Corbulonem manerent. Cetera ex rerum usu sociarent partirenturve. Sed neque Corbulo æmuli patiens; et Pætus, cui satis ad gloriam erat, si proximus haberetur, despiciebat gesta, *nihil cædis, aut prædæ, usurpatas nomine tenus urbium expugnationes* dictitans: *se tributa ac leges, et, pro umbra Regis, Romanum jus victis impositurum.*
7 Sub idem tempus legati Vologesis, quos ad Principem missos memoravi, revertere inriti: bellumque propalam sumptum a Parthis. nec Pætus detrectavit, sed duabus legionibus, quarum quartam Funisulanus Vettonia-

MS. G. (et Bud.) *abederat*. Sed Pich. Lips. et seqq. *ambederat* dederunt, an e libris, nescio. Ern.

Omittere Tigranocerta] Ed. pr. *omittere Tigranocertam*. Ea duo verba confundi supra jam vidimus ad 14, 26. *Amittere* verum puto, cui centies alterum usitatius substitutum: quamquam et paulo ante est *omittere*. Ern. Bud. *Tigranocertam*. Mihi *omittere* rectius videtur, quod et Bud. habet.

Magnifice extollebant] Sic edidi ex ed. Puteol. quam expressit Beroaldus et Alciatus. Pro eo Rhen. e cod. Bud. ut opinor, reposuit *ac magnifica*, quod inde in omnes edd. venit, nisi quod quædam, *et* pro *ac*: et sic quoque MS. Guelf. Mureto tamen placebat magis *magnifice*: idque ego, ut Latinius, prætuli. Sed non celabo, in ed. pr. esse tantum *patrata extollebant*, quod fortasse optimum. Eadem mox *Tigranocertis* sine præpositione. Ern. Bud. præpos. habet. Idem *patrata ac magnifica*. Agr. *peracta ac m.*

Ut retuli] Cap. 3.

Cæsennius Pætus] Qui male in Dionis eclogis, quas nuper Fulvius Ursinus dedit, Σέννιος scribitur. Enimvero Κεσέννιος Πέτος etiam in Josepho scribitur, diciturque Excidii 7, 21. (7.) An hic ipse, qui sub Nerone præfuerat, etsi parum bona fama? ætas haud neget. Lips. Add. ad 14, 29. Ern. Apud Grut. in th. Inscr. p. 651, 6. et passim legitur *Cæsennius*. In Dione etiam 62, 20. et ap. Josephum Καισέννιος Παῖτος.

Cui satis ad gl.] Hiller. Rac. 16. legit *cui non satis ad gl. erat*. Alias enim dicendum fuisset, *fuerat*.

Funisulanus Vettonianus] Sic MS. Flor. ed. pr. *Funisolanus* etiam MS. Agr. *Funisulanus* bis occurrit ap. Cic. ad Att. 5, 4. 10, 15. Vulg. *Famisulanus Vett.* MSS. Bud. Guelf. *Fimisul.* Mox

nus eo in tempore, duodecimam Calavius Sabinus, rege- A. U.
bant, Armeniam intrat, tristi omine. Nam in transgressu 816.
Euphratis, quem ponte transmittebat, nulla palam caussa, A. C.
turbatus equus, qui Consularia insignia gestabat, retro eva- 63.
sit. Hostiaque, quæ muniebantur, hibernaculis adsistens,
semifacta opera fuga perrupit seque vallo extulit. et pila
militum arsere, magis insigni prodigio, quia Parthus hostis
missilibus telis decertat. Ceterum Pætus, spretis ominibus, 8
nec dum satis firmatis hibernaculis, nullo rei frumentariæ
provisu, rapit exercitum trans montem Taurum *reciperandis*,
ut ferebat, *Tigranocertis, vastandisque regionibus, quas Cor-*
bulo integras omisisset. Et capta quædam castella: gloriæ-
que et prædæ nonnihil partum, si aut gloriam cum modo,
aut prædam cum cura, habuisset. Longinquis itineribus
percursando, quæ obtineri nequibant; conrupto, qui ca-
ptus erat, commeatu, et instante jam hieme, reduxit exerci-
tum, composuitque ad Cæsarem litteras, quasi confecto
bello, verbis magnificis, rerum vacuas. Interim Corbulo 9
nunquam neglectam Euphratis ripam crebrioribus præsidiis
insedit: et, ne ponti injiciendo inpedimentum hostiles tur-
mæ adferrent, (jam enim subjectis campis magna specie
volitabant) naves magnitudine præstantes et connexas tra-
bibus, ac turribus auctas, agit per amnem, catapultisque et
balistis proturbat barbaros: in quos saxa et hastæ longius
permeabant, quam ut contrario sagittarum jactu adæqua-
rentur. Dein pons continuatus, collesque adversi per so-
cias cohortes, post legionum castris occupantur, tanta cele-
ritate et ostentatione virium, ut Parthi, omisso paratu inva-
dendæ Syriæ, spem omnem in Armeniam verterent. Ibi 10

MS. Med. *tramittebat.* edd. omnes *transm.* ERN. Egregium titulum, qui ad hunc *Funisolanum* spectat, haud ita pridem repertum, exhibet Broterius. Multiplices in eo viri honores enumerantur.

Calavius Sabinus regebat] Freinsh. ad 6, 9. volebat *Calrisius*, eundemque esse, qui H. 1, 48. memoratur. ERN. Bud. *regebant.* Recepit Rhen. Ursinus volebat *Flavius Sabinus.*

Turbatus equus, qui] Mos infrequens, et inobservatus, de hoc equo. Geminum tamen locum habes in Plutarchi Crasso 36. qui inter prodigia pariter futuræ cladis sic narrat: Ἵππος δὲ τῶν στρατηγικῶν ἐπιφανῶς κεκοσμημένος, βίᾳ συνεπισπάσας τὸν ἡνίοχον εἰς τὸ ῥεῖθρον, ὑποβρύχιος ἠφανίσθη. Item Obsequens 129. inter ea quæ Pansæ Consuli haud læta evenerunt: *Equus phaleratus in ipsius conspectu festinans concidit.* Dionys. Ant. Rom. 10, 24. qua parte de L. Quinctio agit Dictatore jam electo: Ὡς δὲ ἐγγὺς ἦν, ἵππους τε αὐτῷ φαλάροις κεκοσμημένους εὐπρεπέσι προσῆγον, καὶ πελέκεις ἅμα ταῖς ῥάβδοις . . . ἐσθῆτάς τε ἁλουργὰς καὶ τὰ ἄλλα παράσημα, οἷς πρότερον ἡ τῶν Βασιλέων ἐκεκόσμητο ἀρχὴ, προσήνεγκαν. Ut appareat, equum unum pluresve cum ornatu Imperatorio, et Consulari (si eum Magistratum Dux gessisset) e publico datos: non aliud, quam specimen et notam dignitatis. Tacitus hic Consularia insignia ait: quia Cæsennius Pætus ille ipse est, qui ante annum Consul cum Petronio Turpiliano fuerat. LIPS. At vid. ad 14, 29. ERN.

Spretis ominibus] Sic edd. omnes inde a Puteolano. MS Guelf. (Bud.) ed. pr. *omnibus*, solita istorum verborum confusione: id vitium etiam est in ed. J. F. Gron. ERN.

Et ne ponti] Bud. *ut ne ponti.*

A. U. 816. A. C. 63. Pætus, imminentium nescius, quintam legionem procul in Ponto habebat; reliquas promiscuis militum commeatibus infirmaverat; donec, adventare Vologesen magno et infenso agmine, auditum. Accitur legio duodecima, et, unde famam aucti exercitus speraverat, prodita infrequentia: qua tamen retineri castra et eludi Parthus tractu belli poterat, si Pæto aut in suis, aut in alienis consiliis, constantia fuisset. Verum, ubi a viris militaribus adversus urgentes casus firmatus erat, rursus, ne alienæ sententiæ indigens videretur, in diversa ac deteriora transibat. Et tunc, relictis hibernis, *non fossam neque vallum sibi, sed corpora et arma in hostem data*, clamitans, duxit legiones, quasi prœlio certaturus. Deinde, amisso Centurione et paucis militibus, quos visendis hostium copiis præmiserat, trepidus remeavit. Et, quia minus acriter Vologeses institerat, vana rursus fiducia, tria millia delecti peditis proximo Tauri jugo inposuit, quo transitum Regis arcerent: alares quoque Pannonios, robur equitatus, in parte campi locat. Conjunx ac filius castello, cui Arsamosata nomen est, abditi, data in præsidium cohorte, ac disperso milite, qui, in uno habitus, vagum hostem promptius sustentavisset. Ægre compulsum ferunt, ut instantem Corbuloni fateretur. nec a Corbulone properatum, quo, gliscentibus periculis, etiam subsidii laus augeretur. *Expediri* tamen *itineri singula millia ex tribus legionibus, et alarios octingentos, parem numerum e*

Unde famam etc.] MS. Flor. ed. pr. *fama speraverat.* quod recte J. Gron. monet corrigendum fuisse *fama sperata erat.* Sic 14, 62. ex *elusa erat* factum *eluserat.* Sed Puteol. potius correxit *famam speraverat.* (Sic et Bud.) Atque ita omnes post eum edidere. In Rhenani ed. sec. editum, nescio qua de caussa, aut unde, *sperat*, quod Lipsius ceterique temere omnes secuti sunt. Ego interea veterem lectionem reposui. Ceterum *fama sperata erat* verum puto. *Infrequentia* int. signorum: *infrequentia signa* sæpe Livius: sive etiam legionum. Ern. Bip. conjiciunt *proditur infrequentia.*

Tria millia delecti peditis] Sic e MS. Flor. edidit Pichena, ceterique secuti: idem est in ed. pr. Intermediæ edd. (et e. Bud.) *delectorum.* Post, pro *quo* Muretus malebat *quæ;* Gron. pater *qui:* quod verum puto. Mox *Arsamosata* etiam ed. pr. *Asamosata* MS. Guelf. Put. Ber. Alc. illud verius. Vid. Ryckius. Sed Polybius habet *Armosata*, et nummus musei medicei, quod Broterius cum Harduino ad Plin. 6, 9. (10.) præfert. Non consentiunt semper barbaris in nominibus scriptores. *In uno* MS. Flor. (Bud.) ed. pr. Pichena cum seqq. Ceteri *in unum.* Ern. Rhen. e Bud. *Arsamosata.* Sic et Ptol. 5, 13. Nummus citatus spurius videtur Harduino. Rectius in eo ΣΑΜΟΣΑΤΕΩΝ, ut est ap. Vaill. in NN. Gr. Imp. p. 56.

Et ægre comp.] Copulam habent MS. Fl. et edd. ante Rhenanum, qui delevit, nisi quod ed. pr. *ut* pro *et.* restituit Pichena. Si libri auctoritate Rhenanus delevit, probo. In MS. Guelf. quidem non est a prima manu, sed supra adscripta. Ern. In Bud. fuerat omissa, sed prima manus superposuit. Sufficiunt hæc, ut commode deleri queat.

Instantem fateretur] Durum mihi semper visum. MS. Guelf. *instatem.* Credo verum esse *necessitatem.* Ern. Fernetus subaudit vel *hostem* vel *metum ex hoste.* Hiller. Rac. 10. supplet *tempestatem*, quæ sæpe pro periculo ponitur, ut ap. Cic. Cat. 1, 9. Vell. 2, 100.

cohortibus, jussit. At Vologeses, quamvis, *obsessa a Pæto* A. U.
itinera, hinc peditatu, inde equite, accepisset, nihil mutato 816.
consilio, sed vi ac minis alares exterruit, legionarios obtri- A. C. 63.
vit, uno tantum Centurione, Tarquitio Crescente, turrim, 11
in qua præsidium agitabat, defendere auso, facta sæpius
eruptione, et cæsis, qui barbarorum propius suggrediebantur,
donec ignium jactu circumveniretur. peditum si quis
integer, longinqua et avia; vulnerati, castra repetivere:
virtutem Regis, sævitiam et copias gentium, cuncta metu
extollentes, facili credulitate eorum, qui eadem pavebant.
Ne Dux quidem obniti adversis, sed cuncta militiæ munia
deseruerat, missis iterum ad Corbulonem precibus, *veniret
propere, signa et aquilas et nomen reliquum infelicis exercitus
tueretur: se fidem interim, donec vita suppeditet, retenturos*.
Ille interritus, et parte copiarum apud Syriam relicta, ut 12
munimenta Euphrati inposita retinerentur; qua proximum
et commeatibus non egenum, regionem Commagenam,
exin Cappadociam, inde Armenios petivit. Comitabantur
exercitum, præter alia sueta bello, magna vis camelorum,
onusta frumenti, ut simul hostem famemque depelleret.
Primum e perculsis Pactium, primipili Centurionem, obvium
habuit, dein plerosque militum: quos, diversas fugæ
caussas obtendentes, *redire ad signa et clementiam Pæti
experiri* monebat, *se nisi victoribus inmitem esse*. Simul suas

Hinc peditatu, inde equite] MS. Bud. *hinc equite*. Post Faernus *sed* delebat: quod est sane alienum ac durum. Deinde *factaque* MS. Flor. (Bud.) ed. pr. Denique *per longinqua* vitiose ed. Puteol. et seqq. *per* natum e terminatione præcedentis verbi: abest ab ed. pr. delevit Rhen. Ern. *Hinc . . hinc* est et ap. Liv. 39, 11.

Circumveniretur] Bud. *circumvenirentur*, et mox *Nec Dux q.*

Missis iterum] Sic MSS. Flor. Bud. Agr. edd. pr. Rhen. et seqq. omnes. At codd. Ox. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. *item*, quod natum e compendio scripturæ: et sape in MSS. istæ voces confunduntur. V. Burm. ad Suet. Cæs. 36. Drakenb. ad Liv. epit. 14. Freinsh. conjiciebat *identidem*. Mox *retenturos* bene editum a Pichena ex MS. Flor. est etiam in (Bud. et) ed. pr. In ceteris ante Pichenam est *retenturum*: item post *sueta bello*, pro *assueta*. Ern. Sic scil. Flor. item Bud.

Vis camelorum] De usu camelorum in bello v. Schel. ad Hygin. p. 94. *Frumenti* MSS. Flor. (Bud. Agr.) Guelf. edd. pr. Put. ceteræque vett. omnes, etiam Lips. priores. at in ultima s. sexta *frumento*, quod deinde in sequentes edd. propagatum est. Etiam Plaut. Aul. 4, 2. 4. *aulam onustam auri* dixit. Itaque veterem lectionem servavi: sive Tacitus ipse sic scripsit, quod non abhorret, sive librariis antiquariis debetur. Ern.

Pactium primipili Centurionem] At supra 13, 36. perfunctum eo honore ait: *Curam præsidiorum Pactio Orfito primipili honore perfuncto mandat*. Lips. Agr. *Pacuvium*.

Se nisi victoribus immitem esse] Frustra exercet acumen suum Salinerius homo optimus, quum obscuri nihil sit. Non enim, si 13, 36. *Pactius Orphitus primipilaris* jussu Corbulonis præsidio præpositus commemoratur, et hic *Pactius Centurio primipili* a Pæto venire dicitur, ideo et omnes milites hic obvios Corbuloni Ducem eum cum Pæto mutasse necesse est. Lib. 13, 40. sunt cum Corbulone tertia et sexta legio et decuma: easdem obtinet hoc lib. c. 6. Pætus quartam et quintam et duodecimam. Nec *diversas fugæ caussas obtendere* est falsis nominibus uti Corbulonis sævi, Pæti mitis. Eoque nec ulciscitur hic Corbulo quicquam privati doloris, neque amara irrisione

A. U. 816. A. C. 63. legiones adire, hortari, *priorum* admonere, *novam gloriam* ostendere: *non vicos aut oppida Armeniorum, sed castra Romana, duasque in iis legiones pretium laboris peti. Si singulis manipularibus præcipua servati civis corona Imperatoria manu tribueretur: quod illud et quantum decus, ubi par eorum numerus apisceretur, qui adtulissent salutem, et qui accepissent?* His atque talibus in commune alacres, (et erant, quos pericula fratrum aut propinquorum propriis stimulis incende-

13 rent) continuum diu noctuque iter properabant. Eoque intentius Vologeses premere obsessos, modo vallum legionum, modo castellum, quo inbellis ætas defendebatur, adpugnare, propius incedens, quam mos Parthis, si ea temeritate hostem in prælium eliceret. At illi vix contuberniis extracti: nec aliud quam munimenta propugnabant: pars jussu Ducis, et alii propria ignavia, ut Corbulonem opperi-

ludit: sed voce plena gravitatis et disciplinæ profugos redire ad signa et duci, cui a Cæsare attributi essent, caussam probare jubet, si forte veniam det ille; se nullam fugæ excusationem accipere, nec desertoribus ignoscere. GRON. Nec veniam daturum ante, quam victoria emendassent peccatum. Ita sensus bonus efficitur. Sed tamen ita videtur esse debere, *immitem fore*. Et ne sic quidem satis mihi hic sensus cum reliqua Corbulonis oratione consentire videtur. Forte melius victores intelligentur Parthi. Se immitem et ultorem venisse non militibus Romanis, sed victoribus Parthis. ERN.

Quod illud et q. d.] Agr. *Quod illud esse et q. d.*

Numerus adipisceretur] Malo, *adspiceretur*. etsi non ignorem Plautum et Tacitum ipsum alibi adipiscendi verbum παθητικῶς esse usos. LIPS. Placet etiam Freinshemio, recepitque Pichena, qui testatur in MS. Fl. esse *apisceretur*, ut alibi; quod recepere Ryckius et J. Gron. Si maxime legamus *adspiceretur*, tamen nulla commoda sententia efficitur. Nam *par numerus servantium et servatorum*, quomodo decus auget? immo magnus servatorum numerus auget, præsertim in paucitate servantium. Aliud hic quid et acutius lateat, necesse est, si non frigidissimum verborum lusum captavit Tacitus. *Adipisci* est verbum usitatum in his præmiis. Plinius 7, 30. (31.) *omnium triumphorum lauream adepte majorem*. Ergo intelligo *coronam civicam*. servatores eam adipiscuntur, ob servatos in castris milites: servati, ob auxilium cohortibus Romanis latum, quæ Tigranocertis obsidebantur ante, sed eorum adventu liberatæ sunt. Vid. c. 5. Corona civica autem non proprio sensu intelligenda, sed tropice, ut in talibus solet, pro decore, honore et gloria. Ita tamen probabilem sensum arbitror existere. Neque vero tales sententiæ ad vivum resecandæ. Acumen quæsitum est in eo, quod etiam servati quodammodo honorem servantium consequuntur; quod habet aliquid παραδόξου. Ceterum offendor etiam *eorum*, quod melius abesset: an Tacitus dedit *eam*, vel *coronam*? ERN. Bud. *adipisceretur*. Paschalius Lipsii conjecturam probat. Bip. lectionem Flor. recepere. Quod ad rem, acceptam ab Imperatore coronam civis servatus servatori civi dabat. V. Gell. 5, 6. Cf. Cuperus in Expl. gemmæ Aug. ap. Polen. t. 2. p. 204.

His atque talibus] V. ad 14, 60. extr. Post *adpugnare* bene e MS. Flor. Pichena. V. 2, 81. MS. Agr. (Bud.) ed. pr. *ad pugnam*: vulgo *oppugnare*. Mox *nec aliud* edd. pr. Rhen. (e Bud.) et seqq. aliæ *ne aliud*. ERN. *Adpugnare* est et 4, 48.

Aut metu] De lectione hujus loci optime Rhenanus, qui *metu* delevit et pro *aut* scripsit *ut*. Ex *ignavia ut*, litera male repetita, *ignavia aut*, factum. Suppleverunt *metu*, qui nesciebant, *ignaviam* hic nihil aliud esse quam metum. Sæpe veteres has voces, *ignavus*, *segnis*, *ignavia*, *segnities*, usurpant in illis, quibus abest virtus aut viro digna audacia, quos *poltrons* dicimus. Illis, inquit, abunde magnum erat munimenta defendere: nonnullis, quia edixerat dux, ne quis castris

entes, ac, si vis ingrueret, provisis exemplis Caudinæ ac Numantinæ cladis. *neque eandem vim Samnitibus, Italico populo, aut Hispanis, ac Parthis, Romani Imperii æmulis. Validam quoque et laudatam antiquitatem, quotiens Fortuna contra daret, saluti consuluisse.* Qua desperatione exercitus Dux subactus, primas tamen litteras ad Vologesen, non supplices, sed in modum querentis composuit, *quod pro Armeniis, semper Romanæ ditionis, aut subjectis Regi, quem Imperator delegisset, hostilia faceret: pacem ex æquo utilem. nec præsentia tantum spectaret: ipsum adversus duas legiones, totis Regni viribus advenisse: at Romanis orbem terrarum reliquum, quo bellum juvarent.* Ad ea Vologeses, nihil pro 14
caussa, sed *opperiendos sibi fratres, Pacorum ac Tiridaten,* rescripsit: *locum illis tempusque consilio destinatum, quo de*

A. U. 816. A. C. 63.

exiret; aliis non aliter facturis, si signa ferri jussisset (ita erant perculsi) præferentes, se tanquam in stativis Corbulonem exspectare. *Ut opperientes,* quemadmodum præcedenti libro, *utque cruebantur.* Illud *provisis exemplis* pari lepore Ovid. Met. 9, 506. ubi Byblis: *At non Æolidæ thalamos timuere sororum. Unde sed hos novi? cur hæc exempla paravi?* GRON. Hæc bene Gron. Cum igitur *metu* non sit in MS. Flor. (et Agr.) ed. pr. sed tantum *aut Corbulonem:* in Budensi autem *ut* non *aut,* Rhenani correctionem secutus sum, quam etiam Ryckius adoptavit. *Metu* primus edidit Puteol. quem Ber. et Alc. secuti sunt. Revocavit Bernecerus. ERN. De Bud. cod. sic habeto. *Metu* plane deest, non a 1. m. tantum, ut refert Ryckius; dein non habet *ut,* sed *aut,* quod ex ingenio bene emendavit Rhen. Pichenæ non displicebat *aut metu,* modo a libris foret.

Aut Pœnis Rom. Imperii æmulis] Freinsh. corrigit *aut Hispanis.* respici enim ad Numantinam cladem: nec ullas hic Pœnorum partes. Recte ille, sed non satis. Lege: *Nec eandem vim Samnitibus Italico populo aut Hispanis quam Parthis Romani imperii æmulis.* GRON. Quod Jac. Gron. Samnitas et Pœnos iterum conjungi objicit in Germ. c. 37. id nihil est. Ibi de cladibus Romano Pop. illatis universe dicitur: hic de exercitu sub jugum misso, quod a Pœnis alienum est. *Pœnos* correxit, qui meminerat, eos vere Romani Imperii æmulos dici. Quod Broterius negat, Numantinos æmulos imperii R. fuisse; id sane speciosum est: sed ea verba non ad vivum resecanda. Fuere certe Romanis valde periculosi. ERN. Bip. legunt: *neque e. v. Samn. Numantino p. ac Parthis* etc. Recte *ac Parthis* in textum recepere; sed ingrata repetitio est vocis *Numantino.* Malo Gronovium sequi. Librarii, quum *Hispanos* mutassent in *Pœnos,* omisere *quam* vel *ac Parthis,* quasi superflua, quæ vero deesse, omnes sentiunt interpretes.

Q. F. contra daret] Bud *contradiceret,* quod recte rejecit Rhen. Cf. H. 1, 65.

Pacem ex æquo utilem] Bud. *utili.* Inde Rhen. placebat *pace ex æquo utili.* Mox Bud. *ne præs.*

Quid de Arm. cernerent] MS. Guelf. *qui,* quod accipiendum pro *quo;* quod e vet. cod. laudat Ursinus, et est in MS. Agr. Ed. pr. *quod.* Unde mihi non dubium est, hic *qui* aut *quo* legendum esse. *Quo* et *quod* millies in libris confunduntur: et h. l. etiam e seq. voce litera adhæsit. *qui* autem pro *quo* sæpe, ut ap. Liv. 3, 39. in MS. Guelf. membranaceo. Atque etiam verbum *cernere* accusativum illum *quid* vel *quod* plane respuit, cum absolute dicatur, ut omnes sciunt. Itaque sic correxi. Secutus nos est Broterius. In ceteris Gronovio assentior, nec probo Ryckium, qui e MS. Agr. rescripsit: *locum illis tempusque consilio destinatum, quo de Armenia cernerent, quod se fastigioque dignum Arsacidarum.* quæ interpolata esse, in promtu est. Et tamen probat etiam Grævius ep. ad Heins. t. 4. Coll. Burm. p. 187. etiam Heinsius *illis.* sed ante p. 158. conjecerat Grævius *adjecisse Deos dignam Arsacida rem:* Heinsius autem p. 163. *dignum vi Arsacidarum — statuere* ex Ann. 2, 3. id-

A. U. 816. A. C. 63. *Armenia cernerent: (adjecisse Deos dignum Arsacidarum,) simul et de legionibus Romanis statuerent.* Missi post a Pæto nuntii, et *Regis colloquium* petitum, qui *Vasacen, Præfectum equitatus, ire* jussit. Tum Pætus, *Lucullos, Pompeios, et si qua Cæsares obtinendæ donandæve Armeniæ egerant;* Vasaces, *imaginem retinendi largiendive penes nos, vim penes Parthos,* memoravit. Et multum invicem disceptato, Monobazus Adiabenus in diem posterum testis iis quæ pepigissent, adhibetur. Placuitque *liberari obsidio legiones et decedere omnem militem finibus Armeniorum, castellaque et commeatus Parthis tradi. quibus perpetratis, copia Vologesi fieret, mittendi ad Neronem legatos.* Interim flumini Arsaniæ (is

que placebat Grævio p. 170. Ern. *Illis* omnino rectius puto. Mox Bud. habet *quid.* Τὸ *cernere* explicat Zinzerling in Crit. juven. promuls. c. 3. per *certare,* ut ap. Ennium, Plautum, Virg. etc. Sed potius est pro decernere.

Adjecisse Deos dignum] Locus de quo tria verba non possum hiscere. Lips. Ego vero locum hunc sanum integrumque et tantum explicandum contendo. Sensus: ut brevissime dicam: tum temporis hoc ipso in loco fore opportunum consultare, quid decernerent de Armeniæ possessione simul, et (quam Dii rem dederint dignam Arsacidarum majestate) quid statuerent de legionibus Romanis, quam illis legem pacis darent. *Consilio quid cernerent,* breviter est, quo tractaretur, quid decernerent, quem finem controversiæ de Armenia imponerent. Ut 13, 56. *Arbitrium quid darent, quid adimerent. Adjecisse Deos.* Deum benignitate accessisse materiam deliberandi multo ampliorem et vix speratam, sed dignissimam magnitudine Parthica, nimirum, quid placeat fieri de legionibus Romanis: adeo eas in potestatem esse. Vel, Deos fecisse, ut ipse adjicere superiori orationi sequentia verba posset. Seneca de benef. 1, 10. *Cæterum idem semper de nobis pronuntiare debemus, malos esse nos, malos fuisse (invitus adjiciam) et futuros esse.* Hæserunt in hoc verbo et apud Livium 10, 7. Gron. Bip. conjiciunt *dignum Regno Arsacidarum* et intelligunt *Armeniam.* Verum *dignum* cum genitivo occurrit et alibi, ut recte monet Zinzerling l. c. per ellipsin scilicet.

Et si qua Cæsares] Sic conjecit Pichena e scriptura MS. Flor. *et si quaces,* ut est etiam in. ed. pr. Bernecccerus recepit, quem omnes deinde secuti sunt. Superiores *si qui Duces:* quod est in MS. Guelf. Sane post Pompeium nulli Duces, sed Cæsares de Armenia aliquid egerant. Mox MS. Fl. (Bud. Agr.) ed. pr. *largiendive* pro *donandive:* quod cum Ryck. et Gron, secutus sum. Alterum verbum variavit: credibile est etiam, hoc variasse Tacitum. *Imaginem* et *vim* illustrat Heinsius ad Vellei. p. 259. Ern. Bud. *et si quaces.* unde 2. m. *et si qui duces.* Agr. *et Scipiones,* pessime. *Cæsares* Pichena dedit, secutus Freinshemius. *Vasaces* Rhen. e Bud. prius legebatur *Vasates.* Mox Bud. *memorat.*

Fluvio Arsameti] Non alibi lectus nobis hic Arsametes: et omnino arbitramur falsum. Magis, quia in Dionis fragmentis (edidit haud ita pridem Fulvius Ursinus) hic ipse fluvius *Arsanias* dicitur. Verba Dionis 62, 21. Ἀφῆκεν αὐτὸν προδιομολογησάμενος, ἵνα τὸν ποταμὸν αὐτῷ Ἀρσανίαν ζεύξωσι. Nominat et ante, Ῥάνδειαν τῷ πρὸς Ἀρσανίᾳ ποταμῷ οὖσαν. *Randeian* (oppidum, sive vicum ubi Pætus obsessus) *ad Arsaniam fluvium sitam.* Plinius quoque Arsaniam agnoscit, et in Euphratem labi facit 5, 24. (20.) Sed et Plutarchus in Lucullo 31. Itaque corrigi prorsus velim in Tacito *Fluvio Arsaniæ (etenim is castra præfl.)* litteris postremis in aliam voculam reformatis. Emendabis iterum infra. Lips. *Arsaniæ etenim* receptum a Pichena. Sane et MS. Fl. Agr. ed. pr. *Arsanieti:* sed *etenim* cum Ryckio omisi: quippe sola Lipsii conjectura nixum. *Præfluebat* ed. pr. Rhenanus et seq. At mediæ inter ed. pr. et Rhen. *perfluebat,* et sic MS. Guelf. (et Bud.) male. sic 11, 37. *prægressus* et *pergressus* confusa. Ern. Bud. *flumini Arsameti.* Pro *is castra pr.* J. Gron. malebat *cis c. pr.*

castra præfluebat) pontem inposuit, specie sibi illud iter A. U.
expedientis: sed Parthi, quasi documentum victoriæ, jus- 816.
serant. namque iis usui fuit: nostri per diversum iere. A. C. 63.
Addidit rumor, *sub jugum missas legiones*, et alia ex rebus infaustis, quorum simulacrum ab Armeniis usurpatum est. Namque et munimenta ingressi sunt, antequam agmen Romanum excederet, et circumstetere vias, captiva olim mancipia, aut jumenta adgnoscentes abstrahentesque. Raptæ etiam vestes, retenta arma, pavido milite et concedente, ne qua prœlii caussa exsisteret. Vologeses, armis et corporibus cæsorum adgregatis, quo cladem nostram testaretur, visu fugientium legionum abstinuit. Fama moderationis quærebatur, postquam superbiam expleverat. Flumen Arsaniam elephanto insidens, et proximus quisque Regem vi equorum perrupere, quia rumor incesserat, *pontem cessurum oneri dolo fabricantium*. sed qui ingredi ausi
sunt, validum et fidum intellexere. Ceterum obsessis adeo 16

Specie sibi illud iter experientis] Immo *expedientis* Grotius ait: et sic videtur fuisse in MS. Guelf. a prima manu, sed correctum alia in *experiendi*. Syllabæ *ped.* clara adhuc vestigia. Et correxissem statim locum, nisi dubius fuissem ob librum Guelf. utrum *expedientis*, an *expediendi* scribendum esset. *Sibi* nullo modo patitur *experientis*. Nunc, cum Broterius *expedientis* in MSS. duobus reperit, recepi. ut ille fecit. Ern. Bud. *experientis* et a 2. m. *experiendi*. *Expedientis* jam Lipsius conjiciebat in marg. edit. 1. Bip. præferunt *experientis* i. e. *tentantis*.

Namque iis usui fuit] Ex Taciti consequa narratione judices legendum *neque iis usui fuit*. Et firmat certe Dio, qui in hac re (ut sæpe) velut interpres Taciti l. c. Ἵνα τὸν ποταμὸν Ἀρσανίαν ζεύξωσιν· οὐχ ὅτι γεφύρας ἐδεῖτο (πεζῇ γὰρ αὐτὸν διεληλύθει) ἀλλ' ἵνα ἐνδείξηται σφίσιν, ὅτι κρείττων αὐτῶν ἦν. Lips. Placet Pichenæ et aliis. Contra disputat Freinsh. qui tamen se torquet in verbis Dionis πεζῇ γὰρ αὐτὸν διεληλύθει, non assecutus magis, quam Lipsius, sensum. *Pedes et sine ponte flumen transierat*, nempe adveniens. Itaque etiam abiens poterat sic facere. Ern.

Addidit rumor] Cui rumori Suet. etiam fidem habet 39. Lips. Mox *namque et*, item *excederet* MSS. Flor. Guelf. edd. ante Rhen. omnes et inde a Pichena recentiores. ceteræ *nam et*, *decederet*, quod e superioribus repetitum a Rhenano. Sed hic intelligendum *munimentis castrorum*, non *Armenia*. Ern. Bud. *namque mun.* dein *decederet*, quod recepit Rhen.

Adgnoscentes] Bud. *adnoscentes*. Sic passim.

Adgregatis] Heins. dabat *aggeratis* instar tropæi.

Fama moderationis] Ed. pr. addit *Nam:* atque id manus secunda, Candidi sc. adjecerat in MS. Guelf. Mox idem cod. (et Bud.) *in elephanto*. Ern.

Proximus quisque Regi vi equorum] Suspicor de loci defectu. Nonne plerique Parthorum in equis (talis illorum militia) non solum proximi Regis? certe. Adde quod Dio l. c. disertim narrat, *Regem quidem elephanto, alios sine usu ullo pontis, ut prius, transisse*. Αὐτὸς μὲν (ὁ Βασιλεὺς) ἐπ' ἐλέφαντος, οἱ δὲ ἄλλοι, ὥσπερ καὶ πρότερον, ἀνεχώρησαν. Itaque fidenter, fortasse et feliciter, expleo: *et proximus quisque Regi, alii vi equorum perr.* Hac mente Rex quidem in elephanto, et in simili bellua ejus exemplo primores transmisere, aliud vulgus in equis. Lips. MSS. Flor. Guelf. (Bud.) Agr. ed. pr. *Regem*, quod exprimendum curavi. etenim est exquisitius: unde mutatum hic, ut centies alibi, in notiorem casum. Sic et MSS. alii ap. Broterium. Lipsius sine necessitate *alii* addi vult. Proximi Regi secuti sunt eum: cetera multitudo libere et varie vel ponte, vel natando transiere. Mox *fidum* firmat etiam ed. pr. MS. (Bud. et) Corb. at *firmum* ceteræ edd. ante Rhen. et MS. Guelf. Ern.

A. U. 816. A. C. 63. suppeditavisse rem frumentariam constitit, ut horreis ignem injicerent: contraque prodiderit Corbulo, *Parthos inopes copiarum, et pabulo adtrito, relicturos oppugnationem, neque se plus tridui itinere abfuisse.* Adjecit, *jurejurando Pæti cautum apud signa, adstantibus iis, quos testificando Rex misisset, neminem Romanum Armeniam ingressurum, donec referrentur litteræ Neronis, an paci adnueret.* Quæ ut augendæ infamiæ composita, sic reliqua non in obscuro habentur: una die quadraginta millium spatium emensum esse Pætum, desertis passim sauciis; neque minus deformem illam fugientium trepidationem, quam si terga in acie vertissent. Corbulo, cum suis copiis apud ripam Euphratis obvius, non eam speciem insignium et armorum prætulit, ut diversitatem exprobraret. mæsti manipuli, ac vicem commilitonum miserantes, ne lacrimis quidem temperare. vix præ fletu usurpata consalutatio. Decesserat certamen virtutis et ambitio gloriæ, felicium hominum adfectus.

17 sola misericordia valebat, et apud minores magis. Ducum

Contraque prodiderit Corbulo] In commentariis, opinor, aut historia harum rerum. Plinius certe Corbulonem inter scriptores censuit, Indice lib. 5. et 6. Lips. Contra Ryckius inter amicos potius et epistolis ad Imperatorem ea prodidisse Corbulonem putat, quia, si in justa historia, non videatur, Tacitum ei fuisse contradicturum.

Itinere] Sic Rhen. e Bud. prius legebatur *itineri.*

Cautum apud signa] Specta juvenis. juramenta Romanorum apud signa: id est, uti ego interpretor, apud principia. Illic enim signa. et plerosque castrorum solennes actus apud principia notabis celebratos. Dabo exempla, et labore meo levabo tuum. Jus in principiis dictum. Livius 28, 24. *Tribunos tamen jura reddere in principiis sinebant.* Edicta ibi proposita. Vulcatius in Avidio Cassio 6. *Nam statim et ad signa edici jussit, et programma in parietibus fixit, ut, si quis cinctus inveniretur in Daphne, discinctus rediret.* Litteræ lectæ et habitæ allocutiones. Spartianus in Pescennio 4. *Itaque nisi litteras recitandas ad signa, quibus, etc.* Tacitus 1, 67. *Contractos in principia milites jussit cum silentio audire.* Castigatio et interdum animadversio ibi. Suet. Oth. 1. *Ausus est milites quosdam capite punire, et quidem ante principia se coram.* Frontinus Stratag. 4, 1, 15. *M. Cato memoria tradidit, in furto comprehensis dextras esse præcisas, aut, si lenius animadvertere voluissent, in principiis sanguinem missum.* Signum etiam pugnæ propositum. Isidorus Orig. 19, 22. *Russata pridie quam dimicandum esset, solebat ante principia poni, quasi admonitio et indicium futuræ pugnæ.* Lips. Mox *referrentur* MSS. edd. omnes veteres; nisi quod in MS. (Flor. Bud.) Guelf. ed. pr. *referentur.* Pichena vulgo esse ait *referantur,* quod in Lips. reperi, e Rhen. sec. ductum. Ern.

Quadrag. mill.] Vide Veget. 1, 9.

Insignium et armorum] In Bud. copula deest. De re v. 1, 24. ubi *non lætæ legiones neque insignibus fulgentes.* unde et hic Heins. pro *eam* conjiciebat *lætam.*

Ut diversitatem exprobraret] i. e. ut pudorem illis incuteret, qui non eo apparatu venissent, sed longe dissimili, nempe qui fugientium esse solet. Ern. Cod. Agr. *adversitatem.*

Ne lacrimis quidem temperare] MSS. Flor. Guelf. edd. ante Rhen. omnes *temperare,* quod nescio cur in *temperavere* mutavit Rhenanus, (ego scio, e Bud.) secutis omnibus, præter J. Gron. quocum vetus restituimus. Mox MS. Guelf. ut Budensis et ed. pr. vitiose *consolatio.* Ern.

Et apud minores magis] *Minores* hoc loco sunt *inferiores fortuna.* Et hoc magis miseratio usurpata, quia infelices illi longe deterioris conditionis erant, quam ipsi, nec invidia obstaret miserationi. Ern.

inter se brevis sermo secutus est. Hoc conquerente *irri-* A. U.
tum laborem: potuisse bellum fuga Parthorum finiri; ille 816.
integra utrique cuncta respondit: *converterent aquilas et junc-* A. C.
cti invaderent Armeniam, abscessu Vologesis infirmatam. Non 63.
ea Imperatoris habere mandata, Corbulo: *periculo legionum*
commotum, e provincia egressum. quando in incerto habeantur
Parthorum conatus, Syriam repetiturum. Sic quoque opti-
mam Fortunam orandam, ut pedes, confectus spatiis itinerum,
alacrem et facilitate camporum prævenientem equitem adseque-
retur. Exin Pætus per Cappadociam hibernavit. At Vo-
logesis ad Corbulonem missi nuntii, *detraheret castella trans*
Euphraten, amnemque, ut olim, medium faceret: ille, *Arme-*
niam quoque diversis præsidiis vacuam fieri, expostulabat.
Et postremo concessit Rex: dirutaque, quæ ultra Euphra-
ten communierat Corbulo, et Armenii sine arbitro relicti
sunt. At Romæ tropæa de Parthis arcusque medio capi- 18
tolini montis sistebantur, decreta ab Senatu, integro adhuc
bello, neque tum omissa, dum adspectui consulitur, spreta
conscientia. Quin et, dissimulandis rerum externarum
curis, Nero frumentum plebis, vetustate conruptum, in Tibe-
rim jecit, quo securitatem annonæ ostentaret. cujus pretio

Hæc conquerentium: irritum] Reddere sententiam possis, nescio an verba, si legas · *Hic conqueri, tantum irritum laborem:* vel *Hoc conquerente.* Brevis sermo ducum, inquit. Corbulo querebatur, frustra se properasse et laborem eum sumpsisse, cum ille auxilium non exspectasset. Pætus contra integra omnia, etc. Palmerius noster malebat, *hujus conquerentis irritum laborem, illius integra utique omnia.* Lips. *Hæc conquerentium* ed. pr. Rhen. (e Bud.) et seq. At *hoc* MSS. Flor. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. Conjecturam Faerni aliorumque (Mur. Pich. Acid.) *hoc conquerente* recepit Bernecc. cum seq. Mihi potius Tacitus scripsisse videtur *huic conquerenti,* et τὸ *um* adhæsisse e terminatione verbi sequentis: quod genus vitii jam aliquoties observavimus. Mox Querneus Egreg. p. 65. b. *finiri* mutat in *finire,* ceteris servatis, ut vulgo edita sunt. Ern.

S. q. optimam Fortunam orandam] Quia Fortunæ nomen de Dea est, *optimam* mihi suspectum fit, cum in hac phrasi, quam et apud Livium aut Ciceronem legi, nude dicatur. Ern. Ita 4, 7. *Modestiam precandam.* Mox Bud. *Dein P.*

Amnemque ut olim medium faceret] Sic MSS. Flor. Guelf. edd. vett. ante Rhen. qui (e Bud.) induxit *ut omnium.* vetus restituit Pichena. Par ratio sequentis *dirutaque.* Rhenanus (e Bud.) dedit *diruptaque,* male: illud Pichena reddidit. Sed libri scripti et ed. pr. *diruta quæque.* transposita copula. Ern.

Armenii sine arbitro] Sic MSS. Flor. Agr. ed. pr. i. e. sine domino, ut 1, 26. MSS. Oxon. (Bud.) Guelf. *sine arbitrio,* ex qua lectione factum ab editoribus (et in Bud. a 2. m.) *suo arbitrio,* quod habent omnes edd. præter J. Gron. qui vetus restituit. Ern.

Frumentum plebis] Sic (Bud. et) edd. omnes, pro quo Muretus malebat *publicum:* quod placet et Broterio, moto inscriptione ap. Gruterum (p. 244, 4.) ubi *plebs* dicitur accepisse *fr. publicum.* MS. Guelf. a pr. manu *plebi:* secunda supra adposuerat *s. Plebi* non spernam: quod plebi destinatum, dividendum servabatur in horreis. Vid. 2, 59. Ern.

Securitatem annonæ sistentaret] Ita scripsi, nec pœnitet. Libri omnes, *sustentaret:* P. Faber Sem. 2, 16. *ostentaret.* Suspicor, antiquis usurpatum *sistentare* pro ostentare; argumento etiam Plautini versus Truc. 2, 2, 14. — *tu vero clurinum pecus Advenisti huc sistentatum cum exornatis ossibus.* Sic enim duo manuscripti in Vatican. tertius, *sustentatum:* Et in eodem poeta alibi, *extentatum,* repe-

A. U. 816. A. C. 63. nihil additum est, quamvis ducentas ferme naves, portu in ipso, violentia tempestatis, et centum alias, Tiberi subvectas, fortuitus ignis absumpsisset. Tris dein Consulares, L. Pisonem, Ducennium Geminum, Pompeium Paullinum vectigalibus publicis præposuit, cum insectatione priorum Principum, *qui gravitate sumptuum justos reditus anteissent: se annuum sexcenties sestertium Reipubl. largiri.*

19 Percrebuerat ea tempestate pravissimus mos, cum propinquis comitiis, aut sorte provinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios, Præturasque et provincias inter patres sortiti, statim emitterent manu, quos adoptaverant. Qui magna cum invidia Senatum adeunt, *jus naturæ, labores educandi, adversus fraudem et artes et brevitatem adoptionis* enumerant: *satis pretii esse orbis, quod multa securitate, nullis oneribus, gratiam, honores, cuncta prompta et obvia haberent. Sibi promissa legum diu exspectata in ludi-*

rio. Si quis tamen *sustentaret* servat, possis interpretari, sustentatam servatamque ea ratione ipsam opinionem copiæ frumentariæ, cum et in Tiberim abjiceret leviter corruptum. Lips. Scribe: *sic ostentaret.* nam *sustentare* alienum; *sustentare* verbum nihili. Gron. Sed τὸ *sic* friget, et inest jam in *quo.* Itaque malim simpliciter *ostentaret*, ut e MS. Agr. dedit Ryckius, et volebat Heinsius. Ern. Lips. olim conjiciebat *suæ ostentaret.* Bip. τὸ *sustentaret* exponunt per fulciret. Lall. recepit *ostentaret*, quod et mihi unice placet.

Tiberi subvectas] Cod. Bud. et Agr. *Tiberim.* Mox *absumpsisset* Rhen. e Bud. legebatur *assumpsisset.*

Ducennium Geminum] Qui sub Galba Præfectus urbi H. 1, 14. Lips. De Pisone v. 13, 31. De Pomp. Paullino 13, 53. et Sen. de Brev. vitæ c. 18.

Gravitate sumtuum justos reditus anteissent] Cur *justos reditus?* Reditus justi per Latinitatem sunt sufficientes ad sumtus necessarios. Nec, si legitimos, æquos, intelligas, sensus commodus est. An Tacitus dedit *publicos*, i. e. ærarii, quia Nero de suo se dicit dare quotannis ærario. Ern. Pro *anteissent*, quod videtur esse occupassent vel justo citius absumsissent, Bip. malunt *auxissent.*

Pravissimus mos] In MS. Flor. *pravissimos*, eademque manu correctum *pravus mos*, quod præfert J. Gron. Etiam in Guelf. *pravissimus* est a manu sec. deleto, quod ante erat, nova voce versiculi finem longe excurrente, ut ante breviorem vocem ibi fuisse appareat. Ern. Bud. vulgatum tenet.

Orbi fictis adoptionibus] Quæ fraus olim etiam usurpata et reprehensa a Scipione his verbis (ap. Gell. 5, 19.): *In alia tribu patrem, in alia filium suffragium ferre. Filium adoptivum tam procedere, quam si se natum habeat.* Quamquam censeo, Scipionem non aliud intellexisse, quam notionem Censoriam. et cum ii inquirerent, qui uxores quinque liberos haberent; malo quodam more, eos qui adoptassent non habuisse pro improlibus. Adde ad Taciti lucem l. 2. D. De vacat. muner. Lips.

Qui magna cum invidia] Sic edd. omnes. At *qui*, quod ad *patres* refertur, abest a MSS. Fl. Guelf. (Agr. Bud.) ed. pr. et commode abest. Itaque delevi. Vid. ad c. 4. Si tamen *qui* est a Tacito, arbitror transpositum, et ante *jus naturæ* ponendum: *adeunt, qui — enumerant.* Sane *patres* longius abest ab *adeunt.* *Invidia* quid h. l. sit, vid. ad 4, 52. Ern. Restitui *qui* cum Bip. Non enim indicatur, si omittas, qui sint illi, qui Senatum adierint, scil. patres veri. Id *qui* habent Puteol. et seq.

Adeunt, jus naturæ, labores etc.] Sic hunc locum restituit Rhenanus. MSS. Fl. Bud. *adeuntibus naturæ.* Guelf. *adeunt; ubi naturæ, laboresque*, sed τὸ *que* deletum. Ed pr. *adeuntibus ne.* Ceteræ ante Rhen. *adeunt, ibi naturæ munus.* Pro *jus* possis etiam conjicere *vim.* Et sic e MS. Corb. notavit Broterius. Ern.

brium verti, quando quis sine solicitudine parens, sine luctu A. U.
orbus, longa patrum vota repente adæquaret. Factum ex eo 816.
Senatus consultum, *ne simulata adoptio in ulla parte muneris* A. C.
publici juvaret, ac ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset. 63.
Exin Claudius Timarchus, Cretensis, reus agitur, ceteris 20
criminibus, ut solent prævalidi provincialium, et opibus
nimiis ad injurias minorum elati: una vox ejus usque ad
contumeliam Senatus penetraverat, quod dictitasset, *in sua
potestate situm, an Proconsulibus, qui Cretam obtinuissent,
grates agerentur.* Quam occasionem Pætus Thrasea ad bonum
publicum vertens, postquam de reo censuerat, *provincia
Creta depellendum,* hæc addidit: *usu probatum est, P. C.
leges egregias, exempla honesta, apud bonos ex delictis aliorum
gigni. Sic oratorum licentia Cinciam rogationem; candidatorum
ambitus Julias leges; Magistratuum avaritia Calpurnia
scita pepererunt. Nam culpa, quam pœna, tempore prior;
emendari, quam peccare, posterius est. Ergo adversus novam
provincialium superbiam dignum fide constantiaque Romana
capiamus consilium, quo tutelæ sociorum nihil derogetur, nobis
opinio decedat, qualis quisque habeatur, alibi quam in civium
judicio esse. Olim quidem non modo Prætor, aut Consul, sed* 21
*privati etiam mittebantur, qui provincias viserent, et, quid de
cujusque obsequio videretur, referrent: trepidabantque gentes
de existimatione singulorum. At nunc colimus externos et
adulamur: et quomodo ad nutum alicujus grates, ita promptius
adcusatio decernitur: decernaturque et maneat provincialibus*

Ne usurpandis quidem] Ne ad solidi capacitatem. argumento l. 51. D. de Legatis 11. Vide quæ notavi ad legem Papiam 3, 25. Lips. *Quidem* abest a Bud. et abesse potest. De re v. et Gell. 5, 19.

Grates agerentur] Grates illæ non erant nihili; proderant ad sequentes honores. v. Plin. paneg. 71.

Hæc addidit] Bud. *hoc add.*

Cinciam rogat.] Notatis ad 11, 5. et 13, 42. adde Ranchini Var. Lect. 2, 7.

Nam culpa quam pœna] Similis gnome in Tertull. *Nemo postfutura reprehendit, quæ ignorat futura: emendatio culpam non antecedit.* Lips. Mox *provinciarum* ante Pichenam edd. omnes; etiam MS. Guelf. nisi quod ed. pr. *provinciam.* Ern. Flor. *provinciarium.* inde Pichenæ emendatio, ut Faernus jam conjecerat.

De æstimatione singulorum] In MS. (Bud.) Guelf. ed. pr. Put. est *de extimatione*, quod etiam esse potest *de existimatione.* Atque ita puto hic accipiendum. Nam legati, missi ad res inspiciendas, est *judicare*, h. e. *existimare*, non *æstimare.* V. Gron. ad Liv. 4, 41. 34, 2. Itaque *existimatio* dicitur de eo, cui potestas cognoscendi, judicandi data, quam fuisse tali legato, dubitari nequit. Quam ob rem sic edidimus. *Verbi existimationem* dixere etiam Cicero et Cæsar. Secutus est nos Broterius. Ern. Secutus et Lallem. Non Bip. qui restituerunt *æstimatione*, provocantes ad Livii l. c. Sed is est in dubio. Parum, puto, interest.

Decernaturque et maneat] Si non fractus locus, scribo sententia ducente, *decernatur, ne maneat.* Nisi per ironiam hæc dicta capies, et simulata quadam concessione. Quo sensu nihil mutem. Lips. Omnia sana sunt. Ern. Imo major in vulg. vis est. Lipsius ipse sensit in notis novissimis. Sic et Pich. et Freinsh. Ceterum hic sane gerundium a subaudito *facultas* pendere potest, ut supra c. 5. forsan a voce *studium.* Alia vide ad 2, 43. *Suam* non habet Bud.

A. U. 816 A. C. 63. *potentiam suam tali modo ostentandi: sed laus falsa et precibus expressa perinde cohibeantur, quam malitia, quam crudelitas. Plura sæpe peccantur, dum demeremur, quam dum offendimus. Quædam immo virtutes odio sunt, severitas obstinata, invictus adversum gratiam animus. Inde initia Magistratuum nostrorum meliora ferme, et finis inclinat, dum, in modum candidatorum, suffragia conquirimus: quæ si arceantur, æquabilius atque constantius provinciæ regentur. nam ut metu repetundarum infracta avaritia est, ita, vetita gratiarum actione, ambitio cohibebitur.*

22 Magno adsensu celebrata sententia, non tamen Senatus consultum perfici potuit, abnuentibus Consulibus ea de re relatum. Mox, auctore Principe, sanxere, *ne quis ad concilium sociorum referret, agendas apud Senatum Proprætoribus Proveconsulibus grates,*

Perinde cohibeantur] Sic Bud. sed MS. Guelf. a sec. man. *cohibeatur*, ut volebat Acidalius. Si pluralis verus est, referendus simul ad malitiam et crudelitatem. Ern.

Virtutes odio sunt] Vulgo, qui eas gravatur. Lips.

Et finis inclinat] Primum *et* dictum pro *sed*, *at*, ut sæpe alias. V. ad 5, 3. *inclinat*, intellige in partes deteriores. Mox Groslotius malebat *æquabilius* pro *æqualius*. Etsi hoc quoque defendi potest: tamen quia *æquabilius* est in ed. pr. et Sallustius sic conjunxit *æquabilius atque constantius* Catil. 2. ut inde haud dubie sumserit, *æquabilius* recepimus. Secutus nos est Broterius. Ern. Et Lall.

Ambitio cohibetur] Legerem *cohibebitur*. Lips. Verum est. Ern.

Abnuentibus Consulibus ea de re relatum] Atqui, *licere Patribus, quoties jus dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent expromere, relationemque in ea postulare*, supra 13, 49. scripsit Tacitus. similique sententia 2, 38. lego, *A majoribus concessum egredi aliquando relationem, et, quod in commune conducat, loco sententiæ promere.* Licuisset ergo Consulibus referre ea de re ad Patres: sed iis aliter visum. Jus relationis autem solis Consulibus: nec sine relatione perfici potuit ullum SC. Ideo Vespasiano concessum, VTI. EI. SENATVM. HABERE. RELATIONEM. FACERE. REMITTERE. LICERET. Ideo sequentibus Principibus honoris caussa datum jus tertiæ, quartæ, quintæ relationis: id est, me interprete, ut, quoties Consules ipsi non essent, tres nihilominus, quatuor aut quinque relationes facere possent, qua de re cumque iis visum. Sollennia relationum verba e Suetonii Calig. 15. hæc didici: *Quod bonum felixque sit C. Cæsari, de N. Patres conscripti, quid fieri placet?* Lips. Lipsius igitur substantive cepit *relatum*, ut est etiam H. 1, 30. quamquam alio sensu. Alii videntur intellexisse *relatum* pro *relatum esse*: unde Boxhornius D. Heinsii correctionem probat: *nec. abn. C. ea de re relatum.* Schefferus in Ἀνεκδ. Obs. Misc. t. 8. p. 292. sic interpungit: *Consulibus. Ea de re relatum mox auctore Principe. Sanxere, ne* etc. Ingeniose utique, et sic prope est in ed. pr. *Consulibus. ea de re latum mox auctore Principe sanxere.* Lipsius verum vidit. Quæ per egressionem relationis dicta erant, a Coss. erant ex integro referenda, si SCtum fieri deberet. V. ad 13, 26. Et Tacitum delectari hac forma verborum, notum est. Ern. *Relatum* pro relatione positum, noli dubitare. Noster et alibi eo substantivo utitur. V. H. 1, 30. et Germ. 3. Contra 2, 38. habet *egredi relationem.*

Sanxere, ne quis] Reperio, jam ante sanxisse id Augustum. de quo Dionis verba ista 56, 25. Τῷ ὑπηκόῳ προσπαρήγγειλε, μηδενὶ τῶν προστασσομένων αὐτοῖς ἀρχόντων μήτε τῆς ἀρχῆς χρόνῳ, μήτε ἐντὸς ἑξήκοντα ἡμερῶν μετὰ τὸ ἀπαλλαγῆναι σφᾶς, τιμήν τινα διδόναι, ὅτι τινὲς μαρτυρίας παρ' αὐτῶν καὶ ἐπαίνους προσπαρασκευαζόμενοι, πολλὰ διὰ τούτων ἐκακούργουν. Sed diversum tamen hoc Neronianum consultum: quoniam illud Augusti post diem permittit laudationes: hoc plane et plene tollit. Lips.

Proveconsulibus] Vales. ad Amm. 30, 5. corrigit *Proqueconsulibus*. quod sane rectius. nam de utrisque pari modo cavetur. Et sæpe in his particulis

neu quis ea legatione fungeretur. Iisdem Consulibus gymna- A. U.
sium ictu fulminis conflagravit, effigiesque in eo Neronis 816.
ad informe æs liquefacta. Et motu terræ, celebre Campa- A. C. 63.
niæ oppidum, Pompeii, magna ex parte proruit. Defun-
ctaque virgo Vestalis Lælia, in cujus locum Cornelia ex
familia Cossorum capta est. Memmio Regulo, et Verginio A. U.
Rufo coss. natam sibi ex Poppæa filiam Nero ultra mor- 817.
tale gaudium accepit, adpellavitque *Augustam*, dato et A. C. 64.
Poppææ eodem cognomento. Locus puerperio colonia 23
Antium fuit, ubi ipse generatus erat. Jam Senatus *uterum*
Poppææ commendaverat Diis, votaque publice susceperat.
quæ multiplicata exsolutaque. Et additæ *supplicationes*
templumque Fecunditati, et certamen ad exemplar Actiacæ

peccatum: ut ap. Suet. Aug. 43. *majorum minorumve*, pro *minorumque*. Ern.

Motu terræ] Dissentit Seneca, qui Nat. Q. 6, 1. ad sequentes Coss. refert hunc terræ motum expressim: *Pompeios celebrem Campaniæ urbem . . . desedisse terræ motu, Lucili virorum optime, audivimus: et quidem diebus hibernis, quos vacari a tali periculo majores nostri solebant promittere.* (Observa. Ergo statim Consulibus novis, ut anni totius necessario in alterutro error sit.) *Nonis Februarii fuit hic motus, Regulo et Verginio COSS.* Et hercle tam adseverat id distincte, ut credam, vitium esse non Taciti (non id convenit in fidei et diligentiæ unicæ scriptorem) sed Ægisthi alicujus; cujus adulteria et trajectiones compluries agnosco in hac regia vere sponsa. Lips. Dixi ad 1, 68. (ubi *prorupere* non *prorumpere* volui in verbis Curtii,) apud bene Latinos semper ποιητικῶς poni τὸ *proruere*. Auctor quidem Ætnæ vulgo v. 307. *rupes aliquas penitusque cavernas Proruere.* Sed cum Scaliger ibi testetur, vett. lib. habere *provehere*, censeo scribendum, *procidere*. Quemadmodum et apud Val. Flaccum 7, 599. *In caput inque humeros ipsa vi molis et iræ Procidit*, ubi editur *proruit*. Tale vitium et hic oblatum Tacito, qui scripserat, *Et motus terræ*. Ut Livius 22, 5. *Eum terræ motum, qui multarum urbium Italiæ magnas partes prostravit, montes lapsu ingenti proruit.* Senec. Nat. Q. 6, 1. *hic motus Campaniam magna strage vexavit.* Gron. Verum puto. Ern. Probat et Lallem. Sed sic dicendum fuerat *Pompeios.* Majorem cladem urbs hæc passa 16 annis post, incendio Vesuviano deleta; nostro demum ævo ex orco quasi suscitata. Detectæ faciem civibus suis exhibuit Cl. Hamiltonus, quam cum Germania communicarunt Bernoullius Berolinensis et Chr. G. de Murr, itemque G. H. Martini.

Memmio Regulo et Verginio Rufo COSS.] Restitue iis prænomina vera ex lapide, præter mentem Onufrii Fastorum scriptoris, (ap. Grut. p. 8.) VOTVM. SOLVERVNT. L. M. L. VERGINIO. RVFO. C. MEMMIO. REGVLO. COSS. Lips.

Locus puerperio colonia Antium fuit] Abest verbum *fuit* a MSS. Bud. Guelf. et aliis, ed. Rhen. et seqq. usque ad Pichenam. Ern. Qui dedit e Flor. et ed. Ven.

Jam Sen. uterum] Ante *uterum* legebatur *interim*, quod Rhen. sustulit, deerat in Bud. ubi 2. m. intrusit.

Templum Fecund.] Huic Fecunditati celebrandæ Neronem cudi curasse, hariolatur Spanh. de Præst. NN. nummum, in quo pisces varii generis, symbolum scil. fecunditatis. V. diss. 4, 13. t. 1. p. 231.

Ad exemplar Atticæ religionis] Panathenæa Atheniensium intellegi volunt, de quibus apud Græcos obvii loci. Dubito. nam Panathenæis respondebant Romanæ Quinquatrus, nescio an hoc certamen novum. In libris etiam vacillare scripturam video. quorum Vaticanus optimus *accicæque* præfert, Farnesianus *anciatæ*. An fuit *Actiacæ religionis*, sive potius *regionis?* Nec enim major hic, quam in aliis ludis, religio. Enimvero in Suetonio lego, Augusti 18. ab eo Principe institutos *Nicopoli apud Actium ludos quinquennales, quo celebratior ejus victoriæ memoria in posterum esset.* Et durasse eos ad inferiora tempora, Mamertinus

A. U. 817. A. C. 64. *religionis* decretum: *utque Fortunarum effigies aureæ in solio Capitolini Jovis locarentur: ludicrum circense, ut Juliæ genti apud Bovillas, ita Claudiæ Domitiæque apud Antium ederetur.* quæ fluxa fuere, quartum intra mensem defuncta infante. Rursusque exortæ adulationes, censentium *honorem Divæ et pulvinar ædemque et Sacerdotem.* Atque ipse ut lætitiæ, ita mæroris immodicus egit. Adnotatum est, omni Senatu Antium sub recentem partum effuso, Thraseam prohibitum immoto animo prænuntiam imminentis cædis contumeliam excepisse. Secutam dehine vocem Cæsaris ferunt, qua, *reconciliatum se Thraseæ,* apud Senecam jactaverit, ac Senecam Cæsari gratulatum. Unde gloria egregiis viris et pericula gliscebant.

24 Inter quæ, veris principio, legati Parthorum mandata Regis Vologesis, litterasque in eandem formam, adtulere: *se priora et totiens jactata, super obtinenda Armenia, nunc omittere, quoniam Dii, quamvis potentium populorum arbitri, possessionem Parthis, non sine ignominia Romana, tradidissent. Nuper clausum Tigranen: post Pætum legionesque, cum opprimere posset, incolumes dimisisse. Satis adprobatam*

in Paneg. docet c. 9. *Urbs Nicopolis conciderat . . . et certamen ludicrum, lustris omnibus solitum frequentari, intermiserat temporis mæsti deforme institium.* Fuit autem certamen triplex, gymnicum, musicum et equestre, ut Dio tradit 51, 1. Hæc mea olim mens, sed ut multa in hac ἀρχαιολογίᾳ incerta, nec umquam eruenda, hic etiam dissentiunt, et vir pereruditus (P. Faber) tuetur vulgatam lectionem, et explicat in Agonistici sui 3, 29. Lips. *Actiacæ* firmat ed. pr. quæ plane habet *acciacæ,* quod est etiam in MS. Guelf. a manu sec. tamen. Nam ante fuit, ut e lemmate marginis patet, *utricæ:* e quo forte *atticæ* a Puteolano factum. Vulgato lectio, *atticæ,* inde a Puteolano editos obtinet. Mihi *Actiacæ* placet, quod et cum Broterio recepi, qui et in MS. Reg. reperit, non *Antiatis* vel *Antiatinæ* Grotii, quod Ryckius probabat. Nam *certaminis* verbum indicat Græci ritus ludos fuisse: quales Actiaci. *Atticæ* si aliud esset, quam conjectura, non adeo displiceret. Nam Græcorum certaminum forma sane ex Attica petita. Quia vero Actiaci ludi ab Augusto instituti, maximoque in honore erant, non abhorret, ad eorum exemplar certamen decretum esse. Quod J. Gronovius e lectione MS. Flor. conjicit *Accierea,* ab ἀζίερος, an alicui placere possit, dubito. Ern. *Atticæ* non est ex mera conjectura; Bud. habet *Actice religionis.* P. Faber volebat *anticæ* i. e. *antiquæ.* Bip. cum Mureto legunt *Antianæ,* quod Antium Neronis patria fuit et colonia, Fortunæ templo celebris, quodque forma vocis ap. Plin. 3, 6. (12.) occurrit, *in Antiano Astura.* Verum certamina Antii celebrata in honorem Fortunæ, nullibi legitur; de Actio res nota. Itaque Gron. sequi malo et Brot. In cod. Agr. est *Antiacæ.*

Locarentur] Sic MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. J. Gron. Ceteri libri *collocarentur.* Parum refert. Nam verbum *locare* hic malim sensu ponendi, quam pro redemtoribus faciendum mandare, accipere. Ern.

Juliæ gentis apud Borillas] 2, 41. *Sacrarium genti Juliæ effigiesque D. Augusto apud Bovillas dicantur.* Lips.

Honorem Divæ] Cf. 16, 6. et not. ad 16, 21. ubi numus ea occasione cusus.

Adnotatum est] Sic Rhen. e Bud. prius legebatur *adnotandum est.*

Unde gloria] Sic MSS. (Flor. Bud. etc.) et edd. vett. omnes. Non ergo vulgo est *gloriæ,* ut Pichena scribit. In Lipsianis reperi, in quas e Rhen. sec. fluxit, ubi est vitium operarum. Mox *inter quæ* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. pr. Pich. seqq. Ceteræ *interim.* Ern.

vim: datum et lenitatis experimentum. Nec recusaturum A. U.
Tiridaten, accipiendo diademati in urbem venire, nisi Sacer- 817.
dotii religione adtineretur. Iturum ad signa et effigies Prin- A. C.
cipis, ubi, legionibus coram, Regnum auspicaretur. Talibus 64.
25 Vologesis litteris, quia Pætus diversa, tamquam rebus integris, scribebat, interrogatus Centurio, qui cum legatis advenerat, *quo in statu Armenia esset? omnes inde Romanos excessisse,* respondit. Tum intellecto barbarorum inrisu, qui peterent, quod eripuerant, consuluit inter primores civitatis Nero, *bellum anceps, an pax inhonesta placeret?* nec dubitatum de bello. Et Corbulo, tot per annos militum atque hostium gnarus, gerendæ rei præficitur, ne cujus alterius inscitia rursum peccaretur, quia Pæti piguerat. Igitur inriti remittuntur, cum donis tamen, unde spes fieret, non frustra eadem oraturum Tiridaten, si preces ipse adtulisset. Syriæque exsecutio Cincio, copiæ militares Corbuloni permissæ; et quintadecima legio, ducente Mario Celso, e Pannonia adjecta est. Scribitur Tetrarchis ac Regibus, Præfectisque et Procuratoribus, et qui Prætorum finitimas provincias regebant, *jussis Corbulonis obsequi:* in tantum ferme modum aucta potestate, quem Populus Romanus Cn. Pompeio, bellum Piraticum gesturo, dederat. Regressum Pætum, cum graviora metueret, facetiis insectari satis habuit Cæsar, his ferme verbis: *Ignoscere se statim, ne tam promptus in pavorem longiore solicitudine ægresceret.* At Cor- 26

Sacerdotii religione] Quænam hæc religio, docet Plin. 30, 2. (6.) Magus quippe fuit Tiridates, qui *navigare non poterat, quoniam exspuere in maria, aliisque mortalium necessitatibus violare naturam eam fas ei non erat.*

Ad effigies Principis] Quæ scil. inter signa colebantur.

An pax in hoste] Fortasse rectius, *an pax inhonesta placeret.* Lips. Sic dudum Victorius correxerat ad Caton. R. R. c. 80. e vet. cod. qui habebat *inhosta*, h. e. Flor. ut docet Pichena. Recepit Pich. Vett. edd. a Puteol. *in hoste*, ut MS. (Bud.) Guelf. Ed. pr. *in hostes.* Ern.

Syriæque exsecutio] Executionem pro administratione usurpat fortasse, uti alibi, *negotii ejus exsecutionem libens suscepit.* Seneca: *Differam hæc in presenti. Desiderant enim longam et propriam exsecutionem.* Addubito tamen, num leg. *Syriaque Sex. Cincio.* Lips. Pro *Cincio* MS. Flor. *Cicio*, MSS. Agr. (Bud.) Guelf. ed. pr. *Citio.* At Pighius legendum censet *Cestio*, probante Ryckio ad h. l. (et Lallem.) quod recepit Broterius. At vereor, ut rationes temporum recte subductæ sint. Pagius quidem ad a. C. 66. Cestium a. C. 65. demum in Syriam missum, et a. 66. belli Judaici initium factum putat. De quo, alio forte loco, a nobis dicetur et commodius et diligentius. Ern.

Præfectis et Procuratoribus] *Præfectos* per enallagen dictos puto. Solus enim Ægypti Præses intelligendus. Et Ægypti statim mentio et militum inde acceptorum. *Procuratores* intelligendi, non rei privatæ Cæsaris, sed qui provincias minores regerent, ut Judæam. Ern.

Quem Populus Rom.] *Quem* habent edd. inde a Rhenano (e Bud.) omnes, MS. Guelf. idque probabat J. Fr. Gron. Edd. ante Rhen. *quam*, quod malebat Freinsh. *Quem* verum est, nisi *quam* factum est e *quantum*, ut sæpe alibi. Pro *in tantum* dici potest *in eum:* unde commode sequi potest *quem.* De Pompeii infinito imperio, lege Gabinia accepto, v. Plutarch. in Pomp. c. 40. p. 631. et Dion. Cass. 36, 6. Ern.

A. U. 817. A. C. 64. bulo quarta et duodecima legionibus, quæ, fortissimo quoque amisso et ceteris exterritis, parum habiles prœlio videbantur, in Syriam translatis, sextam inde ac tertiam legiones, integrum militem et crebris ac prosperis laboribus exercitum, in Armeniam ducit. Addiditque legionem quintam, quæ, per Pontum agens expers cladis fuerat, simul quintadecimanos, recens adductos: et vexilla delectorum ex Illyrico et Ægypto, quodque alarum cohortiumque: et auxilia Regum in unum conducta apud Melitenen, qua transmittere Euphraten parabat. Tum lustratum rite exercitum ad concionem vocat, orditurque magnifica *de auspiciis Imperatoriis, rebusque a se gestis*, adversa *in inscitiam Pæti* declinans: multa auctoritate, quæ viro militari pro
27 facundia erat. Mox iter, L. Lucullo quondam penetratum, apertis, quæ vetustas obsepserat, pergit. Et venientes Tiridatis Vologesisque de pace legatos haud adspernatus, adjungit iis Centuriones, cum mandatis non immitibus: *non enim adhuc eo ventum, ut certamine extremo opus esset. Multa Romanis secunda, quædam Parthis evenisse, documento adversus superbiam: proinde et Tiridati conducere, intactum vastationibus Regnum dono accipere: et Vologesen melius societate Romana, quam damnis mutuis, genti Parthorum consulturum. Scire, quantum intus discordiarum, quamque indomitas et præferoces nationes regeret. Contra Imperatori suo immotam ubique pacem, et unum id bellum esse.* Simul consilio terrorem adjicere, et Megistanas Armenios, qui primi a nobis defecerant, pellit sedibus, castella eorum exscindit,

Apud Melitenen] Ptolemæo 6, 3. Μελιτινὴ, Susianæ pars. Lips. At hic Cappadociæ Melitene intelligenda, ut bene Ryckius. Nam illa longe ultra Euphraten: hanc Euphrates ab ortu præterfluit. Vid. Cellar. G. A. t. 2. p. 298. Ern.

Lustratum rite exercitum] Mos exercitum recens acceptum lustrare: exemplum aliud est Æmilii Paulli ap. Plut. in Æmil. c. 61. p. 274. *τὴν δύναμιν ἐν Μακεδονίᾳ παρέλαβον, καὶ τὸν εἰωθότα συντελέσας καθαρμὸν αὐτῆς* etc. item C. Flaminii ap. Cic. de Divin. 1, 35. Idem factum ante, quam res geri inciperentur, ut a Cæsare B. G. 8, 52. Quomodo lustratio facta, notum est e Livio 1, 44. Mox *Imperatoris* habent MSS. (Bud.) et edd. pr. *Imperatoris*, quod vulgato *Imperatoriis* prætuli. Ern.

Adversa in inscitiam Pæti declinans] Ita legendum vidit Freinsh. idque recte receptum. Vett. edd. vel *adversam in inscitiam*, ut ed. pr. aut *adversam inscitiam*, ut MS. Guelf. (Bud.) ed. Puteol. et seqq. usque ad Freinsh. Vid. supra 14, 38. Ern.

Iter L. Lucullo] Plutarchum lege. Lips.

Non enim adhuc eo ventum] MS. Flor. (Bud.) ed. pr. *nec enim adhuc*. Ern.

Scire quantum] Sententiam adjuveris, si scribas *sciret*. Lips. Immo intellige *se*. Ern. Si quid mutandum, mallet Freinsh. *sciri*. Sic et Heins.

Simul consilio] Comptiora hæc Freinsh. fore putat, si sic legamus: *simul, ut consilio terrorem adjiceret, Megistanas* etc. Placet. Sed infinitivum tamen et verbum finitum etiam alibi jungi vidimus. Vid. ad 12, 51. Mox ed. pr. *pepulit*. Ern. Probat Freinsh. conjecturam Lallem. Recepere Bip. Verum vulg. et alia ap. nostrum exempla habet.

Megistanas] Summates, optimates. Cf. Suet. Cal. 5. et Marci 6, 21.

Pellit sedibus] Bud. *pellit a sedibus*. Sed mox *cum barbaris delectus est*.

plana, edita, validos invalidosque pari metu complet. Non A. U.
infensum, nedum hostili odio Corbulonis nomen etiam Bar- 817.
baris habebatur, eoque consilium ejus fidum credebant. A. C. 64.
ergo Vologeses neque atrox in summam, et quibusdam præ- 28
fecturis inducias petit. Tiridates locum diemque conloquio poscit. Tempus propinquum, locus, in quo nuper obsessæ cum Pæto legiones erant, cum a Barbaris delectus esset, ob memoriam lætioris sibi rei, non est a Corbulone vitatus, ut dissimilitudo fortunæ gloriam augeret. Neque infamia Pæti angebatur: quod eo maxime patuit, quia filio ejus, Tribuno, ducere manipulos atque operire reliquias malæ pugnæ imperavit. Die pacta Tiberius Alexander, inlustris Eques Romanus, minister bello datus, et Vivianus Annius, gener Corbulonis, nondum Senatoria ætate, sed pro Legato quintæ legioni inpositus, in castra Tiridatis venere, honori ejus, ac, ne metueret insidias, tali pignore. Viceni dehinc equites adsumpti. Et, viso Corbulone, Rex prior equo desiluit: nec cunctatus Corbulo. Sed pedes uterque dextras

Ergo Vologeses neque atrox in summam] Sensus est: Vologesen, quoad summam rem, de qua agebatur, non ferocem ac durum fuisse: admisisse orationem legati: tantum inducias quibusdam præfecturis petiisse, quæ a Corbulone adfligebantur. Viris doctis, qui corruptum locum putarunt, tenebras, ut opinor, offudit *τὸ neque*, sequente *et*, de quo jam supra vidimus. ERN. H. 2, 16. *nihil in summam profutura.* Freinsh. pro *et* volebat *aut.*

Cum—delectus esset] MS. Fl. (Bud.) ed. pr. *est:* unde J. Gronovius ad c. 10. vult *tum delectus est*—et deinde *Corbuloni non vitatus*, quod in iisdem libris est *Corbulo non vitatus.* Sed in hac lectione friget *tum.* Mox Rhen. (e Bud.) dedit *angebatur*, cum ante esset *augebatur*, quod etiam est in MS. Guelf. edd. Lips. Gryph. aliis: nec video, cur prorsus damnetur. Operiendis his reliquiis infamia Pæti tegebatur quodammodo. Sed tamen antecedentibus *angebatur* aptius videtur. Vir doctus in ed. Gryph. correxerat *agebatur:* frustra. ERN.

Operire reliquias malæ pugnæ imperavit] *Operire* MS. Guelf. Bud. a 1. m.) edd. vett. omnes. *Operiri* edd. Lipsii male. Vid. ad c. 2. extr. ERN.

Tiberius Alexander] Qui Procurator Judææ post Caspium Fadum. Idem antea Alexandriæ Alabarches. Josephus 20, 5. LIPS. Mox Ægypto præfectus. H. 1, 11. 2, 79. filius Alexandri, Alabarchæ Alexandriæ. teste Josepho A. 20, 3. qui Philonis Judæi frater. ib. 18, 10.

Minister bello datus] i. e. adjutor, exactor, arbiter adjunctus a Nerone. V. Gronov. Obs. 2, 20. ERN.

Vivianus] MS. Flor. ed. pr. *Vinianus:* quod cum J. Gron. verum puto. MS. Agr. *Vimanus*, idem est: *ni* mutatum in *m.* MSS. plures ap. Broterium, Guelf. edd. inde a Puteol. *Vivianus.* ERN. Bud. *Vivanus.*

Nondum Senatoria ætate] Quæ est annus vigesimusquintus, ut alibi monui. LIPS.

Honore ejus] *Honori* emendavit Lipsius, Pichena recepit. Atqui H. 1, 44. *non honore Galbæ.* Adde Observ. 4, 16. GRON. Bip. quoque recepere *honori.* Bud. *honore.*

Dextras miscuere] Quod apud Persas sanctissimi fœderis. Josephus 18, 9. Ὁ δὲ Ἀρτάβανος τούς τε πατρῴους Θεοὺς ἐπώμνυτο, μηδὲν κακὸν δράσειν αὐτοὺς . . . καὶ τὴν δεξιὰν ἐδίδου. ὅπερ μέγιστον παρὰ πᾶσι τοῖς ἐκείνῃ βαρβάροις παράδειγμα τοῦ θαρσεῖν γίνεται τοῖς ὁμιλοῦσιν. Οὐ γὰρ ἂν ψεύσαιτό τις δεξιῶν ὑπ' αὐτοῦ δόσεως γενομένης, οὐδὲ πιστεύειν ἐνδοιάσειεν, εἰ τοιᾶσδε ἀσφαλείας δόσις γένοιτο, παρὰ τῶν ἐν ὑποψίᾳ ἀδικήσειν καθεστηκότων. Firmat Gemistus Plethon l. 2. De rebus Græc. *Persarum rex Mentorem, quod dextram dedisset, (maxima enim hæc apud Persas fides) conservavit.* LIPS.

A. U. 817. A. C. 64. miscuere. Exin Romanus laudat juvenem, *omissis præcipitibus, tuta et salutaria capessentem.* Ille *de nobilitate generis* multum præfatus, cetera temperanter adjungit: *Iturum*
29 *quippe Romam, laturumque novum Cæsari decus, non adversis Parthorum rebus supplicem Arsaciden.* Tum placuit, Tiridaten ponere apud effigiem Cæsaris insigne Regium, nec nisi manu Neronis resumere: et conloquium osculo finitum. Dein paucis diebus interjectis, magna utrimque specie, inde eques compositus per turmas, et insignibus patriis, hinc agmina legionum stetere, fulgentibus aquilis signisque et simulacris Deum, in modum templi. Medio tribunal sedem curulem, et sedes effigiem Neronis, sustinebat. Ad quam progressus Tiridates, cæsis ex more victimis, sublatum capite diadema imagini subjecit: magnis apud cunctos animorum motibus; quos augebat insita adhuc oculis exercituum Romanorum cædes aut obsidio. *at nunc versos casus: iturum Tiridaten ostentui gentibus, quanto minus quam captivum?*
30 Addidit gloriæ Corbulo comitatem epulasque: et ro-

Signisque et simulacris Deum] Videnda, si lubet, quæ de signis in Militia scripsi. Multa et varia fuerunt et clypeis imaginibusque ornata; et ideo sic disposita et erecta comparat cum *Deum templo.* Ita enim distinguendum videtur: quia simulacra etsi Deorum ibi fortasse, pleraque tamen Principum erant, et qui rerum tunc potiebantur. Nisi quis censet, ad ornatum, in sollenni illa velut pompa, etiam statuas Deorum adhibitas et dispositas: quod in aliorum arbitrio et opinatione relinquo. Lips. Immo *simulacris Deum* conjungendum. Dii in signis culti, et inter eos Cæsarum imagines. Unde apud Manilium 1, 797. Augustus dicitur Julium Cæsarem per signa videre, magnumque Quirinum in cœtu Divum: quod huc referebat Rupertus in epist. Reines. p. 670. Ern. Humani quid hic passus Rupertus. Ex mente Manilii *per signa* cœlestia *Tonantem socium* habet *Augustus, cælum regens.* Saniora dat Stewech. ad Veget. 2, 6. p. 122.

Sedes effigiem Neronis] De ea re Dio in Eclogis nuper publicatis (in ed. Reim. 62, 23.) Ἀλλὰ καὶ βῆμα ὑψηλὸν ἠγέρθη. Καὶ ἐπ' αὐτοῦ εἰκόνες τοῦ Νέρωνος ἐστάθησαν. Similis sedes sive suggestus etiam Romæ in castris Prætoriis. Tacitus H. 1, 36. *In suggestu, in quo paullo ante aurea Galbæ statua fuerat, medium inter signa Othonem collocant.* Ergo statua hæc, ut apparet, in sede: exemplo scilicet Deorum, qui sic plerumque ficti. Plinius Paneg. 52. *Jamdudum illi radiatum caput, et media inter Deos sedes, auro staret aut ebore.* Lips.

Cæsis ex more victimis] Eum morem suggerunt Claudianus De laud. Stilic. 1, 59. —*penetralibus ignem Sacratum rapuere adytis, rituque juvencos Chaldæo stravere Magi. Rex ipse micantem Inclinat dextra pateram, secretaque Beli Et vaga testatur volventem sidera Mithram.* Et Sidonius Paneg. Leonis (vel Anthemii bis Cos.) v. 83. —*Magis juratur ab illis Ignis et unda Deus. nec non rata pacta futura Hic Divos testatur avos. Chaldæus in extis Pontificum de more senex arcana peregit Murmura.*—Strabo etiam aliquid de ritu victimas immolandi l. 15. p. 732. Μερίσαντος δὲ τοῦ μάγου τὰ κρέα τοῦ ὑφηγουμένου τὴν ἱερουργίαν, ἀπιᾶσι διελόμενοι, τοῖς Θεοῖς οὐδὲν ἀπονείμαντες μέρος. Τῆς γὰρ ψυχῆς φασι τοῦ ἱερείου δεῖσθαι τὸν Θεὸν, ἄλλου δὲ οὐδενός. Ὅμως δὲ τοῦ ἐπίπλου τι μικρὸν τιθέασιν, ὡς λέγουσί τινες ἐπὶ τὸ πῦρ. Docte ergo de omento Catullus inseruit c. 90. *Gnatus ut accepto veneretur carmine Divos, Omentum in flamma pingue liquefaciens.* ut ante me vulgavit magnus filiarum Mnemosynes antistes. Lips.

Et rogitante Rege caussas] Videtur edidisse Tacitus *rogitantem Regem.* Id enim requirunt his respondentia, *admiratione prisci moris adjecit.* Gron.

gitante Rege caussas, quotiens novum aliquid adverterat: ut, initia vigiliarum per Centurionem nuntiari, convivium buccina dimitti, et structam ante Augurale aram subdita A. U. 817. A. C. 64.

Per Centurionem nuntiari] Qui vigilias ordine obibant. H. 2, 29. *Varus, deflagrante paullatim seditione, addit consilium, vetitis obire vigilias Centurionibus, omisso tubæ sono, quo miles ad belli munia cietur.* Obibat ergo Centurio, et rediens nunciabat Duci recte habere. Polybium vide 6, 34. Lips. *Nunciari* edd. pr. Rhen. (e Bud.) sqq. omnes. At mediæ et MS. Guelf. *enunciari*. Ern.

Convivium buccina dimitti] Circuivi olim hunc ritum, non tetigi. At nunc in manum mihi dat Polybius 14, 3. ***Est ea Romanis consuetudo, ut tempore convivandi, cuncti tubicines ac buccinatores ad tentorium Ducis personent, ad hoc, ut nocturnas custodias suis locis per id temporis constituant.*** O locum opportunum, et huic rei unicum! e quo etiam Livio lux, qui morem hunc, sed obscurius, tangit 30, 5. *Tribunis edicit, ut, ubi Prætorio dimisso signa concinuissent, extemplo educerent e castris legiones. Ita, ut imperaverat, signa sub occasum solis efferri sunt cœpta.* Scribit uterque de Scipionis astu, quo castra Syphacis clam invasit. Germanorum principum mos nescio an originem trahat istinc. Certe receptum Dynastis etiam hodie, ut convivium ineant ad sonum tubæ. Quod ipsum Alexandrum Macetam fecisse observo, ex Athenæo 12, 9. Ἐγίνετο δὲ τὰ δεῖπνα πρὸς σάλπιγγα, τότε μὲν ἐν τοῖς γάμοις, καὶ ἄλλως δὲ ἀεὶ, ὅτε τύχοι σπενδοποιούμενος, ὥστε πᾶν εἰδέναι τὸ στρατόπεδον. At enim, quia hic de fine et de buccina tantum, videsis me in Militia Rom. Dial. 5, 9. propius certiusque hæc explicantem. Lips. Athenæus 4, 2. ἕως ἐσάλπισε τὸ εἰωθὸς τοῦ τελευταίου δείπνου σημεῖον. Τοῦτο γὰρ τὸ Μακεδονικὸν οἶσθα ἔθος ἐν ταῖς πολυανθρώποις εὐωχίαις γινόμενον. Gron.

Structa ante auguralem] Hæsi et in hoc loco olim: quem nunc quidem perambulo levi pede. Lego: *structam ante augurale aram.* Non enim vult structum aliquid accensumve ante aram fuisse (non ille mos) sed in ipsa, quam collocat ante augurale, locum in dextra Prætorii parte, ut docuimus ex Hygini verbis 2, 13. Sed quis iste ritus? nisi fallor, ille ipse qui in privatorum etiam conviviis, carpendi aliquid e dapibus et libandi in honorem Deorum. hoc tamen discrimine, quod vulgo in focum libamenta ea illata, sedem scilicet Larium: hic in aram, paullo angustius, et pro splendore Imperatoris. Et de libatione quidem varii testes: proprie ad hunc morem isti, Homerus in Achillis convivio 9, 219. — Θεοῖσι δὲ θῦσαι ἀνώγει Πάτροκλον ὃν ἑταῖρον. Ὁ δ' ἐν πυρὶ βάλλε θυηλάς. Dionysius Antiq. 4. 2. Ἀπὸ τῆς ἑστίας τῶν Βασιλέων, ἐφ' ἧς ἄλλας τε συντελοῦσι Ῥωμαῖοι ἱερουργίας, καὶ τὰς ἀπὸ τῶν δείπνων ἀπαρχὰς ἁγίζουσι. Plutarchus de Fort. Rom. c. 19. p. 323. facit Ocrisiam ἀπάργματα καὶ λοιβὴν λαμβάνουσαν ἀπὸ Βασιλικῆς τραπέζης, καὶ . . . ὥσπερ εἰώθει, τῷ πυρὶ ἐπιβάλλουσαν. Silius pulcherrime 7, 182. *Distinxit dulces epulas, nulloque cruore Polluta castus mensa Cerealia dona. Attulit, ac primum Vestæ detersit honorem Undique, et in mediam jecit libamina flammam.* Persius in patella poni et deferri solere ostendit 3, 26. — *cultrixque foci secura patella.* Ubi vetus interpres: *Quia delibantiæ* (puto, *delibatæ*) *dapes in ea positæ ad focum feruntur.* Inde *patellarii Dii* Plauto Cistell. 2, 1, 46. inde Varroni scriptum: *Deos colere, et dare in patellam* μικρὸν κρέας. Tibullus huc aspexit, Lares compellans 1, 1, 36. *Adsitis Divi, nec vos e paupere mensa Dona, nec e parvis spernite fictilibus.* Etiam Livius 39, 43. *Inter pocula atque epulas, ubi libare Diis dapes et bene precari mos esset.* Denique Horatius Sat. 2, 6, 66. —*vernasque procaces, Pasco libatis dapibus.* satyrice et ambiguo sensu. sive quia non pasceret vernas, nisi prius libatis dapibus: sive quia e libatis dapibus. Et hoc postremum, ut religio poetæ fuit, magis censeam ex ejus mente. Non enim semper comburi libamenta ea mos, sæpe apponi tantum, et mox edi. Artemidorus hoc clare notat de sacrificulis eo cibo se sustentantibus 3, 3. Lips. Rectissime Lipsius. Unde merito hæc emendatio recepta a sequentibus editoribus. *Structam* etiam habent MSS. Flor. Guelf. Agr. edd. omnes ante Rhen. qui (e Bud.) male *structa* dedit, cum deberet *augurale*, pro *auguralem*, quod est in omnibus scr. et edd. ante Pichenam. Ern. Bud. *auguralem.*

A. U. face accendi: cuncta in majus adtollens, admiratione prisci
817. moris adfecit. postero die *spatium oravit, quo, tantum itine-*
A. C. *ris aditurus, fratres ante matremque viseret:* obsidem interea
64.
31 filiam tradit litterasque supplices ad Neronem. Et digres-
sus, Pacorum apud Medos, Vologesen Ecbatanis reperit,
non incuriosum fratris: quippe et propriis nuntiis a Cor-
bulone petierat, *ne quam imaginem servitii Tiridates perfer-
ret: neu ferrum traderet, aut complexu provincias obtinentium
arceretur foribusve eorum adsisteret: tantusque ei Romæ,
quantus Consulibus, honor esset.* Scilicet externæ superbiæ
sueto non inerat notitia nostri: apud quos vis Imperii valet,
inania transmittuntur.

32 Eodem anno Cæsar nationes Alpium maritimarum in jus
Latii transtulit. Equitum Romanorum locos sedilibus

Cuncta in majus attollens] Sic MSS. Flor. (Agr. Bud.) Guelf. edd. vett. omnes. Recentiores, jam Lipsianæ, *extollens*, e Rhen. sec. Ego vetus secutus sum. H. 2, 90. 3, 9. est *laudibus attollere*, et alibi quoque apud nostrum pro *extollere* dicitur. Ern.

Postremo die] Forte, *postero*. Nam noctem eam mansit, uti apparet ex vigiliis nunciatis. Lips. *Postero* MS. Flor. edd. pr. Beroald. Alc. Pichen. et seqq. *Postremo* MSS. Guelf. Bud. ed. Puteol. Rhen. et seqq. usque ad Pichenam. Nos illud cum Lipsio probamus: placebatque N. Heinsio. Ern. *Postremo* tuetur Rhen. ad totum tempus scil. respiciens, quo semel iterumque congressi sunt.

Neu ferrum traderet] Persæ enim et Parthi omnes semper de more cincti. Ammianus 3, 6. *Omnes promiscue vel inter epulas festosque dies gladiis cincti cernuntur. quem Græcorum veterum morem primos abjecisse Athenienses, Thucydides est auctor.* At de ritu ponendi apud Magistratus ferri, in Electis mihi dictum, cap. de lictoribus. Lips.

Aut complexu] Duplex ritus. Priorem illustro e Spartiani Severo, de quo Legato Africæ c. 2. *In ea legatione, cum eum quidam municipum suorum Leptitanus, præcedentibus fascibus, ut antiquum contubernalem ipse plebeius amplexus esset, fustibus eum sub elogio præconis cecidit. Legatum Populi Rom. homo plebeius temere amplecti noli.* Interdicti ergo provinciales complexu. Sed nec in fores statim illis aditus; uti eleganter Salvianus de Gubernat. 3, 82. *Intra januas non modo illustrium potestatum, sed etiam Præsidum aut Præpositorum, non omnes passim intrare præsumunt, nisi quos aut judex vocaverit, aut negotium traxerit, aut ipsa honoris proprii dignitas introire permiserit; ita ut, si quispiam fuerit insolenter ingressus, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua verecundiæ atque existimationis suæ labe multetur.* Quod augendæ dignitati usurpatum a Præsidibus; uti privatim a quibusdam per superbiam Romæ. Lips.

Tantusque ei Romæ] *Ei* ex Flor. a Pichena additum, quod est etiam in ed. pr. (Contra deest in Bud.) Mox *inerat* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. J. Gron. Ceteri *erat*. *Vis* porro *imperii* MS. Flor. teste J. Gronovio, scil. in excerptis, quibus usus est Ryckius. Mirum, Pichenam, qui conjiciebat legendum esse *vis*, id in codice Flor. non vidisse. Sed ita in MSS. scribitur *jus* et *vis*, ut facile etiam a legentibus permutentur. In codice quidem Agr. *vis* esse testatur Ryckius. In meis libris omnibus est *jus*. Sed *vis* verum est, nam opponuntur *inania:* ideoque cum Freinsh. Gron. Ryckio secutus sum. Vid. Heins. ad Velleium p. 258. Ern. In Bud. Rhen. legit *jus*. Dubia lectio est. Magis videtur *vis* legendum.

Equitum Rom. locos] Recte et ordine capienda hæc legendaque, ne cum aliis abeas errabundus. Ita autem in circo sedendi (nam de theatro alius mihi locus) res fuit. Ad Augusti ævum spectaculum id Senatus, Eques, Plebes inibant indiscreti. Nam Roscia lex et Julia theatralis, de scena tantum caverant, non de curulibus ludis. Qui quoniam antiquissimi, religione quadam, censeo, et simul non alienandæ plebi, servatus in iis mos

plebis anteposuit apud circum. namque ad eam diem indi- A. U.
screti inibant, quia lex Roscia nihil, nisi de quatuordecim 817.
ordinibus, sanxit. Spectacula gladiatorum idem annus ha- A. C. 64.
buit, pari magnificentia ac priora. Sed feminarum inlustrium Senatorumque plures per arenam fœdati sunt. C. A. U.
Lecanio, M. Licinio coss. acriore in dies cupidine adige- 818. A. C. 65.

priscus. Cornelio Cinna demum et Valerio Messalla coss. a. u. 758. mutavit Augustus. Dio 55, 22. Καὶ τὰς ἱπποδρομίας χωρὶς μὲν οἱ βουλευταὶ, χωρὶς δὲ οἱ ἱππεῖς ἀπὸ τοῦ λοιποῦ πλήθους εἶδον, ὃ καὶ νῦν γίγνεται. Sed ita, ut saltem juberet seorsim spectare Senatum, seorsim Equitem: non tamen loca illis certa adsignaret stataque. Itaque in alia atque alia regione circi spectabant (sedilibus videlicet his aut illis a plebe occupatis) donec tollendæ confusioni Claudius Imp. Senatui attribuit certam mansuramque sedem. Suet. 21. *Circo maximo, marmoreis carceribus auratisque metis . . . exculto, propria Senatoribus constituit loca, promiscue spectare solitis.* Ait promiscue: magis vere proprieque, vage. Eam enim Suetonii mentem esse, libens Dioni concredo, rem eam explicanti cum cura, 60, 7. Ἑώρων μέν που καὶ πρότερον ἐν αὐτῷ (de circo prædixit) ἰδίᾳ καὶ κατὰ σφᾶς ὡς ἕκαστοι, τό, τε βουλευτικὸν καὶ τὸ ἱππεῦον καὶ ὁ ὅμιλος, ἀφ' οὗπερ τοῦτ' ἐνομίσθη. Οὐ μέντοι καὶ τεταγμένα σφίσι χωρία ἀπεδέδεικτο. Ἀλλὰ τότε ὁ Κλαύδιος τήν τε ἕδραν τὴν νῦν οὖσαν τοῖς βουλευταῖς ἀπέκρινε. Καὶ προσέτι τοῖς ἐθέλουσι σφῶν ἑτέρωθί που, καὶ ἐν γε ἰδιωτικῇ ἐσθῆτι θεάσασθαι, ἐπέτρεψε. Sed Claudius Senatui tantum; Equiti ecce nunc Nero. Sueton. 11. *Circensibus loca Equiti secreta a ceteris tribuit.* Plinius 8, 7. satis ostendit nova exædificata ea loca fuisse: *Cæsar Dictator*, inquit, *euripis arenam circumdedit, quos Nero Princeps sustulit, Equiti loca addens.* Quod in fine verborum Dionis est, nolim negligas. Nam etiam post loca divisa promiscue licuit spectare Senatoribus, sed in veste, ut ait, privata. Exemplum in Plinio epist. 9, 23. ubi Corn. Tacitus hic ipse noster in Equestribus spectat, etsi Senator. *Numquam majorem*, ait Plinius, *cepi voluptatem, quam nuper ex sermone Corn. Taciti. Narrabat, sedisse se circensibus proximum Equiti Rom.* etc. Hæc satis ad Taciti mentem: nam de linea, de cancellis, de loco feminarum alibi dico ubertim. Lips. *Sedilibus*, quod induxit Rhen. (e Bud.) etiam ed. pr. habet. Ern. 33

Indiscreti inibant] Sic infra: *Inisse eum domesticam scenam.* Lips. *Inibant* etiam MS. Guelf. (Bud.) Edd. ante Rhenanum omnes *ibant*. Post *priora* ante Rhen. (qui e Bud.) ed. pr. Ceteræ et MS. Guelf. *priori*. Ceterum id intelligendum de iis, quos XIV. gradus non capiebant, in tantum aucto Equitum numero. Ern.

Feminarum inlustrium Senatorumque] Cur invertitis, censores? Non enim, inquiunt, probabile, feminas descendisse in arenam. Boni viri, quam bene sentiunt de sexu, quo nihil abruptius, cum semel frenum excussit ingeniti pudoris! Sed discite et credite priscis, non in caveam solum feminas venisse, sed in arenam. Juvenalem omitto Satyra 6, 255. sq. Suetonius ecce in Domit. 4. *Venationes gladiatoresque et noctibus ad lychnuchos dedit: nec virorum modo pugnas, sed et feminarum.* Et Statius de iisdem ludis Silv. 1, 6, 53. *Stat sexus rudis insciusque ferri, Et pugnas capit improbus viriles. Credas, ad Tanaim ferumque Phasim Thermodontiacas calere turmas.* Adeoque id verum et vulgatum, ut Severo imperante cavendum SC. fuerit μηκέτι μηδεμίαν γυναῖκα μονομαχεῖν. ait in Severo Xiphil. 75, 16. Lips. Hæc opposita Rhenano, qui edidit *f. i. s. filiorum plures.* e MS. Bud. ut puto. (Sic est.) *Filiorum* etiam Guelf. habet: idque editum usque ad Lipsium: abest ab omnibus ante Rhen. edd. Gruterus autem pro *feminarum* legendum putat *familiarum*. Audiendus Lipsius. Ern. De *nobilibus funera sua vendentibus* vide et Juven. 8, 192. Cf. et 14, 14. ap. nostrum.

C. Lecanio] Ap. Plin, 26, 1. (4.) vocatur *Q.* nam non videtur ab hoc diversus ille. Sed hic constanter omnes libri *C.* In utro vitium sit, haud facile dictu. Quæ ibi in nota de hoc Lecanio e Dalecampio repetuntur ab Harduino, corrigi possunt e Ryckio ad h. l. aut Lambecio Bibl. Vindob. 2, 7. Ern.

Cupidine adigebatur] Lipsius ubi h.

A. U. 818. A. C. 65.

batur Nero promiscuas scenas frequentandi. nam adhuc
per domum, aut hortos, cecinerat, juvenalibus ludis, quos,
ut parum celebres et tantæ voci angustos, spernebat. Non
tamen Romæ incipere ausus, Neapolim, quasi Græcam ur-
bem, delegit: *inde initium fore, ut transgressus in Achaiam,*
insignesque et antiquitus sacras coronas adeptus, majore fama
studia civium eliceret. Ergo contractum oppidanorum vul-
gus, et quos e proximis coloniis et municipiis ejus rei fama
civerat; quique Cæsarem per honorem, aut varios usus se-
ctantur, etiam militum manipuli, theatrum Neapolitanorum
34 complent. Illic, plerique ut arbitrabantur, triste, ut ipse,
providum potius et secundis Numinibus, evenit. nam egres-
so, qui adfuerat, populo, vacuum et sine ullius noxa, thea-
trum conlapsum est. Ergo, per compositos cantus, grates
Diis atque ipsam recentis casus fortunam celebrans, petitu-
rusque maris Hadriæ trajectus, apud Beneventum interim
consedit: ubi gladiatorium munus a Vatinio celebre edeba-
tur. Vatinius inter fœdissima ejus aulæ ostenta fuit, sutri-
næ tabernæ alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus:
primo in contumelias adsumtus; deinde optimi cujusque
criminatione eo usque valuit, ut gratia, pecunia, vi nocendi
35 etiam malos præmineret. Ejus munus frequentanti Neroni,
ne inter voluptates quidem a sceleribus cessabatur. Iisdem
quippe illis diebus Torquatus Silanus mori adigitur, quia,

l. citat ad 14, 15. legit *agitabatur*. An ex ingenio?

Aut hortos] Bud. a. 1. m. *et hortos*. De *juvenalibus ludis* v. 14, 15.

Non tamen Romæ incipere ausus] Sic primus edidit Pichena e recentioribus, deleto *scenas*, e judicio Lipsii (in marg. ed. 2. sqq.) et MS. Flor. At sic dudum ed. pr. Similiter *scenis* deletum, quod post *transgressus* est in MS. Guelf. (Bud.) ed. Rhen. sqq. at non in edd. ante Rhen. Lips. et seqq. Paullo post pro *civerat* Rhen. (e Bud.) Ald. Gryph. *acciverat*. Ern. Scil. prius ut in Bud. legebatur *u. t. R. inc. scenas ausus*. et mox *ut transgr. scenis*.

Arbitrabantur] Bud. *arbitrantur*.

Gladiatorium munus] Sic Pich. e Flor. Ast Rhen. e Bud. *gladiatorum m.*

Vatinius inter fœdissima ejus aulæ ostenta] De hoc sutore Vatinio Martial. 14, 96. *Vilia sutoris calicem monumenta Vatini Accipe, sed nasus longior ille fuit*. cujus epigrammatis argutiam non cepit Turnebus. (Adv. 9, 24.) Ego sententiam puto, cum quattuor nasos oblongos haberet ille Vatinianus calix; tamen longiorem iis fuisse Vatinii nasum. Notatque callide eum, ut acrem et sagacem inquisitorem criminatoremque. Ita enim fuit. Xiphilinus eum, ait 63, 15. adeo hostem optimatibus fuisse, ut semper in ore haberet, *μισῶ σε, Καῖσαρ, ὅτι συγκλητικὸς εἶ*. De populo ipso Juvenalis 5, 46. *Tu Beneventani sutoris nomen habentem Siccabis calicem nasorum quattuor*. Lips. *In contumelias adsumtus*; ut esset inter copreas, ut Suetonius vocat Tib. 61. rideretur-que ab aulicis. Muretus malebat *inter cont.* ita *contumeliæ* pro copreis, quod durum puto. Mox pro *valuit* Acidalius malebat *evaluit*. Deinde *malos* e MS. Fl. bene Pichena: nam hæc constructio Corneliana. Rhen. (e Bud.) cum seqq. dederat *malis*; ut est in ed. pr. (et e. Agr.) Ceteræ ante Rhen. *etiam aliis*. MS. Guelf. *et in aliis præemineret*. Ern. Pricæus ad Apul. Met. 6. p. 325. legit *magis præmineret*. Sed nil mutandum. Ibi Apul. quoque habet *præminentes*.

Torq. Sil.] Consul a. 806. V. 12, 58. Prius Bud. *Isdem* pro *iisdem*, ut solet.

super Juniæ familiæ claritudinem, D. Augustum atavum A. U.
ferebat. Jussi adcusatores objicere, *prodigum largitionibus,* 818.
neque aliam spem quam in novis rebus esse. quin eum homines A. C.
habere, quos ab epistolis et libellis et rationibus adpellet, 65.

D. Augustum atavum] Sic scr. edd. omnes præter Ryckium, qui ex admonitione Ruperti ep. 60. p. 542. ad Reines. et Valesii ad Excerpt. Dionis 62, 27. edidit *abavum.* Fuisse enim fratrem M. et L. Silanorum, abnepotum Augusti, Agrippinæ fraude interfectorum 13, 1. Sed res mihi nondum satis liquida: de qua etiam Reinesius dubitabat. Itaque non ausus sum Ryckium imitari. Ern.

Jussi accusatores obi.] Sic edidi cum Ryckio pro *jussi id,* quod est in MS. Guelf. atque edd. omnibus, præter princ. Etiam in MS. Budensi *id* erat a manu sec. adscriptum. Nec est in Flor. Agr. nec sententia fert. Non enim jussi sunt objicere genus, sed quæ sequuntur. Ern. Bud. *obicere.* sic ubivis *adicere, inicere* etc. quæ forma Ryckio displicet.

Prodigum largitionibus] Heins. forsan *largitionis.* Sed Plin. quoque H. N. 9, 17. (31.) *hoc pisce prodigus.*

Nobiles habere, quos] Nobilium vox mihi suspecta, atque alii examinanti. Qui enim ista tam viles nobiles, qui alteri suæ sortis ad tale officium se submitterent? Imo nec Principes ipsi nobiles ad ea munera habebant, sed libertos. Primus Vitellius (verba Taciti H. 1, 58.) *ministeria Principatus, per libertos agi solita, in Equites Romanos disposuit.* Sed nec ea dispositio firma. vix cœpta abiit: eoque Spartianus c. 22. Hadrianum Imp. quasi primum auctorem ejus rei laudat: *Ab epistolis, a libellis, primus Equites Rom. habuit.* Dionis locus 52, 33. non me movet, oratione Mæcenatis ad Augustum: ubi suadet *ad epistolas et ad libellos adjutores quosdam ex Equitibus adsumi.* Nam id Dio inseruit (ut solet, et alias monui) ad ævi sui morem; atque illinc sumpsit. Sub Augusto certe non sic fuit. Quid ergo ad Taciti nunc locum? corruptum esse, et aut vocem eam *nobiles* exsecandam abjiciendamque esse, male infarctam; aut mutandam, *quin eum nonnullos habere.* Lips. Merito hi *nobiles* suspecti Lipsio. Contra quem qui disputat (Boxhorn.) *Urbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavit Huic nostræ similem.* Nemo enim Principum Augustorum, a primo hujus nominis ad hunc dumtaxat, quemquam ingenuum, nedum nobilem, adeo contempsit, ut ei hujusmodi officium delegaret. Hoc ille non cepisse ostendit sese, cum interpretatur Cæsares, more Principum malorum, ita depressisse veterem nobilitatem. Immo pudor hic erat Principum et suspectus non nobilitatis modo veteris recentisque, sed etiam civium et minimorum de plebe Quiritium, non abuti eis pro servis et libertis: his enim ista mandabantur. Quod igitur ne Princeps quidem audebat, quis tulisset in privato? Sed nec nobilium quisquam re atque existimatione integra vel se vel liberos suos sic abjiciebat, ut non dico apud aliquem inter nobiles clarissimum, sed vel apud Cæsarem, vernarum aut vindicta suorum locum, quamvis lautum et libertinum patrimonium spondentem, subirent aut subire paterentur. Perditi autem et deplorati, ad bestias illi aut cultrum se locare malebant. Itaque, quin sedeat hic ulcus, nihil ambigo. Spartianus de Hadriano l. c. *Ab epistolis et a libellis primus Equites Romanos habuit.* Nemo igitur ante illum. Accedit quod 16, 8. Tacitus hæc ipsa respiciens et quodammodo repetens: *præficeretque rationibus et libellis et epistolis libertos.* Hæc postrema vox, aut aliqua, quæ id genus familiarium significare possit, desideratur. Certum hoc, non arbitrarium, censeo. Quæ vero sit illa, quærendum. Conjiciebam: *Quin eum domi lib. habere.* Illud *domi lib.* (i. libertos, quo compendio passim lapides antiqui.) potuit injuria ævi et per ignorantiam librariorum degenerare in *nobiles.* Gron. Lectio vulgata est a Rhenani conjectura. MSS. vett. edd. habent *qui ne ignobiles* vel *innobiles haberet* vel *habere.* Ryckius conjicit: *quin eum homines habere.* Jac. Gron. rejecta Ryckii conjectura, *quin eum ob id et habere,* quod nemini, ut opinor, placebit. Broterius edidit *nec ignobiles h.* Mihi Ryckii ratio placet magis. Immo et *homines,* pro glossa deleverim. *nobiles* quidem vel *non ignobiles* hic locum non habent, ut e subjecta ratione patet: *nomina summæ curæ* etc. Mox *appellet* ed. pr. Rhen. (e Bud.) et sqq. omnes. At MS. Guelf. Puteol. Ber.

A. U. 818. A. C. 65. *nomina summæ curæ et meditamenta.* Tum intimus quisque libertorum vincti abreptique. Et, cum damnatio instaret, brachiorum venas Torquatus interscidit, secutaque Neronis oratio ex more: *quamvis sontem et defensioni merito diffisum,*
36 *victurum tamen fuisse, si clementiam judicis exspectasset.* Nec multo post, omissa in præsens Achaia, (caussæ in incerto fuere) urbem revisit; provincias Orientis, maxime Ægyptum, secretis imaginationibus agitans. Dehinc edicto testificatus, *non longam sui absentiam, et cuncta in Republica perinde inmota ac prospera fore;* super ea profectione adiit

Alc. vir doctus in marg. Gryph. *appellaret:* quod prope magis placet, sc. ut referatur ad *jussi*, quod imperfectum requirit. Ern. Bud. *qui ne innobiles habere.* Inde Rhen. conjicit *quin eum* vel *quin etiam nobiles habere.* Heins. parum abludit a scripto, conjectans, *quin eum non viles habere.* Magis inde recedunt Bip. vestigia legentes Gronovii et recipientes, *quin eum libertos habere.* Vulgatum tenet Gutherius de Off. dom. Aug. 3, 5. *nobiles* ingenuos intelligens, quorum res arctiores essent. Mihi Ryckii conjectura præferenda videtur, *quin eum homines*, ubi quis pro glossa in margine adjecerit *nobiles,* unde tandem orta vulgata lectio.

Nomina summæ curæ] Jam capio, olim caligavi. Hæc, inquit, nomina *ab epistolis, a libellis*, sunt summæ curæ nomina, id est Imperii et Principatus, nempe ejus meditamenta. Significat, eo ipso quod talia officia et nomenclaturas Torquatus in domo habeat, jam nunc incipere et meditari imperare. Cur enim has imagines ejus usurpat? Nam alii privati *a manu* habent, non ab *epistolis, libellis*, et talia: ac conveniunt in Principes solos. Lips. Quia fere idem per idem interpretantur viri optimi, sic habe: ea esse nomina ministeriorum Principis et quandam Principatus meditationem, prolusionem, mimum. Gron.

Omissa in præsens Achaia] In quam cantandi caussa ivit, et libertate eam donavit, uti Sueton. aliique tradidere. Illud Pausaniæ mirum 7, 17. *Neronem Græciæ libertatem reddidisse, sine ullo Imperii detrimento: quoniam pro ea Sardiniam prædivitem insulam in provinciæ formam redegerit.* Aberrat. et intellegi voluit Alpes Coctianas, quæ solæ cum Ponto Polemoniaco in provinciam a Nerone redactæ. Sardinia quidem, una cum Sicilia, prima provinciarum.

Add. Interpreti hercules succenseo (etsi fido alias et docto, Romulus Amasæus est,) qui me, ut injuste Pausaniam arguerem, fecit. Nam ipsum Græce nuper editum cum vidi (antea numquam fuit copia) verba ejus in aliam sententiam, hæc repperi Ach. 17. καὶ ἐλεύθερον ὁ Νέρων τὴν Ἑλλάδα ἀφίησιν ἁπάντων, ἀλλαγὴν πρὸς δῆμον ποιησάμενος τὸν Ῥωμαίων. Σαρδὼ γὰρ τὴν νῆσον, ἐς τὰ μάλιστα εὐδαίμονα, ἀντὶ Ἑλλάδος σφίσιν ἀντέδωκεν. Quorum verborum vera hæc sententia: *Omnium immunem et liberam Nero relinquit Græciam, permutatione quadam cum Populo Romano facta. Sardiniam enim insulam beatam et uberem pro Græcia ei attribuit.* Ita palam lati erroris illius Pausanias liberatur: qui non hoc vult, ut Sardinia tunc demum provincia sit facta. non hercules, non. sed ut eum populo permutata. Hoc tamen ipsum an vere? ambigas jure. quia Strabo libro ultimo, et Dio 53, 12. Sardiniam jam inde a prima divisione Augusti, collocant inter populares. Quod si mutatum a mediis Principibus, Dionem id non monuisse profecto mirum est. Lips. Mox ed. pr. *caussæ incertæ fuere.* MS. Reg. *machinationibus*, sed cum obelo. Ita Ursinus et Muretus volebant: male. In illius itineris cogitatione nullis machinationibus opus erat. Ern. Acid. quoque rejicit.

Dehinc edicto] *Dehinc* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. ceteræque veteres. *Dein* est a Rhenano, quod in omnibus ceteris est. Pro *edicto* MS. (Bud.) Guelf. ed. pr. aliæque veteres *dicto.* male. Vid. ad 14, 63. *Edicto* primus dedit Rhenanus (ex ingenio). Mox *perinde* bene e MS. Flor. Pichena. Ed. pr. (et Bud. a 1. m.) *in reperiendi.* Ceteri scr. (et Bud. a 2. m.) et edd. *exinde.* Sensus: omnia bene se habitura, non minus, quam si ipse Romæ esset. Ern.

capitolium. Illic veneratus Deos, cum Vestæ quoque tem- A. U.
plum inisset, repente cunctos per artus tremens, seu numine 818.
exterrente, seu facinorum recordatione nunquam timore A. C.
vacuus, deseruit inceptum, *cunctas sibi curas amore patriæ* 65.
leviores dictitans. *Vidisse civium mæstos vultus, audire secretas querimonias, quod tantum aditurus esset iter, cujus ne modicos quidem egressus tolerarent, sueti adversum fortuita adspectu Principis refoveri. Ergo, ut in privatis necessitudinibus proxima pignora prævalerent, ita Populum Romanum vim plurimam habere, parendumque retinenti.* Hæc atque talia plebi volentia fuere, voluptatum cupidine, et, quæ præcipua cura est, rei frumentariæ angustias, si abesset, metuenti. Senatus et primores in incerto erant, procul an coram atrocior haberetur. dehinc, quæ natura magnis timoribus, deterius credebant, quod evenerat.
37 Ipse, quo fidem adquireret, nihil usquam perinde lætum sibi, publicis locis struere convivia, totaque urbe quasi domo uti. Et celeberrimæ luxu famaque epulæ fuere, quas a Tigellino paratas, ut exemplum referam, ne sæpius eadem prodigentia narranda sit. Igitur in stagno Agrippæ fabricatus est ratem, cui superpositum convivium aliarum tractu navium move-

Illic veneratus Deos] Sic MS. Flor. ed. pr. et sic edidit Pichena. Ceteri, *veneraturos.* MS. Guelf. *veneraturus.* Illud quidem (scil. vulgatum) sensus requirit. Ern. Bud. non habet *illic* sed *adiit cap. veneraturus deos.*

Plebi volentia] Sic MSS. Flor. Bud. (a 2. m.) Guelf. edd. vett. nisi quod vitio, ut opinor, operarum in ed. Put. Ber. *valentia.* (sic Bud. a 1. m.) illud restituit bene Pichena illustratque Lipsius ad H. 3, 52. Rhenanus ediderat e conjectura *volenti,* quod elegans, et Taciti stilo conveniens, si a libris scriptis esset, illustraturque ab ipso ad h. l. et aliis passim. sed, ut sæpe dixi, non necesse est, credere, Tacitum semper eodem modo loqui. *Volentia* sunt grata, jucunda. Ern. Græcismus, quem Rhen. requirebat, occurrit 1, 59. H. 3, 43. Agr. 18. placebat et *Ferreto.* Sic et Sall. fr. hist. 4. *Volentia plebi facturus.*

Nihil usquam perinde lætum sibi] Mihi hoc lucet. Vertranium malle, (item Faernum) *nihil usquam periculosum sibi,* insipientia est. Clare hoc ait: Nero, uti reipsa ostenderet, nullum sibi locum præ Roma esse: struxit in publico convivia, etc. Lips. Codices hic turbant. Flor. *locum locis.* Bud. *perinne locum sibi lætum publ. locis.* inde Rhen. conjectura *nihil usquam periculosum sibi, lætus p. l.* etc. Sed ipse vulg. tenet.

Publicis locis struere convivia] Suet. 27. *Cœnitabatque nonnumquam et in publico. Naumachia præclusa, vel Martio campo, vel circo maximo.* Lips. Mox *a Tig. par.* MS. Flor. ed. pr. quæ vera lectio. hinc factum *quasi Tig.* in MS. Guelf. (Bud. a 1. m.) edd. Puteol. Ber. Alc. unde correctione Rhen. factum *quas Tigellino.* Vetus restituit Pichena: et sic notatum in marg. Gryph. Deinde *exemplum referam* MS. Fl. ed. Rhen. seqq. nisi quod Bernecc. Gron. Ryckius *exemplar.* MS. (Bud.) Guelf. et Put. Riv. *exemplum feram.* Beroald. Alc. *exempla referam.* unde *exemplar* natum. Ern.

Famaque] Cod. Agr. *infamiaque.* glossa.

In stagno Agrippæ] Cujus mentio Straboni; itemque nemoris, de quo hic, l. 13. p. 590. de Lampsaco: Ἐντεῦθεν δὲ μετήνεγκεν Ἀγρίππας τὸν πεπτωκότα λέοντα, Λυσίππου ἔργον. Ἀνέθηκε δὲ ἐν τῷ ἄλσει τῷ μεταξὺ τῆς λίμνης καὶ τοῦ Εὐρίπου. Ammianus, puto, idem intellexit 29, 6. *Inter quæ porticum excitavit ingentem lavacro Agrippæ contiguam, Boni Eventus cognomine.* Lips.

Aliarum tractu navium] Sic atque hoc ordine verba in ed. pr. haud dubie

A. U. 818. A. C. 65. retur. naves auro et ebore distinctæ: remigesque exoleti per ætates et scientiam libidinum componebantur. volucres et feras diversis e terris et animalia maris Oceano abusque petiverat. crepidinibus stagni lupanaria adstabant, inlustribus feminis completa. contra scorta visebantur, nudis corporibus. jam gestus motusque obsceni: et, postquam tenebræ incedebant, quantum juxta nemoris, et circumjecta tecta, consonare cantu et luminibus clarescere. Ipse, per licita atque inlicita fœdatus, nihil flagitii reliquerat, quo conruptior ageret, nisi paucos post dies uni ex illo contaminatorum grege, cui nomen *Pythagoræ* fuit, in modum solennium conjugiorum denupsisset. Inditum Imperatori flammeum: visi Auspices, dos et genialis torus et

suavius, quam quod post Pich. (e Flor.) editur *convivium navium a. t. Navium* non est in MS. (Bud.) Guelf. a pr. man. sed a sec. in margine: abest item ab ceteris edd. ante Pich. Putavi posse intelligi *ratium*, propter verbum *aliarum*. Broterius putat, me ignorasse rates; nec ratem a rate agi posse. Immo bene novi et vidi rates: et intellexi non rates vulgari, sed poetarum sensu, in primis *naves actuarias*, quas in rate majori movenda commemorat Livius 21, 28. nam statim post diserte *naves* appellantur. Quia *aliarum*, servato *navium*, durius est, forte quis putet verum esse *actuariarum*. Mox pro *maris Oc. a. u.* Heinsius malebat *mari Oc. a. u.* Verum puto. Non animalia marina petiverat, sed terrestria. Si marinas ex Oceano belluas, quæ stagno innarent, dixisset *animalia maris Oceani*, sive e *mari Oceano*, non *Oceano ab usque*. Ern. Duri quid habeat vulg. lectio, non video. nec mutandum quidquam censeo. *rates* et *naves* synonymæ sunt, *ratis* ergo *aliarum tractu navium* bene *mota* dicitur. *Multarum* malebant Bip. Sed, si multæ sunt, aliæ sunt. Potest ratis alio quoque modo moveri, puta contis, remis, quod hic non factum indicatur.

Inlustribus feminis completa] Corrigo in hac sententia Sueton. 27. *Insignes ganeæ et matronarum institorio copas imitantium*, legoque, *institoria*, pro locis ipsis. Lips.

Et contra] *Et* non habet Bud. Bene abest.

Nudis corporibus] Ita receptum in prostitutis, ut nudæ ostenderent quidquid sui. Juvenalis 6, 122.—*tum nuda papillis Constitit auratis.* Lampridius Eligab. 26. *Et, cum ad meretrices habitu muliebri processisset, papilla ejecta.* Optime omnium Dio, in eodem monstro 79, 13. Γυμνός τε ἀεὶ ἐπὶ τῆς θύρας αὐτοῦ ἑστὼς, ὥσπερ αἱ πόρναι, καὶ τὸ σινδόνιον χρυσοῖς κρικοῖς ἐξηρτημένον διασείων, τούς τε παριόντας ἁβρᾷ τε καὶ κεκλασμένῃ τῇ φωνῇ προσεταιριζόμενος. Lips.

Et, postquam tenebræ incedebant] Sic omnes scr. (et ipse Bud.) et edd. At Rhenanus et Heinsius ap. Ryckium malunt *incidebant*. Male. *Incedebant* est oriebantur, ingruebant, se intendebant, uti Livius loquitur 1, 57. Vide 3, 26. Etiam ap. Silium 8, 339. hoc genus loquendi tentatum est ab Heinsio et Drakenb. qui tamen mutat sententiam, et *incedere* ibi et h. l. defendit ad Liv. l. c. Ern.

Cui nomen Pythagoras] At Doryphorum vocat Suetonius 29. facitque eum Neronis libertum. Enimvero errare Tranquillum aio, quoniam Doryphorus ante mortuus. Tacitus 14, 65. *Eodem anno potissimos libertorum veneno interfecisse creditus est: Doryphorum, ut adversatum nuptiis Poppææ.* A Tacito etiam Dio stat 62, 28. Lips. Sed Suetonius in alia re Doryphorum memorat. Et potuit alius hoc nomine esse. Ern. *Pythagoram* Sulp. quoque Severus adpellat.

Missi auspices duo] E Sulpicio Severo, qui locum hunc transscripsit, aperte leg. videtur *auspices, dos et gen.* Melius etiam *visi*, quam *missi*. Verba Sulpicii l. 2. *Inditum Imperatori flammeum, dos et genialis torus et faces nuptiales: cuncta denique, quæ vel in feminis non sine verecundia conspiciuntur, spectata.* Victor de hac re c. 5. *Amictus nubentium virginum specie, palam Senatu, dote data, . . . in manum convenit.* Sed et in Suetonio 28. mentio dotis: nec hercle in his legiti-

faces nuptiales: cuncta denique spectata, quæ etiam in femina nox operit. A. U. 818.

38 Sequitur clades, forte, an dolo Principis incertum: nam utrumque auctores prodidere: sed omnibus, quæ huic urbi per violentiam ignium acciderunt, gravior atque atrocior. Initium in ea parte circi ortum, quæ Palatino Cælioque montibus contigua est: ubi per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, simul cœptus ignis et statim validus, ac vento citus, longitudinem circi conripuit. neque enim domus munimentis septæ, vel templa muris cincta, aut quid aliud moræ interjacebat. Inpetu pervagatum incendium plana primum, deinde in edita adsurgens, et rursum inferiora populando, anteiit remedia velocitate mali, et obnoxia urbe artis itineribus hucque et illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. Ad hoc lamenta paventium feminarum, fessa senum ac rudis pueri- A. C. 65.

mis nuptiis omitti debuit. LIPS. *Dos* firmat etiam MS. Fl. ap. J. Gron. ad h. l. nec de eo dubitandum. in MS. Guelf. *duos* est a sec. manu: in litura sunt *uo*, ultima in non rasa charta; sed duas literas erasas et ultimam *s* fuisse apparet. *Visi* est e conjectura Rhenani, quam recepere Bernecc. Gron. uterque, Ryckius. scripti et edd. vett. *misit*, recentiores quidam, ut Lipsius, *missi*. *Visi* verum esse non credo, quia statim sequitur *spectata*. Jac. Gronovius conjiciebat *instita*. non male. Heinsius in margine Morell. plane delebat *missi* vel *misit*. ERN. Bud. *misit auspices Deos*. Vix est, ut non adsentiar Hillero, qui Rac. 21. verba *visi auspices* prorsus expungit, quippe a Severo omissa, qui presso pede hic Tacitum sequitur.

An dolo Pr. incertum] Adserunt hoc clare Suet. 38. et Dio 62, 16.

Gravior atque atrocior] Bud. *gravius atque atrocius*.

Per tabernas, quibus] Nam ibi, id est, in Velabro olearii. Plautus Capt. 3, 1, 29. *De compacto rem gerunt, quasi in Velabro olearii*. Ideo a Victore in regione 11. circi maximi, locata ædes *Herculis Olivarii*. Sed et Thurarius vicus istic. Denique purpura, serica, aliæque merces. Martialis 11, 28. *Nec nisi prima velit de Thusco vellera vico*. LIPS. Videtur tabernas intelligere extra circum in vico. At ego intelligo tabernas, quæ in parte externa circi fuere, auctore Dionysio Halic. 3, 68. p. 201. ἔξωθεν περὶ τὸν ἱππόδρομον ἑτέρα στοὰ μονόστεγος, ἐργαστήρια ἔχουσα ἐν αὐτῇ, καὶ οἰκήσεις ὑπὲρ αὐτά. Officinæ hic quidem, sed et hæ tabernæ, in hisque materia alendo igni. Clarum est locum Taciti inspicienti accurate, in ipso circo cœptum incendium, et quidem in tabernis, quæ in ea parte circi essent. ERN.

Et rursum] Rursus absque copula. Bud. *Et rursus* Flor.

Enormibus vicis] Livius 5, 55. post Gallicum incendium, id excusat. *Festinatio curam exemit vicos dirigendi, dum omisso sui alienique discrimine, in vacuo ædificant*. et addit, *formam urbis esse occupatæ magis, quam divisæ similem*. LIPS. Mox *ad hoc* ed. pr. Rhen. (e Bud.) seqq. at MS. Guelf. edd. Put. Ber. *adhæc*, quod eodem redit. ERN.

Fessa ætate aut] Sentio corruptionem et amolior: *Fessa, aut rudis pueritiæ ætas*, superfluenti voce inducta. Describit in incendio infirmi sexus pavorem et ætatis. Ætas infirma duplex, pueritia, senectus. Hanc noster vocat fessam. 14, 33. *Si quos imbellis sexus aut fessa ætas attinuerat*. H. 1, 12. *Fessa jam ætate Galbæ*. Annal. 1, 46. *An Augustum fessa ætate totiens in Germaniam commeare potuisse?* LIPS. Varie tentatus locus. Ryckius e cod. Agr. dedit *fessa senum ac rudis pueritiæ ætas*: cui favet cod. Ursini, in quo erat *fessa ætate senes*. At J. Gronovius repudiat ob similitudinem constructionis: mavultque deleri *ætas*. Id argumentum nihili est. Nam similitudinis istius plura in Tacito haud corrupta exempla occurrunt. Ceterum, quia illius codicis suspecta fides, non ausus sum Ryckium imitari,

A. U. 818 A. C. 65. tiæ ætas, quique sibi, quique aliis consulebant, dum trahunt invalidos, aut opperiuntur, pars morans, pars festinans, cuncta impediebant: et sæpe, dum in tergum respectant, lateribus aut fronte circumveniebantur: vel, si in proxima evaserant, illis quoque igni correptis, etiam, quæ longinqua crediderant, in eodem casu reperiebantur. Postremo, quid vitarent, quid peterent ambigui, complere vias, sterni per agros: quidam amissis omnibus fortunis, diurni quoque victus, alii caritate suorum, quos eripere nequiverant, quamvis patente effugio, interiere. Nec quisquam defendere audebat, crebris multorum minis, restinguere prohibentium, et quia alii palam faces jaciebant, atque esse sibi auctorem vociferabantur: sive ut raptus licentius exerce-
39 rent, seu jussu. Eo in tempore Nero, Antii agens, non ante in urbem regressus est, quam domui ejus, qua palatium et Mæcenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret. Neque tamen sisti potuit, quin et palatium et domus et cuncta circum haurirentur. Sed solatium populo exturbato et profugo campum Martis ac monumenta Agrippæ;

ut fecit Broterius. Neque porro video, quare J. Gronovius senes feminas tantum intelligi velit. Immo senes universi et ætas tenera cuncta impedimento erant. Pichenæ placebat *fessa annis, aut r. p. æ.* Lector eligat. Post pro *pars morans* in MSS. Flor. et Reg. *pars mora:* quod non displicet. Ern. Optima mihi visa lectio cod. Agr. Nec obstat, quod is codex passim sit interpolatus; non raro enim plane babet egregia. Freinsh. volebat *fessa ætas aut rudis pueritia.* Bip. codicem Ursini sequuntur. Hiller. Rac. 20. legit *fessæ ætatis aut rudis pueritiæ* (deleto *ætas*). Bud. vulgatum servat *fessa etate aut rudis pueritie etas.* nisi quod pro *fessa* habet *fexa,* ut sæpe hac duplici utitur. Idem mox *pars morans.*

In eodem casu reperiebantur] Aut delendum est *τὸ etiam,* ut sit, *illis quoque igni correptis, quæ longinqua crediderant;* aut scribendum, *reperiebant,* hoc sensu: illi ipsi, qui evaserant in proxima, quæ tuta putabant, ubi viderunt, se frustra gavisos et instare ignem, properarunt ulterius ad quæ non accessurum periculum certe persuasum habebant: sed illa quoque correpta flammis reperiebant. Gron.

Fortunis diurni quoque victus] Vix credam, sic dedisse Tacitum. Qui enim modus loquendi, *fortunæ diurni victus?* An fuit *diurni inopia victus,* aut excidit verbum, unde genitivus penderet? aut *diurno q. victu,* ut placet Broterio? Ern. Bip. arrepta conjectura Ernestii, legunt *diurni inopes victus.* Hiller. l. c. servat vulg. fortunæ scil. facultates sunt omnis generis, adeoque et victus.

Nequiverant] Bud. *nequirant.*

Vociferabantur] Ed. pr. *vociferabant:* et sic correxit manus sec. in MS. Guelf. cum ante fuisset vulgatum. similiter ap. Varr. R. R. 3, 9. *vociferant* magno consensu librorum. sed sæpe in hac voce formam activam librarii dedere. V. Drakenb. ad Liv. 7, 12. 8, 38. Mox MS. Guelf. ed. pr. *jussum.* quod non spernendum videtur. Melius tamen videtur *jussi,* ut Huetius corrigebat. Ern.

Eo in tempore] Grotius corrigebat, *Eo enim tempore:* quod valde placet Broterio. Ern. Sed v. idem 13, 47.

Mæcenatis hortos continuaverat] Horti Mæcenatiani in Exquiliis. Bis autem a Nerone ædificata domus, productaque ad Exquilias ipsas. Suet. 31. *Domum a Palatio Esquilias usque fecit; quam primo transitoriam, mox, incendio absumptam restitutamque, auream nominavit.* Priorem ergo nunc intellege. Lips.

Monumenta Agrippæ] Quæ pluria in eo campo. Vide Dionem 54, 28. Lips. Qualia thermæ, pantheon. In loco Dionis non nisi monumenti sepulcralis Agrippæ fit mentio, quod itidem in campo Martio.

hortos quin etiam suos patefecit: et subitaria ædificia A. U.
exstruxit, quæ multitudinem inopem acciperent: subve- 818.
ctaque utensilia ab Ostia et propinquis municipiis; pre- A. C.
tiumque frumenti minutum usque ad ternos nummos. 65.
Quæ, quamquam popularia, in irritum cadebant, quia pervaserat rumor, *ipso tempore flagrantis urbis, inisse eum domesticam scenam et cecinisse Trojanum excidium, præsentia mala vetustis cladibus adsimulantem.*
40 Sexto demum die, apud imas Esquilias, finis incendio factus, prorutis per inmensum ædificiis, ut continuæ violentiæ campus et velut vacuum cœlum occurreret. Nec dum posito metu, redibat levius

Municipiis] Bud. *beneficiis.* manifesto errore.

Pretiumque frumenti minutum] Apparet ergo, non plane gratuitum frumentum fuisse: nisi tamen intellegit de eo, quod supra annonarium modum supraque menstruam tesseram capiebant. Sane et antea mentio pretii fuit c. 18. ***Frumenti pretio nihil additum est, quamvis ducentas fere naves,*** etc. itemque post hoc libro c. 72. ***Addiditque militibus sine pretio frumentum, quo antea ex modo annonæ utebantur.*** Hæc autem ratio conciliandi favoris pulchre et ex sui sæcli ritu descripta Lucano in Julii persona 3, 54. ***Quoque modo vanos populi conciret amores: Gnarus, et irarum caussas, et summa favoris Annona momenta trahi. namque adserit urbes Sola fames, emiturque metus, cum segne potentes Vulgus alunt. nescit plebes jejuna timere.*** Lips. De ***utensilibus*** dictum ad 1, 70. Ern.

In irritum cadebant] Sic et c. 51. Utrobique Bud. absque præpositione. contra H. 3, 53. habet *in irritum.*

Pervaserat rumor] MSS. Guelf. Harl. ***rumore.*** Ed. pr. ***rumori:*** sive ultima litera e seq. voce adhæsit, sive fuit ***in ipso tempore.*** Sed vulgatum verum puto. (Sic Bud.) Est enim solennis formula dicendi. Vid. Drakenb. ad Liv. 5, 18. Ern.

Sexto demum die] At Suetonius ait, sex dies septemque noctes ea clade sævitum. Uterque longe abit a lapide prisco, qui novenos commemorat dies, Romæ ad Basilicum Petri, EX. VOTO. SVSCEPTO. QVOD. DIV. ERAT. NEGLECTVM. NEC. REDDITVM. INCENDIOR. ARCENDORVM. CAVSSA. QVANDO. VRBS. PER. NOVEM. DIES. ARSIT. NERONIANIS. TEMPORIBVS. ET. HAC. LEGE. DEDICATA. EST. NE. CVI. LICEAT. INTRA. HOS. TERMINOS. AEDIFICIVM. EXSTRVERE. Conciliari facile noster potest, quia mox addit, ignem rediisse. Primum ut incendium sex dierum fuerit; alterum, trium. Suetonium, aut lapidem certe, non excuso. Lips. Fragmentum inscr. edidit etiam Reines. Cl. 7. n. 19. non memor, integram esse apud Gruterum 61, 3. Ern.

Proruptis per immensum ædificiis] Lege omnino *prorutis.* de quo verbo diximus ad 1, 68. Incendium *prorumpit,* et mare *proruptum* et similia: sed ædes *proruuntur,* ut incendium ruina exstinguatur. Gron. Sic placebat et Groslotio. recte. Vid. Intt. ad Cæsar. B. G. 3, 26. ubi similiter libri MSS. *proruptis,* ut alibi. Add. Drakenb. ad Liv. 4, 29. Recepit et Broterius. Ern. Item Lall. Bip.

*Redibat. * Levis*] Inussi notam. tamen legi potest, sententia incolumi: *rediit, at levius rursum grassaturus ignis.* Lips. Distinctio Lipsii est a Rhenano: quæ nunc est, a Pichena. MSS. mire turbant, ut haud liceat aliquid certi extricare. Flor. *necdum p' metus aut rediebat levis. i. rursum grassatus ignis.* Guelf. *necdum post metus aut residebat levis: nec dum posito metu satis credebatur, cum levis rursum grassatus ignis:* quæ sunt e duobus codd. ducta, ut facile apparet, Agric. *nec dum posito, metus redibat non levis, et rursum grassatus ignis:* quod recepit Ryckius. Alteram lectionem MS. Guelf. Muretus pro conjectura dedit, eaque est etiam in edd. Put. Beroald. Ed. pr. *necdum metus post aut redibat levis, et rursum grassatus ignis.* Quod Rhenanus dedit: *necdum posito metu redibat. Levis* etc. omnes deinde secuti sunt usque ad Pichenam: quod Heinsius in margine Morell. corrigit, addito *haud* ante *levis.* Larga materia est exercendi conjecturas, exitum vix habituras. Broterius e vestigiis MS. Corb. et ed. pr. textum sic concinnavit: *nec dum p.*

A. U. 818. A. C. 65. rursum grassatus ignis, patulis magis urbis locis; eoque strages hominum minor. delubra Deum et porticus amœnitati dicatæ latius procidere. Plusque infamiæ id incendium habuit, quia prædiis Tigellini Æmilianis proruperat. Videbaturque Nero condendæ urbis novæ et cognomento suo adpellandæ gloriam quærere. Quippe in regiones quatuordecim Roma dividitur: quarum quatuor integræ manebant, tres solo tenus dejectæ: septem reliquis pauca tectorum vestigia

41 supererant, lacera et semiusta. Domuum et insularum et templorum, quæ amissa sunt, numerum inire haud promptum fuerit: sed vetustissima religione, quod Servius Tullius Lunæ et Magna ara fanumque, quæ præsenti Herculi Arcas Evander sacraverat, ædesque Statoris Jovis, vota Romulo, Numæque regia et delubrum Vestæ cum Penatibus Populi Romani, exusta. Jam opes, tot victoriis quæsitæ, et Græcarum artium decora, exin monimenta ingeniorum antiqua et incon-

metu, redibat haud levis, et rursum grassatus ignis. Cur autem non haud leviter r. gr. ignis, sed etc. Nam *ignis levis* omnino non admodum placet. Ern. Bud. a 1. m. *necdum post metus redibat levis rursus gr. i.* Bene Rhen. inde dedit *necdum posito metu.* Bene dein Acid. vidit legendum *levius grassatus ignis,* quia scil. *patulis locis et strages hom. minor.* Itaque cum Hillero Rac. 20. repono: *necd. pos. metu, redibat levius r. gr. i.* Bip. malunt *necd. posito,* (sedato incendio) *metus redibat haud levis* vel, quod longe nimium aberrat, *necdum penitus desæviebat clades et r. gr. i.*

Tigellini Æmilianis] Puto legendum *in Æmilianis.* Æmiliana enim locus extra urbem ad campum Martium, conjunctus tamen continensque urbi. Varro RR. 3, 2. *Eorum ædificia, qui habitant extra portam Flumentanam, aut in Æmilianis.* Sueton. Claudio 18. *Cum Æmiliana pertinacius arderent.* Est tamen in ipsa urbe et vicus Æmilianus regione VII. nominatus Sex. Rufo. Lips. Sic placebat etiam Casaub. ad Suet. Claud. l. c. et Heinsio in marg. Morell. Verum puto cum Ryckio. In MS. Guelf. manus sec. erasit ultimam literam in *Æmilianis.* Ern.

Videbaturque Nero] Sulpicius Severus Sac. Histor. l. 2. mutuatus hoc est a Tacito: *Sed opinio omnium invidiam incendii in Principem retorquebat, credebaturque Imperator gloriam innovandæ urbis quæsisse.* Lips.

In reg. XII.] Lapis ap. Grut. p. 249, 8. MAGISTRI VICORVM REGIONVM XIV.

Ser. Tullius Lunæ] Templum Lunæ in Aventino reperio: apud Livium 40, 2. *Forem ex æde Lunæ, quæ in Aventino est, raptam tulit,* etc. Rufus in regione XII. *Templum Lunæ in Aventino magnum.* Ovidius Fast. 3, 883. *Luna regis menses. hujus quoque tempora mensis Finit Aventino Luna colenda jugo.* Suspicabar de Lua matre antea: sed fallo. Lips. Cod. Agr. *Lucinæ.*

Præsenti Herculi] Rem narrant Liv. 1, 7. Dion. Hal. 1, 40. Contra Ovid. Fast. 1, 581. ipsum sibi Herculem *constituisse,* ait, *quæ maxima dicitur ara.*

Ædes Jovis Statoris] Tres ejus columnæ hodieque supersunt.

Cum Penatibus Pop. R.] Potest intelligi de Diis patriis, quorum simulacra Troja ab Ænea in Italiam allata, et in æde Vestæ servari credebantur. Atque etiam est numus ap. Lips. de Vesta c. 9. in quo inscriptio *Vesta Penates P. R.* nisi malis intelligere ædem Deorum Penatium, quam cum regia Numæ et templo Vestæ conjungit et in regione octava ponit S. Rufus. Sic capit Oudend. ad Sueton. Aug. 76. et sic capi posse jam monuit Lipsius l. c. Ern.

Græcarum artium decora] Statuæ et tabulæ magnorum artificum. Lips.

Monimenta ingeniorum] Libri veterum scripti, multi ab ipsis auctoribus, qui in privatis aut publicis bibliothecis perierunt. O justam querelam! et si tunc, quid nunc post barbaros di-

rupta, quamvis, in tanta resurgentis urbis pulchritudine, multa seniores meminerint, quæ reparari nequibant. Fuere, qui adnotarent, XIV. Kalend. Sextiles principium incendii hujus ortum, quo et Senones captam urbem inflammaverant. alii eo usque cura progressi sunt, ut totidem annos mensesque et dies inter utraque incendia numerent. Ceterum Nero usus est patriæ ruinis, exstruxitque domum, in qua haud perinde gemmæ et aurum miraculo essent, solita pridem et luxu vulgata, quam arva et stagna et in modum solitudinum hinc silvæ, inde aperta spatia et prospectus: magistris et machinatoribus Severo et Celere, quibus ingenium et audacia erat, etiam quæ natura denegavisset, per artem tentare et viribus Principis inludere. Namque,

A. U. 818. A. C. 65.

42

cam? Jure laboramus in restituendis. Lips.

Incorrupta] Bip. putant *igne corrupta*, quæ tamen reparari poterant. Lall. probat *quæsitas*.

Quamvis in tanta etc.] *Quamvis* refero ad *multa* et corrigo supra *opes t. v. quæsitas*. Ac fortasse etiam *quamvis* loco motum est: nam jungi adjectivo suo solet. Seniores meminerant permulta decora et monimenta etc. quæ reparari nequibant, cum urbs ipsa longe pulchrior resurrexisset. Alias oratio non constat. Ceterum libri scr. et edd. fluctuant inter *meminerint*, et *meminerant*: hoc verum puto. Ern. *Meminerint* Bud. et Flor. Rectius omnino. Præferunt et Bip. Aliquid vitii hic hærere videtur.

XIV. Kal. Sextiles] Satis mirus ille dierum concursus et convenientia, et ab arcanis Providentiæ caussis. Sicut et in templo Hierosolymitano, Josephus notat, 6, 4. Excidii, *eodem mense et die a Tito incensum, quo olim a Babylonio rege fuisset*. Quis autem proprie ille dies Romani incendii? notatur a Tacito *decimusquartus Kal. Sextilium*. sed cum manifesto errore vel librarii, vel ipsius potius, ut vult vir doctissimus in Temporum emendatione l. 5. p. 472. *Nam omnes veteres*, inquit, *incendium illud evenisse non* XIV. *sed* XVI. *Kalend. Sextilis tradunt*. Fateor, miratum me cum legerem, et Taciti caussa sedulo inquisivisse. Sed profecto omnis me ratio fugit, aut hic virum illum magnum: et a capite rem inquisivi in Excurs. A. Lips. Magnus Scaliger diem cladis Alliensis in animo habuit, eumque confudit cum die occupatæ et incensæ urbis. Atque ipse errorem in ed. tertia correxit, ut jam notavit Ryckius. Ern.

Inflammaverant] Ed. pr. (et c. Agr.) *inflammaverint:* quod ipsum quoque rectum: et præferrem, si plures libri haberent. Ern. Bud. *inflammaverant*.

Totidem annos mensesque] Tricæ curiosorum hominum, quas non extrico. Computem ab urbe condita? dispar ratio. A Troja incensa? æque dispar. Facile collectu tibi ex Fastis. Ut mihi nunc videntur, tenebræ sunt, quas non illustret ipse Phœbus. Lips. Si de iis, qui tempore incendii vixere, loquitur, ut ante, verum vidit Acidalius, qui corrigi voluit *numerarent*. Si de scriptoribus, *numerent* quoque rectum est. Sed illud probo. Ern. Ad tricas curiosorum hominum refer commentum Sam. Petiti, qui Obs. 2, 13. legendum perhibet, *ut Thoth iidem annos—numeraret*.

Usus est patriæ ruinis] Obscurius dictum. De spatio intelligit Pichena: quod sequentibus maxime convenit. Videndum tamen, an etiam respiciat id, quod Sueton. 38. tradit: *pollicitus caduverum et ruderum gratuitam egestionem, nemini ad reliquias rerum suarum adire permisit*. et infra c. 52. dicitur *domum extruxisse civium spoliis*. Ern.

Arva et stagna] Suet. c. 34, et Martialis magis distincte loca ipsa describens 1, 2, 5. *Hic, ubi conspicui venerabilis amphitheatri Erigitur moles, stagna Neronis erant. Hic, ubi miramur velocia munera thermas, Abstulerat miseris tecta superbus ager*. Lips.

Inde aperta spatia] Bud. *hinc ap. sp.* ut supra c. 11.

Viribus pr. illudere] Sic H. 2, 94. *pecuniæ illudere*. Simile illud Sallu-

A. U. 818. A. C. 65. *ab lacu Averno navigabilem fossam usque ad ostia Tiberina depressuros*, promiserant, squalenti littore, aut per montes adversos. neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quam Pomptinæ paludes: cetera abrupta, aut arentia: ac, si perrumpi possent, intolerandus labor, nec satis caussæ. Nero tamen, ut erat incredibilium cupitor, effodere proxima Averno juga connixus est: manentque vesti-
43 gia irritæ spei. Ceterum, urbis quæ domui supererant, non, ut post Gallica incendia, nulla distinctione, nec passim erecta, sed dimensis vicorum ordinibus et latis viarum

stii Cat. 20. *postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant.* ubi v. Cort. Ern.

Ab lacu Averno] Plinius 14, 6. (8.) *Anica Cæcubo erat generositas, quod jam intercidit, et incuria coloni locique angustia: magis tamen fossa Neronis, quam a Bajano lacu Ostiam usque navigabilem inchoaverat.* Lips. Mox ad *depressuros* in margine Guelf. *defossuros:* quæ est glossa. Illud elegans. Cic. Verr. 5, 27. *saxum in mirandam altitudinem depressum:* et non uno loco Plinius major, in delectu talium verborum curiosus. Ern.

Squalenti litore] Id est arido, sine arboribus, aut frondibus, aut herbis, et nedum aqua, omni prorsus carens humiditate. Sic Pichena bene. Est autem Græcum (ex αὐχμηρὸν) et poeticum: quod genus non refugit Tacitus. sic *squalentes campi, arenæ, squalida arva.* V. Drakenb. ad Silium 12, 373. Usus tamen est et Curtius 7, 4. sed paullo aliter: *squalida siccitate regio.* At ed. pr. habet *sequenti:* et sic correctum in MS. Guelf. cum ante fuisset *squalenti. Sequens litus* eleganter diceretur, quod est in locis mollibus et planis, ubi nulla saxa, montesve occurrunt, nec difficilis fodientium labor, ut *cera sequi* ap. Plin. ep. 7, 9. Ac, si oppositio esset inter litus sequens, et quod per montes duceretur, præferrem: nunc sequentia sane *squalenti* desiderant, nec est oppositio talis. Ern.

Connixus] Bud. *enixus.* unde Rhen. forsan *annisus.*

Ceterum urbis] Mullerus corrigit: *cetera urbis, quæ* etc. in ceteris nobiscum sentit. Placeret, si quid præcederet, ad quod illa *cetera* referri possent. Nunc, quoniam tantum addere aliquid velle videtur iis, quæ de conatis Neronis dixerat, *ceterum* aptius videtur. Ern.

Quæ domus supererant] Pugnat in se sententia. Si enim supererant, quomodo erectæ? quod in dirutas incensasque convenit. Putarim legend. *quæ domus perierant.* Lips. Hoc dicit Tacitus: Ceterum domus in locis, quæ urbi post tantum spatii detractum et regia sua immensa occupatum reliqua fecerat Nero, ædificatæ, non ut etc. Tanta parte recisa, quæ supererant struendæ domus urbis, seu quibus urbs censeretur et habitaretur, non erectæ etc. Posset et *urbi* legi: sed necesse non est. Gron. Bona sententia est et rebus consentiens, quam ante indicavit Salinerius probavitque Pichena, sed quam e verbis non eruas. Hinc cum Ryckio et Gronovio recepi *domui,* quod hic in Flor. se vidisse testatur, Pichena non vidit: intelligoque domum Neronis. Sed verbum *erectæ* non convenit, quia neutraliter capiendum est, *quæ supererant,* quod necessarium est per Latinitatem, cum Ryckius contra consuetudinem loquendi intelligat *partes.* Itaque correxi *erecta* e MS. Guelf. Reg. ed. pr. Sed idem MS. Guelf. habet *domuum:* nec Tacito alienum, *quæ domuum.* Edd. ante Ryckium omnes *domus.* Domos ædificandas hic locum non habere, patet etiam ex eo, quod mox *ædificiorum* frigidum et supervacuum foret. Ern. Bud. *domus,* sed in marg. a 2. m. *domuum,* et mox *erecta.* Hæc Bip. placent, qui dedere *quæ domuum sup. . . . erecta* hoc sensu, quod ceterum urbis erat ex iis, quæ domuum supererant s. ex reliquiis, exstructa ædificia. Verum Ryckii et Gronovii, quos et Brot. et Lall. sequuntur, potior mihi videtur sententia, quia cap. præced. inmensam illam novam Neronis domum, quæ urbis fere instar esset, descripserat auctor, unde quæ sequuntur sic bene cohærent. *quæ isti inmensæ domui supererant* etc. Adde, quod *domui* in Regio cod. quoque reperit Lallem.

Non ut post Gall. inc.] Cf. Liv. 5, 55.

spatiis, cohibitaque ædificiorum altitudine ac patefactis areis additisque porticibus, quæ frontem insularum protegerent. *Eas porticus,* Nero, *sua pecunia exstructurum, purgatasque areas dominis traditurum,* pollicitus est. Addidit præmia, pro cujusque ordine et rei familiaris copiis: finivitque tempus, intra quod effectis domibus aut insulis adipiscerentur. *Ruderi accipiendo Ostienses paludes* destinabat, *utique naves, quæ frumentum Tiberi subvectassent, onustæ rudere decurrerent: ædificiaque ipsa, certa sui parte, sine trabibus, saxo Gabino Albanove solidarentur:* quod is lapis ignibus inpervius est. *Jam aqua, privatorum licentia intercepta, quo largior et pluribus locis in publicum flueret, custodes et*

A. U. 818. A. C. 65.

Cohibita ædificiorum altitudine] Quod jam ante Augustus fecerat, eadem fini: id est, ad incendia arcenda et maxime ruinas, Strabo l. 5. p. 235. Πρὸς δὲ τὰς συμπτώσεις τὰ ὕψη τῶν καινῶν οἰκοδομημάτων καθελὼν, καὶ κωλύσας ἐξαίρειν ποδῶν ό τὸ πρὸς ταῖς ὁδοῖς ταῖς δημοσίαις. Sed et ante Augustum Rutilius orationem dixerat, De modo ædificiorum. Et Augustus quidem pedes 70. tollere permisit; Trajanus dumtaxat 60. ut notat Sex. Aurelius epit. 13. qui modus fortasse et Neronianus fuit. Lips. Copula e Flor. accessit et Agr. per Ryckium. Est etiam in ed. pr. (In Bud. deest.) Mox *eas* MSS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. ed. pr. et vett. omnes. Casu *easque* irrepsit in Rhen. sec. inde in Lips. Ern.

Adipiscerentur] Ryck. e Flor. *apiscerentur.*

Quæ frumentum Tiberi subvectassent] Sic MS. Guelf. (Agr.) ut edidit Rhen. (e Bud.) cum seqq. at MS. Flor. ed. pr. *subvecta essent,* non *subvectæ* ut edd. Puteol. Beroald. male. Ut e passivis interdum contractione activa facta, vid. ad 14, 62. sic distractione passiva. Sic mox c. 45. pro *oravisse* ed. pr. *oratus esse. Utique* MSS. Flor. Guelf. edd. vett. ante Rhenanum, qui (e Bud.) dedit *utque.* Vetus restituit J. Gron. Ern. Similia occurrunt in *illusisse* et *illusum esse* 13, 17. et *propulsasse* et *propulsatos esse* apud Apulei. in Apol. ubi v. Pric. ad p. 39.

Saxo Gabino Albanoque] Eadem vis Sabino lapidi tributa ab Isidoro 16, 4. *Sabinus lapis,* inquit, *fuscus addito oleo etiam lucere fertur. Est et quidam viridis lapis vehementer igni resistens.* Sed corrigo, *Gabinus,* e Strabone l. c. p. 238. Γάβιοι μὲν ἐν τῇ Πραινεστίνῃ ὁδῷ κειμένη, λατόμιον ἔχουσα ὑπουργὸν τῇ Ῥώμῃ μάλιστα τῶν ἄλλων. De his similibusque lapidibus imperviis igni vide Vitruvium 2, 7. Lips. Confundit cum saxo e lautumiis Gabinis lapidem Sabinum, et perperam apud Isidorum hunc in illud commutat. Lapis Sabinus e silicum genere fuit, et propterea non sic aptus ædificiis. Clare Plinius 36, 18. (29.) e quo transscripsit Isidorus: *Varro tradit, Sabinum silicem fuscum addito oleo etiam lucere.* Altera verborum Isidori pars de lapide viridi itidem e Plinio est l. d. c. 22. (49.) Reinesius. Ern.

Albanove] Sic MSS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. ed. pr. Put. Ber. *Que* casu, ut opinor, irrepsit in ed. Rhen. unde ad ceteras propagatum. Vetus restituit e MSS. Ryckius. Mox dedimus *ignibus,* quod habent MSS. Flor. (Bud. Agr.) Guelf. edd. vett. ante Rhen. omnes: quod jam e Flor. dedit J. Gronov. Ern. Pich. dedit *igni.* Sic jam Rhen.

Quo largior etc.] Freinsh. *quo* deletum cupit, planiorem sic locum fore ratus.

Custodes] Puto custodes istos castellarios appellatos, quia dividiculis (uti veteres dicebant) sive castellis aquarum Præfecti. Lapis Romæ (ap. Grut. p. 601, 7.) CLEMENTI. CAESARVM. N. SERVO. CASTELLARIO. AQVAE. CLAVDIAE. De castellis Hesychius, Vitruvius, Plinius et Jurisconsulti, tit. D. De aqua quotidiana. Sed et ad tutelam aquarum familiæ publicæ institutæ: *quæ in aliquot ministeriorum species diducuntur, villicos, castellarios, curatores, silicarios, tectores, aliosque opifices,* ait Frontinus l. 2. Lips. Mihi omnia hic sana et integra. Τὸ *ut* non requiro cum Faerno, quippe quod ex superiori, *utque naves,* intellectu repetam non ad hoc tantum. *custodes* accipio ἐπισκόπους et procuratores,

A. U. *subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet: nec*
818. *communione parietum, sed propriis quæque muris ambirentur.*
A. C. Ea, ex utilitate accepta, decorem quoque novæ urbi adtu-
65. lere. Erant tamen, qui crederent, *veterem illam formam*
salubritati magis conduxisse, quoniam angustiæ itinerum et
altitudo tectorum non perinde solis vapore perrumperentur:
at nunc patulam latitudinem, et nulla umbra defensam, gra-
44 *viore æstu ardescere.* Et hæc quidem humanis consiliis
providebantur. Mox petita Diis piacula, aditique Sibyllæ
libri, ex quibus supplicatum Vulcano et Cereri Proserpinæ-
que, ac propitiata Juno per matronas, primum in capitolio,
deinde apud proximum mare: unde hausta aqua templum
et simulacrum Deæ prospersum est: et sellisternia ac

aquas publicas privatorum licentia intercipi prohibituros, et eas uberiores crebrioresque præstituros: et ad hoc vocabulum subaudio ex sequente membro verbum *haberet*. *Aqua*, antehac *privatorum licentia intercepta* etc. *custodes haberet*, i. constituerentur ac præessent castellis et salientibus passim in publico certi homines, qui operam darent, ne tantum inde ducerent derivarentque in suum privati, ut partim siccarentur, alibi parum humoris ejacularentur. Habes in lapidd. antiquis (ap. Grut. p. 483.) L. VARRONIO. L. F. PAL. CAPITONI. SCRIBAE. AEDILICIO. etc. CVRATORI. AQVARVM. Item (ib. p. 381.) L. CAESONIVS. C. F. QVIR. LVCILLVS. MACER. RVFINIANVS. etc. CVRATOR. AQVARVM. ET. MINVCIAE. Item M. GRANIVS. M. F. M. N. CERDO. CVR. AQVAR. ALLIFIS. Denique paterfamilias *quisque in propatulo*, sive in vestibulis ædium, *subsidia reprimendis ignibus haberet*, hoc est, quodvis instrumentum incendiis compescendis; si non omnia singuli, ac nemo non aliqua et fere complura. GRÔN. Freinsh. *custodes* intelligit servos, *insularios* dictos, insulis scil. ob latronum aut ignium metum adpositos. Zinzerling in Crit. juv. prom. c. 39. pro *custodes* reponi vult *siphones*, quorum quippe mentio in apparatu simili ap. Plin. ep. 10, 42. et Ulp. l. 12. §. 18. D. de instr. leg. In Bud. voci *custodes* 2. m. addidit *imposuit*, ut mox, post *ambirentur*, *statuit*.

Mox petita a Diis piacula] Deleo præpositionem: vult enim conquisita piacula sive sacrificia piacularia et sacra, quæ Diis fierent. GRON. Recte, ut judicat etiam Ryckius. Itaque non dubitavi delere, cum minus perspicua passim in hoc scriptore recepta sint vulgo. Petita sunt piacula e Sibyllinis libris, non a Diis, sed ea facta Diis, ut statim traditur: mox *Deum placamenta*. Ceterum initium hujus capitis illustrare conatus est Vignolius, Berolinensis nuper sacerdos, in Hist. Crit. de la Républ. des lettres t. 8. p. 81. seqq. parum feliciter, ut speciminibus aliquot mox proferendis patebit. ERN.

Vulcano et Cereri etc.] Vignolius videtur existimasse, hæc sacra facta diebus festis, cuique in Kalendario Rom. sacris. Nam eos dies indagat, et hinc argumenta ducit pro tempore ortæ persecutionis adversus Christianos. Frustra. Extraordinariæ istæ supplicationes fuere, quæ die factæ sunt ea, quam Cæsar vel Senatus decrevisset. ERN.

Prospersum] Cod. Agr. *perspersum*.

Lectisternia ac pervigilia] Probe omnino *lectisternia*. cum tamen in vet. Budensi et Flor. sit, *sellisternia*: non nefas suspicari *solisternia*. ut intelligat feminas, (receptissimo tunc ritu) corpora in humum abjecisse, ad aras Deorum repsisse. Lucan. 2, 30. *Hæ lacrimis sparsere Deos, hæ pectora duro adflixere solo.* Statius Silv. 5, 1, 162. . .*omnibus aris Illacrimat, signatque fores et pectore terget Limina.* Et in Livio, Polybio, Apuleio, exempla. LIPS. At ego non dubitavi cum Ryckio et J. Gronovio recipere *sellisternia*, quod præter MS. Flor. et Bud. etiam Guelf. a manu prima habuit, sed correctum est alio atramento in *lectisternia*, sed ita, ut omnes literæ veteres adhuc appareant. *Sellisternia* proprie Deabus, *lectisternia* Diis, ut clarum e loco Valer. M. 2, 1. 2. et *sellisterniorum* etiam alibi mentio.

pervigilia celebravere feminæ, quibus mariti erant. Sed A. U.
non ope humana, non largitionibus Principis, aut Deum 818. A. C.
placamentis, decedebat infamia, quin jussum incendium 65.
crederetur. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, et quæsitissimis pœnis adfecit, quos, per flagitia invisos, vulgus *Christianos* adpellabat. Auctor nominis ejus Christus, Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat. Repressaque in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Judæam, originem ejus mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primo conrepti, qui fatebantur, deinde, indicio eorum, multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis, convicti sunt. Et pereuntibus addita

quæ loca diligenter collegit Chimentellus de honore bisell. c. 31. Adde Ryck. ad h. l. *Sellisternia* etiam probat Græv. ad Cic. Har. R. c. 27. At Vignolius l. c. p. 151. utrumque verbum locum habere putat: quod ap. Livium 5, 13. *lecti strati* dicuntur *Apollini, Latonæ, Dianæ, Herculi, Mercurio, Neptuno.* Add. 22, 10. Ceterum omnes edd. ante Ryckium *lectisternia.* Ern. Sic et c. Agr. Ita et Bud. in marg.

Sed non ope humana] Hæc et quæ sequuntur transscripsit iterum Sulpicius l. 2. *Neque ulla re Nero efficiebat, quin ab eo jussum incendium putaretur. Igitur vertit invidiam in Christianos, actæque in innoxios crudelissimæ quæstiones. quin et novæ mortes excogitatæ, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent. Multi crucibus affixi, aut flamma usti. Plerique in id reservati, ut, cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Lips.

Quæsitissimis] Bud. *exquisitissimis.*

Vulgus Christianos appellabat] Sive *Chrestianos,* ut scripsere per inscitiam illi. Quod nomen ortum demum observo imperio Claudii extremo. Suidas: Ἐπὶ Κλαυδίου Βασιλέως Ῥωμαίων, Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου χειροτονήσαντος Εὐόδιον ἐν Ἀντιοχείᾳ, μετωνομάσθησαν οἱ πάλαι λεγόμενοι Ναζαραῖοι καὶ Γαλιλαῖοι, Χριστιανοί. Sed et Judæi appellati antea, quod frustra negitant quidam. Aperte Arrianus 2, 9. Ὅταν τινα ἐπαμφοτερίζοντα ἴδωμεν, εἰώθαμεν λέγειν, Οὐκ ἔστιν Ἰουδαῖος, ἀλλ' ὑποκρίνεται. Ὅταν δ' ἀναλάβῃ τὸ πάθος, τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ ᾑρημένου, τότε καὶ ἔστι τῷ ὄντι καὶ καλεῖται Ἰουδαῖος. Ait, τοῦ βεβαμμένου. qui ergo tincti et baptizati, præter Christianos? Suetonius Claud. 25. *Judæos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit.* Lips. Mox *qui* ante *Tiberio* cum J. Gronovio delevi, quia nec in ed. pr. est: quod passim Tacito additum, ut supra c. 4, 19. Ern. Abest et a Flor. Sed Bud. habet. De nomine *Chrestus* v. Lact. D. Inst. 1, 4, 7.

Pontium Pilatum] Qui sextus Procurator Judææ, cum potestate Præsidis, fuit. Vide Josephum Antiq. 18, 3. Miror autem, cur *Syriæ Procuratorem,* nimis diffuse, Tertullianus dicat in Apol. 21. *Pontio Pilato Syriam tunc ex parte Romana procuranti.* Lips.

Exit. superstitio] Cf. Act. 18, 2. Plin. ep. 10, 97.

Primo] Flor. et Bud. *primum.*

Odio humani generis] Faernum legisse aiunt, *Odio generis convicti.* Sed non ea mens Taciti: est ipsa, quam H. 5, 5. expressit de Judæis: *Apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium.* Et Arnobius dicit l. 1. Christianis hoc objectum: quia scilicet diversa omnia in moribus et sacris, itemque contagem et congressum eorum, theatra et circos, fugiebant. Lips. *Convicti* scripti (in his Bud.) et edd. ante J. Gron. omnes, præter Flor. unde hic (et Pichena) edidit *conjuncti:* quod ille (et Pich.) interpretatur, confessis adjuncti sunt. sed id verba *in crimine,* deinde *odio g. h.* non patiuntur, nec sensus inde commodus erui potest. Cic. pro Sulla c. 30. *quoties quisquam est in hoc scelere convictus,*

A. U. 818. A. C. 65. ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus adfixi, aut flammandi, atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et circense ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel curriculo insistens. Unde, quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica, sed in sævitiam unius, absumerentur. Interea conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciæ eversæ, sociique populi et quæ civitatum liberæ vocantur. Inque eam prædam etiam Dii cessere, spoliatis in urbe templis, egestoque auro, quod triumphis, quod votis, omnis Populi Romani

et sic aliquoties Suet. ut Claud. 14. ubi quoque male cod. Harlem. *conjunctos.* Tit. 9. ubi liber scr. *convinctos.* Mox MS. Guelf. *ea pereuntibus*, ut e Bud. edidit Rhenanus. Ern.

Aut flammandi] Videtur significare Sulpicius l. c. *ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent. Multi crucibus affixi aut flamma usti. Plerique in id reservati, ut, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Sive malis *alimentis*, aut *materia.* H. 2, 21. *fraude illata ignis alimenta credidit.* Ovidius Met. 14, 533. *picem et ceras alimentaque cætera flammæ Mulciber urebat.* Gron. *Flammandi* scr. (in his Bud.) et edd. omnes præter cod. Agr. in quo *flammati*, quod placet Ryckio. Sed sive hoc, sive illud placeat, sive aliud quid, τὸ *atque* molestum est ; quod mihi delendum videtur. *Flammare*, et supplicium hoc illustrat Scaliger Emend. temp. p. 471. Ern. De isto cruciatu v. et Juven. 8, 235. Ex Sulpicii verbis Tacitum emendare parat Hiller. Rac. 20. legit quippe *aut flammati plerique, ubi def. etc.*

In usum nocturni luminis] Pro lychno et lucerna. Credo Juvenalem ad hoc sævitiæ genus spectasse 1, 155. *Pone Tigellinum : tæda lucebis in illa, Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant.* quos versus scio et vulgus interpretum, et egregium Turnebum, longe secius accipere. Ceterum prima hæc exercita in nostrum nomen crudelitas ; sanguinis dico. Nam Claudius antea tantum expulerat. Sueton. 25. Tertull. Apol. 5. *Consulite commentarios vestros, in illis reperietis, Neronem primum in hanc sectam, tum maxime Romæ orientem, Cæsariano gladio ferocisse.* Lips. MSS. Flor. (Bud.) Oxon. Guelf. ed. pr. *in usu.* Ern.

Circense ludicrum edebat] Hic iterum mire argutatur Vignolius et fallitur. Miratur, nec Lipsium, nec Ryckium aliquid suæ adnotationis ad hæc verba dedisse. Ipse e verbis *plebi permixtus* colligit, sermonem esse de *ludis plebeiis :* eorum initium fuisse ex Kalendarii indicio d. XV. Nov. unde planissimum esse contendit, adflictionem Christianorum Neronianam cœpisse d. XV. Nov. Ἀῆρει. Extraordinarii isti ludi fuere, quales Nero et alias, cupidus istius artificii circensis, edidit, auctore Tacito, in hortis suis. Ludi plebeii editi sunt ab Ædilibus Curul. auctore Cicer. Verr. 5, 14. Nec e verbis *permixtus plebi* ullo modo colligi potest, plebeios ludos fuisse. Ern. Plebeii quoque Ædiles plebeios ludos celebrabant. Liv. 31, 4.

Vel circulo insistens] Ego persevero legere *vel curriculo*, sententia plane volente. Nero, inquit, interdum quasi spectator immiscebatur plebi, interdum currui insistebat, ut aurigator. Proprie insistebant. Plinius Epist. 9, 6. *Quo magis miror tot millia virorum, tam pueriliter, identidem currentes equos, insistentes curribus homines, videre.* At Neronem currus rexisse, nimis notum : Plinium leviter emendo 28, 17. (72.) *Feruntque et Neronem Principem hac potione recreari solitum, cum sic quoque se trigario* (imo *trigarium*) *approbare vellet.* Approbare trigarium, valet, ostendere se legitimum aurigam et agitatorem equorum. Lips. *Curriculo* MS. Agr. unde recepit Ryckius, quod vel sic recipiendum erat, sensu et verbo *insistens* flagitante. supra 14, 14. de eodem Nerone : *vetus illi cura erat curriculo quadrigarum insistere.* Ern. Bud. *circulo.*

Inque eam prædam] Bud. *in eamque prædam.*

Auro, quod triumphis] Aurum e tri-

ætas prospere, aut in metu, sacraverat. Enimvero, per Asiam atque Achaiam non dona tantum, sed simulacra Numinum abripiebantur, missis in eas provincias Acrato ac Secundo Carinate. Ille libertus, cuicumque flagitio promptus; hic, Græca doctrina ore tenus exercitus, animum bonis artibus non induerat. Ferebatur *Seneca, quo* A. U. 818. A. C. 65.

umphis, coronarium capio: quod jam per alios innotuit: sive etiam, quod ab Imperatoribus per triumphos illatum. E votis, quod Senatus in re trepida Jovi aliisque Diis vovebat. Petronius 88. *Ipse Senatus, recti bonique præceptor, mille pondo auri capitolio promittere solet.* Aut ipsi Consules Prætoresve, in provincias et ad bellum ituri. Livius 31, 9. *Ludos Jovi, donumque vovere Consulem, cui provincia Macedonia evenisset, jussit.* Ib. c. 14. *Tum P. Sulpicius, secundum vota in capitolio nuncupata, paludatus cum lictoribus profectus.* Et exempla in Livio sparsim. Lips. De auro e triumphis, posterior ratio vera. Sæpe ap. Livium, Plinium aliosque commemorantur illatæ templis a triumphantibus res pretiosæ ex auro: quæ domi habere religio erat, malebantque ad ornanda templa Deorum, quam suas domos conferre, ut Cicero etiam in Verrinis docet. Querneus Egreg. c. 14. p. 60. intelligit manubias s. pecuniam e præda divendita, cujus pars templis illata. Male. Ea pecunia in ærarium illata est. Mox pro *prospere* Acidalius *prospera re.* quod probo. Ern.

Simulacra Numinum abripiebantur] Pausanias 10, 7. *Non postremo Neronis impietatem Dei donaria effugere potuerunt. Is enim æneas quingentas, partim Deorum, partim hominum, sustulit imagines.* Plinius ait 34, 8. (19, 23.) clarissima quæque signorum *violentia Neronis in urbem convecta, et in sellariis domus aureæ disposita fuisse.* Lips.

Acrato ac Secundo] Prior horum nominatus et Dioni Chrysostomo, et tota res et rapina hæc denarrata; sed nomen corruptum est in libris. Verba in oratione, quam *Rhodiacam* inscripsit: "Ιστε γὰρ Ἀκράτων ἧκε μόνος, τὴν οἰκουμένην σχεδὸν ἅπασαν περιελθὼν, τούτου χάριν, καὶ μηδὲ κώμην παρεὶς μηδεμίαν, ὡς κἀνθάδε ἧκε. Corrupta, inquam, priora palam, et viri duo doctissimi mederi prætentarunt: ego faciam. In scripto codice aiunt esse: Ἀκράτων ἐκεῖ μόνος. Lego, ἴστε γὰρ, Ἄκρατος ἐκεῖνος, τὴν οἰκουμένην. Vertenda: *Nostis enim, Acratus ille, omnem orbem fere pervagatus, illius rei gratia* (statuas auferendi, et talia ornamenta) *et nullum pagum etiam aut vicum omittens, ut huc etiam venerit.* Hæc vera lectio, et Tacitus firmat, quod ad nomen attinet: in re autem, lucem a Dione etiam ipse capit, capietque: locum totum vide. Volebam etiam legere: Ἄκρατος τοῦ ἡγεμόνος, ex vulgata editione; quod esset, *Acratus Principis,* libertus scilicet aut servus: sed verius habeo, quod dixi. Lips. In ed. Morelli fol. Par. 1623. is homo dicitur Κράτων.

Secundo Carinate] Suspicari possis, Rhetorem illum esse, quem Dio 59, 20. scribit a Caio in exsilium missum, quia contra Tyrannos declamitaverat: quemque Juvenalis tangit 7, 204. *Sicut Thrasymachi probat exitus, atque Secundi Carinnatis.* Tinctum eum eloquentia litterarumque studiis, Taciti consequa verba indicant. Lips. MS. Fl. (Bud.) Guelf. *Caprinate.* Ab ed. pr. plane abest. In margine Guelf. nomen scriptum eo compendio, quod in Flor. auctore J. Gronovio: unde patet id esse *Caprinate,* non *Caprenate,* ut legebat Pichena. Ern.

Ore tenus exercitus] h. e. ut posset de philosophia, virtutibus vitiisque Græcorum more disserere. Nescio, quare offendat hic loquendi modus Rhenanum, qui *ore tenus* auctoritate MS. Bud. deleri malebat, nec sic dici putabat. Immo oppositio hoc verbum desiderat, et commode sic dicitur. Exercuerat se homo Græca doctrina hactenus, ut ore ac lingua se philosophum probaret. adde 16, 32. Ern.

Non induerat] Tentabam, *imbuerat.* Nunc adfirmo vulgatam scripturam: et perplacet metaphoræ honestas, qua ipsa usus Agellius 2, 29. de Æsopo fabulatore: *qui,* inquit, *res salubriter ac perspicienter animadversas in mentes animosque hominum cum audiendi quadam illecebra induit.* non, ut corrumpunt, *induxit.* Lips. Verbum *induere,* ad hunc modum dictum ex Gr. ἐνδύσασθαι, copiose illustrat et h. l. *induerat* defendit Gataker. Advers. 1, 9. Ern. Claud. in 2. Cons. Stil. 121. *his mori-*

A. U. 818. A. C. 65. *invidiam sacrilegii a semet averteret*, longinqui ruris secessum *oravisse, et, postquam non concedebatur, ficta valetudine, quasi æger nervis, cubiculum non egressus.* Tradidere quidam, *venenum ei per libertum ipsius, cui nomen* Cleonicus, *paratum jussu Neronis: vitatumque a Seneca, proditione liberti, seu propria formidine, dum simplici victu et agrestibus pomis, ac, si sitis admoneret, profluente aqua vitam tolerat.*

46 Per idem tempus gladiatores apud oppidum Præneste, tentata eruptione, præsidio militis, qui custos aderat, coerciti sunt : jam *Spartacum et vetera mala* rumoribus ferente populo, ut est novarum rerum cupiens pavidusque. Nec multo post clades rei navalis accipitur : non bello : quippe haud alias tam inmota pax : sed certum ad diem *in Campaniam redire classem* Nero jusserat, non exceptis maris casibus. Ergo gubernatores, quamvis sæviente pelago, a Formiis movere : et gravi Africo, dum promontorium Miseni superare contendunt, Cumanis littoribus inpacti, triremium
47 plerasque et minora navigia passim amiserunt. Fine anni vulgantur prodigia, inminentium malorum nuntia. Vis fulgurum non alias crebrior et sidus cometes, sanguine inlustri

bus induit annos. Hoc loco motus, simulque frequenti apud nostrum usu contrario metaphorico vocis *exuere* motus, P. Faber Sem. 2, 16. ab emendando loco manum abstinuit. Cf. et Barth. ad Claud. Arnz. ad Plin. Paneg. c. 81. Burm. ad Petron. c. 4. Vide et Gell. 2, 29.

Ferebatur Seneca] Rhen. e Bud. sic restituit. prius erat *ferebant Senecam.*

Oravisse] Ed. prima *oratus esse.* Respice ad c. 43. ubi *subvectassent.*

Valetudine] Bud. solet *valitud.*

Dum persimplici victu] In tantis opibus magna et rara abstinentiæ laus. Ipse de se Ep. 84. (83.) *Panis deinde siccus, et sine mensa prandium, post quod non sunt lavandæ manus. Dormio minimum. Consuetudinem meam nosti. brevissimo somno utor et quasi intervigilo.* ubi ex veteri libro adsero, *et quasi interjungo*, ab aurigis metaphora. Ep. 109. (108.) *Inde in omnem vitam unguento abstinemus : quoniam optimus odor in corpore est nullus. Inde vino caret stomachus. inde in omnem vitam balneum fugimus.* et plura ibidem. Lips. MS. Flor. *persimplici* quod receptum a Pichena. Vulgo ante *pro simplici.* Mox MS. Bud. *tolerabat*, forte *toleraret.* Ern. Bud. bene *dum simplici victu.* Sic Rhen. Habet tamen et noster c. 48. *perseverum.*

Qui custos adesset] MS. Corb. *aderat.* Ern. Sic et c. Agr. Recepi cum Bip.

Mala rumoribus] Hic pessime Bud. *malorum moribus.* Mox pro *ferente* Heins. conjicit *serente*, haud ita male.

Dum promontorium Miseni] Classis Romana in portu Misenensi ordinariam stationem habebat ; uti Alexandrina Puteolis, ut Strabo 17. p. 793. indicat. Promontorium hoc infame naufragiis, uti e Seneca colligas epist. 78. (77.) ubi de Alexandrinis navibus : *Cum intravere Capreas et promontorium, ex quo Alta procelloso speculatur vertice Pallas, ceteræ velo jubentur esse contentæ.* Statius Silv. 3, 2, 23. *Prima salutavit Capreas, et margine dextro Sparsit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ.* Libabant ergo procellosæ illi Palladi nautæ, periculo maris defuncti. Lips.

Et sidus cometes sanguine illustri semper Neroni expiatum] Grotius delebat *semper* : quod raro cometæ apparent. Nec nisi semel ante apparuerat cometes sub Neronis imperio. (a. u. 813. cf. 14, 22.) Ego mallem, *Neroni* delere, aut pro eo *tyranni*, legere : quod melius. Auctor mihi Sueton. Ner. 36. ubi de eodem comete agitur : *Ut ex Babilo astrologo didicit, solere Reges talia ostenta cæde aliqua illustri expiare, atque a semet in capita procerum depellere* etc. Ern.

semper Neroni expiatum. Bicipites hominum aliorumve A. U.
animalium partus abjecti in publicum, aut in sacrificiis, 818.
quibus gravidas hostias inmolare mos est, reperti. Et in A. C.
agro Placentino, viam propter, natus vitulus, cui caput in 65.
crure esset. Secutaque Haruspicum interpretatio: *parari
rerum humanarum aliud caput: sed non fore validum, neque
occultum; quia in utero repressum, aut iter juxta editum sit.*
Ineunt deinde Consulatum Silius Nerva et Atticus Vesti- A. U.
nus, cœpta simul et aucta conjuratione, in quam certatim 819.
nomina dederant, Senatores, Eques, miles, feminæ etiam, A. C. 66.
cum odio Neronis, tum favore in C. Pisonem. Is Calpur- 48
nio genere ortus, ac multas insignesque familias paterna
nobilitate complexus, claro apud vulgum rumore erat, per
virtutem, aut species virtutibus similes. Namque facun-
diam tuendis civibus exercebat, largitionem adversus ami-
cos, et ignotis quoque comi sermone et congressu. Aderant
etiam fortuita, corpus procerum, decora facies. Sed procul
gravitas morum, aut voluptatum parsimonia: lenitati ac
magnificentiæ et aliquando luxui indulgebat. Idque pluri-
bus probabatur; qui, in tanta vitiorum dulcedine, summum
Imperium non restrictum nec perseverum volunt. Initium 49
conjurationi non a cupidine ipsius fuit: nec tamen facile
memoraverim, quis primus auctor, cujus instinctu concitum

Gravidas hostias immolare] Pauca super eo sacrorum ritu. Trahere huc possis illud Festi: *Confeta sus, quæ cum omni fetu adhibebatur ad sacrificium.* LIPS. Adde eundem Festum in *horda*: quem locum jam laudavit Ryckius. ERN.

Quia in utero repressum] Intellige: quia caput jam in utero loco suo motum et retro versum sit, ut cum crure demum prodierit. s. brevius, corruptum ac vitiatum sit. Cic. Brut. 4. *omnis fœtus repressus, exustusque flos siti veteris ubertatis exaruit.* Porro vel *et* legendum, vel *aut* pro *et* accipiendum. Muretus corrigebat *at*, quod et ipsum rectum: et quod idem *non in u. r.* id probare cum Broterio non possum, qui adeo in textum recepit. nam *iter juxta editum* refertur necessario ad alterum membrum *neque occultum*: prius igitur ad imbecillitatem; quare negatio locum non habet. ERN.

Silius Nerva] E fastis et lapidibus *Silanus Nerva.* LIPS. Sic etiam Perizonio placebat, item Norisio in ep. Consulari. Vid. tamen ad 4, 68. ERN. Sed ibi ex lapid. *Silianus.*

Facundiam tuendis civibus] Has omnes laudes ejus cecinit quicumque ille adolescens poeta, in Panegyrico ad Pisonem. LIPS. Mox MS. Reg. *largitiones*, non male. Deinde malim *comis sermone et congressu;* etsi vulgatum quoque ferri posse video. ERN. Bip. malunt *communis*, ut ap. Nepotem in Attico 3. *communis infimis.* Adde Cic. ad Div. ep. 4, 9.

Lenitati ac magnificentiæ] Verbum *lenitati* nimis bonum est, quam ut h. l. aptum sit: et *gravitas* videtur requirere *levitati.* Levitas autem est in sumtibus ad captandam gratiam, aut ad speciem majorem induendam. ERN.

Pluribus probabatur] Aut ita dicuntur h. l. *plures*, ut *οἱ πολλοὶ*, etiam *πλείονες*, ap. Græcos de populo; aut legendum mox *volebant*, si de majori hominum, qui tum fuere, numero intelligatur. ERN.

Non a cupidine] Ego quoque cum J. Gronovio *cupidine* recepi, quod id etiam in MS. Guelf. ed. pr. reperi. Ceteræ edd. omnes *cupiditate*, quod tamen eodem redit. Ante *conjurationis* MSS. plures et ed. pr. Vulgatum exquisitius est. ERN. *Cupidine* habent et Flor. Agr. Bud. Hic etiam *conjurationi*, sed Agr. *conjurationis.*

A. U. 819. A. C. 66. sit, quod tam multi sumpserunt. Promptissimos Subrium Flavium, Tribunum Prætoriæ cohortis, et Sulpicium Asprum Centurionem exstitisse, constantia exitus docuit. Et Lucanus Annæus Plautiusque Lateranus, Consul designatus, vivida odia intulere. Lucanum propriæ caussæ accendebant, quod famam carminum ejus premebat Nero, prohibueratque ostentare, vanus æmulatione. Lateranum, Consulem designatum, nulla injuria, sed amor Reipubl. sociavit. At Flavius Scevinus et Afranius Quinctianus, uterque Senatorii ordinis, contra famam sui, principium tanti facinoris capessivere. Nam Scevino dissoluta luxu mens et proinde vita somno languida: Quinctianus mollitia corporis infamis, et a Nerone probroso carmine diffamatus, contumelias ultum ibat.

50 Ergo, dum *scelera Principis, et finem adesse Imperii, diligendumque, qui fessis rebus succurreret*, inter se aut inter amicos jaciunt, adgregavere Tullium Senecionem, Cervarium Proculum, Vulcatium Araricum, Julium Tugurinum, Munatium Gratum, Antonium Natalem, Martium Festum, Equites Romanos: ex quibus Senecio, e præcipua familiaritate Neronis, speciem amicitiæ etiam tum retinens: eo pluribus periculis confli-

Subrium Flavium] Dioni 62, 24. dicitur Σούβιος Φλάβιος. et statim Σουλπίκιος Ἄπρος, qui nostro est *Asper*. Lips. Ex Tacito emendandum esse Dionem, recte judicat Reimarus.

Premebat Nero] Sed idem tamen post mortem famam ei non invidit, id est legi et edi permisit. Hoc vult inscriptio vetus (ap. Grut. p. 354, 2. qui eam suspectam habet.) M. ANNAEO LVCANO CORDVBENSI POETAE BENEFICIO NERONIS FAMA SERVATA. Gaude liberrime poetarum: litasti genio Æternitatis. Lips.

Prohibueratque ostentare, vanus assimulatione] Quinquennali ludicro, cum Orpheum Lucanus recitasset, coronatus contra Neronem est. quod ægre tulit citharœdus Princeps. Statius Silv. 2, 7, 58. *Ingratus Nero dulcibus theatris, Et noster tibi præferatur Orpheus.* Sed quid sibi vult hic *Vanus adsimulatione?* An, quod Nero vano et irrito conatu assimulare et reddere Lucani versus voluit? Ita scriberes *assimilatione.* Sed non placet. ne Farnesianum quidem scriptum, *vana assimulatione.* Lego clarius, *vanus æmulatione.* Lips. *Æmulatione* placet etiam Ursino et Freinshemio, sed simul *vana. vanus æmulatione* Heinsio in marg. Morell. *Vanus adsimulatione*, non intelligo. *Ostentare* pro ostendere, i. e. edere, recitare etc. Ern. Bip. sequuntur Lipsii conjecturam. Sequor et ego. Freinsh. volebat *vanissima æmulatione*, quod ad vulg. probe accedit. Jac. Gron. in subsidium vulgatæ lectionis adfert ex 16, 17. *adsimulatas Lucani literas.*

Afranius Quinctianus] MS. Guelf. edd. veteres plures *Quintilianus.* Ern. Bud. *Quintianus.*

Quinctianus molli corpore] Farnes. *mollitie corporis.* Ita Latinis dicta, ἡ θηλεῖα νόσος. Ovidius: *Mollis erat, facilisque viris Pacantius heros.* Lips. Sed MS. Flor. *mollitia corporis.* Ed. pr. *mollitie.* idque receptum Pichenæ. Vid. ad 11, 2. Ern. Bud. *molli corpore.*

Et finem adesse Imperii] MS. Reg. Agr. Corb. ed. pr. *Imperio*, melius e Taciti more. Ern. Bud. *Imperii.*

Antonium Natalem] Non arbitror illum esse, quem Seneca cum probro describit ep. 87. *Nuper Natalis tam improbæ linguæ, quam impuræ, in cujus ore femina purgabantur.* Lips.

Senecio e præcipua] Ergon' ille, qui 13, 12. una cum Othone familiarissimus Neroni ostenditur, libidinum ejus in Acten administer et interpres? Putem. sed ibi Claudius Senecio dicitur, hic Tullius. Itaque me sustineo. Lips.

ctabatur. Natalis particeps ad omne secretum Pisoni erat. A. U.
ceteris spes ex novis rebus petebatur. Adscitæ sunt, super 819.
Subrium et Sulpicium, de quibus retuli, militares manus, A. C.
Granius Silvanus et Statius Proximus, Tribuni cohortium 66.
prætoriarum, Maximus Scaurus et Venetus Paullus Centuriones. Sed summum robur in Fenio Rufo Præfecto videbatur, quem, vita famaque laudatum, per sævitiam inpudicitiamque Tigellinus in animo Principis anteibat, fatigabatque criminationibus, ac sæpe in metum adduxerat, quasi *adulterum Agrippinæ et desiderio ejus ultioni intentum.* Igitur, ubi conjuratis, Præfectum quoque Prætorii in partes descendisse, crebro ipsius sermone facta fides; promptius jam de tempore ac loco cædis agitabant. Et *cepisse inpetum* Subrius Flavius ferebatur, *in scena canentem Neronem adgrediendi; aut cum ardente domo per noctem huc illuc cursaret incustoditus.* Hic occasio solitudinis; ibi ipsa frequentia, tanti decoris testis, pulcherrimum animum exstimulaverant: nisi inpunitatis cupido retinuisset, magnis semper
conatibus adversa. Interim cunctantibus prolatantibusque 51
spem ac metum, Epicharis quædam, incertum quonam modo sciscitata (neque illi ante ulla rerum honestarum cura fuerat) accendere et arguere conjuratos: ac postremo lentitudinis eorum pertæsa, et in Campania agens, primores classiariorum Misenensium labefacere, et conscientia inligare connixa est tali initio. Erat Chiliarchus in ea classe

Super Subrium] Libri mei, *per Subrium.* Lips.

Granius Silvanus] Bud. *Gaius Silanus.*

Maximus Scaurus] Spanhem. de Us. et Pr. Num. t. 2. p. 37. corrigit *Mamercus*, quod nuspiam Scauris hoc cognominis tribuatur. De antiquioribus temporibus concedo. At his temporibus cognomina multiplicata; unde nihil certi sine libris dici posse arbitror. Ern.

Aut cum ardente domo per noctem huc illuc cursaret] Conjiciebam: *cum madens vino per noctem.* Gron. Mullerus malit, *aurea in domo*, quæ sc. ita ampla, ut urbis instar haberet. c. 42. Cf. mox c. 52. Prodest etiam, quod sequitur, *huc illuc*, quod ædibus aptius videtur, quam urbi. Sic placebat et Mureto, non probante Broterio, qui cum Huetio de incensa domo Neronis accipit. Sed conjuratos voluisse domum Neronis incendere, vix credam. Ern. Non video, cur non, qui tollere monstrum hominis parabant, domo ejus ignem injicere tentassent. Sic vanæ sunt doctorum conjecturæ, et sanus locus. Acid. *ardente* exponebat crebris luminibus et facibus inlustri. Bip. placet conjectura Gron. quam emendant ita: *cum madens homo*, sic pro indignitate scil. collato 13, 25. Cum incendio, cujus ipse Nero exemplum dederat, bene convenit ista *huc illuc cursitatio.* At Heins. dabat *marcente domo*, i. e. familia nocturnis comessationibus marcida.

Spem ac metum] Nec male, *spe ac metu.* Lips. Probat Acidalius, conjiciens etiam *spem inter ac metum.* Vulgatum interpretor conatum cum spe ac metu conjunctum. Vid. ad 14, 63. supra c. 42. *spes inrita* pro conatu inrito. Ern.

Quonam modo sciscitata] Id est, unde aut per quem odorata de conjuratione. Sperne Vertranii *suscitata.* Lips. Mox *accendere et arguere* est accendere arguendo, velut ignavos esse ac tardos etc. Post *labefacere* est avertere a fide in Neronem. Ern.

Erat Chiliarchus] Ita libri. Vulgo *navarchus.* Bene Chiliarchus, pro Tribuno: sicut et Centuriones reperies plus semel in classe. Lips. *Nav-*

A. U. 819. A. C. 66. Volusius Proculus, occidendæ matris Neronis inter ministros, non ex magnitudine sceleris provectus, ut rebatur. is mulieri olim cognitus, seu recens orta amicitia, dum *merita erga Neronem sua, et quam in irritum cecidissent*, aperit, adjicitque questus et *destinationem vindictæ, si facultas oriretur*, spem dedit, posse impelli et plures conciliare. nec leve auxilium in classe, crebras occassiones; quia Nero multo apud Puteolos et Misenum maris usu lætabatur. Ergo Epicharis plura: et omnia scelera Principis orditur: *neque se jactare, quod inane esset; provisum, quonam modo pœnas eversæ Reipublicæ daret: accingeretur modo navare operam et militum acerrimos ducere in partes, ac digna pretia exspectaret.* Nomina tamen conjuratorum reticuit. Unde Proculi indicium irritum fuit, quamvis ea, quæ audierat, ad Neronem detulisset. Accita quippe Epicharis, et cum indice composita, nullis testibus innixum facile confutavit. Sed ipsa in custodia retenta est, suspectante Nerone, haud falsa esse, etiam quæ vera non proba-

archus etiam MSS. (Bud.) Guelf. et alii, at ed. pr. *Chiliarchus*, et MSS. Reg. Corb. Ern.

Si facultas oriretur] MS. Guelf. *oreretur* a manu pr. ut sæpe in scriptis. Ceterum promtum esset conjicere *offerretur*. Ern.

Ergo Epicharis plura: et omnia] Pichena interpretatur, plura promsit et conjurationem aperuit. Si Tacitus sic scripsit, vix alius sensus esse potest: nisi quod non de conjuratione capiam, quam sequentibus prodit. Sed sane nimis abrupta hæc oratio; unde plerisque corruptus locus videtur. neque tamen adhuc satis commodam emendationem vidi. Sensus quidem hic desideratur: Ergo hoc initio oblato perficiendi consilium, accendere animum hominis tentans, addit dictis plura, quæ hanc vim habitura sperat, de injuria ei facta. Ern.

Neque Senatui quid manere] Vatic. codicis scripturam (quæ et Flor. et Agr.) expressi. nec dissentit Farnesianus, nisi quod refert, *quod manere*. (Sic et Bud.) Quis Castor aut Pollux liberat me ab hoc æstu? Forte, *neque se nautam quidem manere.* quasi attollens conjuratorum numerum splendoremque id dicat mulier. etiam ipso cessante, provisum viris melioribus quomodo nefarius ille pœnas daret. Lips. Non lubet conjecturas virorum doctorum adscribere. Adeo parum in iis opis ad locum sanandum, adeo longe a scriptura et sensu recedunt institutæ orationis. Ego conjeci Tacitum scripsisse *neque salvi quid manere.* Est conclusio orationis de sceleribus Principis et facinoribus: hinc commodus transitus ad *pœnas eversæ Reipublicæ:* Reipublicæ eversæ aptissimum *nihil salvi. Eversæ* bene e Flor. Pichena. Sic etiam MS. Guelf. ed. pr. omnesque ante Rhen. qui primus (e Bud.) *versæ* dedit: quod tamen etiam sic dicitur apud nostrum (3, 54.) probaturque Gronovio ad Senec. de Benef. 5, 16. Ern. Lall. supplet *potestatis* quid *ac dignitatis*, quod non plane spernendum. Hiller. Rac. 19. levi mutatione efficit: *ne Senatum quidem manere* scil. in fide, quo sensu id verbi H. 1, 76. et passim. Sic fere jam Grotius, qui conjiciebat, *neque Senatui fidem manere.* Bip. e lectione Puteolani, qui, cod. Genuensi usus, ita dedit: *neque Senatui quod inane esset*, quod secuti Rhen. et Alciatus, ingeniose exsculpunt, quod vero perquam simile: *neque se jactare, quod inane esset.* Recipiendum puto; verum cum Rhen. tollendum quod sequitur *sed*, ex posteriori syllaba vocis præcedentis ortum.

Navare operam] Sic habent MSS. Flor. (Bud.) Oxon. Guelf. et mox *ducere.* Recte. Nam sic *accingi* construitur. Unde bene receptum a Ryckio et J. Gronovio. Edd. antea omnes *navaret* ac *duceret.* Mox edd. ante Rhen. MS. Guelf. vitiose *multum* pro *militum.* Ern. Bud. *militum.*

Quæ vera n. probabantur] i. e. quorum veritas nondum, ob testium defectum, patebat. MSS. Reg. Guelf. *probantur*, solenni in libris Taciti aber-

bantur. Conjuratis tamen, metu proditionis permotis, pla- A. U.
citum maturare cædem apud Bajas in villa Pisonis: cujus 819.
amœnitate captus Cæsar creber eo ventitabat, balneasque A. C.
et epulas inibat, omissis excubiis et fortunæ suæ mole. Sed 66. 52
abnuit Piso, *invidiam* prætendens, *si sacra mensæ, Diique*
hospitales cæde qualiscumque Principis cruentarentur. melius
apud urbem, in illa invisa et spoliis civium exstructa domo,
vel in publico patraturos, quod pro Republica suscepissent.
Hæc in commune: ceterum timore occulto, ne L. Silanus,
eximia nobilitate disciplinaque C. Cassii, apud quem edu-
catus erat, ad omnem claritudinem sublatus, imperium
invaderet, prompte daturis operam, qui a conjuratione inte-
gri essent, quique miserarentur Neronem, tamquam per
scelus interfectum. Plerique, *Vestini quoque Consulis acre*
ingenium vitavisse Pisonem crediderunt, *ne ad libertatem mo-*
veretur, vel, delecto Imperatore alio, sui muneris Rempublicam
faceret. Etenim expers conjurationis erat; quamvis super
eo crimine Nero vetus adversus insontem odium expleverit.
Tandem statuere, circensium ludorum die, qui Cereri cele- 53

ratione, ut sæpe vidimus. Add. c. 59. Rectum etiam esset *probarentur*: sed *probabantur* (Bud. et) omnes edd. et a Tacito non abhorrens. Mox *permotis*, quod e Flor. addidit Pichena, etiam MS. Guelf. (Bud.) ed. pr. et vett. omnes. In recentioribus et Lipsianis excidit, casu, ut opinor. Idem pro *cujus amœnitate* legendum putat *quo, ejus amœn.* ex quo facile fieri potuit *quoius, cujus.* Heinsius autem *creber eo* ap. Ryckium, et in marg. Morell. Lipsius *crebro eo.* Ern. Hic Heinsium sequor cum Bip. Bud. pro *placitum* habet *placuit.* et mox *balnea.*

Fortunæ suæ mole] Intelligi posse putavi, nixus vel fretus. Ac veritus sum, ne tale verbum exciderit: esset enim durior ellipsis: Sed pendet ab *omissis*, et intelligendum est, *et fortunæ suæ mole omissa*, i. e. apparatu solito, comitatu etc. Sic ὄγκος dicitur Græcis. Josephus 18, 6, 9. ὄγκον πραγμάτων de imperio. Ern.

Ne L. Silanus] De quo inferius 16, 7. sq. Lips. Augusti abnepos, filius ejus, de quo 13, 1.

A conjuratione integri] MS. Bud. *conjurationem*: unde Rhenanus corrigebat *conjuratione*, quod est in ed. pr. aut *conjurationis*, Ceteri libri in vulgato consentiunt, quod verum puto. Ern. Verba Rhenani male cepit Gron. Rhen. scil. refert, in Bud. esse *conjuratioñ integri*, quod legendum *conjuratione* aut *conjurationis integri.* Ipse tamen servat vulg. cum præpositione, quæ omissa in Bud.

Ne a libertate moveretur] Vatic. *ne ad libertatem moraretur.* Ducit me sententia, ut legam, *ne aut libertatem moliretur.* Duplex videlicet a Vestino metus. ne aut homo acer ad libertatem populum vocaret: aut alium a Pisone Principem diligeret. Lips. Videndum an fuerit: *ne a libertate moneretur.* Justinus 2, 9. *Hujus virtute cum admonita civitas libertatis esset.* Gron. Lectio Vatic. cod. est etiam in libro Agric. ed. pr. unde Brot. recepit *ad libertatem.* Vulgata est in MSS. Flor. (Bud.) Guelf. et in edd. inde a Puteol. omnibus: eamque veram puto. *Libertate moveri* dicitur, qui dulcedine ejus captus, ejus maxime rationem habet: ut *pecunia moveri* amantes pecuniæ, qui ejus spem in omnibus sequuntur. Si *a* displiceat, possis corrigere *aut*, præsertim cum libri quidam habeant *ad.* Ern. Pichenam si audias, cod. Flor. habet *ne ad libertate moreretur*, unde bene ex ipsius et Mureti et aliorum sententia: *ne ad libertatem* Populo Rom. restituendam *moveretur.* Gruterus malebat *libertate* scil. Dea. Ceterum quoad sensum non differt lectio, quam probat Ernesti et sequitur Lall.

Die, qui Cereri celebratur] Qui dies pridie Idus Apriles, ita notatus Kalendario veteri: LVDI. CERERI. et biduo ante LVDI IN CIRCO. Infra noster: *ut-*

A. U. 819. A. C. 66. bratur, exsequi destinata: quia Cæsar, rarus egressu, domoque aut hortis clausus, ad ludicra circi ventitabat, promptioresque aditus erant lætitia spectaculi. Ordinem insidiis composuerant, *ut Lateranus, quasi subsidium rei familiari oraret, deprecabundus et genibus Principis accidens, prosterneret incautum premeretque, animi validus et corpore ingens. Tum jacentem et impeditum Tribuni et Centuriones et ceterorum, ut quisque audentiæ habuisset, accurrerent trucidarentque:* primas sibi partes expostulante Scevino, qui pugionem templo Salutis (in Etruria), sive, ut alii tradidere, Fortunæ Ferentino in oppido, detraxerat, gestabatque vel-

que circensium Cerealium ludicrum, pluribus equorum cursibus celebraretur. Dio 47, 40. inter prodigia refert, quod *Ædiles Cereri, loco circensium et equestrium ludorum, gladiatorios exhibuerint.* Ovidium adde Fast. 4, 389. sq. et nummum veterem: MEMMIVS AED. CERIALIA PREIMVS FECIT. Quod Cæsaris et Tulli ævo factum. Vide Politianum Miscell. c. 85. LIPS. MS. Guelf. ed. pr. *diem*, male. Broterius bene, ut opinor, e Kalendariis antiquis docet diem XIX. Apr. intelligendum, s. XIII. Kal. Maj. *Domoque* etiam ed. pr. ut Fl. MS. ERN. Bud. *domo.* De numo v. Eckhel in Doctr. NN. vett. vol. 5. p. 252.

Genibus Pr. accidens] Sic bene Rhen. (ex ingenio). Edd. superiores omnes, MS. Guelf. (et Bud.) *accedens.* Mox *ingens*, quod idem (e Bud.) dedit, MS. Guelf. ed. pr. ceteræ ante Rhen. *vigens.* ERN. *Corpore ingens*, ut H. 1, 53. Bip. magis placet *vigens.*

Ut quisque audentiæ] Lectio a Vatic. est. Farnes. *audaciæ habuisset.* corrupte triti libri, *audivisset.* LIPS. *Audentiæ* etiam ed. pr. MS. Guelf. *audaciæ*, et edd. ante Rhen. qui induxit, nescio quare, *audivisset*, (ego scio, e Bud.) quod servatum est ad Lipsium usque. ERN.

Templo Salutis in Etruria] Quantum intelligere potui, sic plerique capiunt, ut templo, sive Salutis, sive Fortunæ fuerit in Ferentano oppido Etruriæ: unde Cluverius corrigit *Ferentino*, ut est ap. Sueton. Oth. 1. quod probabat Ryckius: recepit Broterius. Omninoque nullos *Ferentanos* agnoscit J. F. Gron. ad Liv. 9, 15. etsi Strabo l. 5. p. 226. diserte Φερεντανὸν Etruriæ memorat. Sed dubium esse potest, an *in Etruria* etiam ad oppidum Ferentanum referendum sit. Saltem modus loquendi vix pati videtur. Dixisset opinor: *templo Salutis, s. u. a. t. Fortunæ, Ferentano in Etruria oppido.* Si porro *in Etruria* proprie ad Salutis templum refertur, ut videtur voluisse Heinsius, qui in margine Morell. verbis *Ferent. in oppido* adscripsit *in Sabinis:* nimis indefinite locus templi et contra consuetudinem accurate scribentium indicatur. Itaque putem, *in Etruria* esse e nota addita verbis *Ferent. in oppido*, qualis illa Heinsiana, quæ postea in textum irrepsit. Atque sic definitio illa loci Ferentano in oppido erit communis utrique, aut templum Salutis Romanum intelligeretur, quod in monte Quirinali fuit votum a Junio Bubulco et pictum a Q. Fabio. Id templum Salutis simpliciter centies apud veteres dicitur, ut apud Obsequentem c. 71. 103. sed illud verius. Nam c. 55. inducitur ipse Scevinus dicens, pugionem illum olim regione patria cultum fuisse. ERN. Uncinis includenda *in Etruria*, quippe e marg. intrusa. *Ferentino* rectius dici videtur. Ap. Strabonem quoque Φερεντινόν. In fine pro *regione patria* legendum *religione patria.*

Detraxerat] Ut donaria in templis, cum consecrantur, *reponi*, sic, cum auferuntur, *detrahi* proprie dicuntur. Sic plane, ut apud nostrum, *gladius delubro detractus* ap. Suet. Vit. 8. *Detracta templis dona* Ner. 32. Detrahi etiam clypei, imagines dicuntur suspensæ in templis, aut curiis etc. ERN.

Gestabatque velut] Gestabatne pugionem? non is mos Romæ, et per hanc vanitatem homo se palam retexisset. Aliud omnino verbi fuisse suspicor: *servabatque, jactabatque*, aut tale. LIPS. *Jactabat* placet Heinsio. ERN. Bip. reddunt, amabat, maxime colebat.

ut magno operi sacrum. *Interim Piso apud ædem Cereris* A. U. 819.
opperiretur, unde eum Præfectus Fenius et ceteri accitum A. C. 66.
ferrent in castra, comitante Antonia, Claudii Cæsaris filia, ad eliciendum vulgi favorem: quod C. Plinius memorat. Nobis quoquo modo traditum non occultare in animo fuit, quamvis absurdum videretur, aut inanem ad spem Antoniam nomen et periculum commodavisse, aut Pisonem, notum amore uxoris, alii matrimonio se obstrinxisse: nisi si cupido dominandi cunctis adfectibus flagrantior est. Sed mirum, 54
quam inter diversi generis, ordinis, ætatis, sexus, dites, pauperes taciturnitate omnia cohibita sint; donec proditio cœpit e domo Scevini: qui pridie insidiarum multo sermone cum Antonio Natale, dein regressus domum, testamentum obsignavit; promptum vagina pugionem, de quo supra retuli, *vetustate obtusum* increpans, *asperari saxo et in*

Magni operis sacrum] Pichena ex Flor. colligit, *magno operi.* Neque ego olim male, *magnis operis*, multitudinis numero. Lips. Vulgatum tamen Græcismo posset defendi. Apollonius Rhodius 2, 688. Εἰ δ' ἄγε δὴ νῆσον μὲν ἑώου Ἀπόλλωνος· τὴν δ' ἱερὴν κλείωμεν. Strabo l. 14. p. 682. Εἶτ' ἄκρα Πηδάλιον, εἰς τὴν ὑπέρκειται λόφος τραχὺς, ὑψηλὸς, τραπεζοειδὴς, ἱερὸς Ἀφροδίτης. Lucianus Hermotimo 40. Κάλπις ἀργυρᾶ πρόκειται ἱερὰ τοῦ Θεοῦ. Nam *magnis operis* omnino male. Plinius 11, 37. (63.) *Lupi dexter caninus in magnis habetur operibus.* Gron. MS. (Bud.) Guelf. *magni operis.* sic edd. ante Pich. præter pr. quæ habet *magnoperis*, ut in cod. Agr. quod idem est cum Flor. *magno operis.* Ceterum genitivus non male defenditur a Gronovio. Sic dixit ipse Cicero Verr. 1, 18. *insula horum Deorum sacra putatur*, et similiter alii. Ern. Pro *magni operis* Bip. vellent *magnopere.*

Quamvis absurdum videretur et inane, aut ipsi Antoniam nomen et periculum commodavisse] Rodolphus peracute: *aut inani spei Antoniam.* Hi tales homines, si ad criticam serio se dedissent, quid non pervidissent? Et tamen nos Pelei placemus nobis in hac machæra. Lips. Quod nunc est in textu debetur Pichenæ, qui sic correxit e Flor. lectione *aut inane aut spem*, quæ est etiam in ed. pr. Prius *aut* etiam est in MS. Guelf. Quod Agricolæ tribuit Lipsius pro conjectura, est in MS. Agr. unde Ryckius in textum recepit: quem sequerer, si istius codicis idonea auctoritas esset. Ern. V. et notata ad c. 55. ubi quid simile. In cod. Agr. ubi *aut spem*, in marg. additur a 1. m. *alii ad*, quo indicatur, alia exempla habere *inane ad spem;* inde conjectura Pichenæ, teste Gron.

Sed mirum, quam inter diversi generis, ordinis, ætatis, sexus, taciturnitate omnia cohibita] Certe mirum, in lubrico et præpeti hoc sermonis. Simile plane, quod Claudianus miratur, conspiratione militari in Ruffinum 2, 283.—*nec quisquam tanta de plebe repertus, Proderet incautis qui corda minantia verbis. Quæ non posteritas, quæ non mirabitur ætas, Tanti consilium vulgi potuisse taceri, Aut facinus tam grande tegi?* Et plura, quæ addit. Lips. *Dites* Rhen. e Bud. prius *divites.* Cf. H. 2, 56.

Donec proditio cœpit] Plutarchus de Garrul. 9. longe aliter elatam et apertam narrat conjurationem. Sed ne tibi imponat, non istam. Duplex enim in Neronem conjuratio, Pisoniana et Viniciana, ut auctor Sueton. 36. Ad Vinicianam ergo refer illa Plutarchi. Lips. Plutarchum quoque de Pisoniana loqui, docet Ryckius ex eo, quod Viniciana Beneventi conflata et detecta, auctore Suet. Ner. 30. Apud Plutarchum autem Romæ mentio. Ern.

Et in mucronem ardescere jussit] Lucanus 7, 139. *nisi cotibus asper Exarsit mucro.* Forte tamen Cornelius: *et mucrone ardescere jussit.* Gron. *In mucronem* Tacito dignius puto. J. Gronovius comparabat e c. 63. *membris in eum pallorem albentibus.* H. 1, 43. *in cædem ardere.* Et ea lectio est in MS. Flor. (Agr. et) ed. pr. Ceteri scripti et edd. usque ad Bernecc. sine præ-

A. U. 819. A. C. 66. *mucronem ardescere* jussit, eamque curam liberto Milicho mandavit. Simul adfluentius solito convivium initum: servorum carissimi libertate et alii pecunia donati. atque ipse mæstus et magnæ cogitationis manifestus erat, quamvis lætitiam vagis sermonibus simularet. Postremo *vulneribus ligamenta, quibusque sistitur sanguis, parare* eundem Milichum monet; sive gnarum conjurationis et illuc usque fidum, seu nescium et tunc primum adreptis suspicionibus, ut plerique tradidere de consequentibus. Nam, cum secum servilis animus præmia perfidiæ reputavit, simulque inmensa pecunia et potentia obversabantur, cessit fas et salus patroni et acceptæ libertatis memoria. Etenim uxoris quoque consilium adsumpserat, muliebre ac deterius. quippe ultro metum intentabat, *multosque adstitisse libertos ac servos, qui eadem viderint: nihil profuturum unius silentium: at*

55 *præmia penes unum fore, qui indicio prævenisset.* Igitur, cœpta luce, Milichus in hortos Servilianos pergit: et, cum foribus arceretur, *magna et atrocia adferre* dictitans, deductusque ab janitoribus ad libertum Neronis, Epaphroditum, mox ab eo ad Neronem, *urgens periculum, graves conjurationes,* et cetera, quæ audierat conjectaveratque, docet. Telum quoque in necem ejus paratum ostendit, accirique reum jussit. is raptus per milites et defensionem orsus, *Ferrum, cujus argueretur, olim religione patria cultum, et in cubiculo habitum ac fraude liberti subreptum,* respondit. *Tabulas testamenti sæpius a se, et incustodita dierum observatione, signatas. Pecunias et libertates servis et ante dono datas, sed ideo tunc largius, quia, tenui jam re familiari et instantibus creditoribus, testamento diffideret. Enimvero liberales semper epulas struxisse et vitam amœnam et duris judicibus parum pro-*

positione. Ern. Sic Bud. Ap. Lucan. quoque 7, 139. *cotibus asper exarsit mucro.*

Magnæ cogitationis manifestus] Seneca in Controv. 2, 5. (13.) *Tyrannus suspicatus est, sive isti aliquid excidit, sive magna consilia non bene vultus tegit.* Lips.

Vagis sermonibus] Cod. Agr. *variis.* Sed *vagi sermones* et ap. Claudian. in Probi et Ol. Cons. 1, 31. *Vagus rumor* H. 3, 25.

Parare eumdem Milichum] Sententia apta est: tamen libri illud verbi redarguunt: quorum partim *fartiebat eumdem;* alii, *partiebatque;* nonnulli *partiebatur.* Quid veri, quæro. Lips. Primum est MS. Bud. alterum Flor. et Guelf. tertium ed. pr. *Parare* Puteol. edidit, nescio an e MS. Ern. Forsan e cod. Genuensi. Hiller. Rac. 34. conjicit *ligamenta . . . sarcire.*

Et illuc usque fidum] Sic MSS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. ante Rhen. omnes: in hujus ed. primum comparet *hucusque,* quod vitio operarum invectum puto. sed id tenuere omnes usque ad J. Gronov. Ern.

De consequentibus] Grotius conjiciebat *conscientibus.* male. Tradere est historicorum. Intelligo de scriptoribus, qui post illa tempora vixere ac scripsere. Sic Cicero dixit *consequens* et *posterum tempus* synonymice. Ern. Brot. explicat de istorum mandatorum consequentiis. Heins. pro glossa habet.

In hortos Servilianos] Cf. H. 3, 38. Suet. 47.

Epaphroditum] Qui a libellis fuit. de quo Suetonius Neron. 49. Et Domit. 14. Est ille ipse, cui nobilis servus Epictetus fuit. Suidas et Arrianus 1, 1. Lips.

batam. Fomenta vulneribus nulla jussu suo, sed, quia cetera A. U.
palam vana objecisset, adjungere crimen, ut sese pariter indi- 819.
cem et testem faceret. Adjicit dictis constantiam. incusat A. C.
ultro *intestabilem et consceleratum,* tanta vocis ac vultus 66.
securitate, ut labaret indicium, nisi Milichum uxor admonuisset, *Antonium Natalem multa cum Scevino ac secreto conlocutum, et esse utrosque C. Pisonis intimos.* Ergo accitur 56
Natalis: et diversi interrogantur, *quisnam is sermo, qua de re fuisset?* cum exorta suspicio, quia non congruentia responderant: inditaque vincla. Et tormentorum adspectum ac minas non tulere. Prior tamen Natalis, totius conspirationis magis gnarus, simul arguendi peritior, *de Pisone* primum fatetur. deinde adjicit *Annæum Senecam,* sive internuntius inter eum Pisonemque fuit, sive ut Neronis gratiam pararet, qui infensus Senecæ, omnes ad eum opprimendum artes conquirebat. Tum, cognito Natalis indicio, Scevinus quoque, pari inbecillitate, an cuncta jam patefacta credens nec ullum silentii emolumentum, edidit ceteros. ex quibus Lucanus Quinctianusque et Senecio diu abnuere. Post, promissa inpunitate conrupti, quo tarditatem excusarent, Lucanus *Atillam matrem suam,* Quinctianus *Glitium Gallum,* Senecio *Annium Pollionem,* amicorum præcipuos, nominavere. Atque interim Nero recordatus, Volusii Pro- 57

Adjungere crimen visum se—facere] Non erat hoc crimen, fomenta parasse; sed conjurasse. Itaque legam, *se crimini, cujus se pariter indicem et testem faceret.* Et vero libri etiam quidam, *faceret,* præferunt. Lips. Mihi sedet, Acidalium rem acu tetigisse: *adjungere crimen, cujus.* i. adjicere hanc quoque calumniam, quam et deferat ipse, et sibi tanquam testi credi velit. Gron. Lectio, quæ in textu hodie est, inducta est a Pichena, ut consentanea scripturæ MS. Flor. eademque est in MS. Agr. (nec ex ingenio Agr. ut Pich. putabat.) ante jam prolata et probata a Modio ep. 15. At MS. Flor. Jac. Gron. contendit, potius Acidalii conjecturæ favere. Est in codice *l; sisse.* Ex quo ego neque *ut sese* neque *cujus se* eruam. Est enim *lussisse:* unde quidam liber Gronovio citatus etiam habuit *jussisse.* MS. Guelf. edd. a Puteol. omnes usque ad Pichenam *visum : se—facere.* MS. Bud. *vixisse.* ed. pr. *dixisse. Pariter —faceret.* Ern. Ex lectione Bud. *vixisse* Rhenanus conjiciebat leg. *nixum se p. ind. et t. f.*

Ac secreto collocutum] Farnes. *secreta,* et ad oram, *Seneca.* non probo. Statim e libris edidi: *An cuncta jam patefacta credens.* non ut (et in Bud.) obtinuerat, *ante.* Notum et creberrimum Tacito dicendi genus. Lips. *Secreta* etiam MSS. Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. quod recepit Broterius. Ern.

Ergo accitur Natalis] Sic MSS. Flor. Guelf. Agr. edd. ante Rhenanum omnes, qui (e Bud.) edidit *accitus.* Vetus cum Ryckio restituimus. Ern.

Cum exorta susp.] Bud. *tum.* Mox e. Agr. *Sed torm. adsp.*

Conjurationis] Sic Lipsius. At Flor. Bud. et edd. vet. *conspirationis.* Dein Bud. male *magis ignarus.* Pro *peritior* Faernus dabat *paratior,* sed simul mutat *arguendi* in *arguenti,* Pricæus in *urgenti,* scil. Neroni. Bip. legunt *arguendi promtior.* Lall. *apertior,* quod placet, quippe proxime ad vulg. accedens. Sic Cic. pro Mur. 25. *ut semper fuit apertissimus.*

Quinctianus] Bud. *Quintilianus.*

Glitium Gallum] Ita scribendum nomen, non *Glicium.* Frequens in lapidibus *Glitiorum* mentio. V. Grut. in ind. Sed *Glitii* quoque *Galli* epitaphium, ante duo sæcula Veiis repertum, exhibet Nardinus in Veiis ant. 2, 2. Cf. thes. Ital. ant. t. 8. parte 3. p. 56

A. U. 819. A. C. 66. culi indicio Epicharin adtineri, ratusque muliebre corpus impar dolori, *tormentis dilacerari* jubet. At illam non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium, ne a femina spernerentur, pervicere, quin objecta denegaret. Sic primus quæstionis dies contemptus. Postero, cum ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellæ, (nam dissolutis membris insistere nequibat) vinclo fasciæ, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellæ restricto, indidit cervicem, et, corporis pondere connisa, tenuem jam spiritum expressit: clariore exemplo libertina mulier, in tanta necessitate, alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui et viri et Equites Romani Senatoresque, intacti tormentis, carissima suorum quisque pignorum proderent. Non enim omittebant Lucanus quoque et Senecio et Quinctianus passim conscios edere, magis magisque pavido Nerone, quam-
58 quam multiplicatis excubiis semet sepsisset. Quin et urbem,
per manipulos occupatis mœnibus, insesso etiam mari et amne, velut in custodiam dedit. Volitabantque per fora, per domos, rura quoque et proxima municipiorum, pedites equitesque, permixti Germanis, quibus fidebat Princeps, quasi externis. Continua hinc et juncta agmina trahi ac foribus hortorum adjacere. Atque, ubi dicendam ad caussam introissent, *lætatum erga conjuratos, sed fortuitus sermo et subiti occursus, si convivium, si spectaculum simul inissent*, pro crimine accipi: cum, super Neronis ac Tigellini

Gestamine sellæ] Eadem sævitia est, quam tangit Ammianus 29, 2. *Promiscue juvenes aliique, membris omnibus capti, ad supplicia sellis gestatoriis ducebantur.* Lips. De fascia pectorali mulierum, quæ et *strophium* dicitur, v. quos citavi in Clav. Cicer. in *strophium.* Ern. Cf. Non. Marc. 14, 8.

Connisa] Bud. *connixa.*

Senatoresque intacti tormentis] Ita Farnes. optime. Vatic. *intactis.* littera una redundante. Ex quo fonte vulgatus error, *in tantis.* Res clara. Insigni laude, ait, dignanda libertina mulier, quæ toties pressa constanter indicare abnuerit ignotos: cum viri et Senatores etiam proxima pignora sua proderent sine tormentis. Lips. *Intacti* placuerat ante Faerno, Agr. *Intactis* etiam MS. Flor. ed. pr. At MS. (Bud.) Guelf. *in tantis* vitiose, ut omnes edd. a Puteol. usque ad Lipsium. Ern.

Carissima suorum quisque pignorum proderent] Sic recte MSS. Fl. Guelf. edd. ante Rhen. omnes: qui (e Bud.) dedit *carissima quoque s. p.* Vetus restituit Pichena. Ern. In Bud. legitur *pignora.*

Lætatum erga conjuratos] Arrisisse aliquando quacumque occasione cuiquam e conjuratis; frontem exporrexisse, et vultum hilariorem finxisse ad adventum, aspectum, obitum, occursum, alloquium, dictum, gestum motumve alicujus. Nihil hic suspectum. Gron. *Lætatum* MS. Guelf. ed. pr. In ed. Put. est *latatum,* vitio operarum; sed id servatum usque ad Rhenanum, qui *lætatum* (e Bud.) restituit. Verum post dedi *sed fortuitus sermo,* ut est in MS. Guelf. et aliis ap. Broterium. edd. pr. Puteol. Ap. Beroaldum vitio operarum irrepsit *si* (nam alioqui sequitur Puteolanum) quod temere propagatum est. Sensus est: non modo lætatum esse erga conjuratos crimen erat, sed etiam cum iis forte collocutum etc. Variat deinde orationem et pergit, *si convivium* etc. *Non modo* omitti ante *sed,* supra jam vidimus, estque non rarum in Tacito. Ern. *Si fort. sermo* est et in Bud. et bonum sensum exhibet. præstat tamen *sed.* Bip. mallent *et.* parum refert.

sævas percunctationes, Fenius quoque Rufus violenter urgeret, nondum ab indicibus nominatus, sed, quo fidem inscitiæ pararet, atrox adversus socios. Idem Subrio Flavio adsistenti adnuentique, an inter ipsam cognitionem destringeret gladium, cædemque patraret, renuit infregitque inpetum jam manum ad capulum referentis. Fuere, qui prodita conjuratione, dum auditur Milichus, dum dubitat Scevinus, hortarentur Pisonem, *pergere in castra, aut rostra escendere, studiaque militum et populi tentare, si conatibus ejus conscii adgregarentur, secuturos etiam integros: magnamque motæ rei famam, quæ plurimum in novis consiliis valeret. Nihil adversum hoc Neroni provisum. etiam fortes viros subitis terreri; nedum ille scenicus, Tigellino scilicet cum pellicibus suis comitante, arma contra cieret. Multa experiendo confieri, quæ segnibus ardua videantur. Frustra silentium et fidem in tot consciorum animis et corporibus sperari. Cruciatu aut præmio cuncta pervia esse. Venturos, qui ipsum quoque vincirent, postremo indigna nece adficerent. Quanto laudabilius periturum, dum amplectitur Rempublicam, dum auxilia libertati invocat. Miles potius deesset et plebes desereret; dum ipse majoribus, dum posteris, si vita præriperetur, mortem adprobaret?* Inmotus his et paullulum in publico versatus, post domi secretus, animum adversum suprema firmabat, donec

A. U. 819. A. C. 66.

59

Sed quo fidem] Acid. et Freinshem. mallent *et q. f.* Mox Bud. *stringeret.*

Retinuit, infregitque] Faernus dudum, *renuit*, legebat: probaturque a quibusdam libris, et rectum est. Annuerat Flavius, iste renuit. Lips. *Renuit* MSS. Flor. et alii, ed. pr. (At Bud. *retinuit infregit imp.* Sed *renuit* probat etiam Pricæus ad Apul. Met. 6. p. 300. Pichena putat, scriptum fuisse *rennuit* indeque ortum *retinuit.*) Paullo ante Ryckius e MS. Agr. dedit *innuenti*, ut placuerat Acidalio. At etiam *annuere* pro *innuere* dicitur, ut ap. Cicer. pro Quint. c. 5. *Simulatque sibi hic annuisset, Numeraturum se dicebat*, ut omnes scripti; sed et ibi contra libros Lambinus edidit *innuisset:* male, ut judicant Gruterus et Passeratius. Reperit tamen Broterius *innuentique* et in tribus aliis MSS. Ern. Bud. *annuenti.*

Rostra escendere] Libri scripti. Lips. Vulgo ante *conscendere.* Ern. Sic Bud.

Multa confieri] Sic bene e Flor. (et ed. Ven.) Pichena pro *fieri;* quod est in omnibus aliis. Mox MS. Guelf *consociorum* male. V. ad 4, 33. Verbo *corporibus* respicitur ad tormenta, quæ pauca corpora perferre ac vincere possunt. Post *cruciatu* pro dativo accipiendum. Atque etiam ed. pr. *cruciatui*, sicut cod. Reg. Ern. Bud. *consciorum . . . cruciatu.*

Miles potius deesset] Delevi *dum* et punctum feci, ut Acidalius volebat, quia non modo sic MS. Flor. sed etiam (Bud.) Guelf. in quo male manus sec. supra adscripsit *dum.* Atque ita plane sensus desiderat. Melius esse deseri a milite et plebe, et Reip. caussa mori cum gloria. Mox *immotus his* e MS. Guelf. ed. pr. dedi pro *iis.* Illa est Corneliana formula. Ern. Bud. *inmotus his.* Sic solet iste codex. Mox habet *quis Nero*, puto *quis* pro *quibus.* Sed bene vulg.

Animum firmabat] Sic recte MS. Flor. edd. vett. ante Rhen. (qui [e Bud.] dedit *firmat*, quod est etiam in Guelf. cf. c. 51. extr.) sequitur enim *adveniret:* pro quo rectius esset *advenit.* Restituit Pichena. Contra bene mox Rhen. (ex ingenio) edidit *tamquam.* Edd. superiores omnes et MS Guelf. (et Bud.) *quamquam.* Ern.

A. U. 819. A. C. 66. manus militum adveniret, quos Nero tirones aut stipendiis recentes delegerat. Nam vetus miles timebatur, tamquam favore inbutus. Obiit, abruptis brachiorum venis. Testamentum fœdis adversus Neronem adulationibus amori uxoris dedit; quam degenerem, et sola corporis forma commendatam, amici matrimonio abstulerat. Nomen mulieris Arria Galla; priori marito, Domitius Silus: hic patientia, illa inpudicitia, Pisonis infamiam propagavere.

60 Proximam necem Plautii Laterani, Consulis designati, Nero adjungit, adeo propere, ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permitteret. Raptus in locum servilibus pœnis sepositum manu Statii, Tribuni, trucidatur, plenus constantis silentii, nec Tribuno objiciens eandem conscientiam. Sequitur cædes Annæi Senecæ, lætissima Principi, non quia conjurationis manifestum compererat, sed ut ferro

Recens stipendiis] Heins. malebat *stipendii*, ut 4, 52. *recens Præturæ*, sed et illud ex ipsius ingenio. Cf. notata ad 1, 41.

Nomen mulieris] Sic omnes scr. et edd. non *mulieri*, ut Acidalio placebat. *Atria* MS. (Bud.) Guelf. ed. pr. Puteol. *Arria* ed. Beroald. seqq. omnes, nescio, an e libris scr. Etiam *Atrii* et *Atriæ* reperiuntur. *Silius* Rhen. (e Bud.) sqq. MSS. Guelf. at MS. Flor. *Silus* ed. pr. *Sillus*. Edd. ante Rhen. *filius*, male. de cognomine *Silus* v. Drakenb. ad Liv. 32, 28. Ern.

Breve mortis arbitrium] Profecto breve. Nam Nero *mori jussis non amplius quam horarium spatium dabat*. Lips.

Servilibus pœnis sepositam] Disce ergo clare, lector, locum certum fuisse in pœnam servorum viliumque capitum. Quem illum? *Sestertium*, ut opinor. Ita enim locus, non Romæ, sed extra urbem, ubi cruces, patibula defixa, cadavera abjecta, aliaque quæ ad supplicia plebis. Plutarchus in Galba 28. Τὸν δὲ Γάλβα τοῖς Πατροβίου καὶ Οὐιτελλίου δούλοις ἐδωρήσαντο. Λαβόντες δὲ ἐκεῖνοι, καὶ πάντα τρόπον αἰκισάμενοι καὶ καθυβρίσαντες, ἔῤῥιψαν ᾗ τοὺς ἀπὸ τῶν Καισάρων κολαζομένους θανατοῦσιν. Ὁ δὲ τόπος Σηστέρτιον καλεῖται. Extra urbem, dico, is locus (errant qui de gemoniis suspicantur) vel nominis argumento. Sic enim dictus, quia semitertio ab urbe milliari. Ea quidem ratio appellandi recepta Romanis. Ita *Septimum*, Palatium sub urbe, Justiniani, l. 34. C. De donation. *Decimum*, suburbanum Carthaginis Procopio. *Septimum*, Hostiense, Symmachi villa, ep. 6, 8. *Quartum* Latinæ, apud eumdem 9, 64. *Quartum* Pollionis, ap. Martialem 3, 20. Credo, fuisse extra portam Esquilinam: et odorari videor corruptionem ejus verbi in commentatore Horatii, uti Cruquius, sedulæ industriæ interpres, eum edidit ad Epod. 5. *Esquilinus mons Romæ ex septem montibus. Hinc Esquilina porta Romæ dicitur, ad sessorium, ubi certus erat locus sepulchrorum ad corpora pauperum aut sceleratorum viliumque comburenda, aut canibus projicienda.* Legerim *ad sestertium.* Sicut in vita Cypriani: *Cum venisset ad eum locum, qua dicitur Sextus, quarto ab urbe milliari.* emendatum ab aliis recte, *sextertius.* Lips.

Plenus constantis silentii] Egregii viri mortem plenius Arrianus descripsit 1, 1. Λατερανός τις ἐν Ῥώμῃ κελευσθεὶς ὑπὸ τοῦ Νέρωνος ἀποκεφαλισθῆναι, ἐκτείνας τράχηλον, καὶ πληγεὶς, καὶ πρὸς αὐτὴν τὴν πληγὴν ἀσθενῆ γενομένην ἐπ' ὀλίγον συνελκυσθεὶς, πάλιν ἐξέτεινεν. Ἀλλὰ καὶ ἔτι πρότερον, προσελθόντι Ἐπαφροδίτῳ τῷ ἀπελευθέρῳ τοῦ Νέρωνος, καὶ ἀνακρίναντι αὐτὸν ὑπὲρ τοῦ συγκρουσθῆναι, Ἄν τι θέλω, φησὶν, ἐρῶ σου τῷ κυρίῳ. O excelsum animum et supra omnem hanc terrenam fæcem! Lips.

Conjurationis manifestum compererat] MSS. Flor. Oxon. non habent *manifestum*, placetque J. Gronovio, quod *manifestus conjurationis*, et *compertus conjurationis* nil differunt. *Manifesto compertus* bene dici, ipse agnoscit. Accipe igitur adjectivum dictum pro adverbio: in salvo erit vulgata

grassaretur, quando venenum non processerat. Solus quippe Natalis et hactenus prompsit: *missum se ad ægrotum Senecam, uti viseret conquerereturque, cur Pisonem aditu arceret? melius fore, si amicitiam familiari congressu exercuissent.* Et respondisse Senecam: *sermones mutuos et crebra conloquia neutri conducere: ceterum salutem suam incolumitate Pisonis inniti.* Hæc ferre Cranius Silvanus, Tribunus Prætoriæ cohortis, et, *an dicta Natalis suaque responsa nosceret*, percunctari Senecam jubetur. Is, forte, an prudens, ad eum diem ex Campania remeaverat, quartumque apud lapidem, suburbano rure, substiterat. Illo propinqua vespera Tribunus venit et villam globis militum sepsit. Tum ipsi, cum Pompeia Paullina uxore et amicis duobus epulanti, mandata Imperatoris edidit. Seneca, *missum ad se Natalem conque-* 61
stumque nomine Pisonis, quod a visendo eo prohiberetur, seque rationem valetudinis et amorem quietis excusavisse, respondit. *Cur salutem privati hominis incolumitati suæ anteferret, caussam non habuisse. nec sibi promtum in adulationes ingenium. Idque nulli magis gnarum, quam Neroni, qui sæpius libertatem Senecæ, quam servitium expertus esset.* Ubi hæc a Tribuno relata sunt, Poppæa et Tigellino coram, quod erat sævienti Principi intimum consiliorum, interrogat: *an Seneca voluntariam mortem pararet?* Tum Tribunus, *nulla pavoris signa, nihil triste in verbis ejus aut vultu deprehensum*, confirmavit. Ergo *regredi et indicere mortem* jubetur. Tradit Fabius Rusticus, *non eo, quo venerat, itinere reditum,*

A. U. 819.
A. C. 66.

lectio. Mox *uti* MSS. Flor. Guelf. ed. pr. ERN. Bud habet *manifestum compererat.* Mox *ut f. gr. quoniam.* Dein *exercuisset.*

Tribunus cohortis] Sic post Lipsianas operarum vitio editum, ad Jac. Gronovium, qui restituit *prætoriæ*, quod MSS. et edd. veteres habent. ERN. Bud. *Granius S. prætoriæ coh.*

Ex Campania] Ubi extremis annis multus fuit, rarior in aula, et sapientiæ studiis occupatus. *Epistolæ* ibi et *Quæstiones Naturales* sub hoc tempus structæ. LIPS.

Quartumque apud lapidem] In villa sua Nomentana, ut volunt, qui vitam nobis scripsere. Sed ambigo, quia Nomentum longius aberat et duodecimo fere lapide. Nisi si tractus eo versus hucusque Nomentanus diceretur. LIPS.

Villam globis militum sepsit] *Globis* non *globus* MSS. Fl. (Agr. Bud.) Guelf. ed. pr. unde recipere non dubitavi. Sic et cod. Reg. at Corb. *globus.* Ad invadendum *globus* sufficit: ad obsidendos omnes villæ aditus *globi* requiruntur. ERN.

Cum Pompeia Paullina uxore] Quam nobilissimam feminam Dio appellat; filiam fortean Pompeii Paullini, qui supra Consularis dicitur, et vectigalibus publicis præpositus. LIPS. Mox *a visendo* MSS. Flor. Guelf. a man. sec. edd. vett. ante Rhen. Ryck. Gronov. Rhenanus (Bud. secutus) deleverat præpositionem, quæ et MSS. tribus ap. Broterium abest. Item *seque* Fl. (Bud.) Guelf. ed. pr. quod restituit Pichena. Guelf. etiam *ratione* et *amore* ut edd. ante Pich. præter pr. ERN. Bud. *rationes val. et amore q.* Sed sub *s* punctum positum delendum indicat et leg. *ratione.*

Nec sibi promptum] Ipse de se ad Neronem: *Non blandiar auribus tuis. nec enim mihi hic mos est. Maluerim veris offendere, quam placere adulando.* LIPS.

Nulla pavoris signa] Lege hæc cum sequentibus: et admitte, sodes, calumnias Dionis. LIPS.

Itinere reditum, sed] MS. Guelf.

A. U. *sed flexisse ad Fenium, Præfectum, et expositis Cæsaris jussis,*
819. *an obtemperaret, interrogavisse; monitumque ab eo, ut exse-*
A. C. 66. *queretur;* fatali omnium ignavia. nam et Silvanus inter conjuratos erat, augebatque scelera, in quorum ultionem consenserat. Voci tamen et adspectui pepercit. Intromisitque ad Senecam unum ex Centurionibus, qui *necessitatem*
62 *ultimam* denuntiaret. Ille interritus poscit *testamenti tabulas:* ac, denegante Centurione, conversus ad amicos, *quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur*, quod unum jam et pulcherrimum habebat, *imaginem vitæ suæ relinquere*, testatur: *cujus si memores essent, bonarum artium famam, tum constantis amicitiæ laturos.* Simul lacrimas eorum, modo sermone, modo intentior, in modum coercentis, ad firmitudinem revocat, rogitans; *ubi præcepta sapientiæ? ubi tot per annos meditata ratio adversum imminentia? Cui enim ignaram fuisse sævitiam Neronis? Neque aliud superesse, post matrem fratremque interfectos, quam ut educatoris præceptoris-*
63 *que necem adjiceret.* Ubi hæc atque talia in commune disseruit, complectitur uxorem, et, paullulum adversus præ-

redditum. MS. Reg. et ed. pr. *reditu-rum.* Ern. Bud. *reditum.*

Quod unum jam et tamen pulcherrimum] *Et tamen* MS. Flor. (et ed. Ven.) teste J. Gron. Guelf. ed. pr. et ceteræ ante Rhen. qui (e Bud.) fecit *jam tamen et.* Pichena velut e MS. Flor. et ed. Puteol. *jam attamen*, quod falsum est, et secuti sunt tamen omnes usque ad Ryckium, qui velut e Flor. dedit *jam tamen pulch.* Sed *et tamen* restituit J. Gron. Mihi vero illud *tamen* friget: et alias Tacitus *et* pro *at* sæpe, sed semper sine *tamen:* unde vereor, ne ex *jam et* natum sit. Deinde *habeat* e Flor. edidere Ryckius et J. Gron. Conjunctivus hic quidem melior, sed *haberet* esse deberet, non *habeat*, quia præcedit *prohiberetur.* Itaque *habebat* servavi, quod e Taciti persona dictum accipe: nam, si Seneca dixisset, jactantius foret: quare etiam *habeat* displicet. Aliis quoque locis tales indicativos vidimus, quos dixi accipiendos esse e persona narrantis, ut sæpe etiam apud Livium. Ern. Bud. *hebat* vitiose pro *habebat.* Certatim *habeat* recepere post Ryckium et J. Gron. Brot. Lall. Bip. Verum recte monet Ern. jactantiam istam ingenio Senecæ non convenire. Sunt ergo verba Taciti, quod litteris mutatis indicavi, servato *habebat*, quod Ern. restituit, et deleto *tamen*, quod sensum turbat. Sic sentit et Hiller. Rac. 15.

Cujus si memores essent etc.] Faernus delebat *bonarum artium:* at Muretus et Acidalius pro *tam* legunt *tum*, quod placet Ryckio, estque illo lenius, placuitque viro docto in marg. Gryph. Melius, opinor, deleatur. Ern. Bud. pro *tam* habet *jam.* Bip. sub ea voce latere putant *æternam*, et *bonarum artium* uncinis includunt, tanquam spuria. Mihi secus videtur. Si imaginem vitæ suæ intueantur et sequantur amici, fore spondet moriturus Seneca, ut et *bonarum artium* et *constantis amicitiæ famam ferant.* Sic demum plenus loco sensus constat. Ergo incidendum post *essent*, non post *artium*, et pro *tam* legendum *tum.* Is hujus particulæ usus admodum frequens est, omisso, cui alias respondit, *cum* vel *tum* prioris membri.

Velut in commune] Semper mihi visum est frigere τὸ *velut*, nec ulla caussa est, cur addatur. Vere enim ista in commune disseruit. Ecce MS. Guelf. habet *ultro*, i. e. insuper, amplius, alia plura disseruit. Sed MS. Reg. non habet *velut.* itaque cum Broterio delevi. Ern. Bene deest et in Bud.

Adversus præsentem formidinem mollitus] Liber Flor. *fortitudinem:* quod Pichena explicat, contra ingenitam ac præsentem fortitudinem. At ego *formidinem* retineam: sed a Seneca amoliar in uxorem, legamque *mollitam.* Quod si de Seneca, legam:

sentem fortitudinem mollitus, rogat oratque, *temperaret dolori, nec æternum susciperet, sed in contemplatione vitæ, per virtutem actæ, desiderium mariti solatiis honestis toleraret.* Illa contra, *sibi quoque destinatam mortem*, adseverat, manumque percussoris exposcit. Tum Seneca, gloriæ ejus non adversus, simul amore, ne sibi unice dilectam ad injurias relinqueret: *vitæ*, inquit, *delinimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis. non invidebo exemplo. Sit hujus tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine.* Post quæ eodem ictu brachia ferro exsolvunt. Seneca, quoniam senile corpus et parvo victu tenua-

A. U. 819. A. C. 66.

adversus præsentia formidine mollitus. Nimirum adspectu illo complexuque amatæ et amantis uxoris, et cogitatione instantium, sensit metus aliquos motus; sed compressit et evicit. statimque uxorem ad robur etiam hortatur. LIPS. Scribendum, *paullulum adversus præsentem formidine mollitus* diximus Obs. 2, 20. GRON. Nempe adversus præsentem uxorem mollitus est cogitatione periculi, in quo ipsa esset. Qui est percommodus et loco aptissimus sensus. Sed nescio, cur adversus *præsentem* dixerit, et quæ vis isti verbo. Nam et ante præsens erat, et sufficiebat *eam.* Contra, etsi fero, et credo Senecam mollitum paullulum fuisse: homo enim erat et sensu humanitatis non vacuus: tamen mihi non satis cohærere videntur *mollitur et orat.* Itaque fateor mihi placere *molitus*, quod in MS. Guelf. et ed. pr. extat, et haud dubie e scriptis sumtum a Mureto. Broterius sic et in MSS. duobus reperit. *Moliri adversus formidinem* elegantissimum genus loquendi, quod a librariis esse non credo. Ita sensus optimus procedit. Quædam in commune dixerat: jam quædam proprie uxori dicturus, eam amplectitur. Hic vero movetur humanus animus aliquo timore, non de se, sed de uxore, quam amabat vehementer. Sed non vult sentiri motum istum, ne obsit confirmaturo uxorem: Igitur contra molitur pugnatque opprimere, ne erumpat. Sic ap. Virgil. Æneas 4, 332. *obnixus curam sub corde premebat. Tandem pauca refert.* His de caussis non dubitavi recipere. Idem placebat viro docto in marg. Gryph. recepitque Broterius. *Mollita* pro *molita* etiam MS. Guelf. H. 1, 73. Add. ad 14, 14. apud Terent. Heaut. 2, 2, 11. in vett. edd. quibusdam est, dum *molliuntur*, pro *moliuntur.* ERN. Bud vulg. exprimit. Mihi lectio Pichenæ potior videtur. Eam recipio cum Bip.

Rogat oratque] Bud. *orat rogatque.*

Temperaret dolori, ne æternum susciperet] Legendum *temperaret dolorem æternum suscipere.* Vide 2. Obs. 20. GRON. Recte. *Dolorem* MS. Fl. Guelf. ERN. Flor. *temp. dolorem æt. susciperet.* Inde emendatio Gronovii, recisa una litterula. Sed bene habet vulg. quod et in Bud. Pro *ne* tamen recte cum Heinsio *neu* vel *neve*, vel cum Bip. *nec* ponetur. Lallem. Gronovium sequitur. Bud. mox *delenimenta.*

Ne æternum susciperet] Quid hic turbent aut rescribant, nescio; creber et velut ex formula sermo erat de *æterno*, id est magno et insolabili dolore. Lucretius 3, 921. — *æternumque Nulla dies nobis mærorem e pectore tollet.* In lapidibus: *Æterno dolore adflictus.* Rogat ergo parce et modice, id est sapienter, dolere. LIPS.

Parvo victu tenuatum] Cuilibet in mentem veniat *parco.* nam *parcus victus* cui ignotus? Itaque cum J. Gron. in Flor. vidisse se testatus esset, primum scriptum fuisse *parco*, deinde deleto verbo inscriptum *parvo*, et ipse et Ryckius recepere *parco.* Ego servo *parvo.* Nam, *parvum victum* dici posse, nec J. Gronovius negat: Et dicitur h. l. melius, quam *parcus.* nam non solum parum cibi sumsisse indicat, sed etiam tenuem, levem, a quo parum nutrimenti ac succi venerit, ut noster ipse narrat supra c. 45. ubi *persimplicem victum* vocat: qui est *parvus*, non *parcus.* Porro non illa recens manus fuit, quæ pro *parcus parvus* rescripsit, sed, ut ipse fatetur, vetus. Nempe librarius scripserat *parco*, dein cum rursus inspexit exemplar suum,

A. U. 819. A. C. 66. tum lenta effugia sanguini præbebat, crurum quoque et poplitum venas abrumpit. Sævisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum uxoris infringeret, atque ipse visendo ejus tormenta ad inpatientiam delaberetur, suadet, *in aliud cubiculum abscedere.* Et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus, pleraque tradidit, quæ, in vulgus edita ejus verbis, invertere supersedeo.

64 At Nero, nullo in Paullinam proprio odio, ac, ne glisceret invidia crudelitatis, inhiberi mortem imperat. Hortantibus militibus, servi libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignaræ. nam, ut est vulgus ad deteriora promptum, non defuere, qui crederent, *donec inplacabilem Neronem timuerit, famam sociatæ cum marito mortis petivisse: deinde, oblata mitiore spe, blandimentis vitæ evictam:* cui addidit paucos postea annos, laudabili in maritum memoria, et ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset, multum vitalis spiritus egestum. Seneca interim, durante tractu et lentitudine mortis, Statium Annæum, diu sibi amicitiæ fide et arte medicinæ probatum, orat, *provisum pridem venenum,* quo damnati publico Atheniensium judicio exstinguerentur, *promeret:* adlatumque hausit frustra, frigidus jam artus, et clauso

vidit *parvo.* Itaque correxit. Ed. pr. habet *cum parvo v.* Fuit forte in MS. *tum.* Ern. Bud. *parvo.*

Suadet in aliud cubiculum abscedere] *Abscedere* MS. Guelf. edd. ante Rhen. omnes. Rhen. e MS. Bud. *abscederet,* quod omnes secuti sunt. Ern. In Bud. est *absceder̄ et nov.* lineola τῷ *r* inposita, quam videtur non attendisse Rhen. unde ad sequaces ejus error defluxit.

Invertere supersedeo] Meis, adeoque aliis verbis narrare. *Invertere* idem est, quod commutare, commutatis verbis dicere: non pervertere, corrumpere, ut accepit Rhenanus, qui propterea malebat *innectere.* Sic *oratio conversa et mutata* ap. Cicer. Partit. c. 7. i. e. aliis atque aliis verbis expressa. Ern. Hiller. Rac. 15. pro *invertere* forsan leg. conjicit *inserere* vel *inferre.* Heins. *insertare.*

Inhibere mortem] Ita primus edidit Freinsh. e conjectura Rhenani, idque omnes secuti sunt exemplum, præter Ryckium. *Imperat* abest a MSS. Flor. Bud. ed. pr. *Inhiberi* contra habent omnes scr. et edd. unde suspicio non levis, *imperat* potius excidisse. Quia Broterius *inhiberi imperat* in tribus MSS. reperit, habentque edd. Put. Rivii etc. cum ipso recepi. *Inhiberi* est impediri. Ern. Quum codd. habeant *inhiberi,* sat clare patet, omissum esse *imperat,* quod in aliis bene suppletur.

Incertum an ignaræ] i. e. an ita jam e sanguinis nimia detractione defecerit animo, ut non intelligeret ac sentiret, sibi obligari brachia. Nullo modo cum Acidalio tentandum *ingratæ,* pro *invitæ.* Ern.

Mitiore spe] C. Agr. *meliore.* glossa.

Et lentitudine mortis] Sic MSS. Guelf. (Bud.) et alii ap. Broterium: edd. Put. Riv. Lips. sqq. At vett. *lenitudine.* vitiose. *Tractu durante* int. sanguinis: qui dicitur *trahi,* cum per venas emittitur. Sensus: cum sanguis nimis diu flueret tardeque effunderetur, adeoque nimis lentam mortem fore appareret. Ern.

Venenum, quo] Cicutam. Lips.

Frigidus jam artus] Sic habent MSS. Flor. Bud. Guelf. ed. pr. Itaque cum J. Gronovio recepi, cum præsertim et Tacitus et alii historici hunc Græcismum non refugiant. v. J. F. Gron. ad H. 1, 42. et J. Gron. ad h. l. MSS. Flor. et Bud. etiam *cluso corpore.* Ultima verba male Gruterus pro glossa habet. Ern.

corpore adversum vim veneni. Postremo stagnum calidæ aquæ introiit, respergens proximos servorum, addita voce: *Libare se liquorem illum* JOVI LIBERATORI. Exin balneo inlatus, et vapore ejus exanimatus, sine ullo funeris solenni crematur. Ita codicillis præscripserat, cum etiam tum prædives et præpotens supremis suis consuleret. A. U. 819. A. C. 66.

65 Fama fuit, Subrium Flavium cum Centurionibus occulto consilio, neque tamen ignorante Seneca, destinavisse, *ut, post occisum opera Pisonis Neronem, Piso quoque interficeretur, tradereturque Imperium Senecæ, quasi insontibus claritudine virtutum ad summum fastigium delecto.* Quin et verba Flavii vulgabantur: *non referre dedecori, si citharœdus demoveretur et tragœdus succederet:* quia, ut Nero cithara, ita Piso tragico ornatu canebat.

66 Ceterum militaris quoque conspiratio non ultra fefellit, accensis indicibus ad prodendum Fenium Rufum, quem eundem conscium et inquisitorem non tole-

Stagnum calidæ aquæ] Non solet: et scribit ipse, *in omnem vitam balneo se abstinuisse:* sed nunc usurpat primum et postremum, maturandæ morti, et ut sanguis efflueret, vel ut venenum in calidum corpus permearet. *Stagnum* autem intellegit *solium*, opinor. Lips.

Libare se liquorem] Ita Thraseas moriturus 16, 35. *Libemus, inquit, Jovi Liberatori.* Caussa viris magnis, hujus in supremis joci, a more Græciæ, qui discessuri e convivio libabant Jovi Servatori. sic isti e vita, Jovi Liberatori. Athenæus 15, 5. in fragmento, quod Canterus, olim amicus noster, publicavit: τῷ δὲ μετὰ δεῖπνον κεκραμένῳ πρώτῳ προσδιδομένῳ ποτηρίῳ Δία σωτῆρα ἐπιλέγουσι. Suidas in Ἀγαθοῦ Δαίμ. Ἔθος εἶχον οἱ παλαιοὶ, μετὰ τὸ δεῖπνον πίνειν Ἀγαθοῦ Δαίμονος, ἐπιῤῥοφοῦντες ἄκρατον, καὶ τοῦτο λέγειν Ἀγαθοῦ Δαίμονος. Ἄλλοι δέ φασι τὸ πρῶτον ποτήριον οὕτω λέγεσθαι, χωρίζεσθαι δὲ μέλλοντες, Διὸς Σωτῆρος. Adde huc, si vis, plura ab Erasmo in Chil. 2, 8, 1. in Prov. *Servatori tertius.* Lips.

Balneo illatus] Sicco et Laconico, ut videtur: nam addit *vapore exanimatum*, acri illo et ardenti. Lips. Mox *perscripserat* edd. Puteol. Ber. Alc. Ern. Bud. *prescripserat.*

Cum etiam tum prædives etc.] Hoc est, quos scripserat eo tempore, quo adhuc divitias, potentiam haberet, nondum demotus cura rerum publ. Nam morte denunciata non licuisse testamentum scribere, supra vidimus. Pro *etiam tum* Heinsius et Ryckius *etiam num*, qua correctione et alibi usi sumus. Ern.

Occisum opera Pisonis] Sic MSS. Flor. Guelf. ed. pr. Restituit primus Pichena. superiores ceteræ omnes *ope.* (Bud. *opere.*) Mox *insonti claritudine virtutum*, (h. e. propterea, quod virtutibus, sine cujusquam noxa, ad eam claritudinem, dignitatemque venisset) scripti et edd. omnes præter Flor. qui habet *insontib'*, et ed. pr. *insontibus:* unde Pichena conjicit *insonti et clar. v.* ut jam conjecerat Acidalius, Ern. Bip. adripiunt *insontibus* Flor. cod. quod optime convenit. Intelligitur *ab insontibus* (crimine necati Neronis) *delecto.* Habet *insontibus* et pr. ed. Amat noster omittere præpositiones *e, in, ab.* Sic 6, 41. *Macedonibus Sitæ.*

Si cithar. demoveretur] Sic J. Gron. e Flor. bene 13, 14. *demovet Pallantem cura rerum:* ex quo loco et alium supra correximus. Consentiunt MS. (Bud.) Guelf. ed. pr. Etiam sine libris corrigendus locus erat. *Non referre dedecori* est non minui dedecus, non prodesse ad dedecus minuendum. Ern. Ryck. *dedecori* habet pro genit. adjectivi subaudito *quid.*

Accensis quoque indicibus ad prodendum Fenium Rufum] Vocem *quoque* addunt MSS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. pr. Put. Ber. Alc. Rhen. etc. unde casu excidisse postea puto. Nam in Lips. desidero. Ern. Ex superiori linea huc irrepsisse id particulæ puto, delendum omnino.

A. U. 819. A. C. 66. rabant. Ergo instanti minitantique renidens Scevinus, *neminem*, ait, *plura scire, quam ipsum.* Hortaturque ultro, *redderet tam bono Principi vicem.* Non vox adversum ea Fenio, non silentium, sed verba sua præpediens et pavoris manifestus ceterisque, ac maxime Cervario Proculo Equite, ad convincendum eum connisis, jussu Imperatoris a Cassio milite, qui ob insigne corporis robur adstabat, corripitur

67 vincituryque. Mox eorundem indicio Subrius Flavius Tribunus pervertitur, primo *dissimilitudinem morum* ad defensionem trahens, *neque se armatum cum inermibus et effeminatis tantum facinus consociaturum:* dein, postquam urgebatur, confessionis gloriam amplexus interrogatusque a Nerone, quibus caussis ad oblivionem sacramenti processisset: *Oderam te*, inquit: *nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti. odisse cœpi, postquam parricida matris et uxoris et auriga et histrio et incendiarius extitisti.* Ipsa retuli verba, quia non, ut Senecæ, vulgata erant. nec minus nosci decebat militaris viri sensus incomptos et validos. Nihil

Renitens Scevinus] Imo, *renidens.* et statim: *redderet jam bono Principi vicem.* Lips. Dudum sic rescribere oportuit. Nam sic MSS. Flor. Guelf. edd. pr. Put. Beroald. In ed. Alciati operarum vitio (nam Beroaldum exprimit) irrepsit *renitens*, idque propagatum usque ad Pichenam. Lipsium modestia critica impediit in textu reponere *renidens.* Adeo sæpe magni viri errata typographica per modestiam non audent tollere. Ern. Rhen. *renitens* e Bud.

Verba sua præpediens] MS. Guelf. a man. sec. *propediens.* item mox *cum Vario Proculo.* Ern. Bud. *præpediens.*

Eorundem indicio] E Flor. Pich. consentiunt MS. Guelf. (Bud.) ed. pr. Ceteri *eorum.* Copula *et*, post *inermibus* ab eodem inserta, est et in ed. pr. item infra post *auriga:* ubi etiam MS. Guelf. et edd. ante Rhen. habent. (Utrobique in Bud. deest.) MS. Oxon. etiam *inermis:* quod et ipsum recte dici constat, et a nostro alibi hæc forma usurpatur, ut H. 3, 6. Ern.

Oblivionem sacramenti] Non temere sacramenti mentio. Nam milites sub Impp. ante omnia jurabant in Principis salutem. Pulchre Arrianus 1, 14. Τῷ Θεῷ ἔδει καὶ ἡμᾶς ὀμνύειν ὅρκον, οἷον οἱ στρατιῶται τῷ Καίσαρι. Ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν τὴν μισθοφορίαν λαμβάνοντες ὀμνύουσι, πάντων προτιμήσειν τὴν τοῦ Καίσαρος σωτηρίαν. Tertull. allusit docte, ut solet, De corona militis 11. ubi dissuadet Christiano militiam: *Credimusne, humanum sacramentum Divino superduci licere? et in alium dominum respondere post Christum: et ejerare patrem ac matrem et omnem proximum, quos et lex honorari præcepit?* Nam expressit propemodum formulam ipsam: quam attentus lector hauriet e Suet. Calig. 15. *De sororibus auctor fuit, ut omnibus sacramentis adjiceretur, Neque me liberosque meos cariores habeo, quam Caium et sorores ejus.* ubi scribendum aio, *habebo.* Quod juramentum Dio etiam communicare cum Senatoribus videtur, in acta jurantibus anno novo, de ipso Caio 59, 9. Περὶ δὲ τοῦ Αὐγούστου τοῦ τε Γαΐου τάτε ἄλλα, ὥσπερ εἴθιστο, καὶ ὅτι καὶ σφῶν αὐτῶν καὶ τῶν τέκνων, καὶ ἐκεῖνον καὶ τὰς ἀδελφὰς αὐτοῦ προτιμήσουσιν, ὤμοσαν. Apposite ergo hic Nero a milite quærit, cur, oblitus sacramenti, perditum ire voluerit, in cujus salutem juraverat. Lips. Post cum Broterio *et auriga*, addita copula, edidi e MS. Corb. Ern. Flor. habet πολυσύνδετον. Sed Bud. ita *p. paricida m. et ux. hauriga ystrio et inc. fuisti.*

Et incomtos, et validos] Assentior Rhenano *incomtos, sed validos.* Lips. Immo *et* firmatur MS. Guelf. edd. vett. omnibus: nec mutandum erat a Pichena sine libris, et *sed* inducendum, quod omnes deinde secuti sunt. Nam sæpissime Tacitus *et* sic ponit, restituiturque supra c. 62. Adde notata

in illa conjuratione gravius auribus Neronis accidisse constitit, qui, ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi, quæ faceret, insolens erat. Pœna Flavii Veiano Nigro Tribuno mandatur. Is proximo in agro scrobem effodi jussit, quam Flavius, ut *humilem et angustam* increpans, circumstantibus militibus, *ne hoc quidem*, inquit, *ex disciplina.* admonitusque, fortiter protendere cervicem: *Utinam,* ait, *tu tam fortiter ferias.* Et ille multum tremens, cum vix 68 duobus ictibus caput amputavisset, sævitiam apud Neronem jactavit, *sesquiplaga interfectum a se* dicendo. Proximum constantiæ exemplum Sulpicius Asper Centurio præbuit. percunctanti Neroni, *cur in cædem suam conspiravisset?* breviter respondens, *non aliter tot flagitiis ejus subveniri*

A. U. 819. A. C. 66.

ad 5, 3. Sed nimis multa exempla observavimus, quæ notare supersedimus. Ceterum sententia sumta est, ut permultæ aliæ, e Livio 4, 41. *Adversus hæc Tempanii oratio incomta fuisse dicitur, ceterum militariter gravis.* Si esset mutandum, scriberem tamen *at.* Ern.

Et validos] Hæc desunt in Bud. Rhen. spuria credebat, et leg. putabat *sed incomptos,* non *sed validos,* ut Lipsius refert.

Veiano Nigro Tribuno] Tribuni ergo interdum supplicium ipsi manu sua sumebant. Uti supra c. 60. Lateranus *manu Statii Tribuni trucidatur.* cui caput incisum esse, ex Arriano didicimus. Et 11, 38. Messallina *ictu Tribuni transfigitur.* Apud Senecam etiam scriptum ep. 4. *Caius Cæsar jussit Lepidum Decio Tribuno præbere cervicem.* Notari volo. nam alias speculatores fere ad supplicia sumenda destinati: non insignes milites. Lips.

Scrobem effodi jussit] V. Lips. ad 1, 61. Adde Gruterum in Suspicion. libello, unde huc excerptus locus in edd. Gronoviorum. Sed MS. Bud. habuit *angustum:* unde Rhen. fecit *quem F. u. h. e. angustum.* quod nunc est, e vet. cod. protulerat Faernus et recepit Pichena. Sed *quamvis* tamen est in MSS. Guelf. Bud. edd. vett. ante Rhen. unde Freinsh. conjiciebat *qua visa.* Ern.

Ne hoc q. inquit, ex disc.] Bud. *ne h. q. ex d. inquit.* Tales transpositiones frequentes habet ille codex, quas notare nil attinet. Semel indicasse sufficiat.

Protendere cervicem] Habitum hunc eorum, qui gladio feriendi, describit Panegyristes in Theodosii laudatione 41. *poplitem flectere, cervicem extendere ad plagam fortasse non unam.* Quod supplicii genus tamen ignotum Reip. priscæ: etiam in militia. Ideo Lucanus 8, 673. — *nondum artis erat caput ense rotare.* Cœpit sub Impp. statimque in creberrimo usu. A militia cœpisse credo, et in milites primo aque militibus usurpatum. Suet. Calig. 32. *Miles, decollandi artifex, quibuscumque e custodia capita amputabat.* Seneca de Ira 1, 16. *Damnatus extra vallum deductus est, et jam cervicem porrigebat, cum subito apparuit ille commilito, qui occisus videbatur. Tunc Centurio supplicio præpositus condere gladium speculatorem jubet.* et exempla obvia post Augustum. Honestior autem pœna gladii, quam securis, ab eaque mente illam Antonini Caracallæ vocem capio ap. Spartian. 4. cum securi Papinianus occisus esset, *Gladio te exsequi oportuit meum jussum.* Xenophon eleganter de Cyri expedit. 2, 6. de cæde Menonis Thessali: Μετὰ δὲ τὸν τῶν ἄλλων θάνατον στρατηγῶν τιμωρηθεὶς ὑπὸ Βασιλέως ἀπέθανεν, οὐχ ὥσπερ Κλέαρχος καὶ οἱ ἄλλοι στρατηγοὶ, ἀποτμηθέντες τὰς κεφαλὰς, ὅπερ κάλλιστος θανάτων ἐδόκει εἶναι, ἀλλὰ ζῶν αἰκισθεὶς ἐνιαυτὸν, ὡς πονηρὸς, λέγεται τελευτῆς τυχεῖν. Lips. *Admonitusque* est e MS. Flor. a Pichena. sic et ed. pr. Ceteri scr. et edd. veteres sine copula. Ern.

Sesquiplaga interfectum] Caligulæ præceptum: *Ita feri, ut mori se sentiat.* Lips. Suet. 30.

Subveniri posse] Legi voluit *obveniri* optimus et doctissimus Faber: interpretaturque resisti et obviam iri. Probabili per se conjecturæ fidem demit Suetonius, qui ad hæc ipsa verba respiciens scripsit c. 36. *Cum quidam crimen ultro faterentur, nonnulli et-*

A. U. 819. A. C. 66. *potuisse*. Tum jussam pœnam subiit. Nec ceteri Centuriones in perpetiendis suppliciis degeneravere. At non Fenio Rufo par animus, sed lamentationes suas etiam in testamentum contulit. Opperiebatur Nero, ut Vestinus quoque Consul in crimen traheretur, violentum et infensum ratus: sed ex conjuratis consilia cum Vestino non miscuerant, quidam, vetustis in eum simultatibus, plures, quia præcipitem et insociabilem credebant. Ceterum Neronis odium adversus Vestinum ex intima sodalitate cœperat, dum hic ignaviam Principis penitus cognitam despicit, ille ferociam amici metuit, sæpe asperis facetiis inlusus; quæ, ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. Accesserat repens caussa, quod Vestinus Statiliam Messallinam matrimonio sibi junxerat, haud nescius, inter
69 adulteros ejus et Cæsarem esse. Igitur, non crimine, non accusatore existente, quia speciem judicis induere non poterat, ad vim dominationis conversus, Gerelanum Tribunum

iam imputarent, tamquam aliter illi non possent, nisi morte, succurrere, dedecorato flagitiis omnibus. Et clare Dio, qui 62, 24. vertit: Ὅτι ἄλλως σοι βοηθῆσαι οὐκ ἠδυνάμην. Sententia ergo animosior tenenda, ex horum scripto et interpretamento, videtur. Lips. Cicero de Verr. 1, 3. *ut ego hunc unum ejusmodi reum post hominum memoriam fuisse arbitrer, cui damnari expediret.* Seneca ep. 77. *Hoc istis respondendum est, quibus succursura mors est.* Noster 6, 49. *Perpulisset juvenem ad ea, quorum effugium non nisi morte inveniret.* Gron. Ceterum libri variant inter *potuisse* et *posse.* Illud melioribus libris nititur: est enim in MSS. Flor. Guelf. edd. primis: et convenit Græcis Dionis, qui habet ἠδυνάμην. Dionem autem e Tacito hausisse, supra notatum est. *Posse*, a Rhenano e Bud. editum, propagatum est usque ad Pichenam. et aptius est, magisque consentit loco Suetonii. Mox *degeneravere* MSS. ed. pr. Rhen. (e Bud.) et seqq. i. e. se degeneres et timidos ostendere. *Denegavere* vitiose Puteol. Riv. Ber. Alc. Ern.

Sed ex conjuratis] Hæc est lectio vett. librorum Flor. Guelf. Oxon. etc. Etiam ed. pr. *et conjuratis*, vitio operarum pro *ex*. Ordo verborum est, quidam ex conjuratis, vetustis in eum simultatibus, consilia non miscuerant, plures etc. Itaque non dubitavi recipere pro vulgato *conjurati*. Secutus est Broterius. Probabat etiam valde J. Gron. sed non recepit; recepturus, haud dubie, si plurium librorum consensum cognitum habuisset. Modus loquendi jam supra notatus est. Etiam infra c. 71. pro *e tribunis Granius*, quidam dedere *et Tribunus*. Ern. Bud. *et conjurati*, quæ copula sane male posita ostendit aliter legendum. Mox Bud. *Neroni*.

Ex intima s.] MSS. Reg. Corb. ed. pr. *ex nimia*. Vulgatum melius. Ern. Bud. *ex intima*. quod rectius omnino, ut e seq. *penitus* patet. Servant quoque Brot. et Lall. Secus visum Bip. qui provocant ad Mart. 12, 34.

Ferociam amici] Haud dubie, *animi*. Lips. Immo *amici* verum est. (Sic Bud.) Metuebat hominem, qui etiam amicus tamen ferocia in amicum uteretur. Et Tacitus semper ferociam simpliciter dicit. Mox dedi *repens caussa* e Guelf. et ed. pr. et vett. omnibus, (Sic et Bud.) quod, ut sæpe alias, vitio operarum mutatum in *recens*, in ed. Lips. Ern.

Statiliam Messallinam] Quæ postea Neroni uxor. Sueton. 35. Lips. Cf. Ryck. ad 2, 1.

Et Cæsarem] Sic Rhen. dedit e Bud. Legebatur prius *ad C.*

Quia speciem judicis induere non poterat] *Judicis* verum est, atque ita habent Guelf. Puteol. Beroald. Alc. At (Flor. et Agr. et) ed. pr. *indiciis*, vitiose. Rhen. (e Bud.) edidit *indicii*. male. Freinsh. *judicis* restituit (ex ed. Ven.) Deinde Guelf. *inducere*, solenni varietate. Ern. Bud. *induere*. Rhen. *indicis* non spernendum judicabat Ryck. Sed is dabat *indicii*.

Gerelanum trib.] Reinesius in margine conjicit. *Ceretanum*. Ern.

cum cohorte militum inmittit: jubetque *prævenire conatus* A. U.
Consulis, occupare velut arcem ejus, opprimere delectam juven- 819.
tutem: quia Vestinus inminentes foro ædes decoraque ser- A. C. 66.
vitia et pari ætate habebat. Cuncta eo die munia Consulis
inpleverat conviviumque celebrabat, nihil metuens, an dis-
simulando metu: cum ingressi milites, *vocari eum a Tri-*
buno, dixere. Ille, nihil demoratus, exsurgit. et omnia simul
properantur: clauditur cubiculo, præsto est medicus, ab-
scinduntur venæ, vigens adhuc balneo infertur, calida
aqua mersatur, nulla edita voce, qua semet miseraretur.
Circumdati interim custodia, qui simul discubuerant, nec,
nisi provecta nocte, omissi sunt, postquam pavorem eo-
rum, ex mensa exitium opperientium, et imaginatus et
inridens Nero, *satis supplicii luisse,* ait, *pro epulis Consu-*
laribus. Exin M. Annæi Lucani cædem imperat. Is, pro- 70
fluente sanguine, ubi frigescere pedes manusque et paul-
latim ab extremis cedere spiritum, fervido adhuc et com-
pote mentis pectore, intelligit recordatus carmen a se com-
positum, quo vulneratum militem, per ejusmodi mortis
imaginem obiisse tradiderat, versus ipsos retulit. eaque illi
suprema vox fuit. Senecio posthac et Quinctianus et Sce-
vinus, non ex priore vitæ mollitia, mox reliqui conjurato-
rum periere, nullo facto dictove memorando. Sed compleri 71
interim urbs funeribus, capitolium victimis: alius filio,
fratre alius, aut propinquo, aut amico interfectis, agere

Decoraque servitia et pari ætate] Existimo, pædagogia describit: id est, cœtum elegantium puerorum, quos composita veste, facie, capillis, in publico habebant: et plerumque una ætate. sic dicta, quia sub pædagogo. Martialis 3, 56, 30. *Et, pædagogo non jubente, lascivi Parere gaudent villico capillati.* Plura super istis in Excursu B. LIPS. Copulam *et* non habet Bud.

Conviviumque celebrabat] Sic MSS. Flor. Guelf. ed. pr. Recte. nam sequitur *exsurgit* sc. e convivio. non ergo *celebrarat,* ut Puteol. Ber. Alc. unde Rhen. (sed e Bud.) fecit *celebrat.* Vetus restituit Pichena. ERN.

An diss. metu] Sic Rhen. e Bud. Legebatur prius *aut.*

Miseraretur] Bud. male *misereretur.*

Omissi sunt] Sic MSS. Flor. Guelf. ed. Puteol. quod recepi, etsi alterum *emissi,* quod reliquæ edd. habent, etiam bonum sensum habet. Sed *omissi* melius, quia maxime hic respicitur ad discessum custodiæ. Omissi sunt ergo a custodibus. Verbum *omittere* et nostro et aliis dicitur de iis, quæ non custodimus. ut *munimenta omittere* 4, 51. ERN. Rhen. *emissi.* Bud. tamen *omissa,* vitiose licet pro *omissi.*

Ex mensa exitium opperientium] Non dubitavimus servare *ex mensa,* quod e conjectura Franc. Medicis recepit Freinsh. Firmant MSS. Flor. (Agr.) Guelf. edd. ante Rhen. omnes, qui habent *et mensæ.* Rhenanus edidit cum seqq. *imminens,* quod sane hic friget: non imminebat exitium, sed opperiebantur velut imminens. ERN. Bud. habet *in mense,* hinc emendatio Rhenani, cui vulg. *et mensæ* enorme mendum est visum. Secus judicat Ryckius. Non dubium tamen, quin *ex mensa* vera sit lectio.

M. Annæi] Sic feliciter restituit Rhen. (ex ingenio.) Libri omnes varie corrupti in hoc nomine. ERN.

Versus ipsos retulit] Sunt haud dubie isti 3, 635. *Scinditur avulsus, nec sicut vulnere sanguis Emicuit lentus, ruptis cadit undique venis Discursusque animæ diversa in membra meantis Interceptus aquis.* LIPS. Vertranius credebat intelligi versus 9, 805—814.

Quinctianus] Bud. *Quintilianus.*

A. U. grates Deis, ornare lauru domum, genua ipsius advolvi et
819. dextram osculis fatigare. Atque ille, gaudium id credens,
A. C. Antonii Natalis et Cervarii Proculi festinata indicia impu-
66. nitate remuneratur: Milichus, præmiis ditatus, *Conservatoris* sibi nomen, Græco ejus rei vocabulo, adsumpsit. E Tribunis Granius Silvanus, quamvis absolutus, sua manu cecidit: Statius Proximus veniam, quam ab Imperatore acceperat, vanitate exitus conrupit. Exuti dehinc Tribunatu Pompeius, Cornelius Martialis, Flavius Nepos, Statius Domitius, *quasi Principem non quidem odissent, sed tamen existimarentur.* Novio Prisco, per amicitiam Senecæ, et Glitio Gallo atque Annio Pollioni, infamatis magis, quam convictis, data exsilia. Priscum Antonia Flacilla conjux comitata est: Gallum Egnatia Maximilla, magnis primum et integris opibus, post ademptis. quæ utraque gloriam ejus auxere. Pellitur et Rufius Crispinus, occasione conjurationis, sed Neroni invisus, quod Poppæam quondam matrimonio tenuerat, Verginium Flaccum et Musonium Rufum

Ornare lauru domum] De hoc ritu v. Plin. 15, 30. (39.)

Genua ipsius] i. e. Neronis: quod non notassem, nisi Pichenam ad Deos retulisse viderem. Et est exquisitior ratio hujus pronominis pro nomine usurpandi, cum ex oppositione intelligi, ad quod referatur, potest. opponuntur *Dii* et *ipse*. Sic sæpe Græci. Auctor Homerus 3. Iliad. α. ψυχὰς — αὐτοὺς, *ipsos* i. e corpora. Ern.

E Tribunis Granius S.] Bud. *Et Tribunus Gaius.*

Vanitate exitus corrupit] Faernus *velocitate* legebat pro *vanitate*, quod Ursinus probabat. Probarem et ego, si libri auctoritate niteretur. Sensus enim commodus: mors paullo post consecuta irritam veniam fecit. Sed vulgatum eodem modo accipere licet: quamquam verbum *vanitate* aliquid amplius indicare videtur, nempe in quo culpa fuit Statii, ut sensit etiam Mullerus. Ern.

Sed t. existimarentur] Hæc est lectio omnium scriptorum et edd. ante Pichenam. *Extimarentur* de more scriptum in MSS. (Bud. quoque) et edd. primis. Pichena de sola conjectura dedit *extimerentur:* quod omnes post eum edidere, cum sit ab sententia alienum. Si non oderunt Principem, quare extimentur? At etiam ii non ferendi, qui putantur odisse Principem. Ern. Rhen. bene *extimarentur* reddidit *existimarentur*. Bip. præferunt *extimerentur*.

Novio Prisco per a.] In MS. Guelf. manus sec. *Nævio*. *Novius Priscus* occurrit ap. Gruterum p. 104. n. 6. Ryckius et alii dedere *Nonio*. Sed pro *per* legendum videtur *propter*. Vix enim credam dici recte: *exilium datur per amicitiam*. Compendium scripturæ locum corruptioni fecit, unde sæpe hæc verba confusa. Vid. Drakenb. ad Liv. Epit. 84. Ern. Bud. *Novio Prisco per* i. e. ob *am. S.* Sic 1, 24. *per officium*. Cf. index.

Egnatia Maximilla] In NN. ap. Ursinum occurrit *Egnatius Maxsumus*. Cf. Spanh. de Præst. NN. t. 2. diss. 10. p. 71.

Rufius Crisp.] Flor. Bud. *Rufrius*. Agr. *Ruffrius*. Sed v. 12, 42. 13, 45.

Quæ utraque gloriam ejus auxere] Sic dedimus e MSS. et edd. vett. Ante erat *eis*, quod sive casu irrepsit, sive culpa ejus, qui hoc ad utramque pertinere putabat. Primum reperi in ed. Lips. sed sine admonitione. *Ejus* etiam Broterius edidit. Ceterum non negem, mihi *quæ utraque* duriora videri. Et quorsum additum *utraque* dicamus? An forte fuit a Tacito: *magnis utraque pr. — quæ gloriam eis auxere*. Ern. Bud. *ejus*.

Verginium Rufum] Mancus locus: censeoque immissa - voce legendum, *Verginium et Musonium Rufum;* aut, *Verginium et Rufum*. Ecce enim de Musonio caussam statim subjecit ejus pulsi: et Dio 62, 27. narrata conjuratione, Ῥοῦφος μέντοι Μουσώνιος, inquit, ὁ φιλόσοφος ἐπὶ τούτοις ἐφυγαδεύθη. Sed

claritudo nominis expulit. Nam Verginius studia juvenum eloquentia, Musonius præceptis sapientiæ, fovebat. Clu- vidieno Quieto, Julio Agrippæ, Blitio Catulino, Petronio Prisco, Julio Altino, velut in agmen et numerum, Ægæi maris insulæ permittuntur. At Cadicia, uxor Scevini et Cæsonius Maximus Italia prohibentur, reos fuisse se, tantum pœna experti. Atilla, mater Annæi Lucani, sine absolutione, sine supplicio dissimulata.

A. U. 819. A. C. 66.

72 Quibus perpetratis Nero, et concione militum habita, bina numum millia viritim manipularibus divisit, additque sine pretio frumentum, quo ante ex modo annonæ utebantur. Tum, quasi gesta bello expositurus, vocat Senatum et triumphale decus Petronio Turpiliano Consulari, Cocceio Nervæ Prætori desi-

Verginius iste quis est? Non enim ille, opinor, illustris, de cujus exsilio non apud Tacitum, non apud Plinium usquam lectum. Et quomodo potuit? qui Germaniæ et legionibus præfuit his ipsis annis? Fuerit ergo ejus ævi Rhetor, quem Persii vetusta vita commemorat. *Studuit*, inquit, *apud Grammaticum Remmium Palæmonem et apud Rhetorem Verginium Flaccum.* Ubi tamen vetustus codex B. Vulcanii, *Flavum* habet. Est ille ipse, de quo Fabius 3, 1, 21. *Scripsit de eadem materia* (Rhetoricorum) *non pauca Cornificius, Celsus et Lænas et ætatis nostræ Verginius, Plinius, Rutilius.* nominatque et alias. Lips. Bip. *Virginium Fl. et Musonium Rufum. Musonii* nomen addendum, patet e seq. De eo Philostr. v. Apoll. 4, 12. 7, 16. *Virginius* apud Quinctil. et alibi memoratur, 3, 6, 44. 4, 1, 23. 7, 4, 24. et 11, 3, 126. ubi Flavius cognominatur. hinc emendatio Bip. quam sequor. *Virginium* in *Verginium* mutarunt librarii ut *Virgilium* in *Vergilium*. Bud. habet *Virginium Ruffum.* Ceterum cognomen potius *Flaccus* fuerit, ut est in vita Persii. nam *Flavius* nomen gentis esse solet; est tamen et cognominis loco c. 50.

Cæsenius Maximus] Scrib. *Cæsonius*, et Martiali ab hac historia fœneranda lux. 7, 43. ad Ovidium quendam: *Maximus ille tuus, Ovidi, Cæsonius hic est, Cujus adhuc vultum vivida cera tenet. Hunc Nero damnavit, sed tu damnare Neronem Ausus es, et profugi, non tua fata, sequi. Æquora per Scyllæ magnus comes exulis isti, Qui modo nolueras Consulis ire comes. Si victura meis mandantur nomina chartis, Et fas est cineri me superesse meo: Audiet hæc præsens venturaque turba, fuisse Illi te, Senecæ quod fuit ille suo.* Ubi discis, et Consulem fuisse hunc Cæsonium, et inter Senecæ amicos. quæ caussa certe damnationis. Lips. Recepit Pichena primus. Ern. Adde et sequens epigramma 44. Bud. habet *Cesenius.*

Atilla mater L.] MS. Bud. Fl. ed. pr. *Acilia.* (Agr. *Acillia.*) Guelf. a pr. m. *Atinia,* sec. *Atilia,* ut habent vett. edd. Puteol. Ber. etc. Ern. Respice ad c. 56.

In supplicio] Romana editio, *sine absolutione, sine supplicio,* probissime. Lips. Sic et MS. Fl. *sin suppl.* unde rec. Pich. Ern. Bud. *in supplicio.*

Addiditque sine pretio frumentum] Suet. Neron. 10. *Constituit Prætorianis cohortibus frumentum menstruum gratuitum.* Severus Imp. modum frumenti etiam auxit, de quo Herodianus 3, 25. Καὶ τὸ σιτηρέσιον αὐτοῖς πρῶτος ηὔξησε, καὶ δακτυλίοις χρυσοῖς χρήσασθαι ἐπέτρεψε. Iterumque Antoninus ejus F. patrata cæde Getæ. Idem scriptor 4, 9. Προστίθησι δὲ τῷ σιτηρεσίῳ ἄλλο τοῦ τελουμένου ἥμισυ. Lips.

Petronio Turpiliano] Hoc verum. Scr. (in his Bud.) et edd. vett. *Turpiano*, male, ut patet e libro superiori, c. 29. (et 39.) Mox *apud palatium quoque* MSS. Flor. Guelf. edd. ante Rhen. qui (e Bud.) primus *quoque* post *eorum* posuit: restituit Pichena. Denique *dedit etiam* ante *Consularia* abest a MSS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. pr. Puteol. unde recte deletum a Bernecc. Primus dedit Beroaldus, nescio unde, aut quo casu, cum alias Puteolanum sequatur. Ern. Pro *Præfecto Pr.* Bud. habet *Præfecturam Prætorii.* Verum ea dignitate jam erat ornatus. Cf. 14, 51. Nec nexus verborum id admittit.

A. U. 819. A. C. 66. gnato, Tigellino Præfecto Prætorii tribuit, Tigellinum et Nervam ita extollens, ut, super triumphales in foro imagines, apud palatium quoque effigies eorum sisteret. Consularia insignia Nymphidio: de quo, quia nunc primum oblatus est, pauca repetam. nam et ipse pars Romanarum cladium erit. Igitur matre libertina ortus, quæ corpus decorum inter servos libertosque Principum vulgaverat, ex C. Cæsare se genitum ferebat, quoniam forte quadam habitu procerus et torvo vultu erat: sive C. Cæsar, scortorum

73 quoque cupiens, etiam matri ejus inlusit. Sed Nero, vocato Senatu, oratione inter Patres habita, edictum apud populum et conlata in libros indicia confessionesque damnatorum adjunxit. Etenim crebro vulgi rumore lacerabatur, *tamquam viros insontes ob invidiam aut metum exstinxisset.* Ceterum cœptam adultamque et revictam conjurationem, neque tunc dubitavere, quibus verum noscendi cura erat, et fatentur, qui post interitum Neronis in urbem regressi sunt. At in Senatu cunctis, ut cuique plurimum mœroris, in adulationem demissis, Junium Gallionem, Senecæ fratris morte pavidum et pro sua incolumitate supplicem, increpuit Salienus Clemens, *hostem et parricidam* vocans: donec consensu Patrum deterritus est, *ne publicis malis abuti ad occasionem privati odii videretur, neu composita aut oblitterata*

Forte quadam] Bud. *sorte quadam.* ut ap. Liv. 36, 35. Sed utrumque recte dicitur. Nam et ap. Liv. 1, 4. legitur *forte quadam.*

Vocato Senatu] Hæc verba mihi suspecta sunt, quia jam paucis versiculis ante Senatum Nero vocasse dicitur. Si de alio conventu Senatus hic sermo, quod non abnuam, tamen non credibile mihi, hæc verba esse ab elegante scriptore. Saltem addidisset, *iterum*, aut aliud quid. Ern.

Tamquam viros insontes] MSS. Flor. (Bud. Agr.) Guelf. et edd. vett. magno consensu *viros et insontes:* unde Freinshemio placebat *claros et insontes.* Faernus autem addit, *claros:* quod probo. Ern. Bip. emendant *veros* i. e. sinceros, justos, *et insontes.* Mox Bud. *nec tunc.*

Et fatentur] Ergo, quo tempore Tacitus ista scripsit, ii adhuc vixere. Quod ni sit, legendum *fatebantur:* idque mihi vero similius videtur. Pro imperfecto præsens irrepsisse in Tacitum non uno loco vidimus. Ern.

Ut cuique plurimum mœroris] E jactura suorum scilicet. Hi maxime effusi in adulationem, ne dolere viderentur. Ern.

Junium Gallionem] Quem Nero post interfecit. Dio 58, 18. In Eusebio autem clarius: *Junius Annæus Gallio, frater Senecæ, egregius declamator, propria se manu interfecit: mortem ejus Nerone in suam præsentiam differente.* Hoc confert illud Chronicon in annum hunc eundem, quo Lucanus et Seneca occisi. Mirum, in Tacito nihil esse, si tamen hoc tempore ea cædes. Lips. Ultima verba Eusebii male addita. V. Ryck. ad h. l. qui Gallionem, cum Usserio et aliis, putat esse eum, cujus in Actis Apostol. 18, 12. mentio. Ern.

Neu compositam et obliteratam mansuet. etc.] Prave scriptum, et in contumeliam Neronis. Valde scilicet Principem laudent, si oblitteratam clementiam ejus dicant, id est, abolitam et sepultam. Ne dubita scribere: *composita et obliterata mansuetudine Principis.* Hoc volunt. ne ea, quæ obliterata jam essent et tantum non deleta ex animo Principis, ille renovaret, et novæ sævitiæ materiem suggereret. Lips. *Compositam aut* vel *et obliteratam mansuetudinem* scr. et edd. omnes. Lipsii correctionem recepere inde a Bernecc. omnes. Possis etiam conjicere, excidisse *re*, cum scri-

mansuetudine Principis novam ad sævitiam retraheret. Tum A. U.
dona et grates Deis decernuntur, *propriusque honos Soli,* (*cui* 819.
est vetus ædes apud circum, in quo facinus parabatur) *qui* A. C. 66.
occulta conjurationis Numine retexisset: utque Circensium 74
Cerealium ludicrum pluribus equorum cursibus celebraretur: mensisque Aprilis Neronis *cognomentum acciperet: templum Saluti exstrueretur eo loci, ex quo Scevinus ferrum prompserat.* Ipse eum pugionem apud capitolium sacravit, inscripsitque JOVI VINDICI. In præsens haud animadversum: post arma Julii Vindicis, ad auspicium et præsagium futuræ ultionis trahebatur. Reperio in commentariis Senatus, Cerialem Anicium, Consulem designatum, pro sententia dixisse, *ut templum D. Neroni quam maturrime publica pecunia poneretur.* Quod quidem ille decernebat, tamquam mortale fastigium egresso et venerationem hominum merito,

ptum fuisset *neu composita re et obliterata, mansuetudinem p. n. a. s. retraheret:* inde *compositam et obliteratam* facta, ut ad *mansuetudinem* referrentur. ERN. Bip. *neu compositam* i. e. pacatam *aut obliteratam* i. e. ultione criminum obscuratam *ad n. s. r.* Sed Lipsii correctio absque dubio optima, planissima. In codd. frequenter per errorem ablativis in fine lineola accusativi index imposita, quod omnino hic in Bud. factum, et dubio procul in aliis.

Decreta dona et grates Deis decernuntur] τὸ *decernuntur* redundat, ut opinor. LIPS. Dubius sum tamen, utrum *decreta* an *decernuntur* aboleam: neque enim minus belle: *Tum dona et grates Deis decernuntur.* GRON. Jac. Gronovius aliter succurrere voluit, legendum censens: *tum cetera dona.* male. Nam quæ supra c. 71. Milicho, Petronio aliis data, *dona* vocari non possunt. Intelliguntur dona Diis data, quæ cum supplicatione (nam de ea capiendæ *grates*) junguntur et ap. Liv. 36, 2. *Dona et grates Diis* sunt, quæ ibi dicuntur *supplicatio et dona ad omnia pulvinaria.* Ceterum non abhorret animus, in *decreta* latere aliud verbum, quod nondum mihi succurrit. Lipsianam rationem defendere licet c 16, 1. ubi temere additum *latuerint* post *occulta.* ERN. Juretus volebat *decora dona.* Hiller. Rac. 18. *discreta.* Tollo *decreta.*

Ædes apud circum] De qua Tertull. de Spectaculis 8. LIPS. Post *mensis quoque A.* MSS. Reg. Corb. ed. pr. quod recepit Broterius. ERN. et Bip. Bud. *mensisque.* Parum interest.

Apud capitolium sacravit] Ritu veteri et recepto. Suet. Cal. 24. *Tres gladios in necem suam præparatos, Marti ultori, addito elogio, consecravit.* Idem Vitellio 10. *Pugionem, quo se Otho occiderat, in Agrippinensem coloniam misit, Marti dedicandum.* Dio in Antonino Caracalla: 77, 23. Καὶ τὸ ξίφος, δι' οὗ τὸν ἀδελφὸν ἀπεκτόνει, ἀναθεῖναι τῷ Θεῷ ἐτόλμησε. Sed et apud Græcos Olympias *gladium, quo Rex* (Philippus) *percussus erat, Apollini sub nomine Myrtales consecravit.* ait Justinus 9, 7. Tertull. pulchre de Resurr. carnis: *Gladius bene de bello cruentus, et melior homicida, laudem suam consecratione pensabit.* LIPS.

In præsens haud animadversum] Sensus: Tum quidem (παρὰ χρῆμα, ut Xenophon, aliique) nemo animum advertit, et præsagium aliquod in ea re notavit. Acidalius addebat *quod.* Freinsh. melius *id.* sed neutrum necessarium puto. Vulgatum Taciti mori aptius. ERN.

Post arma Julii Vind.] Suet. 40.

Venerationem hominum] Muretus et Ursinus corrigebant *Numinum.* Jac. Gronovius *cælitum. Numinum* placebat etiam Schurzfleischio. Oppositionis lex tale quid desiderat. *Mortali fastigio* opponitur *veneratio Numinum.* MSS. et edd. vett. addunt *item* ante *hominum:* quod sustulit Rhenanus. Broterius e MS. Reg. et sensu dedit *ven. Deum.* non male. ERN. Illud *item* ortum erat e vitiosa scriptura, quam Bud. servat *veneratio item hom.* pro *venerationem hom.* Non video, quomodo Rhen. asserere potuerit, *item* non esse in libro manuscripto. Ipse dedit *venerationem,* emendans

A. U. 819. A. C. 66. quorundam dolo ad omina sui exitus vertebatur. nam Deum honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit.

scil. Bip. sic locum constituunt: *et ven. merito: item, hominum quorundam ad omina dolo* i. e. inani sollertia rebus, ubi evenere, omina quærendi, *in signum exitus*, præsagium mortis, *verteretur*. Mihi simplicior longe emendatio in mentem venit, quam Hillero etiam placuisse video Rac. 19. *quorundam dolo ad omina sui exitus verteretur*, vel, ut Hill. *vertebatur*.

Quod ad omina olim sui exitus verteretur] Liquida apertaque sententia. *Olim* tantum sit significatione futuri: quod pueris non ignotum. At nostri critici (Rhen. sic conjectabat) ex Budensi codice, *quod clam ad omen ac dolum*, legunt, non sine meo risu. Lips. Suspicabar ex scriptura Flor. *Fuerunt tamen, quos id omen propinqui exitus adverteret*. Tertio enim post anno periit. H. 2, 70. *Lætus ultro et tam propinquæ sortis ignarus*. et c. 5. *exitu demum Neronis positis odiis in medium consulere*. item c. 48. *mereri se festinato exitu clementiam victoris*. Gron. Scriptura Fl. est: *quorundam ad omnia dolum sui exitus verteretur*. Sic et Bud. et Guelf. nisi quod hic *dolo*, ed. pr. *solum*. Lectio vulgata est a Puteolano. In *quorundam* putem latere aliud quid. Nam *quod* hic durum et parum aptum. Broterius dedit *q. a. o. solum sui e. v.* quod nullo modo placet. Ern.

Nam Deum honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit] Tertull. pulchre et apposite huic rei Apol. 34. *Si non de mendacio erubescit ejusmodi adulatio, hominem Deum appellando: timeat saltem de infausto. Maledictum est, ante apotheosin, Deum Cæsarem nuncupare*. Lips. Falsum id in Augusto, liquet ex Horatio et Manilio, inquit Huetius. At vir doctiss. non attendit, Augustum quidem poetis dictum esse Deum et in provinciis aras et sacra habuisse; verum non in urbe. Neronem in provinciis adpellatum fuisse Deum, testatur numus ex ære minimo, ab Harduino laudatus in Sel. Opp. p. 724. ΝΕΡΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΘΕΟΣ capite laureato. Ex aversa parte ΙΟΥΛΙΟΣ ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. Sic Broterius.

C. CORNELII TACITI

AB

EXCESSU DIVI AUGUSTI

A N N A L I U M

LIBER SEXTUS DECIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. 2. *Inludit fortuna vanitati Neronis per Bassum, qui thesaurum in Numidia defossum jactat, quem* 3. *Nero frustra quærit.* 4. *Lustrali certamine victoria cantus oblata Neroni et corona facundiæ.* 5. *In eo spectaculo auditorum molestia et Vespasiani periculum.* 6. *Poppæam mortuam laudat Nero apud rostra.*

7—9. *Pulsi Cassius et Silanus necantur.* 10. 11. *L. Vetus cum Sextia socru et Pollutia filia perit.* 12. *Adcusatoris præmia. Mensium nova nomina.* 13. *Turbine ventorum vastata Campania. Pestilentia. Lugdunensem cladem Princeps solatur.* 14. 15. *Sosiani fraude Chaldæorum consultores, P. Anteius et Ostorius Scapula, delati mortem jussi properant.* 16. *Taciti super tot cladibus querelæ.* 17. *Rufius Crispinus coactus se interficit. Mella falsis litteris circumventus, similique arte Cerialis.* 18. 19. *C. Petronius, erudito luxu notus, Tigellini invidia exosus, venas sibi incidit, flagitia Principi codicillis exprobrat.* 20. *inde Siliæ exsilium.*

21. 22. *Thraseam Pætum adcusant Cossutianus et Eprius;* 23. *Baream Soranum Ostorius Sabinus.* 24. *Ad Neronem codicillos dat Thrasea. Is Patres vocari jubet.* 25. 26. *Consultat Thrasea, an in curia defensionem tentet.* 27. *Nero Senatum armis obsidet, infrequentiam Patrum arguit.* 28. 29. *Marcellus Eprius Thraseam, Helvidium, Agrippinum, Montanum,* 30. *Ostorius Baream cum filia Servilia adcusant.* 31. *Eorum miserabilis defensio in Senatu.* 32. *Egnatius pseudostoicus perfide in Soranum agit; cui* 33. *Cassius Asclepiodotus egregiam fidem præstat. Thraseæ, Sorano, Serviliæ datur mortis arbitrium. Helvidius, Paconius, Italia pulsi. Montanus patri concessus. Adcusatores remunerati.* 34. *Thrasea libat Jovi Liberatori. Anni unius hæc gesta, quia reliqua libri Fatum invidit.*

C. SUETONIO. L. PONTIO TELESINO, COSS.

INLUSIT dehinc Neroni fortuna, per vanitatem ipsius et promissa Cesellii Bassi; qui origine Pœnus, mente turbida, A. U. 819. A. C. 66. 1

Et promissa] Ita e Flor. Pichena edidit. Idem (in Bud. et) a manu pr. fuit in Guelf. estque in MSS. tribus ap. Broterium, ed. (Ven.) Puteol.

A. U. 819. A. C. 66. nocturnæ quietis imaginem ad spem haud dubiam retraxit: vectusque Romam, Principis aditum emercatus, expromit, *repertum in agro suo specum altitudine immensa, quo magna vis auri contineretur, non in formam pecuniæ, sed rudi et antiquo pondere. lateres quippe prægraves jacere, adstantibus parte alia columnis: quæ per tantum ævi occulta augendis præsentibus bonis. Ceterum, ut conjectura demonstraret, Didonem Fenissam, Tyro profugam, condita Carthagine, illas opes abdidisse, ne novus populus nimia pecunia lasciviret, aut Reges Numidarum, et alias infensi, cupidine auri ad bellum*
2 *accenderentur*. Igitur Nero, non auctoris, non ipsius negotii fide satis spectata, nec missis, per quos nosceret, an

Riv. At edd. pr. Beroald. *ex promisso*, quod etiam est a manu sec. in Guelf. Reg. et edd. omnibus usque ad Pichenam. Lectionem MS. Fl. dubiam facit tamen Jac. Gronovius: non quo ipse aliam notarit, sed, quod frater *et promisso* notavit, quod ille Tacito non indignum docet. In quo non fallitur. Sed frater fortasse falsus est. Argumentum e Beroaldo nihili est. Falsum enim, eum hos libros e Flor. edidisse. Ceterum, si *et promisso* libri idonei certa auctoritate firmaretur, id præferrem. Ern. In Regio quoque cod. Lall. reperit *ex promisso*, putatque Tacitum dedisse *et promisso*, ut 1, 2. *quum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent*. Mox c. Agr. *et Principis*.

Mente turbida] i. e. male sana, furiosa: pro quo verbo *turbidus* sæpe apud poetas dicitur. In MS. Guelf. marg. pro varia lect. notatur *torvida*. Sed est idem verbum alia et inusitatiori scriptura. *Bassum* Equitem Rom. vocat Sueton. Ner. 31. *Retraxit* pro more istius ætatis pro simplici *traxit* dicitur, quod alias in hac forma dicitur. V. ad Suet. Aug. c. 77. Ern.

Præsentibus bonis latuerint] *Latuerint* non est in MSS. Flor. Bud. ed. pr. et bene deletum. Non opinor *occulta* addidisset Tacitus, si *latuerint* dedisset: quod ceterum est in MS. Guelf. edd. (Ven. et) ceteris omnibus, usque ad Bernecc. Ern.

Demonstret] Sic legitur hodie e conjectura Freinshemii cum in omnibus scr. (Bud. quoque) et edd. sit *demonstrat*: quod vitiosum esse, dubitari non potest. Sed in Guelf. syllaba ultima erasa est, et in litura scriptum *t*, fuitque, quantum oculis adsequi licuit, *demonstrarit* vel *demonstraret*. hoc verum puto. Syllabam illam imperfecti sæpe in MSS. Taciti excidisse, sæpe monuimus. Secutus nos est Broterius. Ern.

Didonem Fenissam] Hæc scriptura est MS. Flor. (et Bud.) quæ et in edd. Lips. Freinsh. Gronoviorum reperitur, et a J. Gronovio defenditur. MS. Guelf. (et Agr.) *Phœnissam*, et edd. vett. omnes. (et Ryck.) Ex eodem Flor. J. Gronov. dare voluit *Dido*, quæ forma est ap. Virgil. Æn. 4, 383. sed operæ non paruerunt. Ern.

Et alias infensi] Heins. conjicit leg. *ei*.

Nec missis visoribus] Ita *invisores* Apuleius dixit, etsi alio quodam sensu, 1. Florido: *Siquis forte in hoc pulcherrimo cœtu ex illis invisoribus meis malignus sedet*. Mirum, ni Sallustio quoque hæc vox restituenda apud Fabium 9, 3. *Unde usque eo processum est, ut non pœniturum pro non acturo pœnitentiam: et visuros, ad videndum missos idem auctor* (Sallustius) *dixerit*. Puto *visores*: et hinc sumsisse nostrum. Lips. Hæc conjectura Lipsii fugit novissimos Quintiliani editores. Est autem vana. Nam de verbis sermo est, non substantivis. Et participium ibi esse debere, docet præcedens alterum insolens *pœniturum*. Miror, non potius conjecisse, legendum hic ex illo loco *visuris*. *Visoribus* omnes libri. Ut supra *visere* pro inspicere: ita h. l. *visor*. Sed ego plane pro insititio habeo. Nam et supervacuum est, et longe elegantius: *missis, qui noscerent*. Cum nemo alius scriptor bonus hoc verbo usus sit, credo in margine scriptum fuisse, et hinc in textum venisse. Nam, qui veteres codices tractarunt, non ignorant, sæpe in margine verba scripta esse a possessoribus codd. quibus indicaretur, de quo in textu ageretur. Talium magna copia in MS. Guelf. diversa manu scriptorum. Sic et in ed. pr. post c. 17.

vera adferrentur, auget ultro rumorem, mittitque, qui velut A. U. paratam prædam aveherent. Dantur triremes et delectum 819. remigium juvandæ festinationi. nec aliud per illos dies po- A. C. 66.

ante verba: *adsimulatis Lucani literis*, legitur: *finguntur literæ:* quod clarum est in margine scriptum migrasse in textum. Adde in primis exemplum luculentum ex ed. pr. ad Hist. 1, 89. et *flabra Aquilonis* H. 2, 98. *vineæ* 3, 20. ut alia taceam. Et similia in aliis libris veteribus scriptis et editis reperi. *Visores*, barbara ætate dicti, qui ad rem inspiciendam mitterentur, de qua lis, quæstio esset: ipsam inspectionem dixere *visum, visionem:* etiam testes, qui rei gestæ interfuissent, *visores* appellati, ut Cangius docet in lexico. Delevit et Broterius. ERN. *Visoribus* habet etiam Bud. Servavit Lall. Retinent Bip. qui similia alibi occurrere docent, *risores, provisores, sessores, notores, cupitores.* Probarem, ni vocem, antiquis insuetam auctoribus, medio ævo tritam fuisse nossem, unde facile potest a sciolo quodam margini esse adlita.

An vera adferrentur] Sic edd. Puteol. Beroaldi, Alc. Gronoviorum, Ryckii. At MSS. edd. pr. Rhen. (e Bud.) usque ad J. F. Gron. *assererentur.* Flor. lectionem dubiam facit, quod ibi est *adferre* et deinde initio sequentis versiculi *rentur*, in eoque MS. cum vox dividitur, ultima syllaba fere repetitur ab initio alterius versus: unde colligunt, scribam *adferrentur* dare voluisse. Ego *assererentur* verum esse non credo. Sed propter consensum librorum suspicor fuisse *asseverarentur*, ut supra pro *asseveravit* vidimus *asseruit* 2, 83. et mox c. 3. de eadem re eodemque homine: *dum hunc vel illum locum promissi specus adseverat.* Adsentitur Broterius. ERN. Sic et Mur. Acidal.

Velut partam prædam] Legit *paratam* Acidalius. Idque mihi, cum primum hunc locum legi, in mentem venit, adeoque necessarium visum est, ut *partam* pro mendo typographico haberem: quod secus esse, deinde ex aliis libris didici. Itaque non dubitavi, etiam contra libros recipere, æquis, ut spero, intelligentibus omnibus. Primum *præda parta* per Latinitatem aliter dici non potest, nisi de præda ea, quæ labore constet, aut opera qualicunque tua, ut *pax parta, divitiæ partæ*, et alia similia. At *præda parata* est, quæ sine sudore et sanguine venit, estque solenne talis prædæ epitheton, ut apud Ovid. Her. 8, 82. pro qua et *oblatam* dixit Met. 3, 246. Noster in seqq. *obvias opes* et a Diis delatas vocat; item c. 3. *oblatas.* Similiter *victoria parata*, apud Petronium c. 15. ubi recte Burmannus Livio 5, 6. in simili loco *paratam victoriam*, pro *parta* reddi vult, quod, recipiendum et sine libris, in MSS. inventum deinde, recepit Drakenborchius; qui plura ibi congessit, pluribus locis sic correctum recte, ostendit, sæpissimeque in uno Livio ea verba commutata. ERN. Bud. male *partem prædam veherent.*

Prædam aveherent] Sic edidi pro *adveherent*, quod est in libris, quos vidi, omnibus, recepitque etiam Broterius. Nam etsi hoc quoque sensum habet, intellectu *Romam:* tamen illud est legitimum verbum et ordinarium in hac re: et sæpe ei illud substitutum est in MSS. quippe etiam *avehere aliquid domum* dicitur, non *advehere*, ut imperiti librarii subinde dedere, apud Liv. 9, 4. 45, 33. et *Carthaginem avehere* 38, 42. ubi itidem prope omnes libri *advehere.* Ut adeo non dubitandum, quin hic quoque *aveherent* verum sit. v. Drakenb. ad Liv. 9, 4. Aliter est infra c. 14. ubi *missæ liburnicæ, advehiturque Sosianus.* Nam ille arcessendus, adducendus erat, ut ederet indicium. ERN.

Dantur triremes et delectum navigium juvandæ festinationi] Valde placet Boxhornii conjectura: *delectum remigium.* Vide quæ notamus ad Liv. 26, 51. GRON. Rectissime. Jac. Gronovius quidem defendit vulgatum, intelligitque naves, oneri avehendo delectas: sed vir doctissimus non attendit satis verba *juvandæ festinationi*, quæ sine *remigium* intelligi non possunt. *Remigium* est multitudo remigum. ERN. Occurrit et alibi apud nostrum. V. 3, 1. 14, 39.

Nec aliud per illos dies populus plus credulitate] Fefellerat me optimus Pichena, opinatus in MS. esse *populus plus:* unde tentabam, quod dictum est: nam *populum* et *plebem* sæpe distingui ex Livio Plinioque notavimus ad Senecam de ira 3, 18. Sed, ipso libro Florentiæ inspecto, inveni nil aliud quam *popls.* quod est *populus*, non *populus plus;* statimque emendavi conjecturam meam aliquot annis ante, quam suam Marcus proderet, cui

A. U. pulus credulitate, prudentes diversa fama, tulere. Ac forte
819. quinquennale ludicrum secundo lustro celebrabatur: a nar-
A. C. ratoribus oratoribusque præcipua materia in laudem Prin-
66. cipis adsumpta est. *non enim tantum solitas fruges, nec metallis confusum aurum gigni, sed nova ubertate provenire terram et obvias opes deferre Deos:* quæque alia, summa facundia nec minore adulatione, servilia fingebant, securi de facilitate credentis.
3 Gliscebat interim luxuria spe inani, consumebanturque veteres opes, quasi oblatis, quas multos per annos prodigeret. Quin et inde jam largiebatur: et divitiarum exspectatio inter caussas paupertatis publicæ erat. Nam Bassus, effosso agro suo latisque circum arvis, dum

tamen laudem suam non invidemus. GRON. Pichena *populus plus* non e MS. Flor. sed ed. Veneta (et nonnullis aliis) laudat. Boxhornius verum vidit. *Plus* abest et a MS. Guelf. (Bud.) ed. pr. Rhen. sqq. Habet Puteol. Ber. Alc. Tum iidem omnes *prodentis*, quod cum nil aliud esset quam *prudentes* (ut supra *torvida* pro *turbida* et sexcenta alia) cepere librarii pro genitivo participii a *prodere*, et ei rei numerum verbi accommodavere, dederuntque *tulerat*, pro *tulerunt*, aut ut e Flor. editur *tulere*. *Prudentes tulere* primus edidit Gronovius, quod verum est. Miror Ryckium recipere dubitasse. Terminatio *at* videtur nata ex *ac*, quod non est in MS. Guelf. ERN. Nec in Bud. Idem *tulerat*.

Oratoribusque præcipua] Vatic. (et Bud.) *abaratoribus oratoribusque*. Legerim, *ac rhetoribus oratoribusque:* vel *ac vatibus oratoribusque*. Certe, et vates et oratores musico illo agone certasse scimus. LIPS. Etiam Flor. *anaratoribus oratoribusque*. At MS. Guelf, ed. pr. aliæque vett. ut Vatic. In Agr. libro *ab auctoribus*, quod placet Ryckio, qui de poetis accipit, quos tamen *auctores* ita simpliciter, et nulla ante carminis mentione facta, dici non docet, nec doceri potest: de historicis dicitur. Jac. Gronovius pro certo venditat, inque textum recipit *ab actoribus:* quod imitari non audeo. Nam de poetis hic sermonem esse, clarum est. Ii *actores* non dicuntur. Mihi Lipsianum *ac vatibus* magis placet, sive potius, ut minus a vestigiis corruptæ scripturæ recedatur, *ab cantoribus*. Nam musicum certamen fuit et carmina canebantur ab auctoribus. Nero ipse sua carmina, certe quæ sua putari volebat, cecinit: et c. 4. junguntur *victoria cantus* et *facundiæ corona*, et c. 21. Thrasea canit in ludis Patavinis tragico habitu, haud dubie suum carmen. Spero non improbaturos viros doctos hanc correctionem. *A vatibus* recepit Broterius. ERN. Pich. volebat *ab adulatoribus*, quia mox adulationis mentio. Hill. Rac. 16. vel hoc probat vel Lipsii *ac vatibus*. Bip. legunt *a narratoribus*, i. e. poetis, quibus scil. tribuuntur narrationes, narratiunculæ ap. Quinct. 2, 4. 1, 9. Etsi hoc non satis arrideat, recipiendum puto, quippe quod proxime ad Flor. lectionem accedit.

Provenire terras] *Nova ubertate provenire terras* est novo genere fœtus esse fœcundas et fertiles. Sic Plautus in Turcul. 2, 4, 33. *Cumque bene provenisti salva, gaudeo.* Et eadem fabula 2, 6, 35. *Cum tu recte provenisti, cumque es aucta liberis, Gratulor.* GRON. *Terram* MSS. Flor. Guelf. (Bud.) et alii. ed. pr. quod recepi. Edd. ceteræ ante Rhen. *terræ:* locus ipse verbi indicat, id verum non esse. Rhenanus dedit (ex ingenio) *terra* cum seqq. At a Lipsio inde editum *terras*. Post *servilia* vereor, ne *ingenia* exciderit. Nam *servilia* intelligi possunt in *adulatione*, nec iis aptum verbum *fingebant*. ERN. Reg. etiam *terram* ap. Lall. *Servilia* accusandi casu dici ostendit sequens *securi*. intelliguntur commenta putida, ingenuis viris indigna. V. Hill. Rac. 16.

Veteres opes] Cf. Sueton. 41.

Effosso agro] Simillima stultitia Pompeii exercitum incidit, cum is in eadem Africa, contra Domitium et Iarbam, militaret. Nam, cum quidam thesauros aliquos casu repperissent, fuere, qui dicerent persuaderentque, totum eum locum auri plenum, a cladibus Pœnorum ibi repositi. Atque ita miles avidus ad fodiendum se dedit per plures dies, Pompeio ridente simul et indignante, tantam illam multitu-

hunc vel illum locum promissi specus adseverat, sequunturque non modo milites, sed populus agrestium, efficiendo operi adsumptus, tandem, posita vecordia, *non falsa ante somnia sua, seque tunc primum elusum*, admirans, pudorem et metum morte voluntaria effugit. Quidam, *vinctum ac mox dimissum*, tradidere, *ademptis bonis, in locum Regiæ gazæ.* A. U. 819. A. C. 66.

4 Interea Senatus, propinquo jam lustrali certamine, ut dedecus averteret, offert Imperatori *victoriam cantus*, adjicitque *facundiæ coronam*, qua ludicra deformitas velaretur. Sed Nero, *nihil ambitu, nec potestate Senatus opus esse*, dictitans, *se æquum adversus æmulos, et religione judicum meritam laudem adsecuturum*, primo carmen in scena recitat: mox, fla-

dinem stulta avaritia et labore fatigari: donec tandem fessi et inriti clamarent, *Duceret jam quo vellet, satis se pœnarum stultitiæ suæ dedisse.* Plut. in Pomp. c. 11. Lips. Ern.

Dum hunc vel illum locum etc.] Ita MSS. Flor. (Bud.) edd. inde a Puteol. omnes, nisi quod hic (et Bud.) habet *promi*, vitio, ut opinor, operarum, sequente, ut solet, Rivio: quod Beroaldus correxit *promissi.* Ed. pr. MS. Agr. non habent *promissi specus.* At MSS. Oxon. Guelf. *dum hoc vel illo loco promi specus.* Mox *antea* e Flor. recepit Pichena, cum seqq. Ego *ante* servavi, quod omnes alii libri (et Bud.) habent, ut multitudo ὁμοιοτελεύτων vitaretur. Ern.

Seque tunc primum el.] *Tunc* sane referri potest ad tempus, quo somnium habuit: sed melius puto *nunc.* Bene opponuntur *antea* et *nunc*; non *antea* et *tunc.* Pro *primum* Broterius malit *primo* e MS. Reg. et ed. pr. Sed id sensus non patitur. Ern. Bud. *primum.* Bud. quoque *tunc.* Nec video, cur non æque opponi possit τῷ *ante.*

Lustrali certamine] Sive quinquennali. Quod hic quidem anno sexto celebrari, miratur vir doctissimus, et erroris, cui latebra non sit, pæne Tacitum accusat. Nam debebat quinto celebrari, inquit, quattuor dumtaxat annis interjectis. An distulisse Neronem aliquis dixerit? ille vero antevenire solet, cupidine certaminum, et ante præstitutam diem revocare, quod Suetonius in Nerone 21. scripsit. Hæc vir ille magnus. Ego autem siquid video, aut firmiter numero, abnuo Tacitum ultra quintum annum produxisse. Ecce institutum est Nerone IV. Cornelio Cosso coss. u. a. 813. nunc secundo editur Silio et Attico coss. a. 818. Certe ab illo ad istum ipsi anni quattuor intersunt, et quinto nunc anno editur; aut omnes calculi me fallunt. Lips. Vir magnus est Scaliger Em. temp. p. 469. 470. Petavius Doctr. Temp. L. 11. c. 15. defendit Tacitum, ex eo, quod iste agon quinquennalis fuerit, i. e. quinque solidis annis vertentibus instauratus, ad modum lustri Romani, non Olympiadis. Victoriam Neronis alteram, ab Eusebio notatam, non fuisse secundi agonis Neronei, de quo Tacitus. Sane Tacitus ipse *secundum lustrum* vocat. de annis quinque solidis id in hoc agone accipiendum esse, constare hodie ait Pagius Crit. Bar. ad a. C. 60. Cum eum agona *ad modum Græcorum certaminum* institutum sæpe idem dicit, id de ritu et genere ludorum potius, quam tempore accipiendum. Neque tamen commode Eusebius de alius certaminis corona accipitur, quod quale fuerit et qua de caussa institutum, non dixerit utique Petavius. Quid? quod etiam sic anni non conveniunt. Nam primum agona recte dicit ab Eusebio conferri in a. Periodi Jul. 4772. secundum a Tacito conferri in a. 4778. Atqui Suetonius etiam ante legitimum tempus revocatum dicit. quod non nisi de secundo accipi potest, partim propter modum loquendi, quo Suetonius utitur: partim quia bis tantum illum agona celebravit Nero. Sed hæc aliis diligentius excutienda relinquimus. Mox *adjicitque*, quod e Flor. edidit Pichena, etiam in Guelf. et ed. pr. De *ambitu* dictum ad 1, 15. Ern. Bud. *adicitque*, more suo.

Se æquum] Quasi diceret, se æqualem et parem in hoc certamine. Sed non displicet, quod olim conjeci, *seque unum adversus æm.* Lips. Prius melius. *Seque* conjiciebat Acidalius. Ern. Deleto *et* ante *relig.*

A. U. 819. A. C. 66.

gitante vulgo, *ut omnia studia sua publicaret* (hæc enim verba dixere) ingreditur theatrum, cunctis citharæ legibus obtemperans: ne fessus resideret, ne sudorem, nisi ea, quam indutui gerebat, veste detergeret: ut nulla oris aut narium excrementa viserentur. Postremo flexus genu, et cœtum illum manu veneratus, sententias judicum opperiebatur ficto pavore. Et plebs quidem urbis, histrionum quoque gestus juvare solita, personabat certis modis plausuque composito. Crederes lætari: ac fortasse lætabantur, per incuriam publici flagitii. Sed qui remotis e municipiis, severamque

Excrementa viserentur] MSS. Flor. Bud. Guelf. ed. pr. *viserent*, subaudi, *spectatores*. Puteolanus ex eo fecit *viserentur*. quod omnes secuti sunt. Ern.

Flexus genu] Imo et sollennia histrionum verba hæc pronuncians, Κύριοί μου εὐμενῶς μου ἀκούσατε. Ex quo intellegis, quid *principium* apud Suet. sit Nero 21. *Utque constitit peracto principio, Nioben se cantaturum per Cluvium Rufum pronunciavit.* Antelоquium scilicet illud citharœdicum, emerendi favoris: uti et principia quædam, legitimo carmine, olim oratorum. De adoratione manu, dico ad H. 1. Lips. Parabat, ut videtur, ad c. 36. *adorare vulgum*, notare quædam, sed promissis non stetit.

Et cœtum illum manu veneratus] In culpa ponit Tacitus. Tamen Imperatoribus postea id servatum, ut solenni ritu populum adorarent in circo. Claudianus pulchre De VI. Cons. Honorii 611. *O quantum populo secreti numinis addit Imperii præsens species! quantamque rependit Majestas alterna vicem! cum Regia circi Connexum gradibus, veneratur purpura, vulgus: Consensuque cavæ sublatus in æthera vallis Plebis adoratæ reboat fragor.* Lips. Mox *plebs urbis* MSS. ed. pr. Rhen. (e Bud.) etc. at Puteol. Riv. Ber. Alc. *verbis:* male. *Juvare gestus* est favore, plausu incitare studium histrionis. Liv. 1, 25. *tum clamore Romani adjuvant militem suum.* quod idem c. 12. vocat *favore addere animum.* Ern.

Certis modis plausuque composito] Ars enim, si displacet, utriusque rei: acclamandi et plaudendi. Itaque addit, *cum manibus nesciis fatiscerent, turbarent gnaros.* In edicto Theoderici Regis ad populum Rom. ep. 1, 31. Variar. Cassiodori: *Soletis aera ipsum mellifluis implere clamoribus, et uno sono dicere, quod ipsas quoque belluas delectet audire. profertis voces organo dulciores; et ita sub quadam harmonia citharæ concavum theatrum per vos resonat, ut tonos possit quilibet credere, quam clamores.* Modulatum hunc clamorem concentum appellat Plinius in Paneg. c. 2. *Et populus quidem Rom. dilectum Principum servat, quantoque paullo ante concentu formosum alium, hunc fortissimum personat.* Dio 73, 2. Εὐρύθμως ἐκβοᾷν, in Pertinace: Ὅσα τε εἰώθασιν ἐν τοῖς θεάτροις ἐπὶ τῇ τοῦ Κομμόδου θεραπείᾳ εὐρύθμως πως ἐκβοᾷν, ταῦτα τότε μετασχηματίζοντες ἐς τὸ γελοιότατον ἐξῇδον. Vide quædam hujus rei ad H. 1. Lips. Respicit ad H. 1, 35. *ruere in plausus*, sed et hic tacet.

Per injuriam p. f.] Hoc nullum sensum habet. *Incuriam* correxere Acidalius et Boxhornius: idque cuivis in mentem veniat: quod est evidentiæ signum. Unde recipere non dubitavi. Ern. Sequuntur Lall. et Bip. Sequor et ego. Contra Broterius vulg. tenet, et cum Huetio ita exponit: etsi sibi injuria per publicum hoc flagitium fieret, et magnum sibi dedecus consisceretur. Verum præpositio *per* caussæ vim habet, et male sic in adversativam detorquetur.

Severamque adhuc] Rod. Agricola legebat: *severaque*, et, *retinente Italia.* Lips. Recepit Freinsh. cum seqq. Ryckius autem ex ipso cod. Agr. dedit *et adhuc antiqui.* nihil refert. Scripti et edd. vett. omnes *severamque a. e. a. m. retinentes Italiam*, quod restituit Broterius. Sane ob unum item librum non mutanda erat lectio, quæ tamen explicari potest. Mox *longinquas* edidit Pichena velut e Flor. pro *longas.* Sed in codice illo est *lonquas*, quod nihil aliud est quam *longas.* Sic illam scripturam in MS. Livii capit Drakenb. ad 4, 18. Enimvero omnes alii libri habent *longas:* et, *longus* pro *longinquus* dici, hodie notissimum est.

adhuc et antiqui moris retinentes Italiam, quique, per longas provincias, lasciviæ inexperti, officio legationum aut privata utilitate, advenerant, neque adspectum illum tolerare, neque labori inhonesto sufficere: cum manibus nesciis fatiscerent, turbarent gnaros ac sæpe a militibus verberarentur, qui per cuneos stabant, ne quod temporis momentum inpari clamore aut silentio segni præteriret. Constitit, plerosque Equitum, dum per angustias aditus et ingruentem multitudinem eniteuntur, obtritos, et alios, dum diem noctemque sedilibus continuant, morbo exitiabili conreptos. quippe gravior inerat metus, si spectaculo defuissent, multis palam, et pluribus occultis, ut nomina ac vultus, alacritatem, tristitiamque coeuntium scrutarentur. Unde tenuioribus statim inrogata supplicia, adversus inlustres dissimulatum ad præsens et mox redditum odium. Ferebantque *Vespasianum, tamquam somno conniveret, a Phœbo liberto increpitum, ægreque meliorum precibus obtectum: mox inminentem perniciem majore fato effugisse.* Post finem ludicri, 6 Poppæa mortem obiit, fortuita mariti iracundia, a quo gravida ictu calcis adflicta est. neque enim venenum credide-

A. U. 819. A. C. 66.

Vid. Drakenb. l. c. et ad Sil. 6, 628. Itaque *longas* restitui. Ern. Agricolæ lectionem probat Acid. recepit Lallem. Bud. servat vulgatam, quæ bonum sensum fundit, quicquid contra dicat Ryckius. Olim Pichena, nuper Brot. et Bip. quoque retinuere. Dein Bud. habet *longas*. Bip. dedere *longinquas*. Mox Bud. *lasciviam experti*. male.

Officio legationum] De his legationibus urbium v. l. 4. D. de Legat.

Quippe gravior inerat metus] O ludos, o ineptias, sed cruentas et tristes! Nam mors comes aut exsilium, si quis segniter audivisset scilicet hunc Phœbum. Philostratus scite narrat 4, 39. *Apollonium venisse Romam et in hospitium quoddam per hæc tempora divertisse. Ibi autem hominem quendam, scenico habitu, citharam tenentem et pulsantem, cantantem etiam, sed rudi et absona voce, supervenisse, qui solitus esset urbem ita perambulare et Neronis carmina cantillare. Quæ siquis aut negligentius audisset, aut mercedem condignam non dedisset, ab eo tamquam impietatis reus conviciis petebatur et in carcerem ducebatur. Chordam præterea, usu detritam et fractam, quæ in ipsa Neroniana cithara fuisset, ut ceimelium aliquod in arcula ferebat: atque eam emptam sibi duabus minis ferebat. nec cuiquam porro venditurum, nisi qui præstantissimus in ea arte esset, et aliquando Pythiis vicisset.* Atque addit, Apollonium ipsum et comites ejus, cum adfici non viderentur, accusatos ab eo, ut *Divinæ vocis contemptores*, sed mercedula tamen data hominem placasse. Lips. Mox pro *redditum odium* Groslotius (in Syll. Burm. t. 1. p. 353.) malebat *editum*. id firmari posset e 4, 35. sed ibi vid. Ern. In Bud. a 1. m. erat *editum;* inde 2. m. fecit *redditum*.

Vespasianum a Phœbo] Hoc igitur periculum Romæ adiit, ut hic Tacitus: sed simile in Achaia. de quo Suetonius Vespas. 4. *Peregrinatione Achaica inter comites Neronis, cum cantante eo aut discederet, aut præsens obdormisceret, gravissimam contraxit offensam: prohibitusque non contubernio modo, sed etiam publica salutatione.* Itaque sæpius in ista re subrusticus et vere Sabinus vir peccavit. Quod porro ad Phœbum, is libertus admissionum fuit, ex Suet. Vespas. 14. De eo lapis, TI. CLAVDIO. AVG. L. PHOEBO. CLAVDIA. PANAITYCHIS. Lips.

Majore fato effugisse] Videtur respexisse ad poetis jactata *fata magna, majora:* de quibus copiose Bentlei. ad Horat. Ep. 2, 1, 6. Sensus: quia majoribus rebus destinatus erat, nec posset adeo a Nerone perimi. Ern.

A. U. 819. A. C. 66. rim, quamvis quidam scriptores tradant, odio magis, quam ex fide. quippe liberorum cupiens et amori uxoris obnoxius erat. Corpus non igni abolitum, ut Romanus mos; sed, Regum externorum consuetudine, differtum odoribus conditur, tumuloque Juliorum infertur. Ductæ tamen publicæ exsequiæ, laudavitque ipse apud rostra *formam ejus, et quod Divinæ infantis parens fuisset*, aliaque fortunæ munera pro virtutibus.

7 Mortem Poppææ, ut palam tristem, ita recordantibus lætam, ob inpudicitiam ejus sævitiamque, nova insuper invidia Nero complevit, prohibendo C. Cassium officio exsequiarum. quod primum indicium mali: neque in longum dilatum est. Sed Silanus additur: nullo crimine, nisi quod Cassius opibus vetustis et gravitate morum, Silanus claritudine generis et modesta juventa, præcellebant. Igitur missa ad Senatum oratione, *removendos a Republica utrosque*, disseruit: objectavitque Cassio, *quod inter imagines majorum etiam C. Cassii effigiem coluisset, ita inscriptam: DVX PARTIVM. Quippe semina belli civilis et defectio-*

Ut Romanus mos] Cod. Agr. *Romanis*.

Differtum odoribus] Plinius de Arabia 12, 18. (41.) *Periti rerum adfirmant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero Princeps novissimo Poppææ suæ die concremaverit.* LIPS. Si non combusta Poppæa in rogo, quomodo *concrematum* tantum aromatis? Nam ante dixerat Plinius, aromata adhiberi *urendis defunctis.* Plinius videtur audisse, absumtum tantum in funere Poppææ, et retulisse hic, e more solito, ad combustionem. Tacitus audiendus. ERN.

Tumulo Juliorum] Supra 3, 4 et 9. *tumulus Augusti et Cæsarum* salutatur.

Divinæ infantis parens] V. 15, 23.

Ita recordantibus lætam] Muretus *recondentibus*: quod illi *palam* opponitur. Acidalius probat (it. Lall.). Certe vulgatum vitiosum est. Forte fuit: *ita lætam, recordantibus impud. e. s.* Mox eleganter Acidalius: *neque in longum dilatus est:* sed non necessario. Intellige *malum*. ERN. *Recordantibus*, i. e. in mentem revocantibus flagitia Poppææ. Sic sensus planus, nec quicquam mutandum. Multo minus admittenda expositio Bip. qui reddunt: cogitantibus sibi posse accidere, quæ aliis. Cf. Hiller. Rac. 18.

C. Cassium] De hoc cf. 6, 15. 12, 11. 12. Plin. ep. 7, 24. De *Silano* 15, 52.

Silanus] Suspicor eumpse esse, cui postea statua in foro posita, curante Capitone. Qua de re Plinii epistola tota 1, 17. ad Corn. Titianum. Corrupte hoc nomen scriptum in Comm. Juvenalis ad illud Sat. 1, 33. — *magni delator amici. Heliodorum dicit Stoicum Philosophum, qui Licinium Silanum condiscipulum suum . . . testimonio oppressit.* Lege *L. Junium*. LIPS. Post *objectatumque* MS. Corb. (et Agr.) non male. ERN.

Duci partium] Budensis codex *Dux*. non male. Hæc autem historia est: quam eleganter Ambros. 1. Offic. tangit. *Si tyranni aliquis habeat imaginem, nonne obnoxius est damnationi? Memini, legisse me quosdam capitali supplicio damnatos, quia Bruti et Cassii interfectorum Cæsaris imagines asservarent.* De titulis autem imaginum scripsi in Electis, 1, 29. LIPS. Forte *ita* vitiosum est. Ita mollior dativus. Nam non potuit esse in imagine scriptum *Duci partium*, quasi ea imago ipsi consecrata esset, et honori ejus posita; quia fuit inter ceteras gentis imagines, sed in titulis nomini subjectis fuit etiam Dux partium Pompeianarum. Miror, hoc Broterium non assecutum esse. ERN. Lectio Bud. unice vera. Expressi. Paulo ante Bud. non habet *etiam*. Commode potest abesse.

nem a domo Cæsarum quæsitam. Ac, ne memoria tantum A. U.
infensi nominis ad discordias uteretur, adsumpsisse L. Silanum, 819.
juvenem genere nobilem, animo præruptum, quem novis rebus A. C. 66.
ostentaret. Ipsum dehinc Silanum increpuit iisdem, quibus 8
patruum ejus Torquatum, *tamquam disponeret jam Imperii*
curas, præficeretque rationibus et libellis et epistolis libertos:
inania simul et falsa. nam Silanus intentior metu et exitio
patrui ad præcavendum exterritus erat. Inducit posthac,
vocabulo indicum, qui in Lepidam, Cassii uxorem, Silani
amitam, *incestum cum fratris filio et diros sacrorum ritus*
confingerent. Trahebantur, ut conscii, Vulcatius Tullinus
ac Marcellus Cornelius, Senatores, et Calpurnius Fabatus,
Eques Romanus: qui, adpellato Principe, instantem dam-
nationem frustrati, mox Neronem, circa summa scelera
distentum, quasi minores evasere. Tunc consulto Senatus 9
Cassio et Silano exsilia decernuntur: *de Lepida Cæsar sta-*
tueret. Deportatusque in insulam Sardiniam Cassius et
senectus ejus exspectabatur. Silanus, tamquam Naxum

Ac ut memoria] Lego *ac ne.* LIPS. Frustra interpretantur, quod vitiosum est. Recte Lipsius et Faernus, *ac ne.* Hoc enim significat: et, quasi non sufficeret infamis ac damnati hominis memoriam renovasse palamque coluisse, (quod quid aliud, quam parricidium ejus probare et ad simile scelus præsentes vocare?) adjunxisse partibus etc. Vel etiam: Et, ne ad rebellionem stimulandam una hostis Cæsarum imagine niteretur, in qua præter nomen nihil est additamenti, assumpsisse Silanum, etc. GRON. Res ita evidens est, ut *ne* recipere non dubitarim: præsertim, cum *ut* ne sit quidem in Florent. ERN. Nec in Bud. nec Agr. nec Regio Lall. Credo, id *ne* ob sequentem syllabam *me* excidisse et ab hac esse absorptam.

Animo præruptum] Non, *promptum:* ex Vaticano. Præruptus, uti præfractus, de iis, qui rigida effrænique audacia sunt. Ita Ciceroni pro Roscio Amer. 24. *Prorupta audacia*, dicta. LIPS. *Præruptum* MS. Flor. (Bud.) et a pr. manu fuit in Guelf. at sec. mutavit in *promtum:* quod est etiam in (cod. Agr. et) edd. pr. ceterisque usque ad Lipsium. *Prærupta dominatio* est 5, 3. ERN.

Disponeret Imperii curas] Cf. 15, 35.

Inania] Bud. *et inania.* Sic et Flor. et Ven. sed Pichena sustulit copulam.

Ad præcavendum exterritus] Frustra in hac forma loquendi hærent Ursinus et Gruterus et Heinsius, qua aliquoties usus est ante Tacitus. Vid. ad 2, 62. ERN.

Lepidam] Duas filias C. Appio Silano peperit Æmilia Paulla, Juniam Calvinam, de qua 12, 4, 8. et hanc Juniam Lepidam. RYCK.

Vulcatius Tullinus] Credo, *Tertullinus:* supervixitque ad principatum Vespasiani H. 4, 9. *Vulcatius Tertullinus tribunusplebei intercessit.* LIPS. Bud. *Volcatius.*

Marcellus Cornelius] Quem Galba deinde interfecit H. 1, 37. *Quam gloriam ad Principatum attulit, nisi occisi Obultronii Sabini et Cornelii Marcelli in Hispania?* Noto eo, quia Tacitus ipse admonet, evasisse eos hoc discrimen et Neroni superfuisse. LIPS.

Calpurnius Fabatus] Ille prosocer Plinii Secundi. LIPS. Ad quem pertinet inscriptio ap. Gruter. p. 382. quam ad h. l. protulere Alciatus et Ryckius. ERN. Cf. Plin. ep. 5, 12. 7, 32.

Tunc consulto Senatus] Sic MSS. Flor. Bud. Agr. Guelf. ed. pr. quod recepit Ryckius. Ceteræ edd. *Senatusconsulto.* ERN. In Flor. et Bud. est *consulto Senatu*, quod probat Vertranius.

Senatus jus exspectabatur] Vulnus, cui non medeor. Palmerius legit (ita ab Hieron. Berchemio accepi, veteri meo amico) *Senatus jussus spectabatur.* Franc. Medices: *et senectus ejus exspectabatur.* At de exsilio Cassii convenienter cum Tacito Pomponius

A. U. 819. A. C. 66. deveheretur, Ostiam amotus: post municipio Apuliæ, cui nomen est Barium, clauditur. Illic, indignissimum casum sapienter tolerans, a Centurione, ad cædem misso, conripitur: suadentique, *venas abrumpere, animum quidem morti destinatum*, ait, *sed non permittere percussori gloriam ministerii.* At Centurio, quamvis inermem, prævalidum tamen et iræ quam timori propiorem cernens, premi a militibus jubet. Nec omisit Silanus obniti et intendere ictus, quantum manibus nudis valebat, donec a Centurione vulneribus adversis, tamquam in pugna, caderet. Haud minus prompte L. Vetus socrusque ejus, Sextia, et Pollutia filia, necem subiere: invisi Principi, tamquam vivendo exprobrarent, interfectum esse Rubellium Plautum, generum Lucii Veteris. Sed initium detegendæ sævitiæ præbuit, interversis patroni rebus, ad adcusandum transgrediens Fortunatus libertus, adscito Claudio Demiano, quem, ob flagitia vinctum a Vetere, Asiæ Proconsule, exsolvit Nero, in præmium adcusationis. Quod ubi cognitum reo, seque et libertum pari sorte componi, Formianos in agros digreditur. Illic eum milites occulta custodia circumdant. Aderat filia, super ingruens periculum, longo dolore atrox, ex quo percussores Plauti, mariti sui, viderat: cruentamque cervicem ejus amplexa, servabat sanguinem et vestes respersas; vidua, inplexa luctu continuo, nec ullis alimentis,

De orig. juris: *Caius Cassius Longinus plurimum in civitate auctoritatis habuit, donec eum Cæsar* (Nero, non Claudius, uti censent) *pelleret*: *expulsusque ab eo in Sardiniam, revocatus a Vespasiano.* De eximia ejus scientia noster 12, 12. *Ea tempestate Cassius ceteros præeminebat peritia legum.* Plinius Epist. 7, 24. *Lætor, quod domus C. Cassii, hujus qui Cassianæ scholæ princeps et parens fuit, serviet domino non minori.* LIPS. Acu rem tetigit Fr. Medices. Sic 13, 33. *P. Celerem, quia absolvere nequibat Cæsar, traxit, senecta donec mortem obiret.* GRON. Recepi *senectus ejus;* est enim evidens, ita legendum esse. Certe *ejus* habent libri boni, Flor. Agr. Guelf. (Bud. Reg. ap. Lall.) ed. pr. Id igitur repudiari non debet. Itaque, si maxime Tacitus non scripsit *senectus ejus*, sed aliud quid, tamen tolerabilius est *senatus* mutari in *senectus*, quam *ejus* in *jus;* unde nulla sententia commoda fit, cum illud clarum et Tacito dignum sit. Quo magis veniam facti me consecuturum spero. Heinsius insuper malebat *respectabatur* i. e. considerabatur: existimabant, cum senex esset, etiam sponte mox moriturum. ERN. Supra 11, 26. habes etiam *senectam opperiri.*

Pollutia] Supra 14, 22. dicitur *Antistia*, quod verum nomen a patre Antistio, ni duplex illi nomen fuerit. Sic LALLEM.

Interfectum esse] Ferendum utcunque. Sed mihi probabile, veram scripturam fuisse *interfectum a se.* Dicitur quidem *exprobrare* etiam cum infinitivo: sed tamen plerumque, præsertim apud nostrum, cum accusativo: estque sic haud paullo elegantius. Mox *ad accusandum* MSS. Flor. Guelf. (Bud. Agr.) ed. pr. Put. Ber. Alc. Rhen. Recentiores vulgo *accusationem.* ERN.

Sang. et vestes resp.] Cod. Agr. *sanguine vestes respersas.*

Vidua implexa luxu continuo] *Implexa* natum ex superioris lineæ iterata voce *amplexa*, Acidalius putat. Habet aliquam speciem: et ita mollius adderetur *nec ullis alimentis*, ubi male Ryckius e cod. Agr. addidit *usa.* Sed ego nil muto. Cic. Tusc. 5, 1. *angoribus et molestiis implicati animi.* Sequentes ablativi absolute capiendi. hac varietate sæpe Tacitus

nisi quæ mortem arcerent. Tum, hortante patre, Neapolin A. U.
pergit. Et, quia aditu Neronis prohibebatur, egressus 819.
obsidens, *audiret insontem, neve Consulatus sui quondam con-* A. C.
legam dederet liberto, modo muliebri ejulatu, aliquando, 66.
sexum egressa, voce infensa, clamitabat, donec Princeps
inmobilem se precibus invidiæ juxta ostendit. Ergo nun- 11
tiat patri, *abjicere spem et uti necessitate.* Simul adfer-
tur, *parari cognitionem Senatus et trucem sententiam.* Nec
defuere, qui monerent, *magna ex parte hæredem Cæsa-
rem nuncupare, atque ita nepotibus de reliquo consulere.* quod
adspernatus, ne vitam, proxime libertatem actam, novissimo
servitio fœdaret, largitur in servos, quantum aderat pecu-
niæ: et, *si qua asportari possent, sibi quemque deducere, tris
modo lectulos ad suprema retineri,* jubet. Tunc eodem in
cubiculo, eodem ferro abscindunt venas, properique, et
singulis vestibus ad verecundiam velati, balneis inferuntur:
pater filiam, avia neptem, illa utrosque intuens, et certatim
precantes *labenti animæ celerem exitum, ut relinquerent suos
superstites et morituros.* Servavitque ordinem fortuna: ac
seniores prius, tum cui prima ætas, exstinguuntur. Adcu-
sati post sepulturam, decretumque, *ut more majorum puni-
rentur.* Et Nero intercessit, *mortem sine arbitro* permit-

utitur. V. c. 1. 15. init. Ern. Trillerus Obs. crit. 3, 2. leg. suadet *impleta;* Bip. *inflexa.* Bud. *implexa.* Locus Cic. allegatus huic vulgato favet. Nec obstat vox soni similis lineæ præcedentis; sic paullo post etiam *egressus, egressa* propius sese contingunt.

Quondam collegam] Primo imperii ejus anno. Lips. *Liberto dederet* Ciceronianum est, h. e. in liberti gratiam condemnaret insontem. Rosc. Amer. c. 3. et alibi. Noster iterum c. 20. Ern.

Immobilem se precibus et invidiæ juxta ostendit] Fortassis, *invidia,* nec precibus nec reverentia famæ, aut maligni rumoris metu moveri. Gron. Ryckius probat *invidia,* quam scil. Neroni excitabat Veteris filia. Bip. recepere. Bud. habet *invidiæ juxta* absque copula. bene, ut videtur. Adverbialiter sumta particula cum dandi casu struitur, credo, rectius quam cum ablativo. V. similem locum ap. Liv. 24, 19.

Ut relinquerent] Sic omnes scr. et edd. præter Flor. (et Bud.) qui habet *relinqueret;* quod recepit Jac. Gronovius, referens ad animam labentem. Mox pro *prima* Acidalius malebat *proxima,* quod non displicet, quia præcessit *prius.* Post *extinguitur* MSS. Bud. Guelf. Agr. ed. pr. Vulgatum melius, quia exquisitius. Ern. Bud. *seniorem.* Flor. *seniore.* Acid. volebat *seniores,* quod rectum videtur; intelliguntur Vetus et Sextia, tum *prima ætas* est juventus scil. Pollutiæ. *Proxima* pro glossa habent Bip. idque merito.

More majorum] Quid hoc, v. 2, 32. et ap. Suet. 49.

Mortem sine arbitrio permittens] Cl. Faber bis huncce locum attigit. Primo ei visum legere, *mortem libero arbitrio:* post maluit, *suo arbitrio.* Quod postremum magni vatis effatum jure placet: magis tamen meum, *mortem sine arbitro.* Et adseverem, eam Cornelii scripturam esse, a Flor. etiam codice, ut postea comperi, approbatam. *Mors sine arbitro,* libera, sine domino, sine judice. Simile 1, 26. *An præmia sub dominis, pœnas sine arbitro esse?* Lips. Scribendum esse, *mortem sine arbitrio remittens,* docuimus Obs. 4, 2. Gron. *Sine arbitrio* plerique libri scripti, et edd. vett. Pichena et Ryckius, Freinsh. recepere *sine arbitro* · quod sane melius. Quia Broterius in MSS. tribus reperit, recepi et ipse. Ern. Faber Sem. 1, 4. 2, 7. prius volebat *ejus arbitrio,* dein *libero* vel *suo.* Bud. habet *sine arbi-*

A. U. 819. A. C. 66. tens. ea, cædibus peractis, ludibria adjiciebantur. P. Gallus, Eques Romanus, quod Fenio Rufo intimus et Veteri non alienus fuerat, aqua atque igni prohibitus est. Liberto
12 et adcusatori præmium operæ, locus in theatro inter viatores Tribunicios, datur. Et mensis, qui Aprilem, eumdemque Neroneum, sequebatur, Maius *Claudii*, Junius *Germanici*, vocabulis mutantur: testificante Cornelio Orfito, qui id censuerat, *ideo Junium mensem transmissum, quia duo jam Torquati, ob scelera interfecti, infaustum nomen Junium fecis-*
13 *sent*. Tot facinoribus fœdum annum etiam Dii tempestatibus et morbis insignivere. Vastata Campania turbine ventorum, qui villas, arbusta, fruges passim disjecit. pertulitque violentiam ad vicina urbi: in qua omne mortalium genus vis pestilentiæ depopulabatur, nulla cœli intemperie, quæ occurreret oculis. Sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus, complebantur. non sexus, non ætas periculo vacua. servitia perinde et ingenua plebes raptim exstingui, inter conjugum et liberorum lamenta; qui, dum

trio. Pichena in Flor. et Ryckius in Agr. reperere *sine arbitro*, quod omnino præstat. Mox de *Fenio Rufo* v. 15, 66, 68.

Inter viatores Tribunicios] Qui spectasse videntur non abjuncto a Tribunis loco, uti ad obsequia apparere possent. Hoc autem inter præmia: quia Tribunos honestissimo loco spectasse, vel hinc colligas, quod Cæsari Julio inter honores decretum: *ut semper sella curuli sederet, excepto per ludos. Tum enim sessio ei in Tribunicio subsellio, inter eos, qui quoque anno Tribuni essent, concedebatur*. Dio 44, 4. Itemque postea Augusto: *ut in subselliis Tribunorum plebis sederet*. Dio 49, 15. Lips. De viatoribus multa Marcellus Donatus ad h. l. Ern.

Neroneum] Cf. 15, 74.

Junius Germanici] Obhæreo. Series quidem mensium ita postulat: sed, si *Junius* in hoc numero, quomodo additur *Junium transmissum*, quia infaustus esset? Itaque olim reponebam, *Julius Germanici*. Sed libri mihi opponuntur, itemque ratio, quod facta injuria D. Julio videtur, si illi mensis suus ademptus. Quid dicam? verba tamen sequentia de Junio abnuunt, etsi alii conantur pro *transmissum* rescribere *transnominatum*. Lips. Si *transmissum* cum Freinshemio explices omissum e Fastis nomine, obliteratum ejus mensis nomen, in dedecus familiæ Juniæ, nihil restet difficultatis: idque placet Ryckio. Sed vereor, ut *transmittere mensem Junium* hoc significet. Nam *transmittere aliquid* est tacere, silere, non, ei nomen adimere. Broterius *mensem* deleri vult: nescio quo. Ern. *Transmittere* omnino est præterire, negligere, sicque oblivioni tradere. Cf. 4, 21, 55. 15, 31.

Cornelio Orfito] Is Consul a. 804. V. 12, 41.

Duo jam Torquati] Cf. 13, 35. et 16, 8.

Infaustum nomen Junium fecissent] Emendavit sic Lipsius, et firmat Florent. qui habet, *nomen junctum*. At ed. pr. ceteri libri *Junii tum*. male. Forte fuit *Juniorum*. Ern. Bud. quoque *junctum*.

Ad vicina urbi] Sic MSS. Reg. Agr. ed. pr. At sequentes *ad mœnia urbis*, ut MSS. Flor. Guelf. In MS. Bud. Oxon. *mœnia vicina urbi*. J. Gron. probat *mœnia urbis*: et intelligit ædes urbis. Ceterum patet falsum esse, quod ille ait, *vicina urbi* esse a Rhenano, qui in ed. pr. et sec. habet *mœnia urbis*, ut Aldus, Gryphius. Revocavit Lips. Ern. Ast Rhen. legendum suadet *vicina urbi*, ut H. 4, 46.

Vis pestilentiæ] De hoc morbo Suet. 39.

Perinde et ingenua plebes] Dedi *et* ex ed. pr. pro vulgato *ac*, quod non solet ante vocalem dici, et in nostro quoque supra aliquoties e libris emendatum. MS. Guelf. (et Bud.) plane caret copula. Sed facilius *et* hic excidebat, quam *ac*. Hist. 4, 43. *perinde dives et eloquentia clarus*. Ern.

adsident, dum deflent, sæpe eodem rogo cremabantur. A. U.
Equitum Senatorumque interitus, quamvis promiscui, mi- 819. A. C.
nus flebiles erant; tamquam communi mortalitate sævitiam 66.
Principis prævenirent. Eodem anno delectus per Galliam
Narbonensem Africamque et Asiam habiti sunt, supplendis
Illyrici legionibus, ex quibus ætate aut valetudine fessi sa-
cramento solvebantur. Cladem Lugdunensem quadragies
sestertio solatus est Princeps, ut amissa urbi reponerent:
quam pecuniam Lugdunenses ante obtulerant, turbidis ca-
sibus. C. Suetonio, L. Telesino coss. Antistius Sosianus, A. U.
factitatis in Neronem carminibus probrosis, exsilio, ut dixi, 820.
multatus, postquam, id honoris indicibus tamque prom- A. C. 67.
ptum ad cædes Principem, accepit, inquies animo, et occa- 14
sionum haud segnis, Pammenem, ejusdem loci exsulem et
Chaldæorum arte famosum, eoque multorum amicitiis in-
nexum, similitudine fortunæ sibi conciliat. Ventitare ad
eum nuntios et consultationes non frustra ratus, simul an-
nuam pecuniam a P. Anteio ministrari cognoscit. Neque
nescium habebat, Anteium caritate Agrippinæ invisum
Neroni, opesque ejus præcipuas ad eliciendam cupidinem,
eamque caussam multis exitio esse. Igitur, interceptis An-
teii litteris, furatus etiam libellos, quibus dies genitalis ejus
et eventura secretis Pammenis occultabantur, simul reper-
tis, quæ de ortu vitaque Ostorii Scapulæ composita erant,

Delectus] Bud. *dilectus.* Mox *valitudine.*

Cladem Lugdunensem] Cladem ex incendio conceptam, quod denarrat et deplorat Seneca epistola tota 92. Accidit centesimo anno a colonia deducta, eodem Seneca observante: ut solatium hoc tarde adhibitum a Nerone sit, septimo post incendium anno. Nam deducta Lugdunum a Munatio Planco a. u. 711. Lips. Hujus cladis vestigia et nunc apparere Lugduni docemur ab auctore Antiquitatum Lugdunensium p. 248. qui tamen de summa pecuniæ a Nerone datæ non recte sentit. Ern.

L. Telesino coss.] Nomen ei L. Pontius Telesinus ex Velleio. Laudat ut philosophum et insignem virum plus uno loco Philostratus 4, 40. 7, 11. (8, 12.) eumdemque exsulasse ea re sub Nerone scribit. Lips. Immo *C. Luccius* vel *Lucius Telesinus*, ut Inscr. (ap. Grut. p. 1102.) demonstratum Ruperto ep. 48. p. 447. Adde Ryckium ad h. l. et Pagium Crit. Bar. ad h. a. Unde putem, fuisse in Tacito *Lucio Telesino* et librarios, qui prænomen esse putarent, hinc dedisse *L. Telesino.* Prænomen ei *C.* unde Ryckius putat, Tacitum scripsisse *Caiis Suetonio* et *Lucio* vel *Luccio Teles.* ut 14, 1. volebat. Ern.

Ut dixi] Cf. 14, 48.

Innixum] Rectius *innexum* Lipsius et Freinsh. putant. Bene. Ern. Bud. *annixum.*

Nuntios et consolationes] Omnino lego *consultationes:* et jam notavit Pichena, sic in Flor. esse. Verbum ejus artis. Juvenalis 6, 574. — *quæ nullum consulit, et jam Consulitur.* Noster c. 30. *Quæ caritate erga parentem non tamen aliud consultaverat, quam de incolumitate domus.* Paullo ante scribo, *multorum amicitiis innexum.* non *innixum.* Lips. *Consultationes* habet et ed. pr. Itaque non solo Flor. nititur. Nec comparem huic *consultatores* Ryckii e cod. Agr. Recte recepit Pichena. *Simul* etiam Guelf. ed. pr. Ceteræ ante Rhen. *simulque.* Ern. *Consultationes* astrologorum, auspicum, forsan et magicas. Bud. *consolationes*, et mox *simul nimiam.*

Ostorii Scapulæ] Cf. 12, 31. 14. 48.

A. U. 820. A. C. 67. scribit ad Principem, *magna se et quæ incolumitati ejus conducerent, adlaturum, si brevem exsilii veniam impetravisset. quippe Anteium et Ostorium imminere rebus, et sua Cæsarisque fata scrutari.* Exin missæ liburnicæ, advehiturque propere Sosianus. Ac, vulgato ejus indicio, inter damnatos magis, quam inter reos, Anteius Ostoriusque habebantur: adeo ut testamentum Anteii nemo obsignaret, nisi Tigellinus auctor exstitisset. Monitus prius Anteius, *ut supremas tabulas moraretur.* Atque ille, hausto veneno, tarditatem ejus perosus, intercisis venis, mortem adproperavit. Ostorius longinquis in agris, apud finem Ligurum, id temporis erat. eo missus Centurio, qui cædem ejus maturaret. Caussa festinandi ex eo oriebatur, quod Ostorius multa militari fama, et civicam coronam apud Britanniam meritus, ingenti corporis robore armorumque scientia, metum Neroni fecerat, ne invaderet pavidum semper et reperta nuper conjuratione magis exterritum. Igitur Centurio, ubi effugia villæ clausit, jussa Imperatoris Ostorio aperit. Is fortitudinem adversum hostes sæpe spectatam in se vertit. Et, quia venæ, quamquam interruptæ, parum sanguinis effundebant,

Monitus pr. Anteius] Acidalius et Freinsh. malebant ablativos. Sed libri constanter vulgatum servant, idque satis commodum est. Nam quod Flor. *monitus pr. Anteio,* error librarii est. Tigellinus negabat, periculum signatoribus fore. Sed Anteium bene facturum, si nihil cunctaretur, sed ocius testamentum scriptum morte ratum faceret. Testamentum morantur, qui non moriuntur, ut id cognosci et ad effectum venire non possit. Ern. Ablativos habet cod. Agr. quod probant Ryck. et Lall. Bud. ubivis *Panteium* nominat.

Apud finem Ligurum] Non aspernabilis forte conjectura nostra, *apud Fanum Ligurum.* Is locus Templum alio nomine dictus. In vita Agricolæ c. 7. *Classis Othoniana licenter vaga, dum in Templo (Liguriæ pars est) hostiliter populatur.* Livius tamen 33, 37. *Finem Ligurum* etiam appellat: *Redeuntes inde Ligurum extremo fine, agmen Romanum incidunt.* sed alio, nisi fallor, et communi magis sensu. Lips. Aliud exemplum e Livio attulit Rhenanus. Omnino sæpe is *finem* in singulari hoc sensu dixit. V. Gronov. ad 38, 15. item Drak. ibid. aliisque locis. Itaque nihil hic mutandum. Ern.

Ex eo oriebatur] Gruterus has voces abundare, nec ab auctore manasse putat. Prius verum; et sufficiebat *Caussa festinandi,* vel *Caussa fest. ex eo.* Sed non propterea hæc non a Tacito, qui innumerabilibus locis brevitatis legem migravit, ut jam aliquoties monuimus. Si velimus severi esse, totum illud *caussa f. ex e. o.* abesse potest. Sed contra libros in talibus nil tentandum. Ed. pr. habet illa quidem *exoriebatur:* sed hic *eo* absorptum esse facile patet. Add. ad 2, 47. Ern.

Civicam coronam] Filii ergo M. Ostorii ista mors. Nam de eo 12, 31. scriptum: *Qua pugna filius Legati M. Ostorius servati civis decus meruit.* Pater sane in ipsa Britannia obiit. Lips.

Ne invaderet pavidum semper] Intell. post *invaderet, se.* in reliquis brevitate usus Tacitus, in ratione timoris reddenda. Nihil hic tentandum. Ern. Bip. legunt *in pavidum,* quod Puteol. habet *invaderetur,* hanc terminationem ex præpos. *in* ortam rati. Freinsh. inde volebat *ut pavidum.*

Jussa Imperatoris] Ita primus dedit Beroaldus, nescio unde. Nam in ed. Puteol. est *jussa inde.* MS. Flor. *in p.* Guelf. Oxon. *inde post.* Bud. *inpost Ostorio* unde Rhenanus conjicit *jussa mox* vel *post.* ed. pr. *jussa in. P. Ostorio,* quod e Flor. ductum videatur. Huic Ostorio prænomen *M.* fuisse e 12, 31. patet, non *P.* Ern.

hactenus manu servi usus, ut inmotum pugionem extolle- A. U.
ret, adpressit dextram ejus juguloque occurrit. Etiam si 820.
bella externa et obitas pro Republica mortes tanta casuum A. C.
similitudine memorarem; meque ipsum satietas cepisset, 67.
16
aliorumque tædium exspectarem, quamvis honestos civium exitus, tristes tamen et continuos adspernantium. At nunc patientia servilis, tantumque sanguinis domi perditum, fatigant animum et mœstitia restringunt. Neque aliam defensionem ab iis, quibus ista noscentur, exegerim, quam, ne oderint tam segniter pereuntes. Ira illa Numinum in res Romanas fuit, quam non, ut in cladibus exercituum aut captivitate urbium, semel editam transire licet. Detur hoc inlustrium virorum posteritati, ut, quomodo exsequiis a promiscua sepultura separantur, ita, in traditione supremorum, accipiant habeantque propriam memoriam.
17
Paucos quippe intra dies, eodem agmine, Annæus Mella, Cerialis Anicius, Rufius Crispinus ac C. Petronius cecidere. Mella et Crispinus, Equites Romani, dignitate Senatoria. nam hic quondam Præfectus Prætorii, et Consularibus insignibus donatus, ac nuper crimine conjurationis in Sardiniam exactus, accepto jussæ mortis nuntio, semet interfecit. Mella, quibus Gallio et Seneca, parentibus natus, petitione honorum abstinuerat per ambitionem præposteram, ut Eques Romanus Consularibus potentia æquaretur. simul

Quam ne oderim tam segniter pereuntes] Caussam reddit, cur non oderit, hoc est, non omiserit eorum mentionem. Id enim *odisse* vocat. Non aliter me defendam, quam ut rogem, concedant mihi, non odisse et punire silentio ignaviam sic, instar pecorum, cædi se præbentium: vel, cum viri fortes forent, quorum mortis contemptus usui magno esse potuisset, ita mortem perdentes. Nestor apud Ovidium Met. 12, 575. *Nec tamen ulterius, quam fortia facta silendo, Ulciscar fratres.* GRON. Verissime. Rhenanus, Lipsius, Grotius malebant *oderint.* At ista non foret defensio et excusatio Taciti, quæ hic desideratur. *Oderim* libri omnes (etiam Bud.) præter cod. Agr. qui habet *oderint.* *Defensio* pro excusatione dicta. Nullo alio nomine me ab iis excusatum haberi velim, defendique hoc institutum meum. Sequens sententia est a Cicerone, qui bellum civile ita excusat. Mox ed. pr. *semel edito:* et edd. ante Rhen. omnes *ac sepultura*, male. ERN. Recte puto Bip. reposuisse *oderint.* Petit a lectoribus auctor, ut defensionem hanc segniter pereuntium admittant, neque eos oderint, cum fatalis Deorum ira subsit. Dent igitur illorum posteritati, ut inlustrium nominum memoria conservetur. Mox Bud. *edicto.* Dein *a proxima sepultura.* male. *Captivitas urbium* occurrit et H. 3, 70.

Annæus Mella] Bud. *Mela.* Mox *Ruffus Crisp.* sed respice ad 12, 42.

Ac Petronius] Sic MSS. Flor. Guelf. edd. ante Rhen. omnes, qui primus, ex ingenio, prænomen *C.* addidit. Si e MS. id natum ex ultima τῆς *ac.* Broterius putat esse T. Petronium, de quo Plin. 37, 2. (7.) et auctorem libri, cujus pars extat. ERN. Quum mox *C. Petronius* iterum dicatur, nil obstat, quo minus et hic; saltem cod. Flor. et Agr. c. 18. sic habent. Item Bud.

Dignitate Senatoria] Non enim revera Senatores, sed opibus ac splendore cuivis Senatorum pares. Equites illustres. LIPS. Vide ad 11, 4.

Quondam Præfectus Prætorii] Sub Claudio 11, 1. LIPS. *Nuper . . exactus.* Cf. 15, 71. Bud. *nuperrime.* De *Gallione* v. 15, 73.

A. U. 820. A. C. 67. adquirendæ pecuniæ brevius iter credebat, per procurationes administrandis Principis negotiis. Idem Annæum Lucanum genuerat, grande adjumentum claritudinis. quo interfecto, dum rem familiarem ejus acriter requirit, adcusatorem concivit Fabium Romanum, ex intimis Lucani amicis. *Mixta inter patrem filiumque conjurationis scientia fingitur*, adsimulatis Lucani litteris. quas inspectas Nero *ferri ad eum* jussit, opibus ejus inhians. At Mella, quæ tum promptissima mortis via, exsolvit venas: scriptis codicillis, quibus grandem pecuniam in Tigellinum, generumque ejus, Cossutianum Capitonem, erogabat, quo cetera manerent. Additur codicillis, tamquam de iniquitate exitii querens, ita scripsisse: *se quidem mori nullis supplicii caussis; Rufium autem Crispinum et Anicium Cerialem vita frui, infensos Principi.* quæ composita credebantur; de Crispino, quia interfectus erat, de Ceriale, ut interficeretur. neque enim multo post vim sibi adtulit, minore quam ceteri miseratione, quia proditam C. Cæsari conjurationem ab eo meminerant.
18 De C. Petronio pauca supra repetenda sunt. Nam

Per procurationes] Ad quas soli equites aut liberti admissi. Lips. Cf. 2, 59.

Dum rem familiarem] De Annæo Mella sermo est, qui pater Lucani. Atqui de illo Eusebianum Chron. *L. Annæus Mella, Senecæ frater et Gallionis, bona Lucani filii sui a Nerone promeretur.* Quæ si vera lectio, opinandum a fisco aut fiscalibus quædam abrepta et retenta. Sed ego ambigo, neque censeo publicata bona, quia sua manu cecidit et damnationem prævenit. Quod si est, bene in Eusebio corrigas, et ad hæc Taciti: *ob bona Lucani filii sui a Nerone perimitur.* Lips. Nempe Fabius ille videtur debuisse Lucano certis nominibus: quæ dum nimis diligenter exigit, ejus odium commovit. Debebat ille Mella in animo habere illud Verris ap. Cicer. Verr. 1, 48. in re adventitia et hereditaria non oportere nimis diligentem et attentum esse. Ern. De Lucani opibus v. Juven. 7, 79.

Ita scripsisset, se quidem mori nullis supplicii caussis] Tacitum reliquisse censeo: *Additur, codicillis, tamquam de iniquitate exitii querentem, scripsisse.* Gron. Placet. MSS. et edd. in vulg. consentiunt, nisi quod inter *scripsisse* et *scripsisset* fluctuant. Ed. pr. Rhen. (e Bud.) seqq. hoc habent. Puteol. Ber. illud, itemque MS. Guelf. Mox *tamen* est e Flor. Ceteri scr. (Bud. quoque) et edd. *autem*. Ern. Sequor cum Bip. Puteolani lectionem, eo quo distinxit, modo. Dein negat Ryckius, in Flor. legi *tamen*, potius ibi est *autem*, quod et recepit. Ego quoque aptius puto.

Conjurationem] Conjurationem Æmilii Lepidi. de qua Suetonius Cal. 24. et Dio 59, 22. Lips.

De C. Petronio] Quem viri docti eum censent, cujus fragmenta hodie purissimæ impuritatis. De quo etiam delibero; sicut et de prænomine: quod apud Plinium 37, 2. (7.) Titus est; itemque Plutarchum in libello, Πῶς ἄν τις διακρίνοι τὸν κόλακα τοῦ φίλου c. 35. p. 60. Loqui eos de hoc eodem, res indicio est. Plinii verba: *Titus Petronius Consularis moriturus, invidia Neronis Principis, ut mensam ejus exheredaret, trullam murrhinam* ccc. HS. *emptam fregit.* Plutarchi: Ἢ τοὺς ἀσώτους καὶ πολυτελεῖς εἰς μικρολογίαν καὶ ῥυπαρίαν ὀνειδίζωσιν, ὥσπερ Νέρωνα Τῖτος Πετρώνιος. Reperio et *Publium Petronium*, nisi fallor, hunc eumdem. de quo ita Scholiastes vetus Juvenalis, in illud 6, 638. *sed clamat Pontia, feci. Pontia*, inquit, *Publii Petronii filia, quam Nero convictam* (lego, *quem N. convictum*) *in crimine conjurationis damnavit.* Nam Pontia quidem ob aliud scelus, veneno extincta est, ut addit. Lips. *Supra repetenda* phrasis Sallustii, pro qua alii, *altius repet.* Vid.

illi dies per somnum, nox officiis et oblectamentis vitæ transigebatur: utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat: habebaturque non ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. Ac dicta factaque ejus quanto solutiora et quandam sui negligentiam præferentia, tanto gratius, in speciem simplicitatis, accipiebantur. Proconsul tamen Bithyniæ, et mox Consul, vigentem se ac parem negotiis ostendit: dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitatione, inter paucos familiarium Neroni adsumptus est, elegantiæ arbiter; dum nihil amœnum et molle adfluentia putat, nisi quod ei Petronius adprobavisset. Unde invidia Tigellini, quasi adversus æmulum et scientia voluptatum potiorem. Ergo crudelitatem Principis, cui ceteræ libidines cedebant, adgreditur, amicitiam Scevini Petronio objectans, conrupto ad indicium servo, ademptaque defensione, et majore parte familiæ in vincla rapta. Forte illis diebus Campaniam petiverat Cæsar, et 19
Cumas usque progressus Petronius illic adtinebatur. Nec tulit ultra timoris aut spei moras. neque tamen præceps vitam expulit, sed incisas venas, ut libitum, obligatas, aperire rursum et adloqui amicos, non per seria, aut quibus constantiæ gloriam peteret. Audiebatque referentes, nihil de inmortalitate animæ et sapientium placitis, sed levia carmina et faciles versus. servorum alios largitione, quos-

A. U. 820. A. C. 67.

Cort. ad Catil. c. 5. (cf. Jug. c. 5.) Tum *pauca supra* MSS. Flor. Guelf. ed. pr. aliæque vett. quod temere inversum est inde a Rhenano: qui (e Bud.) dedit *de C. Petronio supra.* *Pauca r. s.* male. Nihil de eo supra. Ern. Negat Ryck. itemque Lallem. Petronium Arbitrum hic posse intelligi.

Illi dies per somnum] Vide verum hunc adversipedem, ut Latini appellant. Dies noster illi nox erat: et nox pro die. Pulchre omnino istos homines vere perversos Seneca describit et culpat ep. 123. (122.) *Lucet? somni tempus. Quies est?* (pro nocte quietem dixit: atque ita locum interpretor ac distinguo) *nunc exerceamur, nunc gestemur, nunc prandeamus. Jam lux propius accedit? tempus est cœnæ.* Ac plura ibi de lucifugis illis vide. Adde et hæc Lampridii in Heliog. 28. *Trajecit et dierum actus noctibus et nocturnos diebus, æstimans hoc inter instrumenta luxuriæ: ita ut sero de somno surgeret et salutari inciperet, mane autem dormire inceptaret.* Lips. *Officia antelucana* adpellat Plinius ep. 3, 12. Cf. et Suet. Aug. 78. Symm. ep. 1, 23.

Ac dicta factaq.] *Ac* deest in Bud.

Proconsul Bithyniæ] Sic omnes scripti et edd. Vid. ad 2, 52. Mox *vigentem* MS. (Bud.) Guelf. ed. Rhen. seqq. At ceteræ vett. *ingentem.* Ern. Respice ad 15, 53. Fuit autem Proconsul prius, quam Consul, quia Bithynia provincia Consularis; mox Consul, inter suffectos, puta.

Seu vitiorum imitationem] Sic MS. Guelf. edd. vett. omnes. MS. Flor. (et Bud. et ed.) Rhen. *imitatione:* quod unice probat J. Gron. Ita sensus est, seu quia ad vitia revolutus est, seu quia imitabatur; et ablativus ille absolutus cum participio conjunctus, quo nil frequentius Tacito. Vid. supra ad c. 10. Sed hic mihi tamen accusativus melior. Dubitat Tacitus, utrum vitia, an imitationem vitiorum, dicere debeat. Ern. Potior lectio Flor. et Bud. quam recipio cum Bip. Mox in Bud. est *Neronis.*

Præceps vitam] Elegans est Acidalii conjectura *per præceps.* Mox Guelf. a man. sec. *ad libitum,* item ed. pr. Ern.

Faciles versus] Sunt ludicri, jocosi,

A. U. 820. A. C. 67. dam verberibus adfecit. iniit epulas, somno indulsit, ut, quamquam coacta mors, fortuitæ similis esset. Ne codicillis quidem (quod plerique percuntium) Neronem aut Tigellinum, aut quem alium potentium adulatus est: sed flagitia Principis, sub nominibus exoletorum feminarumque et novitate cujusque stupri, præscripsit, atque obsignata misit Neroni. fregitque annulum, ne mox usui esset ad facienda

20 pericula. Ambigenti Neroni, quonam modo noctium suarum ingenia notescerent, offertur Silia, matrimonio Senatoris haud ignota, et ipsi ad omnem libidinem adscita, ac Petronio perquam familiaris. agitur in exsilium, tamquam non siluisset, quæ viderat pertuleratque, proprio odio. At Minucium Thermum, Prætura functum, Tigellini simultatibus dedidit, quia libertus Thermi quædam de Tigellino criminose detulerat, quæ cruciatibus tormentorum ipse, patronus ejus nece inmerita lueret.

21 Trucidatis tot insignibus viris, ad postremum Nero virtutem ipsam exscindere concupivit, interfecto Thrasea Pæto et Barea Sorano, olim utrisque infensus, et accedentibus caussis in Thraseam: quod Senatu egressus est, cum de

de rebus amatoriis et similibus. Mox *quamquam* ed. pr. Rhen. sqq. ceteræ veteres *quasi.* at MS. Guelf. *utque coacta m.* Ern. Bud. *quam,* unde Rhen. bene *quamquam.*

Iniit et vias, s. i.] Marklandus Ep. crit. ad Harium p. 89. eleganter corrigit *epulas. Vias inire.* non convenit ingenio Petronii et huic tempori. Ern. Bene *epulas* recepere Bip. quos sequor. Sic et 15, 52.

Ne mox usui esset etc.] Ut in adsimulatis Lucani litteris. V. c. 17.

Proprio odio] Veram puto Freinshemii correctionem: *pertuleratque. Proprio odio hanc: Num Th. p. f. Tigellini simultatibus dedidit.* Mox MS. Fl. ed. pr. *Municius,* unde Ryckius faciebat *Minucius.* recte. Nam ejus gentis cognomen *Thermi. Dedidit* porro MS. Guelf. edd. Puteol. seqq. omnes. At Flor. Bud. Agr. ed. pr. *deditum.* Etiam in Guelf. man. sec. addidit *um* in fine. Illud verum est. Ern. *Minucium* omnino scribendum. Bud. *Numicium* et ubivis *Tigillinum* habet.

Lueret] Acid. conjicit scrib. *luere* pro *luerunt,* quod Lall. probat.

Thrasea Pæto] Cujus gentile nomen adhuc quæro. Nam Dio 61, 15. P. Thraseam Pætum saltem appellat. Marmor vetus suadet Valerium fuisse. C. DOMITIO. DEXTRO. II. L. VALERIO. MESSALLA. THRASEA. PRISCO. COS. Quod etsi de alio, ex cognomine tamen suspicemur de gente. Thraseas hic admirator unicus Catonis, de cujus vita librum scripsit, indicante Plutarcho. Laudes ejus sparsæ in Tacito, Arriano, Dione: sed ante alia egregium elogium de illo ipsius Neronis, in Plutarchi libello Πολιτικῶν παραγγελμάτων. 33. p. 810. Ait, Νέρων ὀλίγον ἔμπροσθεν ἢ κτεῖναι, τὸν Θρασέαν μάλιστα μισῶν καὶ φοβούμενος, ὅμως, ἐγκαλοῦντός τινος, ὡς κακῶς κεκριμένου καὶ ἀδικῶς· Ἐβουλόμην ἄν, ἔφη, Θρασέαν οὕτως ἐμὲ φιλεῖν, ὡς δικαστὴς ἄριστός ἐστιν. Salve, o salve, vir magne, et inter Romanos sapientes sanctum mihi nomen. Tu magnum decus Gallicæ gentis: tu ornamentum Romanæ curiæ: tu aureum sidus tenebrosi illius ævi. Tua inter homines, non hominis, vita: nova probitas, constantia, gravitas: et vitæ mortisque æquabilis tenor. Lips.

Barea Sorano] Qui ille est nominatus Boethio de Consolat. 1. prosa 3. Lips. Hic ordo nominum est e Flor. a Pichena receptus, quem et habet (Bud. et) ed. pr. Ceteri Baream Soranum primo loco ponunt. Ern.

Quod Senatu egressus est] Muretus et Acidalius malebant *esset,* probatque Pichena. Immo *erat* (nam mox *præbuerat*) si quid mutandum. Malim certe *est,* quam *esset,* cum et indicativus sequatur, et paullo post iterum hoc tempore usus est, *censuit, obti-*

Agrippina referretur, ut memoravi: quodque juvenalium ludicro parum expetibilem operam præbuerat: eaque offensio altius penetrabat, quia idem Thrasea Patavii, unde ortus erat, ludis cesticis, a Trojano Antenore institutis, habitu tragico cecinerat. die quoque, quo Prætor Antistius, ob probra in Neronem composita, ad mortem damnabatur, mitiora censuit obtinuitque: et, cum Deum honores Pop- A. U. 820. A. C. 67.

nuitque. Omnino Tacitus hoc loco non est satis constans in temporibus. Ern. *Ut memoravi.* V. 14, 12.

Parum exspectabilem operam] i. e. exspectationi non respondentem. Et sic MSS. Flor. Guelf. edd. vett. ante Rhenanum: nisi quod Flor. inserit *et.* ed. pr. *et inexspectabilem. Expetibilis* est a Rhenano, incertum an e MS. Et, cum hoc verbum non magis apud alios reperiatur, quam illud, veterem potius, et a MSS. firmatam lectionem sequendam putavi. Ern. *Expetibilem* clare habet Bud. Τὸ *parum* ad *præbuerat* referunt Bip. perinde esse videtur ad verbum an ad adjectivum referas.

Ludis cæsticis a Trojano Antenore institutis] Quid cæstibus cum cantu? Cecinisse enim hic dicitur Thraseas, non pugnasse: et a Dione 62, 26. τραγῳδίαν ὑποκρινάμενος ἐν Παταουίῳ τῇ πατρίδι. ita enim scribendum, (Patavinus quia Thraseas) non ποταμίᾳ. Sed crederem, ut fit, tempore auctiores ornatioresque eos ludos factos, et ad cæstus scenica etiam certamina adjecta. Turbat nos tamen et moratur Vatic. qui, *cetastis,* refert. Scriptura, de qua nihil hiscam. Apud Livium 10, 2. navale certamen annuum est Patavii: sed nihil ad istud. Agon item Drepanitanus apud Sidonium in Abitaco suo ep. 2, 2. ad exemplar Trojanæ superstitionis, pariter nihil istuc. Dio hoc tantum monet, fuisse ἑορτὴν τριακονταετηρίδα, tricennale spectaculum. Lips. *Cetastis* etiam MS. Flor. et ed. pr. Neque abludit Guelf. (et Bud.) in quo *cestatis* pro *cetastis* scriptum. Sed ex hac scriptura *cestatis* forte Puteolanum puto effinxisse *cesticis,* a *cestu:* quia tale certamen apud Virgilium 5, 69, 420. in Sicilia præsente Ænea celebratum, ut Trojanus iste ludus fuisse videatur. sane etiam Romæ in antiquissimis ludis, qui Romani deinde dicti, ap. Liv. 1, 35. *pugiles* commemorantur. Pro eo Grotio placebat *xysticis:* in quibus et ipsis pugiles certant, ut patet inter alia ex inscriptione ap. Reines. Cl. 5. n. 44. Sed Pignorius in Origg. Patav. mavult *Iselasticis,* quod verbum fere corruptum est a librariis Latinis, ut apud Suetonium Calig. 20. Si legamus potius *Selasticis,* ut in inscriptionibus fere est, sane conveniet valde codd. scripturæ. Dubitatio est duplex, primo, an credibile, selastica ab Trojano instituta: deinde, unde cantus tragici in selasticis. Huic facile occurram ex eo, quod etiam in Græcia in istis ludis paullatim omnis generis certamina oratorum, poetarum etc. instituta, cum in illo tanto conventu quisque artem suam ostentando inclarescere cuperet. Ex altera me nondum expedio. Ern. Nil hic temere mutandum, Ryckius bene monet. *Cæstus Trojanos* Virgilius memorat. In istis ludis duplex potuit spectaculum obtinuisse, gymnicum et musicum, ut in quinquennali Neapolitano, de quo 14, 19. *Selastici* ludi male dicuntur pro *iselasticis.* Cf. Fabri agonistica 2, 10. Neque huc faciunt *astici* ludi, de quibus cogitarat Acidalius, et videri potest Ern. ad Suet. Cal. 20.

Habitu tragico] In Bud. additur *ornatus.*

Die, quo Pr. Antistius] Cf. 14, 48.

Cum Deum honores etc.] *Deum* e MS. Bud. edidit Rhen. (ut 15, 74.) Ante erat *Divini,* quod et Guelf. habet. MS. Agr. ed. pr. *deinde.* De Divinis honoribus Poppææ decretis nihil noster: at Dio, cujus locum ex Vales. Exc. 63. (26.) adtulit Ryckius. Recepi deinde *decernerentur,* ut Latinitas desiderat, et viris doctis (Faerno, Acidalio) dudum placuit, quod id clare est in Guelf. sed idem jam e cod. Agr. receperat Ryckius. Mox idem Guelf. et Flor. (et Bud.) *interfuerit:* unde conjicio fuisse *interfuerat,* ut supra plusquamperfectum post perfectum. Nam *interfuerit* alienum est. Et sic reperit Broterius. In MS. Flor. etiam Reg. ed. pr. post *iniquus,* pro *inimicus.* Ern. Bud. *inimicus* et supra *decernuntur.* Ceterum, quod ad Divinos honores Poppææ, extant numi duo ænei, in quibus hinc DIVA. CLAVD. NER.

A. U. 820. A. C. 67. pæræ decernerentur, sponte absens, funeri non interfuit. Quæ oblitterari non sinebat Capito Cossutianus, præter animum ad flagitia præcipitem, inimicus Thraseæ, quod auctoritate ejus concidisset, juvantis Cilicum legatos, dum Capitonem repetundarum interrogant.

22 Quin et illa objectabat: *principio anni vitare Thraseam sollenne jusjurandum: nuncupationibus votorum non adesse, quamvis Quindecimvirali Sacerdotio præditum: nunquam pro salute Principis, aut cælesti voce inmolavisse: adsiduum olim et indefessum, qui vulgaribus quoque Patrum consultis semet fautorem aut adversarium ostenderet, triennio non introiisse curiam: nuperrimeque, cum ad coercendos Silanum et Veterem certatim concurreretur, privatis potius clientium negotiis vacavisse. secessionem jam id et partes et, si idem multi audeant, bellum esse. Ut quondam C. Cæsarem,* inquit, *et M. Catonem, ita nunc te, Nero, et Thraseam avida discordiarum civitas loquitur. Et habet sectatores, vel potius satellites, qui nondum contumaciam sententiarum, sed habitum vultumque ejus sectantur, rigidi et tristes, quo tibi lasciviam exprobrent. Huic uni incolumitas*

F. *templum rotundum, intra quod signum muliebre stans;* illinc DIVA. POPPAEA. AVG. *templum distylum, in quo mulier sedens, sin. C. C.* Vid. Eckhel Doctr. NN. vet. vol. 6. p. 287. Cf. et Reimar. ad l. c. Dionis.

Sponte absens] Non justa de caussa.

Interrogant] Sic Cic. pro domo 29. *Quis me lege interrogavit.* Cf. et de Legg. 3, 3.

Principio anni vitare Thraseam sollenne jusjurandum] Cujus multa memoria in Tacito aliisque. Ideo ordine rem exposui in Excursu A. Lips.

Nuncupationibus votorum non adesse] De quibus 4, 17. (13, 11.) *Pontifices eorumque exemplo ceteri Sacerdotes cum pro incolumitate Principis vota susciperent.* Sueton. Neron. 46. *Votorum nuncupatione, magna jam ordinum frequentia, vix repertæ Capitolii claves.* Plura huic rei et opportuna in Excurs. B. Lips.

Aut cælesti voce immolavisse] Indignor, cum lego, imo non indignor, ut nunc ætas mea est et peritia ludibriorum in re humana. En summates illi viri, genere, dignitate, sapientia, titulum criminis accipiunt, quem pudeat memorasse. Sed eadem Philostratus 5, 7. *Accusationes quot et quantas e theatris oriri censes, cum delatores ita redarguunt? Non venisti auditum Neronem: aut venisti quidem, sed negligenter et non attente audisti: risisti plane, non plausisti: nec pro ipsius voce sacrificasti, ut clarior liquidiorque esset.* Lips. Paullo post: MS. Reg. *ostentaret* pro *ostenderet*, non male. Mox *si idem multi* Fl. Guelf. ed. pr. Put. Ber. In Rhen. ed. casu transpositum *si multi idem*, unde fluxit in ceteras. Ern. Non casu, sed ex Bud. De memorato crimine Thraseæ v. et Dio 62, 26.

Nuperrimeque] Copula non est in Bud.

Quo tibi lasciviam] Sic e Flor. edidit Pich. in quo erat *quod ibi*, sicut in ed. pr. reperi, in Bud. Rhenanus, qui jam conjecit, *quo tibi*, legendum esse. Ceteri scr. et edd. *qui tibi:* in quo puto esse *qui* pro *quo*, ut alibi. Ern. Bud. habet *quod tibi*, unde e Rhen. emendatio.

Incolumitas tua sine arte] Sentio, abesse vocem, quam volenti Cornelio reddo: *incolumitas tua sine cura, artes sine honore.* Prius membrum ad nuncupationem omissam votorum spectat, quæ pro incolumitate Principis: alterum ad id, quod numquam immolarit pro cælesti voce. Lips. Videtur Flor. significare: *Huic uni incolumitas tua,* *tuæ artes, sine honore.* Gron. Nam is liber habet *artes:* ceteri vulgatum. Lipsiana ratio mihi magis placet. Ern. Lipsii emendatio probatur Broterio, istius æque ac Gronovii Lallemando; posteriorem recepere Bip. quos sequor.

tua, tuæ artes, sine honore. Prosperas Principis res spernit: etiamne luctibus et doloribus non satiatur? Ejusdem animi est, Poppæam Divam non credere, cujus in acta D. Augusti, et D. Julii non jurare. Spernit religiones, abrogat leges. Diurna Populi Romani per provincias, per exercitus, curatius leguntur, ut noscatur, quid Thrasea non fecerit. Aut transeamus ad illa instituta, si potiora sunt: aut nova cupientibus auferatur dux et auctor. Ista secta Tuberones et Favonios, veteri quoque Reip. ingrata nomina, genuit. Ut Imperium evertant, libertatem præferunt: si perverterint, libertatem ipsam adgredientur. Frustra Cassium amovisti, si gliscere et vigere Brutorum æmulos passurus es. Denique nihil ipse de Thrasea scripseris, disceptatorem Senatum nobis relinque. Extollit ira promptum Cossutiani animum Nero: adjicitque Marcellum Eprium, acri eloquentia. A. U. 820. A. C. 67.

23 At Bareamn Soranum jam sibi Ostorius Sabinus, Eques Romanus, poposcerat reum, ex Proconsulatu Asiæ, in qua offensiones Principis auxit justitia atque industria, et quia portui Ephesiorum aperiendo curam insumpserat: vimque civitatis Pergamenæ, prohibentis Acratum, Cæsaris libertum, statuas et pi-

Prosperas res spernit etc.] Hæc ut per concessionem dicta accipi debent: et forte scripsit Tacitus *spernat*. Id non intelligens Ryckius, præferebat mox codicis sui (Agr.) scripturam *etiamnum*, sine interrogatione. male. Vulgatum verum et elegans est. Ern. Bud. *etiamne*. Bip. præferunt *etiamnum*.

Spernit religiones] Recte sic. At Flor. ed. pr. cod. (Bud.) Agr. *legiones*, vitiose. Ern.

Diurna P. R.] Vide Suet. Cæs. 20.

Curatius leguntur] Ita restitui, confusione librorum motus, qui ad vocem ignobiliorem adhæserant. Itaque *curiatium* aut *curantium* (sic Bud.) fere legas. At ita ante Tacitum Sallustius Jug. 16, (19.) *curatissime accepit*. et Ammianus: *Domicilia cuncta curatius ritu Romano instructa*. Noster 14, 21. *Ludos curatios editos*. Lips. Bene Lipsius. Cod. Guelf. plane *accuratius*, quod etiam ex aliis notat Broterius. Ed. pr. *curatium*. Ern.

Ista secta Tuberones et Favonios] Stoicorum sectam vitium hoc hominis culpat, et qui eam secuti. Tuberonem intellegit Q. Ælium, qui in epulo publico hædinis pellibus stravit lectos Punicanos et vasa Samia exposuit. Cicero in Bruto 31. Valerius 7, 5, 1. aliique. Agellius 1, 22. *Tubero juris civilis antistes et Stoicæ doctrinæ spectator*. Idem ille est, qui Lucullum Xerxem togatum appellitabat, Plutarcho memorante in Luc. 39. Favonius est Catonis ille simia, de quo Suet. August. 13. et Valerius Max. 2, 10, 8. Plutarchus in Bruto 34. Vidi tamen qui *Fannios* hic reponeret, imperite. Lips. De *Tuberone* cf. Voss. de Hist. Lat. 1, 12.

Libertatem præferunt] i. e. ostentant, ejus studium jactant: sive, si mavis, imperio meliorem dicunt. Mox *libertatem* ante *ipsam* e Flor. bene inseruit Pichena: fuitque et in libro unde ed. pr. ducta est. Nam in ea est *libertatem ipsam aggr*. Sed exciderunt verba *libertatem præferunt: si perverterint*. caussa in promtu est. Ern. In Bud. legitur *lib. ipsam egredientur*.

Cassium amovisti] Respice ad c. 9. Mox c. Agr. *iræ*.

Ostorius Sabinus] Mutant libri. Alii, *sibi Torius*. Vatic. *Subitorius*. Flexit me, ut *Ostorius* scriberem, locus infra, de hoc ipso: *Ostorio duodecies, et Quæstoria insignia tribuuntur*. Lips. Sed et ibi Flor. (et Bud.) *Torius*: Guelf. et ed. pr. h. l. *subitorius*, altero loco *Torius*, tertio *Ostrio* ille, hæc *Ostorio*. Ut in ed. pr. sic in ceteris. Ern. In Bud. deest *Sabinus*. Bip. conjiciunt leg. *Obultronius Sabinus*, de quo 13, 28.

Acratum] Cf. 15, 45.

A. U. 820. A. C. 67. cturas avehere, inultam omiserat. Sed crimini dabatur
*amicitia Plauti, et ambitio conciliandæ provinciæ ad spes no-
vas.* Tempus damnationi delectum, quo Tiridates accipi-
endo Armeniæ Regno adventabat: ut ad externa rumori-
bus intestinum scelus obscuraretur, an, ut magnitudinem
Imperatoriam cæde insignium virorum, quasi Regio faci-
24 nore, ostentaret. Igitur, omni civitate ad excipiendum
Principem spectandumque Regem effusa, Thrasea, occursu
prohibitus, non demisit animum: sed codicillos ad Nero-
nem composuit, requirens *objecta et expurgaturum adseve-
rans, si notitiam criminum et copiam diluendi habuisset.* Eos
codicillos Nero properanter accepit, spe, exterritum Thra-
seam scripsisse, per quæ claritudinem Principis extolleret,
suamque famam dehonestaret. Quod ubi non evenit, vul-
tumque et spiritus et libertatem insontis ultro extimuit,
vocari Patres jubet. Tum Thrasea inter proximos consul-
tavit, *tentaretne defensionem, an sperneret.* Diversa consilia
25 adferebantur. Quibus intrari curiam placebat, *securos esse
de constantia ejus,* dixerunt: *nihil dicturum, nisi quo gloriam
augeret. Segnes et pavidos supremis suis secretum circumdare.
Adspiceret populus vivum, morti obvium, audiret Senatus voces,
quasi ex aliquo Numine, supra humanos: posse ipso miraculo*

Inultam omiserat] Vatic. Male vulgo, *invitam*. Lips. *Inultam* etiam Guelf. ed. pr. Rhen. (e Bud.). Ceteræ ante Rhen. *multam* solenni aberratione. Post Rhen. irrepsit in Gryphianam, opinor, *invitam*, operarum vitio. Ern.

Amicitia Plauti] Vide de *Plauto* 14, 57, 59. Mox Bud. *damnationis*.

Ut ad externa rumoribus intestinum scelus obscuraretur] Sic omnes libri. Sensus est: dum rumores et sermones hominum occuparentur externis. Sed modus loquendi est durior. Acidalius addi volebat *versis*: Grutero placebat *ad externa rumorum*. Ern. Acidalii conjecturam probat Lallem. Hiller. Rac. 18. loco *rumoribus* legi jubet *ruentibus*. Vulgatam bene tuentur Bip. in qua nil duri. Sensus: ubi homines in urbe occupantur externis.

Thrasea occursu prohibitus] Quod signum scilicet Principis indignantis, et a se atque aspectu suo spernentis. Tale Vespasiano factum ab eodem Nerone, apud Suetonium in Vesp. 4. *Prohibitus non contubernio modo, sed etiam publica salutatione.* Atque, ut ibi ille salutatione prohibitus, sic iste occursu. Lips.

Non demisit animum] Bud. *dimisit*.

Exterritum Thraseam sensisse] Sententia mecum malit, *scripsisse*: et quod prævidi, firmat Flor. nunc codex. Lips. *Scripsisse* etiam cod. Agr. ed. pr. Sed iidem libri Guelf. (Bud. et Agr.) edd. Put. Ber. etiam *sæpe*. Rhenanus (ex ing.) edidit *spe*. *Sensisse* defendit J. F. Gronovius ep. ad Salmas. a. 1638. scripta, itemque Obs. 2, 4. p. 239. ut *sensisse* sit, eos sensus concepisse, declarasse, sicut ap. Ciceronem sæpe *libere sentire*, et supra 15, 67. *sensus validi*. Ern. Bud. *sensisse*. Gronovii epist. extat in Burm. Syll. t. 2. p. 573.

Vocari patres jubet] Sic Flor. Agr. (Bud.) Guelf. ed. pr. Ceteræ *jussit*. Illud verius. Mox *esse se* volebat Groslotius. Ern.

Secretum circumdare] Bene mei libri, præ quod vulgo, *otium dare*. Lips. Sic et Flor. Guelf. ed. pr. Ern. Recepere certatim recentiores editores. Bud. habet *secretum otium circumdare*, nullo sensu.

Supra humanas] Sic omnes præter Flor. et ed. pr. ubi *humanos* i. e. homines: quod illustrat post alios Ryckius, probatque cum J. Gronovio. Ante pro *ex aliquo*, quod edidit Rhenanus (e Bud.) estque et in Fl. ed. pr. alii habent *ex quodam*, ut Guelf. Put.

etiam Neronem permoveri. sin crudelitati insisteret, distingui certe apud posteros memoriam honesti exitus ab ignavia per silentium pereuntium. Contra, qui opperiendum domi censebant, de ipso Thrasea eadem: *sed ludibria et contumelias inminere. subtraheret aures conviciis et probris. Non solum Cossutianum aut Eprium ad scelus promptos: superesse, qui forsitan manus ictusque per inmanitatem ausuri: etiam bonos metu sequi. Detraheret potius Senatui, quem perornavisset, infamiam tanti flagitii; et relinqueret incertum, quid, viso Thrasea reo, decretari Patres fuerint. Ut Neronem flagitiorum pudor caperet, inrita spe agitari: multoque magis timendum, ne in conjugem, in familiam, in cetera pignora ejus sæviret. Proinde intemeratus, inpollutus, quorum vestigiis et studiis vitam duxerit, eorum gloria peteret finem.* Aderat consilio Rusticus Arulenus, flagrans juvenis, et cupidine laudis offerebat, *se intercessurum Senatus consulto:* nam plebis Tribunus erat. Cohibuit spiritus ejus Thrasea, *ne vana et reo non profutura, intercessori exitiosa, inciperet. Sibi actam ætatem, et tot per annos continuum vitæ ordinem non deserendum: illi initium Magistratuum et integra, quæ supersint. Multum ante secum expenderet, quod, tali in tempore, capessendæ Rei-*

A. U. 820. A. C. 67. 26

Ber. eodem redit. Ern. *Humanos* pro humano genere habet et Varro ap. Non. Marc. 2, 98. Cf. et Cic. ad Att. 13, 21. Justin. 42, 3.

Sin crudelitati insisteret] Sic Guelf. edd. vett. Rhenanus edidit *sin crudelitas persisteret.* Vetus restituit Pichena. Flor. ed. pr. *si in crud.* sed eodem spectat. Ern. Bud. *crudelitati persisteret.*

De ipso Thrasea eadem] Cod. Agr. *nihil de ipso Thrasea.*

*Superesse, qui forsitan manus ictusque * per inmanitatem Augusti*] Animam agenti loco aquam sic affuderim: *ictusque parent. Immanitatem Augusti etiam bonos metu sequi.* Lips. Melius Acidalius *ictusque p. i. ausuri sint* vel *ausint*, et Grotius *auderent.* Ἀποσιώπησιν malunt Salinerius et Ryckius: quam ego hic non concoquo. Domi enim cur non proloquerentur, quæ sentirent. Broterius conjicit *intentarent*, deleto *Augusti.* Quod longius a libris recedit. An scripsit Tacitus, *qui forsitan ad manus ictusque*, ut referatur ad *promtos?* Nec *Augusti* nomen satis defenditur a Ryckio e Suet. Ner. 46. etsi J. Gronovio placebat defensio. Nam ibi Senatores alloquuntur Neronem: in quo genere sane usitatum nomen, nemo ambigit. In narrationibus aut talibus sermonibus, etiam ubi vituperarentur, Augustos vocari solitos Imperatores, id quidem doceri debebat. Tum *per immanitatem* e consuetudine Latine loquendi, haud dubie referendum ad agentem. Sed sine libris melioribus vix aliquid extricari potest. Ern. Cod. Agr. *per imm. Aug. intentarent* a 1. m. tum a 2. m. *ingererent. Intentarent* simili loco noster habet etiam 3, 36. H. 1, 69. 3, 31. Cum Ryckio facit Hiller. Rac. 18. firmiorem stomachum professus. *Auderent* probat Lallem. recepere Bip. Fateor, mihi non liquere, et conjecturam Boxhornii placere præ reliquis. Eam proinde exhibui. Minime recedit a vulgato. *Sed* ante *etiam* quod nonnulli intrudunt, non habet Bud.

Senatui, quem perornavisset] Puto leg. *quem semper ornavisset.* Lips. *Perornavisset* est semper et ad hunc usque diem, ad finem usque, ut bene monet Freinsh. Sic *perviguere* 4, 34. et similia. Ed. pr. (et cod. Bud.) *infamia.* Atque etiam in Guelf. signum literæ *m* erasum est. Ern.

Plebis Trib.] Flor. *plebi*, quod recepit J. Gron. Post *tali in tempore*, quod e Flor. edidit Pichena, etiam ed. pr. ab aliis (et Bud.) *in* abest. Ern.

Cohibuit spiritus ejus] Bud. *spem ejus.*

A. U. *publicæ iter ingrederetur.* Ceterum ipse, an venire in Sena-
820. tum decerет, meditationi suæ reliquit. At postera luce,
A. C. duæ Prætoriæ cohortes armatæ templum Genetricis Vene-
67.
27 ris insedere. Aditum Senatus globus togatorum obsederat, non occultis gladiis: dispersique per fora ac basilicas cunei militares. inter quorum adspectus et minas ingressi curiam Senatores. Et oratio Principis per Quæstorem ejus audita est. nemine nominatim compellato, patres arguebat, *quod publica munia desererent, eorumque exemplo Equites Rom. ad segnitiam verterentur. Etenim, quid mirum, e longinquis provinciis haud veniri, cum plerique, adepti Consulatum et Sacerdotia, hortorum potius amœnitati inservirent:* quod velut
28 telum adripuere accusatores. Et, initium faciente Cossutiano, majore vi Marcellus, *summam Rempublicam agi*, clamitabat: *contumacia inferiorum lenitatem Imperitantis deminui. Nimium mites ad eam diem Patres, qui Thraseam desciscentem, qui generum ejus, Helvidium Priscum, in iisdem furoribus, simul Paconium Agrippinum, paterni in Principes*

Genitricis Veneris] MS. Flor. *Genetricis.* quæ scriptura et in numis inscriptionibusque occurrit, et in aliis MSS. libris. V. Oudend. ad Sueton. Cæsar. c. 61. ERN.

Per Quæstorem ejus] Non enim cuilibet e Quæstorum collegio id munus, sed Candidatis Principis. l. 1. De offic. Quæstoris. Ideo Tacitus expressim, *Quæstorem ejus.* Et in lapidibus aliquoties, QVAESTOR. AVG. Reliqua ad hunc ritum trita. LIPS. Mox MS. Fl. *uterentur* pro *verterentur*, quod in ceteris omnibus. hoc melius. ERN. De Quæstore Aug. v. Suet. Aug. 65. Dio 54, 25. Cassiod. ep. 4, 4. et l. 6. form. 5. Cf. Guther. de Offic. dom. Aug. 2, 18. Bud. clare *verterentur.* Bip. præferunt *uterentur.*

Eorumque exemplo] Bud. *eodemque ex.*

Longinquis provinciis adveniri] Divinabam, *haud veniri.* nec tamen sententiæ plene consultum. Melius sic: *quid mirum nec longinquis provinciis subvenire.* vel *provinciis adverti.* LIPS. Recepit *haud veniri* Pichena, quod in Flor. est *hadveniri.* Sed J. Gronovius id esse putat *non adveniri*, ut Grotius voluerat. Sed vide, an dici possit, *homines in urbem, vel Senatum non adveniunt.* Immo *veniunt* est verbum in ea re legitimum. Pro *e* Guelf. ed. pr. etc. *est.* vitiose. non esse orationem directam, verbum *inservirent* docet. ERN. Bud. *adveniri.* Acid. volebat *haud adveniri.* Hoc verbum compositum omnino usurpari, puta, ubi de longo itinere sermo, ex Cic. N. D. 3, 23. contra Ern. probat Hiller. Rac. 18. De re ipsa v. 12, 23. 11, 25. Mox Bud. *corripuere.*

Summam Remp. agi] Sic post Ryckium et J. Gron. (it. Mur. Acid.) edidi auctore MS. Flor. Ceteri libri omnes *Reipubl.* quod non minus rectum est. V. 12, 5. ERN. Bud. *r. p.*

Helvid. Priscum] Cf. Plin. ep. 3, 11. 7, 19. 9, 13. Vide et infra H. 4, 5.

Paconium Agrippinum] Hic ille Agrippinus e Stoica domo, laudatus Epicteto et Arriano. Quorum verba ad hanc historiam dabo. Epicteti Electis (ap. Stob. Serm. 7. et in Opp. Epicteti ed. Schweigh. t. 3. fragm. 56.) Διὰ τοῦτο ἐπαινεῖν Ἀγριππῖνον δίκαιον, ὅτι πλείστου ἄξιος ἀνὴρ γενόμενος, οὐδεπώποτε ἐπῄνεσεν ἑαυτὸν, ἀλλ' εἰ καὶ ἄλλος τις αὐτὸν ἐπῄνει, ἠρυθρία. et statim: Καί ποτε μέλλοντι ἀριστήσειν αὐτῷ, ἐπέστησεν ὁ λέγων, ὅτι φεύγειν αὐτὸν κελεύει Νέρων. Καὶ ὃς ἔφη, Οὐκοῦν, εἶπεν, ἐν Ἀρικίᾳ ἀριστήσωμεν. Arriani 1, 1. Ἀπηγγέλθη αὐτῷ, ὅτι κρίνῃ ἐν συγκλήτῳ. Ἀγαθῇ τύχῃ. Ἀλλ' ἦλθεν ἡ πέμπτη. (intellige *hora*, non *dies*, ut male in versione Lat.) Ταύτῃ δ' εἰώθει γυμνασάμενος ψυχρολουτρεῖν. Ἀπέλθωμεν καὶ γυμνασθῶμεν. Γυμνασαμένῳ λέγει τις αὐτῷ, Ἔλθ', ὅτι κατακέκρισαι. Φυγῇ, φησιν, ἢ θανάτῳ; Φυγῇ. Τὰ ὑπάρχοντα τί; Οὐκ ἀφῃρέθη. Εἰς Ἀρικίαν οὖν ἀπελθόντες ἀριστήσωμεν. Tacito ista lucem dabunt, dum paullo

odii heredem, et Curtium Montanum, detestanda carmina factitantem eludere inpune sinerent. Requirere se in Senatu Consularem, in votis Sacerdotem, in jurejurando civem: nisi, contra instituta et cerimonias majorum, proditorem palam et hostem Thrasea induisset. Denique ageret Senatorem, et Principis obtrectatores protegere solitus, veniret, censeret, quid corrigi aut mutari vellet: facilius perlaturos singula increpantem, quam nunc silentium perferrent omnia damnantis. Pacem illi per orbem terræ, an victorias sine damno exercituum, displicere? Ne hominem, bonis publicis mæstum, et qui fora, theatra, templa pro solitudine haberet, qui minitaretur exsilium suum, ambitionis pravæ compotem facerent. Non illi consulta hæc, non Magistratus aut Romanam urbem videri. Abrumperet vitam ab ea civitate, cujus caritatem olim, nunc et adspectum exuisset. Cum per hæc atque talia Marcellus, 29
ut erat torvus et minax, voce, vultu, oculis ardesceret: non

A. U. 820. A. C. 67.

inferius ait, *pulsum eum Italia.* Sed, cur Marcellus *paterni odii in Principes heredem* Agrippinum calumniatur? Propter patrem ejus Paconium, qui majestatis reus sub Tiberio periit. Eruo e Suetonii Tiber. 61. *Interrogatum eum a quodam vàno, adstante mensæ inter copreas* (ita leg. non, *Capreas*) *cur Paconius majestatis reus tamdiu viveret? statim quidem petulantiam linguæ objurgasse, ceterum post paucos dies scripsisse Senatui, ut de pœna Paconii quamprimum statueret.* Ideo Tacitus mox: *Quid Agrippino objectum, nisi tristem patris fortunam? quando et ille perinde innocens Tiberii sævitia concidisset.* LIPS. Bud. *Ragonium.* Sic et Puteol.

Curtium Montanum] Cujus mentio H. 4, 40. 42. LIPS.

Eludere sinerent] In animo videtur habuisse locum Cic. pro Mil. c. 12. *se posse eludere Remp. in istis suis cogitatis furoribus.* ERN.

Requirere se in Senatu] Ego nullum alium sensum hinc extrico, nisi quem edidit Pichena, ut *requirere se* dictum sit, pro *requisiturum se*, quod verba, *nisi induisset*, desiderant. Et supra notavimus, ubi futura non usitata satis sint, præsentia poni. At Freinsh. sic capit: si negaret, se esse proditorem et hostem, quærere, cur in Senatum non veniret. Bona sententia, sed ea non in verbis, quantum mihi licet adsequi. ERN. Tria, quæ hic crimini dantur Thraseæ, referuntur ad ea, quæ ipsi objecta c. 22. *Induere hostem* dicitur, ut mox *exuere caritatem*, et apud Lactant. de mort. persec. c. 9. contrario sensu *exuere socerum.* Cf. Cuperus ad h. l. Paullo ante pro *contra* Bip. posuere *contemnens.*

Agere Senatorem] Cod. Agr. *ageret.* Egregie. Nam diu absens male diceretur *agere Senatorem solitus.* Recte potius, *ageret, veniret, censeret.* Recepere Bip. Sequor.

Et Principis obtrectatores protegere solitus] Taciti manum fuisse censeo: *Denique agere Senatorem, ut Principis obtrectatores protegeret, solitus, veniret*, etc. GRON.

Quam nunc silentium perferrent] En calumniam! Viri boni silentio etiam apud Tyrannum peccant. Audi illa apud Senecam, Œdipo 523. sq. CR. *Tacere liceat. nulla libertas minor A Rege petitur.* ŒD. *sæpe vel lingua magis Regi atque Regno muta libertas obest.* LIPS.

Pacem illi per orbem terræ] Huc procul dubio trahendi numi Neronis, de quibus post alios egit Eckhel in Doctr. NN. vet. vol. 6. p. 273. In eorum postica legitur PACE. P. R. TERRA. MARIQ. PARTA. IANVM. CLVSIT. item PACE. P. R. VBIQ. PARTA. IANVM. CLVSIT.

Ut erat torvus] Ita edidit Pichena e vestigiis MS. Flor. in quo *uteret.* Eam correctionem veram puto. Nec ceteræ lectiones, ut Guelf. Agr. ed. pr. *vinceret;* Puteol. Beroald. et seqq. *inveheretur*, ullo modo coeunt cum verbo *ardesceret;* omninoque nullum aliud verbum, quod a *cum* pendeat, desideratur. Brevitatem orationis voluerunt explicare, qui *vinceret* vel *in-*

A. U. 820. A. C. 67. illa nota et celebritate periculorum sueta jam Senatus mæstitia, sed novus et altior pavor, manus et tela militum cernentibus. simul ipsius Thraseæ venerabilis species obversabatur: et erant, qui *Helvidium quoque* miserarentur, *innoxiæ adfinitatis pœnas daturum. Quid Agrippino objectum, nisi tristem patris fortunam; quando et ille, perinde innocens, Tiberii sævitia concidisset. Enimvero Montanum probæ juventæ, neque famosi carminis, quia protulerit ingenium, extorrem agi.*

30 Atque interim Ostorius Sabinus, Sorani adcusator, ingreditur, orditurque *de amicitia Rubellii Plauti, quodque Proconsulatum Asiæ Soranus, pro claritate, sibi potius adcommodatum, quam ex utilitate communi egisset, alendo seditiones civitatum.* Vetera hæc. sed recens et quod discrimini patris filiam connectebat, *quod pecuniam Magis dilargita esset.* Acciderat sane pietate Serviliæ: id enim nomen puellæ fuit: quæ, caritate erga parentem, simul inprudentia ætatis, non tamen aliud consultaverat, quam de *incolumitate domus, et an placabilis Nero, an cognitio Senatus nihil atrox adferret.*

veheretur addidere. Sensus enim est: cum his atque talibus inveheretur, idque ea vehementia, ut ardor animi e vultu et oculis eluceret. MS. Bud. habuit *verteret*, quod vergit ad lectionem Flor. Ern. Bip. recepere *verteret*, et sumunt intransitive pro *verteretur* in *speciem torvi* etc. Mihi id nimis durum videtur, potiorque emendatio Pichenæ. Sic noster etiam 1, 41. *ut erat recens dolore et ira.*

Celebritate periculorum] Cum Rhenano lego *crebritate*. Lips. Nescio, quid *celebritate* ita offenderit viros doctos, quod exquisitius pro crebritate dici, hodie notissimum est: unde, cum omnes scripti et edd. ante Freinsh. habeant (nam non Lipsius recepit, ut putat Ryckius) id cum Ryckio restitui. Cicer. ep. 7, 2. *nos hic multitudine et celebritate judiciorum, et novis legibus ita distinemur.* Ubi item Lambinus tentat *crebritate.* Mox Guelf. (et Bud.) *ulterior pavor:* sed in margine *altior:* quod Tacito dignius. Ern. Flor. Bud. Agr. *celebritate.* Lipsius quidem non recepit *crebritate*, ast in margine tamen adposuit. Mox Bud. *ulterior.*

Quia protulerit ingenium] Poeticam facultatem ostendisset. Suetonius *artem* dixit; Plinius junior *studia sua proferre.* Acidalius *sed* addi volebat, quod est in MS. Agr. Mox idem Acidalius malebat *accusationem ingreditur* (ut 6, 4.) velut alioqui *ingreditur orditurque* idem forent. Immo *ingreditur* int. curiam, Senatum. Erat enim Eques modo, expectabatque foris, dum tempus esset. Ern. *Sed* non habet Bud. Idem mox *Torius*, ut c. 23.

Proconsul Asiæ] Melius, *Proconsulatum.* Lips. Recepit Pichena: putatque vulgatum inde natum, quod *Procos.* scriptum esset, ut in MS. Flor. Ern. Bud. *proconsul.*

Sed recens, discriminis patris filiam connectebat] Ego ex Flor. codice (qui habet *et quot discrimini*) *τὸ quot*, ut supervacuum recidendum puto. Prorsus enim Taciti fuit: *Vetera hæc, sed recens, et discrimini Patris filiam connectebat.* In duobus prioribus membris orationis intelligi voluit verbum substantivum. Gron. Pichena malebat *et quod;* Freinsh. *id quod.* In utroque incommodum, *τὸ quod* bis parum suaviter concurrere. Itaque magis placet Jac. Gron. *et quo.* Ern. Cod. Agr. *et quod.* bene. Recepere et Bip. Bud. *sed recens discrimen patris in filiam connectebat.* Lall. probat *et quo.*

Pecuniam Magis dilargita] Cape ad lucem historiæ Scholiastis hanc notam, ad illud Juvenal. 6, 552. —*faciet, quod deferat, ipse. Egnatium Philosophum significat, qui filiam Bareæ Sorani, quam cum ipse ad Magicam descendisset, hortatus detulit Neroni.* Sed velim obiter corrigi: *quam, cum ipsius ad magicam descendisset hortatu, Neroni detulit.* Lips. In ed. Henninii legitur: *ipse ad Magicam discendam esset hortatus.*

Igitur accita est in Senatum, steteruntque diversi: ante A. U.
tribunal Consulum, grandis ævo parens; contra filia, intra 820.
vicesimum ætatis annum, nuper marito, Annio Pollione, in A. C.
exsilium pulso, viduata desolataque: ac ne patrem quidem 67.
intuens, cujus onerasse pericula videbatur. Tum interro- 31
gante adcusatore, *an cultus dotales, an detractum cervici monile venum dedisset, quo pecuniam faciendis Magicis sacris contraheret?* primum strata humi, longoque fletu et silentio, post, altaria et aram complexa, *nullos*, inquit, *inpios Deos, nullas devotiones, nec aliud infelicibus precibus invocavi, quam ut hunc optimum patrem tu, Cæsar, et vos, Patres, servaretis incolumem. Sic gemmas et vestes et dignitatis insignia dedi, quomodo, si sanguinem et vitam poposcissent. Viderint isti, antehac mihi ignoti, quo nomine sint, quas artes exerceant: nulla mihi Principis mentio, nisi inter Numina fuit. Nescit tamen miserrimus pater: et, si crimen est, sola deliqui.* Lo- 32
quentis adhuc verba excipit Soranus proclamatque: *non illam in provinciam secum profectam, non Plauto per ætatem nosci potuisse: non criminibus mariti connexam: nimiæ tantum pietatis ream separarent, atque ipse quamcumque sortem subiret.* Simul in amplexus occurrentis filiæ ruebat, nisi interjecti lictores utrisque obstitissent. Mox datus testibus locus: et, quantum misericordiæ sævitia adcusationis permoverat, tantum iræ P. Egnatius testis concivit. Cliens hic Sorani, et tunc emptus ad opprimendum amicum, auctoritatem Stoicæ sectæ præferebat, habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus, ceterum animo perfi-

In exsilium pulso] Nuper inter conjuratos. Lips. Cf. 15, 71.

Altaria et aram complexa] Utrum aram Victoriæ intelligit, quæ ante curiam? an altaria et aram Veneris Genetricis, in cujus templo nunc Senatus? Lips. Hoc verum. Similiter ista jungit Plinius Paneg. c. 1. *inter aras et altaria:* sermo autem de templo Jovis Capitolini. Ern. Altaria et aram hic pro eodem usurpari monet Minutolus de templis ap. Sallengre t. 1. p. 111. neque huc facere quicquam discrimen, quod notat Serv. ad Virg. Æn. 6, 124.

Tu, Cæsar, et vos, Patres] Copula abest a Flor. (Agr.) et ed. pr. Quia est narrantis oratio, copulam non rejiciam. Ern. Bud. habet.

Separarent, atque ipse] Sic MSS. Flor. Agr. ed. pr. *Atque* etiam est in Guelf. sed *ipse* excidit. (Sic et in Bud.) Ceteri omnes *separarent a se.* Illud haud dubie melius, et jam Ryckio Gronovioque receptum. Sensus est: separarent modo caussam filiæ a sua: tum se facile ac libenter omnes pœnas toleraturum. Observanda elegantia in *atque*, ut in illo archimini ap. Suet. Vesp. 19. *centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim projicerent.* Ern.

Quantum misericordiæ] Præclare libri. Vulgo *quantum nunc.* errore ex concisa ratione scribendi, *miæ.* Ingenio suo pridem hanc correctionem vindicaverat Faernus. nec invideo ego, nec culpo. Lips. Idem in libris reperere Vertranius (in Vatic.) Ursinus. Sic plane et edit. pr. Et in Guelf. in marg. additum fuit, sed erasum, ut tamen adhuc assequi oculis liceat. Ern. Bud. *nunc.*

Honesti et exerciti] Suadeo scribas, *honesti exercitus*, ex sententiæ ductu. Lips. Recepit Pichena eumque secuti omnes, contra libros. Sed veterem lectionem defendit Gronovius Obs. 2, 4. p. 234. et explicat, cujus is habitus, ea frons, quæ præferat imaginem hominis honesti et firmi atque exerciti

A. U. 820. A. C. 67. diosus, subdolus, avaritiam ac libidinem occultans. Quæ postquam pecunia reclusa sunt, dedit exemplum præcavendi, quomodo fraudibus involutos aut flagitiis commaculatos,
33 sic specie bonarum artium falsos et amicitiæ fallaces. Idem tamen dies et honestum exemplum tulit Cassii Asclepiodoti; qui, magnitudine opum præcipuus inter Bithynos, quo obsequio florentem Soranum celebraverat, labentem non deseruit: exutusque omnibus fortunis et in exsilium actus; æquitate Deum erga bona malaque documenta. Thraseæ Soranoque et Serviliæ datur mortis arbitrium. Helvidius et Paconius Italia depelluntur. Montanus patri concessus est, prædicto, ne in Republica haberetur. Adcusatoribus,

philosophi. eamque rationem adversus Ryckium, temere cod. Flor. auctoritate nisum, defendit late Jac. Gronovius. Mihi tamen ne sic quidem persuasum est, ut Lipsii correctionem repudiem, quam et neuter Gronovius ausus est e textu ejicere. Durius mihi videtur dictum: *auctoritatem Stoicæ sectæ præferebat ore et habitu ad exprimendam imaginem h. et e.* nec ullo modo concoquo *os et habitum ad exprimendum aliquid*, pro *exprimente.* Cur non potius dixisset *ore et habitu exprimens imaginem honesti et exerciti:* quod erat in promtu. Nunc clarum est, ut opinor, voluisse alio modo dicere, quod 15, 45. dixerat: *Græca doctrina ore tenus exercitus, animum bonis artibus non induerat.* Huic simillimum est, *ore et habitu exercitus ad exprimendam imaginem honesti, ceterum animo perfidiosus etc.* Non hoc simplicius, ac melius est, quam illud, quod sine argutiis defendi et explicari non potest? *Imago honesti* dicitur, ut apud Ciceronem sæpe *species, simulacrum honesti, virtutis.* Mox copulam *et* ante *subdolus* delevi, auctoribus codd. Flor. Guelf. Ern. (Sic et Bud.) Lipsii conjecturam firmat cod. Agr. Bip. in subsidium advocant 15, 45. *Græca doctrina ore tenus exercitus.* Dudum probarat Faernus. De re ipsa v. et H. 4, 10. Sic et Juven. 3, 115. *Stoicus occidit Baream, delator amicum.*

Cassii Asclepiodoti] Xiphilino 62, 26. dicitur *Caspius Asclepiodotus* Nicænus, et a Galba ab exsilio revocatus narratur.

Labentem non deseruit] Cod. Agr. et Reg. *labantem*, unde edidere Ryckius, Lallemanus et Brot. *Labentem* verum est, quod bene opponitur *florenti*, non *labantem.* Sic *domus labens* ap. Virgilium i. e. ruens ad interitum. Ern. Bud. *labentem.*

Æquitate Deum erga] Depravatio. quam adnoto, non tollo. Nisi placet eum 'Επικουρίζειν, et dicere, Deos hæc iisdem oculis adspexisse, æquos bonis malisque exemplis et sine cura nostri. Lips. Quicquid dicant, 'Επικουρίζει Tacitus, aut patitur sensus, qui pios etiam et Divinæ providentiæ adsertores sæpe turbarunt, cum viderent scelus præmia, virtutem supplicia sequi. *Æquitatem* vocat indifferenter aliquid ferre, nihil ad id commoveri. Ut Cicero Agrar. 1, 5. *Quantum tibi agri vendet, ut alios omittam, socer tuus? et (si ego ejus æquitatem animi novi) non invitus.* Adde Observ. 17. Gron. Recte. Et est similis sententia supra 14, 12. Ern. Ab Epicureismi labe liberant nostrum Bip. itemque Hiller. Rac. 14. Sed Gronovius ipse animadvertit, quos sensus occasione rerum heic gestarum iste sit passus.

Paconius] Ita hic Bud. et Puteol.

Prædicto, ne in Rep.] Accipio, ut Romæ quidem esse ei liceret. sed procul ab honore omni et publicis muneribus vitam ageret privatam. Lips. Formulam *patri concessus est*, pro in patris gratiam veniam accepit, illustravere alii. V. Clav. Cic. in h. v. Ern. Ab interpretatione Lipsii recedit P. Faber de Magg. Rom. c. 1. ap. Sallengre t. 3. p. 1121. Scil. Montano præceptum, ne filium haberet in urbe, sed rus relegaret. Sic Rempublicam esse Romam urbem, ut ap. Vell. 2, 45. ubi M. Cato a Republica (i. e. urbe) relegatur et in Cyprum Quæstor cum jure Prætorio mittitur; itemque ap. Sall. Cat. 19. ubi Piso Quæstor pro Prætore missus dicitur in Hispaniam cit. ut a Republica procul abesset.

Eprio et Cossutiano, quinquagies sestertium singulis; A. U.
Ostorio duodecies et Quæstoria insignia tribuuntur. Tum 820.
ad Thraseam, in hortis agentem, Quæstor Consulis missus A. C.
67.
vesperascente jam die. Inlustrium virorum feminarumque 34
cœtus frequentes egerat, maxime intentus Demetrio, Cynicæ institutionis doctori: cum quo, ut conjectare erat intentione vultus et auditis, si qua clarius proloquebantur, de natura animæ et dissociatione spiritus corporisque inquirebat. donec advenit Domitius Cæcilianus, ex intimis amicis, et ei, quid Senatus censuisset, exposuit. Igitur flentes

Quæstor Consulis missus] Consulum ergo proprius aliquis Quæstor? Apparet e Dione: qui in actis anni 716. scribit, *Ap. Claudium et C. Norbanum Consules, primos binos Quæstores habuisse.* Si id non sit, scribam, *Quæstor Consuli missus*, id esset, a Consule missus. Quod fieri solere observamus in iis, qui damnati a Senatu. Nam Consul, ejus caput: administer autem Consulis, Quæstor. Dio 58, 4. de Geminio Rufo: *Καὶ μαθὼν τὸν ταμίαν ἐπὶ δικαιώσει αὐτοῦ παρόντα, αὐτός τε ἑαυτὸν ἔτρωσε, καὶ ἐκείνῳ δείξας τὸ τραῦμα, Ἀπάγγειλον, ἔφη, τῇ γερουσίᾳ, ὅτι ἀνὴρ οὕτως ἀποθνήσκει.* Lips.

Demetrio, Cynicæ institutionis] Quæ secta revera a Stoica tunica tantum, distat. id est, quod nudius et inverecundius Cynici, quæ velant et tegunt leviter Stoici. Demetrii hujus laus apud Philostratum 4, 25. de vita Apollonii, Senecam de Benef. 7, 8. cujus verba: *Paullo ante Demetrium rettuli, quem mihi videtur rerum natura nostris temporibus tulisse, ut ostenderet, nec illum a nobis corrumpi, nec nos* (omnino scribo, *et nos.* ita enim concludit, *ne aut exemplum sæculo, aut convicium deesset*) *ab illo corripi posse. Virum exactæ (licet neget ipse) sapientiæ, firmæque in his, quæ præposuit, constantiæ.* Et Epist. 63. (62.) *Demetrium virorum optimum mecum circumfero, et relictis conchyliatis cum illo seminudo loquor, illum admiror.* Vox ejus magni animi ad Neronem, *ἀπειλεῖς μοι θάνατον· σοὶ δ' ἡ φύσις*, apud Arrianum 1, 25. Lips.

Et auditu, si qua] MSS. Flor. Agr. (Bud.) ed. pr. *auditis.* Eodem vergit Guelf. *auditus.* Præfert J. Gron. Suspicio tamen esse potest, *τὸ s* adhæsisse e sequente *si*, atque inde *auditis* et *auditus* natum. Ern. *Auditis* probat Lallem. Recepi cum Bipont.

Igitur flentes queritantesque] Omnes scripti et edd. vett. *queritantes*, nisi quod nonnulli, ut ed. pr. MS. Agr. *querentes. Quiritantes* conjectura est Rhenani, quam nec ipse recipere ausus est, recepta post tacite a Lipsio, ut opinor, et ad ceteras edd. propagata. Non ignoro, dubitari a doctis viris de verbo *queritandi*, et librarios subinde hoc verbum dedisse, ubi alii rectius alterum, ut apud Livium 39, 8. 10. 40, 9. quibus in locis vid. Drakenb. Diligentissime omnium de hoc verbo egit Schwarzius ad Plinii Paneg. c. 29. ubi omnes scripti, præter unum Salisburgensem, habent *queritantibus sociis*, et edd. veteres omnes, recentiores a Livineio inde *quiritantibus*, sine librorum vett. auctoritate. Is autem ita decernit: usum hic magis spectandum, quam analogiam, quæ sane ferat *queritare*: in ista varietate librorum tutius scribi ubique *quiritare*, donec e poeta exemplum proferatur, ubi e quantitate syllabæ secundæ de vera scriptura judicari possit: denique verbo *quiritandi* adhæsisse notionem *querendi*, et pro hoc dictum accipi posse. Bene. Interim omnibus in locis, v. c. Livii, ubi libri variant, intelligitur non merus questus, ut h. l. sed qui cum clamore conjunctus sit, et cum imploratione auxilii. In illo ipso loco Plinii *quiritantibus sociis* non est simpliciter *querentibus sociis*, (quamquam sæpe apud Ciceronem et Livium *queri socii* dicuntur, hoc est, injurias ad Senatum Populumque deferre) sed *fidem Pop. Rom. implorantibus*, quod ipsum sæpe apud Ciceronem dicuntur facere, item, confugere ad fidem S. P. Q. R. Atqui talis imploratio fidei et auxilii h. l. intelligi non potest, nisi forte, quæ usitata illa formula fiat, *proh! Deum atque hominum fidem!* Deinde, si nullum illud verbum est, qui fit, ut librarii tam multi, tam sæpe variisque in locis dederint. Nam alienum verbum substitui frequentissimum, sed verbum tamen. Denique in aliis locis variant tamen MSS. et vett. edd. at hic consentiunt. Igitur, etsi

A. U. 820. A. C. 67. queritantesque, qui aderant, *facessere propere* Thrasea, *neu pericula sua miscerent cum sorte damnati*, hortatur. Arriamque, tentantem mariti suprema et exemplum Arriæ matris sequi, monet, *retinere vitam filiæque communi subsidium unicum non adimere*.

35 Tum progressus in porticum, illic a Quæstore reperitur, lætitiæ propior, quia Helvidium, generum suum, Italia tantum arceri cognoverat. Accepto dehinc Senatus consulto, Helvidium et Demetrium in cubiculum inducit: porrectisque utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens, propius vocato Quæstore, *Libemus*, inquit, JOVI LIBERATORI. *Specta juvenis. et omen quidem Dii prohibeant; ceterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat constantibus exemplis*. Post, lentitudine exitus graves cruciatus, adferente, obversis in Demetrium *

non definire audeo, *queritare* esse verbum probum, tamen scripturam MSS. et edd. veterum malui dare, quam meram conjecturam; facile interim passurus, si quis Tacitum *quiritantes* scripsisse malit, a quo ipse non valde abhorreo. Ern. Ap. Plin. ep. 6, 20. *infantium queritatus*.

Facessere] Heins. mallet *facesserent*. Tum cod. Agr. *miscerent*, quod et Heins. probat. et Bip. admisere, non male. Bud. *miscere*.

Exemplum Arriæ matris sequi] Arria mater uxor fuit Cæcinæ Pæti, qui in partibus Scriboniani contra Claudium. Ideo ad mortem actus. Sed præivit uxor, æterno et inaudito exemplo, semet feriendo: extractumque pugionem marito porrigendo cum voce, *Pæte non dolet*. Plinium lege ep. 3, 16. ad Nepotem. Martialis de hac heroina 1, 14. *Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto, Quem de visceribus traxerat ipsa suis: Siqua fides, Vulnus quod feci non dolet, inquit: Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet*. In Zonara 11, 9. et Dione 60, 16. eadem narratio. sed corrupte verba Græca, παῖ οὐκ ἀλγῶ: et in puerili mendo Xylander, *puer, non dolet*. Scribe: Παῖτε, οὐκ ἀλγῶ. Hanc Arriam Scholiastes in vita Persii notat fuisse poetæ illi cognatam. *Ipse Persius*, inquit, *decem fere annis summe dilectus apud Thraseam est, ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam ejus Arriam uxorem habente*. Quid est autem, diligi apud Thraseam? Solœcus sermo. MS. Vulcanii, *apethithrasea*. Facile correctu, *a Pæto Thrasea*. Commentarii autem hujus, parum adhuc pervulgati, auctoritate sæpe nitor. quis carpet? doctus ille, probus: immo in pleraque parte et probi. Utinam hodie sic commentemur! Debemus eum P. Pithœo JC. viro doctrinæ, judicii, vitæ directæ. Lips. Artificum quoque manus exercuisse putatur egregium id Arriæ majoris facinus. Extat Romæ in hortis Ludovisiis par signorum e marmore, ipsam cum Pæto repræsentans, ut videtur, licet alii ad Pyramum et Thisben referant. V. Perrier segm. nobil. stat. n. 32.

Porrectisque u. b. venis] Sic libri, nisi quod (cod. Agr. et) ed. pr. *productisque*: unde possis conjicere *perruptisque*. Sed vulgatum verum puto: nec video, cur displiceat Acidalio et Freinshemio. Copula a Pichena addita est et in (Bud. et) Guelf. ed. pr. Mox ed. pr. *fudit*. Guelf. *effundit*: quod non adeo displicet. nam hæc fecit et dixit, dum cruor effunditur. Idem liber mox *super adspergens*, item *expediat*, ut Flor. (Bud.) edd. pr. Puteol. Beroaldi sqq. irrepsit deinde *expedit*. Pichena vetus restituit. Ern. Bud. *superspergens*. tum *libamus*.

Obversi in Demetrium] Multa et libro huic et Neronianæ historiæ deesse, clarum. Duo anni dicendi supersunt, in quibus de adventu Teridatis, de conjuratione Viniciana, de motu Vindicis, aliaque, digna quæ a magno auctore tradita legeremus, si Fatis ita visum fuisset. Lips.

FINIS TOMI PRIMI.

C. CORNELII
TACITI
OPERA

EX RECENSIONE

JOH. AUGUSTI ERNESTI.

DENUO CURAVIT

JER. JAC. OBERLINUS,

ARGENTORATENSIS,

INSTIT. LITTER. FRANCICI SOCIUS.

TOMI POSTERIORIS

PARS PRIMA.

OXONII,

E PRELO BARTLETT ET NEWMAN;

(NUPERRIME COLLINGWOOD ET SOCIORUM;)

Veneunt apud J. Cooke, J. Parker, et Robertum Bliss; Londini, apud R. Baldwin, R. Priestley, R. Faulder, White et Cochrane, F. C. et J. Rivington, J. Cuthell, et T. Turner; et Cantabrigiæ, apud J. Deighton.

MDCCCXIII.

PRÆFATIO.

PAUCULA sunt, quæ dictis in fronte Voluminis prioris adjicienda videntur. Spectant potissimum ad *Germaniam Taciti.* Scilicet statim notandum, præter codices manu exaratos, quorum antehac mentio facta, Paullum Danielem Longolium, cujus commentarios in Tacitum amplos et eruditos excerptos dedit Joh. Kappius in Taciti libello a. 1788. Lipsiæ forma octava edito, usum esse duobus MSS. chartaceis, quorum alterum *Hummelianum*, ab ipso Hummelio in *der neuen Bibliothek von seltenen Büchern* 1 *B. p.* 212. descriptum, nec multum supra typographiæ natales adscendentem, cum editione Rhagiana 4. Lipsiæ 1509. contulit; alterum ipsius *Longolii*, post incunabula typographiæ scriptum et a fine capitis octavi ad caput 43. procedentem. Dein ad veteres Germaniæ editiones quod adtinet, de quibus in præfatione citata pag. LX. actum est, dubio caret, Norimbergensem, e Creussneri officina, eandem esse cum codice Artolphi, quem Rhenanus contulit, et J. E. Kappii, quem excitat frequenter Ernestius. Peccavit eo uterque, quod contra morem consuetum codicem dixere, quæ editio est typis expressa. Ita scilicet Johannes Kappius aliquoties, ut ad cap. 11 et 19. codices Kappii et Longolii, item MS. Kappii et Longolii, citat, quum editionem veterem a Kappio oblatam Ernestio et MS. sive co-

dicem Longolii nominasse deberet. Rem sic sese habere, et codicem falso sic dictum Kappii esse revera istam editionem Norimbergensem, ex notatis nostris abunde patebit. Cf. saltem c. 13 et 20. Patebit ex iisdem, hanc ipsam esse quoque eandem cum ψευδοcodice Artolphi. Obstare tamen loca quædam videntur, in quibus Rhenanus codici Artolphi contraria adscribit iis, quæ in ista editione comparent. Verum hic noscendum, Rhenanum in notandis variantibus locis editionis antiquæ admodum supine esse versatum, quod ex his ejus verbis ad caput 15. constat. " Pro *ac viritim* ex priori collatione re- " peri scriptum in margine voluminis mei, sed litte- " ris pene fugientibus exolescentibusque, *ac virium* " sive *ec virium.*" Docent hæc, Rhenanum a. 1533. non amplius ad manum habuisse editionem istam veterem, quam cum eo communicarat a. 1519. Artolphus, sed ex hac margini exemplaris sui adlitas antehac notulas, et quidem negligenter adeo adspersas, consuluisse a. 1533. ut fugientes litteras ipse non nisi difficulter dignosceret, cujus rei specimina videsis ad cap. 1. in voce *Abnobæ.* c. 11. in *tum.* cap. 26. in *sepiant.* c. 40. in *Reudigni.* Contra editio Romana vetus differt ab ea, quam codicem Artolphi salutat Rhenanus, etsi frequenter etiam cum Norimbergensi conspiret. Dissensus exempla dabunt c. 2. *ac nunc--tunc.* c. 3. lacuna relicta. c. 5. *perinde.* c. 10. *consoletur.* c. 11. *auspicatissimum.* c. 15. *ac viritim.* c. 19. *vocatur.* c. 20. *noscas.* c. 21. *utiliter.* c. 31. *raro.* c. 40. *Reudigni.* c. 44. *hinc vel illinc.* c. 45. *cadentis.* c. 46. *huc* etc.

Sitne codex ille, ex quo Groslotius c. 22. dedit *gens non astuta aut callida*, manu exaratus, an editio quædam vetus, hariolari mihi non licuit. Editiones

veteres, quas inspexi, constanter *nec* offerunt. Aliud quid ex vetere codice suo profert idem ad c. 34. quod cum nostris minus convenit.

Meminit porro Gebaverus in vestigiis Juris Germanici p. 920. editionis Viennensis a. 1514. excusæ forma quarta, quam et Ernestius et Bipontini editores ignorant. Error sine dubio hic hæret; Conradi Celtis editio intelligenda videtur, quæ Vindobonæ a. 1515. prodiit, memorata Panzero T. IX. v. 24.

Jam Is. Vossius ad Melam L. 3. c. 3. veterem adlegat Taciti librum, qui cap. 45. lectionis varietatem offert, in nullo nobis cognito deprehensam. Forsan idem est cum Groslotii codice, aut Fulvii Ursini, de quo videsis notata ad vitam Agricolæ c. 19.

Agricolæ vitam quod spectat, Bipontini ad cap. 3. negant a Puteolano editam. Scilicet Taciti exemplum, quod possidebant, ea carebat; in meo adest omnino, sed separatim, licet eodem anno 1497, edita.

Ad *Dialogum de Oratoribus* tres Vaticanos codices contulit Broterius, qui Lipsii diligentiam fugerant. Is enim Germaniam, Agricolam et Dialogum laudatum a Vaticanis afuisse scribit. Dialogum hunc nuperus auctoris nostri interpres Dureau de Lamalle Tacito bene vindicavit. Inter alia argumento etiam a dicendi formis Cornelio suetis, quales *famam alicui circumdare*, *inserere fortunæ*, *famæ* etc.

In Lipsii notis loca auctorum ab eo excitata studiose contuli et lectorum in gratiam adcuratius indicavi, subinde etiam errata quædam emendavi. Idem in Heinsianis præstiti, quas ex Ryckii animadversionibus aliquoties auxi. Satis enim nunc constat, apud hunc sub amici nomine Nic. Heinsium

latere, quod et Ernestio ad 4, 58. et Wopkensio ad 1, 11. visum. Unde præterea Heinsio quoque vindicanda notata ad H. 2, 74, 4. 3, 29, 3. et 34, 2. 4, 14.

Monumenti Ancyrani particulas quasdam subjungere constitueram; (respice ad Præf. T. I. p. LXIX.) re probe pensitata totum illud, omissis pauculis, ex quibus nihil extricari potest, dare decrevi et succincte inlustrando variorum observatis mea interspersi.

Khunius, cujus animadversiones quasdam mantissæ insertas videbis, nostras est vir celeberrimus olim Universitatis orator et historiarum professor, qui istas aliasque exemplo, quo usus erat, Taciti ad marginem adleverat. Nonnullas quoque debeo interpreti Gallo paullo ante memorato.

Ex Thomæ Wopkensii notis varia jam dare cœperat Celeb. Wolfius. Istas, in Actis Societatis Trajectinæ ab Henrico Joanne Arntzenio publici juris factas, non nisi sero nactus, ne qua re defraudetur criticæ artis studiosus, heic excerptas dare visum.

ADDENDA.

AD ANNALIUM L. II.

C. 24. *Tantum illa clades — excessit*] Heinsius supplebat *alias excessit*. Ego absolute positum verbum puto. ut sæpe alibi. ut in Vita Agric. c. 42.

Eodem elisa] *allisa* vel *illisa*, rectius.

c. 28. *Et qui servi e. n. reperit*] Sic et alibi. Vide c. 41. *quæque aliæ nationes*. 6, 31. 15, 59.

c. 29. *Vocem adv. pericula poscere*] i. e. patrocinium. Sic Velleius 2, 66. Ciceronem *vocem publicam* adpellat. Porcius Latro contrà Catilinam c. 23. *quas non adiit Senatorum voces?*

c. 31. *Liberi doloris*] V. Horat. Epod. 4, 10. Quinctil. Declam. 11. ab initio et 18, 2.

c. 38. *Non enim preces sunt istuc*] Bene. Sic et 1, 42. H. 1, 84.

c. 42. *Veniret*] Bene. sueta enallage.

c. 43. *Insectandi*] Pendet ab æmulatione.

c. 46. *Vacuas legiones*] i. e. non plenas, ut Cæsar B. G. 3, 2. *legionem, neque eam plenissimam*. In Rob. Stephani thes. exponitur per *otiosas*. (Sic saltem, ut hoc addam, Hirtius Alex. 2. *veteranas cohortes vacuas habebant*).

c. 47. *Visa in arduo*] Sic et 4, 47. *apertis in collibus visebantur*.

c. 49. *Conductos—duxit*] Talis cacophoniæ et alibi prostant exempla. V. mox c. 62. (et 6, 22.) item Valer. Max. 6, 5, 1. *eductos—perduxit*. Cæsar B. G. 7, 65. *pelluntur—compelluntur*. Livius 41, 20. *allatus—elatus*. Sallust. Catil. 1. *indigens—eget*. Ernestius bene defendit.

c. 61. *Profunda altitudo*] Sic et Seneca ep. 70. Liv. 38, 23. Heges. 1, 35. Lact. 6, 4.

c. 63. *Nam multis nationibus*] Priorem conjecturam Ernestii firmant similia loca 3, 47. 15, 1 et 29. 16, 2.

c. 64. *Ipsorumque Regum ingenia, illi mite et amœnum, huic atrox*] Libenter, si per codices liceret, legerem *illud mite—hoc atrox*. Verum enallage est non invenusta.

Caussas bello] Sic et 1, 27. *caussam discordiæ*.

c. 68. *In Albanos* etc.] Potius, deleto *in*, legendum *ad Armenios, inde Albanos* etc. subintellecta iterum præpositione *ad*, ut et alibi. H. 1, 46. Livius 9, 15. Vell. 2, 1. Sic et alias præpositiones *de, per, in*, repetere negligit noster. Vide 3, 9. 4, 16. 6, 51. 13, 53.

c. 69. *Digreditur*] Noli mutare. Sic et 4, 49 et 74. 12, 30. et sic ante Rhenanum 3, 67.

c. 70. *Haud minus ira quam per metum accepta*] Sic 1, 59. *spe vel dolore accepta*. Dein 1, 7. *per ambitum et senili adoptione*. c. 11. *metu an per invidiam*. 3, 4. *modo per silentium, modo ploratibus*.

c. 79. *Magnitudinem Imperatoris id. ingerens*] Malim cum Frein-

shemio intelligere *Germanicum* et *magnitudinem Imp.* referre ad *ingerens* i. e. ostentans, commendando inculcans.

c. 80. *Non ultra dubitatum*] Nullus istiusmodi dubitationi post initam jam pugnam, locus. Scribendum existimo *non ultra dimicatum*. (Præclara et mihi hæc emendatio videtur).

c. 81. *Peti aggerem*] Cum Freinshemio iterum facio. *Peti* scilicet *agger* i. e. materia faciendi aggeris potuit, si forte impetus in expugnando castello parum procederet.

AD ANNALIUM L. III.

c. 1. *Proxima maris*] Nil mutandum, nam eo sensu adjectiva vicinitatem notantia etiam cum genitivo struuntur. Sic H. 5, 16. *propiora fluminis.* et 3, 42. *per proxima litorum.* Sallust. Jug. c. 48. *Media planities deserta, præter fluminis propinqua loca.* ubi plura.

c. 3. *Ut par mæror* etc.] Par luctus externus scil. *esset.* Ita verbum substantivum frequens subauditur, ut 1, 7. H. 1, 5. 3, 31. 4, 18. Vita Agric. 35.

c. 5. *Tanto plura—quanto*] Similis structura 1, 68. 4, 48. 6, 45.

c. 6. *Idque et sibi*] Noli mutare.

Spectaculum suberat] Sic et Cic. pro Mil. 16. Hegesipp. 1, 8. Ovid. Met. 11, 234.

c. 11. *Cohiberet ac premeret*] Synonymia hæc est et Plinii in Paneg. c. 4.

c. 14. *Nunquam satis credito*] Ita Livius 4, 51. 29, 37. 39, 56.

c. 17. *Biduum super hæc imagine* etc.] Tralatitia metathesis, pro *super biduum,* plus quam biduum, *hac imagine* etc. ut H. 3, 19. *Utque cumulos super—incessere.* c. 26. *quæ super cuncta.* 4, 40. *tali super re.* Sic et Ann. 4, 5. *Misenum apud* etc.

c. 19. *Is finis fuit ulciscenda G. morte*] Rectius *ulciscendæ mortis,* ut c. 43. et vulgo Neque huc recte refertur 14, 4.

c. 20. *Excepta vulnera et—os in hostem intendit*] i. e. obvertit. Sic interpungo. (Idem a nobis factum).

c. 22. *Vertit ac miscuit iræ et clem. signa*] Commode *vertit* ad adcusativum refertur, nec opus absolute sumi.

c. 24. *In Rempublicam—domi*] Sic variare orationem amat noster, nec quid mutandum.

In quæ tendi] Rectius *quæ intendi.* ut apud Sallust. Jug. c. 104.

Per insignem nobilitatem et eloq. præcellebat] Lege cum Acidalio *præter i. n. et* (etiam) *eloq. p.* sed per *nobilitatem* intellige dignitatis splendorem, ut 6, 29. et confer 14, 19.

c. 26. *Ac mox Atheniensibus q. i. et pl. Solon p.*] Malim *ac mox Atheniensibus* (vel potius *Atheniensium*) *quas* etc. (Facile pronomen a sequente voce absorberi potuit; ni ex more suo variare orationem voluerit noster).

c. 29. *Qui ej. pr. occulti illuderent*] Heinsius *occulte.* Sed videsis 4, 12. 40. 67. 14, 32. Sallust. Jug. c. 61. Frontinum Strat. 2, 5, 8. Vopiscum in Aurel. c. 24.

c. 34. *Multa duritie*] Vel *duritie* est pro *duritiei* vel exponendum *multa ex duritie.*

c. 38. *Cotye fratre interfecto*] Acute Heinsius ad Velleium 2, 129. *fraude interfecto*.

c. 42. *Visis militibus*] Forsan *visus*.

c. 46. *Et fugientibus consulite*] Crusius in Observat. miscellis novis legit *consistite*. Rectius Heinsii *consulite*, pro parcite. Sic 15, 18. collato c. 61. et H. 3, 82. item Ann. 13, 40. 14, 38. Curt. 4, 1.

c. 47. *Omissa urbe*] Recte Freinshemius et Aurelius *omisisse urbem* pro *omittere*.

c. 52. *Ad Principem distulerant*] i. e. differentes remiserant. Sic et Livius 26, 51.

c. 54. *Exonerari laborum meorum partem fateor*] Heinsius *parte*, subaudito *me*. Equidem malim *parte me* expressis verbis (ex quo facile potuit oriri *partem*) sed et vulgatum probum censeo. Sic H. 4, 37. *ad liberandum obsidium*.

c. 62. *Religionem tuebantur*] forsan *religione nitebantur*, ut c. 63. et 4, 55.

c. 65. *Ex posteritate et infamia*] i. e. infamia apud posteros. *Posteritas* pro memoria. H. 2, 53.

c. 67. *Ausis codicillis*] *Audere codicillos* sensu prægnante est audere mittere, ut plenius, 6, 30.

c. 72. *Arcuerat Taurum—conferre*] Bene habet vulg. *arguerat*. ut 4, 12. *inhiare—arguerent*. 5, 8. *arguebant obtulisse*. Livius 37, 28. *juvisse—arguit*. etc.

c. 74. *Impune traherentur*] Sallust. fragm. 4, 7. *quin socios, amicos—trahant, excidant*.

AD ANNALIUM L. IV.

c. 2. *In ceteros metus crederetur*] Bene Savilius *crearetur*. (Cf. et c. 59. et 6, 50. 11, 8. H. 1, 20).

c. 3. *Adulterio pellexit*] In dativo accipe *adulterio*. unde minus recte adfertur locus 6, 45.

c. 4. *Quod—quæ tum Romana etc.*] i. e. ut in *his, quæ tum*. Sic et apud Cicer. N. D. 2, 9. et in Verr. 1, 46. Vide ad Divin. 2, 41. in Lect. Tullianis.

c. 5. *Neque multo secus*] i. e. *neque multo minus*. ut alias ponitur *secius*. Terent. Andr. 3, 2, 27.

c. 8. *Sibique et posteris conformaret*] Malim *confirmaret* i. e. fidos amicosque redderet. Sic 1, 71. H. 5, 4. Sallust. Jug. 45. *exercitum brevi confirmavit*.

c. 9. *Plerisque additis*] multis, compluribus, ut 6, 22. 11, 8. H. 4, 61. Imo sic jam Nepos Timoth. 4. Cicero de Invent. 1, 36. de Offic. 1, 14. et pro Sextio c. 35.

c. 10. *Conrupta ad scelus*] *Scelus* pro cæde scelesta, sic 6, 33. 12, 47. 16, 23. etc.

Ubi locus venef. tempusque composita sint] Hæc enallage temporis occurrit et 14, 11.

Ea fraude tum senem etc.] Non necesse, cum eruditis refingi *ea fraude captum senem*. Alibi quoque *tum* ita ponitur, ut 1, 64. Post *ea fraude* facile desideratur *captum*. (Sic mecum facit Wopkens).

c. 11. *Exitium offerret*] Sic Cic. pro S. Roscio c. 13. *mortem obtulerit*. cf. et c. 14. et pro Sextio c. 21.

c. 12. *Ut superbam fecunditate, subnixam popularibus studiis etc.*] Placet et mihi hæc lectio, tuendæ tamen priori vide H. 1, 17. 13, 14.

c. 17. *Mobiles adol. animos*] Conjectura Acidalii vana. Liv. 6, 34. *parvis mobili rebus animo.*

Subverterentur] Enallage sueta.

c. 20. *Pleraque*] pro *plerumque*, per Græcismum.

c. 22. *Tanquam ipse somno gravis etc.*] Sat horrida ellipsis Corneliana, cui similes 1, 65. 2, 15. 3, 3. 6, 43. H. 1, 88. 2, 19. etc.

c. 28. *Falsa exterritum*] Malim cum Mureto *falso*, ut H. 2, 8.

c. 31. *Eluctantium verborum*] Hinc emendandus Statius Theb. 4, 790. *Et teneris meditans verba illuctantia labris*, lege *eluctantia.*

Ob rem judicandam] Sic Cic. in Verr. 2, 32 et 48.

c. 34. *Sed multa cum acerbitate*] Melius *et.*

c. 35. *Occultati et editi*] Vertranius malebat *abditi.* Hac emendatione non opus esse, recte judicat Lipsius; sed ratio, quam adlegat, non valet. Bina enim verba ejusdem rei ponit haud raro noster. H. 1, 88. *occultare et abdere pavorem.* Similia 3, 11. H. 2, 77. Germ. 22. Ita et Cicero N. D. 1, 18. de Offic. 1, 35. etc.

c. 38. *Ut majoribus meis etc.*] Nihil mutatione opus, ab Ernestio tentata.

Multi quia diffideret] Forsan rectius, *quasi diffideret*; sed alterum, licet durius, placuisse nostro puto, quia sic etiam Sallust. Jug. c. 82.

c. 40. *Ad integram consultationem*] i. e. nullis dolis aut præjudiciis corruptam. ut Sallust. Jug. c. 108. *Consulta sese omnia cum illo integra habere.*

c. 41. *Altius metuens*] Sic 16, 29. Petron. Sat. c. 128.

Vergente jam senecta] Suspicor legendum *urgente*, ut Cicero de Sen. c. 1.

Vera potentia augere] Legendum cum Rhenano *vera potentia agere* scil. *se*, i. e. veram sibi potentiam esse, ut H. 2, 58. 5, 1. Ann. 6, 27. 2, 73. Germ. c. 46. vel cum Mureto *veram potentiam augere* scil. *se.* ut H. 3, 45.

c. 45. *In mortem adfecit*] Sic c. 62. *in mortem adflixerat.* Cf. et 14, 8. Vell. 2, 85. Obsequens de Prod. c. 129.

c. 46. *Promtum libertati aut ad mortem*] Sic variare noster amat. Cf. c. 9. item 12, 55. 14, 38.

c. 49. *Digrediebantur*] Vide notata ad c. 74.

c. 51. *Præmatura montis Hæmi et sæva hiems*] Forsan legendum *præter naturam montis Hæmi.* Sic *natura montis* Liv. 38, 20 et 26. Cæsar B. G. 1, 21. Sane singularis dictio *montis hiems.*

c. 56. *In concionem nuntiatum*] Sunt, quibus legendum videatur *in concione*, sed, utroque modo dici, liquet ex notatis ad Justinum 19, 2 et 34, 2. Lactantius M. Persec. c. 46. *Nunciatur in castra.*

c. 57. *Cæsar in Campaniam*] De ellipsi verborum *ire, proficisci* et similium vide Dukerum ad Florum 3, 6. Acute tamen hoc loco Lipsius *iit in C.*

c. 58. *Arto comitatu*] Sic Cic. in Verr. 4, 30. *Comitatu Regio fuit.* Contra in Catil. 3, 2. *cum magno comitatu* (ubi tamen etiam in aliis *cum* abesse Ernestius notavit).

Quorum sermonibus levaretur] Sic et Virgil. Æn. 8, 308. Sedul. 1, 318.

c. 60. *Diversæ insuper sol. f. or.*]

Levi mutatione lege *his super*.

Promtior Neroni] Rectius *pronior*.

c. 61. *Nam cœpto apud Fid.* etc.] Transpositio necessaria non videtur; idem enim dicere voluisse Tacitum existimo.

c. 62. *In sordida mercede*] Subscribo Pichenæ emendanti, quia sic et 11, 6. Germ. 24. et Livius 21, 43.

Virile ac muliebre secus] Elegantius et certioris Latinitatis est *sexus*, ut 6, 12. (de voce *secus* v. Charisium apud Putschium p. 61.)

Ut tali sorte—miserandi etc.] Commodum sensum ista non habent, nisi mutemus hoc modo distinctionem: *Et illi quidem—ut tali sorte cruciatum effugere*, (ita) *miserandi magis, quos* etc. Forsan etiam legendum *letali* vel *fatali*, sed hoc minus blanditur.

c. 65. *Querquetulanum cognomento*] Rarior loquendi ratio. Ammianus 15, 7. Valvomeres cognomento.

c. 67. *Tanto occultior*] Recte sic. Vide notata ad 3, 29.

Struebantur qui monerent] Notabilis verbi usus cum adcusativo personæ, ut 11, 12. Sic et *moliri* 12, 22. Cf. et Val. Flaccus 1, 535.

Celeberrimo fori] Intelligo potius, parte fori celeberrima, alias dici oportuerat *celeberrimo foro*.

c. 69. *Tectum et parietes circumspectabantur*] Acidalius mavult *suspectabantur*, sed eodem sensu et alterum verbum usurpatur, ut H. 4, 8. Sallust. Jug. c. 72. Cic. in Pisonem c. ult.

c. 71. *Cunctationes Principis opperiretur*] Placet hoc mihi cum aliis.

c. 74. *Non illi—degressi sunt*] Verbum *digredi* mutare in *degredi*, nulla ratio erat. De pluribus enim una eundem in locum abeuntibus *digredi* quoque dici solet itemque de uno abeunte, ut 2, 69. 6, 1. 13, 18. H. 3, 69. Idem valet, ubi de *digressu* vel abitu ex loco editiore fit mentio, ut supra c. 49. et 12, 30. H. 2, 100. Val. Flaccus 6, 754.

AD ANNALIUM L. V.

c. 10. *Inanium spe*] *Inania* apud Tacitum non tam potentia dicitur, quæ falso exspectatur, quam quæ inani constat pompa, magis specie quam re atque vi notabilis sit, 4, 41. 15, 31. Cum itaque *inania* ejusmodi jam haberet hic Drusus potius quam speraret, malim cum Heinsio legere *inanium specie*.

AD ANNALIUM L. VI.

c. 1. *Saxa rursum et solitudinem maris*] Capreas insulam ita vocat, ubi non ita ut in continenti ab hominibus frequentari Cæsar potuit.

c. 3. *Lat. Latiarem ingressus est*] Malim cum Lipsio *adgressus est*.

c. 5. *In crimen duceretur*] Sallust. Jug. c. 85. *in conscientiam duceret*.

c. 6. *In supplicium verterent*] i. e. vertebantur, cedebant. Frustra ergo Ren. Vallinus ad Boeth. Cons. 4. met. 2. emaculandum putat *ipse quoque in supplicium*

verterat, quia de solo Tiberio sermo.

Firmare solitus est] Sic et c. 28. et H. 2, 5.

c. 9. *Seu composuerat*] Forsan ab auctore scriptum erat, *quod composuerat*. Ad H. 1, 18. *seu* est pro *seu quod*. hoc loco autem durior est illa dicendi ratio.

c. 10. *Sua exempla*] Sic et Livius 7, 38. 29, 27. Ovid. Am. 1, 4. 46. Seneca Herc. fur. 735. Cf. Gron. ad 13, 16.

Quod Præfectus urbi recens continuam etc.] *Recens* ad *continuam* referendum (quod et Bipontinis visum et mihi) *nam antea in tempus deligebatur*. Tentabam alioquin *gerens cont. potestatem*. Mallem de reliquo *Præfectus urbis*.

c. 12. *Quantum potuissent*] Enallage satis trita.

c. 13. *Neque segnius*] i. e. minus acriter, minus sedulo, ut 11, 15. Cf. Arntzenius ad Victorem in Cæsar. 40, 20.

c. 15. *Offensiones ob Remp. cœptas*] Bene sic, ut c. 30. *adfinitatem sibi cœptam*. 12, 10. *cœptam amicitiam*. H. 4, 61. *cœpta arma*.

c. 16. *Et concedente*] Subaudi *illo*, ut 1, 5. 3, 33. 14, 53.

c. 17. *Famam præceps dabat*] *In præceps* noster mox c. 49. et 4, 22. Sed omissa præpositione et 4, 62. et apud alios, Auson. in Mosella 271. Ammianum 29, 1. Victorem in Cæs. 12.

c. 20. *Qualem diem Tiberius induisset*] Aliquando suspicabar, *diem* ex voce præcedente natum. Verum haud dubie in verbo *induisset* e sequentibus intelligendum *habitum*, ut 4, 12. Bene hoc vidit Heinsius, qui *de die*, et Barthius, qui *in diem* rescribebat, quod veritati magis propinquum.

In hanc sententiam adlocutus] Tali casu verbum *est* haud raro omittitur.

c. 21. *Quantum introspiceret*] Acidalius volebat *quanto*, sed non opus. Cf. H. 2, 99. Livius 32, 5.

Præscium periculorum et incolumem] Acidalio placebat *sed*. Verum *et* sæpe adversativam significationem habet, nec sollicitandum in locis seq. 1, 13. 5, 3. 11, 23. 13, 22. H. 2, 46. 3, 19.

c. 22. *Quam ubi elegeris*] Nil mutandum. Vide dicta ad 2, 49.

c. 24. *Quemadmodum nurum—complevisset*] Incommode subaudieris *interfecisset*. Forsan in fine legendum *confecisset*. vel *in nurum—domumque omnem cædibus omnia complesset*. Usus is præpositionis occurrit 12, 35. item 4, 52. Sic et Sallust. Jug. 31. Liv. 22, 24.

c. 25. *Provixisse*] Forsan legendum *spe sustentatam primo, vixisse*. i. e. in vita mansisse. vel *vitam produxisse*.

Æqui inpatiens] Sic plane Statius Theb. 3, 603.

c. 27. *Conlocavi*] Sic *ponere* pro dicere, adfirmare Cicero N. D. 1, 23. Pro Cœlio c. 7. in Verr. 2, 38. de Fin. 2, 26.

c. 29. *Criminum urgebatur*] Perizonius ad Sanctii Minervam 2, 3, 3. dictionem Cornelianam esse nunquam mihi persuadebit. Quin rescribamus potius *criminum vi urgebatur* vel *criminum arguebatur*. (Non video, cur non *urgere* hic sit instantius adcusare. Multa sunt apud Tacitum audacter dicta).

Nihil huc—labefecit] Verbum *labefecit* a transpositione viri eruditissime defendimus ad H. 1, 83.

c. 30. *Modicus severitate*] Sic H.

1, 69. *inmodicus sævitia.* (Sed et Agr. 40. *cultu modicus*).

c. 32. *Tardari metu, modo cupidine* etc.] Facile elabi potuit alterum *modo,* si credatur Tacitus ita scripsisse, *tardari metu modo, modo cupidine.* Sic et supra prius omissum 4, 50. et apud Liv. 26, 15. Victor. Cæs. 42, 20. item *primo* ante *mox* 1, 67. et ante *dein* 12, 64. 13, 56.

Instituta P. resumit] Lege *sumit,* ut apud Senecam de ira 3, 8. Livium 3, 68. Vide et ad 14, 44.

c. 33. *Datque Parthorum copias, mittit* etc.] Acuta est Ernestia conjectura. Forsan legi posset *ad Parthorumque copias mittit, qui*—vel *dat P. copias mittitque qui.*

Accipere Sarmatas] Legendum esse *accire,* dubito. *accipere* in auxilium sic etiam occurrit, 2, 40. adde quæ ad 12, 6.

c. 34. *Disserebat*] Bene. Significat dictitabat, commemorabat, ut 1, 4. Consule etiam mox ad c. 49.

c. 35. *Frontis et tergi vices*] Legendum videri posset *per fr. et t. vices,* ni potius cum Acidalio subaudiendum esset *ipsis essent.* talis ellipsis exempla asperioris extant apud Tacitum. Vide ad 1, 64. 2, 15. H. 1, 88. 2, 19. et mox ad c. 43.

c. 36. *Tota mole regni*] Ita Florus 3, 5, 14.

c. 43. *Oppressa cunct. dubitatio*] Subaudi *erat.* id Taciti stilo consuetum. Vide c. 35. et H. 2, 17.

c. 45. *Inmittendo amore*] Sic hæc jungenda. Vide Senecam in Herc. Œtæo 554.

c. 46. *Inpatientia firmitudinem*] i. e. simulans, se obduruisse in patientia, ut Cic. in Verr. 5, 13. Idem pro Balbo c. 27. *in sententia firmiores.*

c. 48. *Id quidem a lætantibus*] Si deleas *a,* dicendum erat *omnibus lætantibus.* Forsan legendum *et quidem* vel *idque quidem a læt.* Sed *id tantum, id ipsum* occurrit etiam 14, 6. H. 3, 63. apud Cic. de Divin. 1, 16. pro Cluentio 5. Cf. ad 16, 20.

c. 49. *Genua advolveretur*] Sic et 1, 13. 15, 71. H. 4, 81.

Diu ferret] Potius *dissereret,* ut 4, 50. 5, 4. 12, 2. 14, 13.

c. 51. *Transierit*] Sic *quamquam* cum subjunctivo 1, 24. 4, 24. Cic. Fam. ep. 4, 14. 13, 68.

Tempora illi diversa etc.] Improprie de *tempore, die, anno, æstate* dici solent, quæ conveniunt hominibus ipsis, aut rebus tunc contingentibus, ut 1, 28. 2, 40. 3, 4. Cic. pro Ligario c. 2. Durior etiam hæc locutio h. l. unde Pichenæ emendatio mihi placeret, ni constans esset scriptura librorum. plura ad Justin. 23, 4.

C. CORNELII TACITI

HISTORIARUM

LIBRI QUINQUE.

C. CORNELII TACITI
HISTORIARUM
LIBER PRIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. *Præfamen. Auctoris dignitas, ætas, institutum.* 2. 3. *Præsentis historiæ summa capita.* 4. 5. *Status urbis, mens exercituum, habitus provinciarum, occiso Nerone. Nymphidius, imperium adfectans, oppressus.* 6. 7. *Galbam crudelitas sua, ætas, corporis forma et amicorum vitia reddunt invisum.* 8. 9. *Status Hispaniæ, Galliæ, Germanicorum exercituum, Britanniæ, Illyrici.* 10. *In Syria Muciani virtutes et vitia. Fl. Vespasiani, Judaicum bellum administrantis, animus in Galbam.* 11. *Ægypti, Africæ, Mauretaniæ, Rætiæ, Norici, Thraciæ, Italiæ status COSS. Galba et Vinio.*

12. *Deficiente superioris Germaniæ milite, Galba de adoptando Cæsare cogitat.* 13. *Vinius Othoni favet, non ita Laco et Icelus.* 14. *Galba, transactis Imperii comitiis, Pisonem eligit, hominem antiqui moris et severum, cui* 15. 16. *adoptionis caussas et Imperii administrandi consilium aperit.* 17. *Pisonis inter hæc moderatio,* 18. *Adoptio in castris nuncupata,* 19. *tum in Senatu. Legati ad defectores missi.* 20. *Neronis prodigæ donationes rescissæ.*

21. *Othoni spe lapso consilium in turbido,* 22. *instigantibus libertis, servis, mathematicis;* 23. 24. *paratis jam ante militum studiis per blanditias et largitiones, oscitante ad id Præfecto.* 25. 26. *Ergo jam legiones et auxilia pro Othone.* 27. *Mox consalutatus Imperator* 28. *castris Prætorianis infertur.*

29. 30. *Piso cohortem, quæ in palatio stationem agit, hortatur ad fidem.* 31. *Illa parat signa, reliquis copiis deficientibus.* 32. 33. *Plebis adulatio et levitas. Fluctuat Galba cum amicis, an occurrendum?* 34. *Præmittitur in castra Piso. Falsus de occiso Othone rumor.* 35. *Populus et Senatus Galbæ;* 36. *castra Othoni favent.* 37. 38. *Hic militum animos oratione sibi conciliat; Galbæ et Pisoni reddit infensos. Arma militi dividit.* 39. *Agitat Laco de cæde Vinii.* 40. *Galba fluctuat. Plebs nutat. Othoniani forum inrumpunt.* 41. *Galba desertus, occisus,* 42. *sic et Vinius.* 43. *Sempronii Densi fides. Piso cæsus,* 44. *magna Othonis lætitia. Cædium præmia poscentes jussu Vitellii postea interfecti.* 45. *Adulantur Senatus et Populus victorem Othonem, qui coercendo militum furori inpar.* 46. *hi vacationes sibi remitti petunt. Laco et Icelus cæsi.* 47. *Pisonis et T. Vinii sepultura,* 48. *elogia, testamenta.* 49. *Galbæ sepultura, ætas, nobilitas, mores, honores.*

50. Trepidam urbem novus de Vitellio nuntius exterret. Vespasianum nonnulli augurantur. 51. Initia Vitelliani motus ex bello Julii Vindicis, et secutis inde discordiis inter legiones et Gallos. 52. 53. Vitellius, suo ingenio ignavus, ad res novas stimulatur a Valente et Cæcina legatis. 54. 55. Legiones utriusque Germaniæ fidem in Galbam exuunt, 56. segni spectatore Hordeonio Flacco Legato. 57. Valens Vitellium Imperatorem consalutat, magno militum studio; 58. quibus poscentibus multi cæsi. 59. Julius Civilis periculum evadit. Undique viribus auctus, 60. inter fœdas Legatorum discordias, 61. duos exercitus in Italiam mittit. 62. Torpet Vitellius; ardor et vis militum ultro Ducis munia inplet. 63. Subito furore conreptus miles ab excidio Divoduri ægre temperat. Gallias terror invadit. 64. Vitellio adhærent. 65. Lugdunenses ex vetere odio milites in eversionem Viennensium inpellunt; 66. isti tamen donis placantur et precibus. Valentis avaritia et libido. 67. 68. Helvetios, Vitellii Imperium abnuentes, Cæcina, belli avidus, cædit. 69. Aventicum ægre inpunitatem salutemque inpetrat. 70. In Vitellii partes transgressa Italiæ parte, Cæcina Alpes superat.

71. Otho prudenter se gerit; Mario Celso ignoscit. 72. Tigellinus infamem vitam exitu inhonesto fœdat. 73. Galvia Crispinilla cum mala Othonis fama periculo exemta. 74. Principes mutuo sibi conditiones offerunt; mox rixantes flagitia invicem objectant, et 75. insidiatores inmittunt. 76. Distractis inter utrumque exercitibus ac provinciis, bello opus. 77. Otho Imperatorem agit; honores, 78. civitatem, jura dilargitur: de celebranda Neronis memoria agitat.

79. Sarmatæ Roxolani Mœsiam inrumpentes cæsi. 80—82. Seditio gravis, in ipsa urbe temere orta, cum magno metu atque discrimine primorum civitatis, precibus et lacrymis Othonis componitur, qui 83. 84. milites ad concordiam et modestiam hortatur. 85. Istis compositis, omnia suspicionum et formidinis plena, præcipuo Patrum metu. 86. Prodigia Othonis cladem præsagientia. 87. Is, lustrata urbe, Narbonensem Galliam adgredi statuit et 88. cum multis nobilibus L. Vitellium æmuli fratrem secum ducit. 89. Inde varii animorum motus. 90. Commendata Patribus Republica Otho festinat ad bellum. Trachali eloquentia usus Otho, in quem studia et voces vulgi. Gesta hæc paucis mensibus,

IMP. SERV. GALBA ET T. VINIO COSS.

1 INITIUM mihi operis Ser. Galba iterum, T. Vinius Consules erunt. Nam, post conditam urbem, septingentos et

Ser. Galba iterum, T. Vinius COSS.] Vulgo appellant T. Junium. At mihi religio non fuit sequi scripturam antiqui marmoris eruti ad radices montis Cælii: SER. GALBA II. T. VINIO. COSS. a quo præsertim staret Plutarchus, qui c. 27. fere hunc hominem Τίτον 'Οΐνιον, aut Οὐίνιον appellat. Simile mendum in Suet. Aug. 27. ubi *T. Junius Philopœmen*, scribitur, qui ex Dione 47, 4. est *Vinius.* etsi Appiani scriptura Civ. 4, 44, firmat vulgatam. Sane Junia gens nobilior, quam ut in hunc hominem conveniat: cujus pater dumtaxat ex familia Prætoria, ut Tacitus infra refert. LIPS. Bud. *Servius Galba iterum Titus Junius.* De nomine *Vinii* v. Casaub. ad Suet. l. c.

DCC. et XX.] Exacte si putas, XXII. reperies. LIPS. Sic (DCCXX) omnes

viginti prioris ævi annos multi auctores retulerunt, dum res Populi Rom. memorabantur pari eloquentia ac libertate. Postquam bellatum apud Actium, atque omnem potestatem, ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere: simul veritas pluribus modis infracta; primum inscitia Reipublicæ ut alienæ, mox libidine adsentandi, aut rursus odio adversus dominantes: ita neutris cura posteritatis, inter infensos vel obnoxios. Sed ambitionem scriptoris facile adverseris; obtrectatio et livor pronis auribus

A. U. 822. A. C. 69.

editi a Beroaldo ad Ryckium: unde clare patet, Beroaldum hos libros non e MS. Flor. edidisse, qui totidem literis habet *octingentos et viginti*, ut alii MSS. Reg. (Bud.) Agr. Guelf. (in quo est per numeros sic *DCCCtos et XX*) et ed. pr. At Puteol. dedit *ducentos et vig.* Beroaldi numerus forte ipse e MS. sumtus, sive ex ed. pr. sed ultimum C. vitio operarum omissum est. Res ipsa desiderat hunc, qui nunc editur, numerum. Sermo est enim de scriptoribus usque ad Galbæ imperium. ERN. Mihi si quid video, potior est Beroaldi lectio, undecunque sit orta. Opponit Tacitus tempora ante pugnam Actiacam, quibus eloquentia scriptorum viguit cum libertate, quod is prius ævum dicit, temporibus insecutis, quibus magna ingenia cessere et veritas est infracta. Restitui locum et interpunctione sensum juvi.

Atque omnem potestatem ad unum conferri] Cicero Phil. 1, 14. *ne ignorans verum iter gloriæ gloriosum putes plus te unum posse quam omnes.* Livius 3, 37. *licentiam suam malle, quam omnium libertatem.* Sive ab τῷ *omnia* malis. Noster A. 1, 11. *quam subjectum fortuna regendi cuncta onus, proinde in civitate tot illustribus viris subnixa non ad unum omnia deferrent.* Quintilianus Inst. 6, 1, 36. *cum omnia curæ tutelæque unius innixa.* GRON. Videtur probasse lectionem MS. Bud. et cod. Danesiani *omnium potestatem*, quæ et Rhenano placebat et Ursino. Sed Ryckius et J. Gron. cupide arripuere scripturam MS. Flor. *omnem potentiam*, quæ et in ed. pr. reperitur: quos ego non imitor. Latinitas me impedit. Nego dici posse *omnem potentiam ad unum*, vel *aliquem conferre*, quod lege aut SCto factum. *Potestas confertur*, non *potentia*, quæ vi, fraude aliisque modis *paratur*. *Senatus, Magistratuum, legum munia* vocat Ann. 1, 2. hæc est *potestas*, non *potentia*. Jus erat faciendi, quæ viderentur, h. e. *potestas*. Ipsum epitheton *omnis* potestati convenit, non potentiæ. *Omnium rerum potestatem* dixit et Livius 8, 13. nec displicet mihi h. l. *omnium*. ERN. Bip. reposuere *potentiam*, quia et c. 13. legitur *potentia principatus divisa*.

Inscitia Reip. ut alienæ] h. e. cum homines suam Remp. non aliter aut melius nossent, quam alienam, propterea, quod ejus incuriosi essent, cum ad eam accedere non amplius liceret, sed unius omnia nutu et arbitrio gererentur. ERN.

Ambitionem scriptoris] Adulationem, placendi studium. Sic A. 1, 67. *Nulla ambitione*. 13, 4. *Nihil ambitioni pervium*. Et apud Justinum 12, 15. *ambitio vulgi*.

Facile adverseris] Legendum esse *averseris*, doctissimi viri statuunt. Recte. Et convenit hodie fere, *adversari* esse notam ævi, quo libri scripti, et nihil aliud quam pravam scripturam. Nempe media ætate solenne, *adversari* scribere pro *aversari*, promiscueque ista verba dicta. Et fatali quadam consensione, pluribus in locis Taciti id constanter exhibent omnes libri, ubi sensus *aversari* desiderat: unde nuper Gesnero in Thes. L. L. non videbatur admodum probabile, in omnibus his locis esse vitium scripturæ, rescribendumque *aversari*. Sed sciendum id, quod in præfatione diximus, omnes, quos habemus, MSS. Taciti libros ex uno codice fluxisse. Unde tanto magis talis consensus existere potuit. Sic H. 2, 51. optimi libri *adversam* pro *aversam* exhibent. Sed tamen sunt in his MSS. vestigia veræ scripturæ. H. 3, 25. unus Flor. *aversari*, ceteri libri omnes *adversari*. Neque vero ex ullo alio scriptore antiquo exempla proferri potuerunt, ubi libri omnes ita consentirent; sed ad solum Tacitum provocatur. Contra sæpissime ostensum est, *adversari* occurrere in plurimis codd. ubi meliores libri habeant *aversari*. v. Drakenb. ad Liv. 8, 7. Schwarz. ad Plin. P. 46. Cort. ad Sall. Jug. 93. Sic Virg. Æn. 4, 106. multi scripti libri, *adverteret*

A. U. 822. A. C. 69. accipiuntur. quippe adulationi fœdum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest. Mihi Galba, Otho, Vitellius, nec beneficio, nec injuria cogniti. Dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam, non abnuerim: sed incorruptam fidem professis, nec amore quisquam et sine odio dicendus est. Quod si vita suppeditet, Principatum D. Nervæ et Imperium Trajani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui: rara temporum felicitate, ubi sentire,
9 quæ velis, et, quæ sentias, dicere licet. Opus adgredior opimum casibus, atrox prœliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace sævum. Quatuor Principes ferro interempti.

pro *averteret*. ubi v. Heins. et Burm. Itaque credo cum eodem Drakenb. et Oudend. ad Suet. Tib. 27. esse meram corruptelam librariorum, omnibusque in locis esse rescribendum *aversari*. Ceterum quod opponitur, *pronis auribus accipere* bene convenit verbo *aversari* non *adversari*. Itaque *averseris* correxi. Ern. Ita et Pichena, Freinsh. Brot. Lall. Contra Bip. adsentiunt Gesnero, estque constans apud nostrum dicendi forma, *adversari* pro *adverso animo accipere*, ut A. 1, 28. H. 1, 38. 3, 25. 4, 84. Sed et Plauto familiaris. Vide Gesn. thes. et Parei lex. Plaut.

Vespasiano inchoatam] Quomodo? quiane Procurator sub illo Belgicæ? E Plinio 7, 17. id suspicere: sed suspicere tantum. imo verius id ceperis de hujus patre. Intelligo ergo dignitatem ejus inchoatam a Vespasiano, quod ab eo Quæstor Senatorque factus. Lips. V. Ryckius. Ern. Hic apud Plin. commode nostrum intelligi posse docet, qui a. 805 aut etiam ante forsan natus. Sub Vespasiano XXvir factum Broterius statuit; sub Tito Tribunum mil. ac Quæstorem.

Tito auctam] Ædilitate aut Tribunatu. Lips.

Domitiano longius provectam] Quo Principe et Quindecim-vir et Prætor fuisse, ipse testatur A. 11, 11. Lips.

Professis] Cod. Agr. *professo*.

Nec amore q. et sine odio d.] Debebat esse *nec amore q. nec odio;* sed Tacitus post *nec* etiam *et* ponit, ut jam ad Ann. notavimus, et voluit variare orationem, quæ sane ab hac variatione durior facta est. In posteriori membro intellige *quisque*. Ern. Mur. et Acid. volebant *nec cum amore*.

D. Nervæ] Cœpit ergo scribere eo mortuo et sacrato. Lips.

Uberiorem securioremque] Alter comparativus non erat in Bud. excidit etiam e Guelf. sed ut appareat. habent enim *uberioremque*. Hunc frustra tentat Acidalius *liberiorem*. notio libertatis est in *securior*. Ern.

Plenum variis casibus] Parum firma aut germana lectio. Nam Vatic. ille opt. *opus aggredior opibus casibus*, præfert: et supra adnotatum, *opimum*. Et in Romano antiquitus excuso, item legas *opimum casibus*. Censeam fuisse, *opulens casibus*. quæ vox paullo a vulgo seductior exscriptores seduxit. Lips. MS. Flor. *opibus casibus*. Guelf. *plenum variis casibus*, ut edd. vett. inde a Puteolano: sed in marg. *gravioribus opibus*. (Bud. *plenum gravioribus casibus*.) At *opimum casibus* MS. Agr. ed. pr. quod recepit Pichena. J. Fr. Gron. conjiciebat *obsitum* vel *uberrimum:* filius *copiosum:* Crusius in Probabilibus *inopinum*. Patet, locum antiquitus corruptum fuisse, et tentatas correctiones: ex quibus sane *opimum* optima, nec redolens librariorum inscitiam. Eleganter enim (ut Liv. 3, 7. *ager opimus copiis.*) pro copioso, dicitur. Sed tamen correctionem esse puto, non veram Taciti manum. Viri docti nimis adhæserunt notioni ubertatis et varietatis. At sequentia operis hujus attributa consideranti, præsertim ultimum, *ipsa etiam pace sævum*, apparebit, hic desiderari deterioris significationis adjectivum, qualia sunt sequentia omnia. An fuit *horridum? Casus horridos* etiam Senec. H. F. 657. vel *horribile*, ut Cicero dixit pro Sext. 24. *horribilis et gravis casus*. Melius nihil dum excogitare potui. Ern. Quum recepta lectio nitatur auctoritate Vatic. cod. et ed. Rom. nolim rejectam. Bip. recepere *inopinum*. Jac. Gron. volebat *copiosum*.

Ipsa etiam etc.] Vulgo *in ipsa*. Sed præpos. abest a Bud. Ast Agr. habet.

Quatuor Principes] Ne erres cum

Trina bella civilia, plura externa ac plerumque permixta. Prosperæ in Oriente, adversæ in Occidente res. Turbatum Illyricum: Galliæ nutantes: perdomita Britannia et statim missa; coortæ in nos Sarmatarum ac Suevorum gentes: nobilitatus cladibus mutuis Dacus. Mota etiam prope

A. U. 822.
A. C. 69.

vulgo, neu Pisonem inter istos censeas. Intellegit enim Galbam, Othonem, Vitellium, Domitianum. Nam et ad hujus exitum Historiam perduxit. Piso autem, dumtaxat Cæsar, non Princeps. LIPS.

Tria bella civilia] Quæ? Othonis in Vitellium, hujus in Flavium, et L. Antonii in Domitianum, de quo Sueton. et Dio. LIPS. *Trina* MSS. Flor. Bud. Guelf. ed. pr. *Terna* Agr. *Plerumque permixta* est eodem fere tempore gesta, ut domi et foris turbaretur Respublica. ERN. *Trina* recte restituere Bip. Placet.

Perdomita Britannia et statim missa] In vitio aperto et confusione locus. Quid enim illud, *missa cohorte?* Itane unius cohortis res fuerit, in Sarmatas ac Suevos bellum? Nugæ. Denique, quis hic sermonis contextus aut cohæsio, missa cohorte in Suevos, Dacum cladibus involutum? qui populi sane diversi. Omnino recte correximus pridem: *perdomita Britannia et statim amissa. coortæ Sarmatarum ac Suevorum gentes. nobilitatus clad. mutuis Dacus:* nec exiguo ad historiam momento. Discimus scilicet, perdomitam Britanniam (quod Domitiani imperio accidit: eamque laudem Agricolæ socero suo noster tribuit in ejus vita c. 10. *Britanniæ situm non in comparationem curæ ingeniique referam, sed quia tum primum perdomita est*) et mox ignavia aut dissidio Principum in parte amissam: sive magis placet, *omissam.* Quod in Domitiani ultimis rebus verum censeo, externo imperio non allaborantis. Etiam Spartianus auctor c. 5. sub principia Imperii Hadriani, *teneri Britanniam sub Romana ditione non potuisse.* Addit c. 11. amplius, penetrasse eundem Principem in Britanniam, nec tamen totam recuperasse, sed *per octoginta quinque millia passuum murum duxisse, qui Barbaros Romanosque divideret.* Cujus muri mentio etiam Dioni 72, 8. in vita Commodi; Τῶν, inquit, ἐν τῇ νήσῳ ἐθνῶν (de Britannia loquitur) ὑπερβεβηκότων τὸ τεῖχος τὸ διορίζον αὐτούς τε καὶ τὰ τῶν Ῥωμαίων στρατόπεδα. Alius ab isto murus, sive vallum potius, quod Severus Imp. duxit per millia passuum XXXV. ut Eutropius ait 8, 19. sive XXXII. ut Victor epit. 20. De quo vallo diffuse et diserte Beda 1, 5. Aliquid etiam Windichindus Saxon. ab initio. At fons totius hujus corruptionis (varie enim interpolatus locus) a verbo *coortæ* ortus: quod plerumque libri scripti in medio adspirant *cohortæ, cohoriri.* Hinc turbellæ. LIPS. Eleganter hunc locum a Lipsio correctum fatentur omnes, nisi quod Savilius, Mercerus, Ryckius, J. Gronovius *missa* servari volunt: quia non *amissa* est Britannia, sed tantum neglecta: quod ipse sensit Lipsius; unde etiam *omissa* legi posse dixit, ut A. 6, 36. *Armenia omissa.* Sed *missa* idem est. quare Pichena, qui primus Lipsii correctionem recepit, hoc debebat ponere, quod omnes libri scr. et edd. habent. atque ita nos cum Ryckio et J. Gronovio fecimus. ERN.

Coortæ i. n. Sarmatarum ac Suevorum] De Sarmatis, etiam apud alios leges: de Suevis, vix puto. Cattos saltem nominant, in Domitiani quidem rebus. Sed tu scito, hos Suevos, non illos esse, qui in ipsa Germania, et qui vulgo noti: sed qui trans Istrum, assiti Sarmatis. Illi, inquam, ipsi, quibus Vannius a Druso Rex datus, quique inter Marisum et Cusum fluvios locati. Itaque militia plerumque sociati cum illis. A. 12, 29. *Ipsi Vannio manus propria pedites, eques e Sarmatis Jazygibus erat.* Etiam nunc bello hoc in Domitianum. Dionis fragmenta præclare (et absque iis hærebamus:) 67, 5. Ἐν τῇ Μυσίᾳ Λύγιοι Σουήβοις τισὶ πολεμηθέντες, πρέσβεις ἔπεμψαν, αἰτοῦντες συμμαχίαν παρὰ Δομιτιανοῦ, καὶ ἔλαβον... Ἀγανακτήσαντες δ' ἐπὶ τούτῳ οἱ Σούηβοι προσπαρέλαβον Ἰάζυγας καὶ προσπαρεσκευάζοντο, ὡς καὶ μετ' αὐτῶν τὸν Ἴστρον παραβησόμενοι. LIPS. *Coortæ in nos* MS. Flor. quod recte receptum Ryckio et J. Gron. qui inde natum putat *in roxolanos*, quod est in MS. Guelf. sine *in* in edd. Puteol. Beroald. Alc. Rhenanus delevit. Ed. pr. (et cod. Bud.) *in Sarm.* ERN.

Cladibus mutuis Dacus] Epitomarii de hoc bello Dacico multa: et poeta Statius Silv. 1, 1, 27. *Das Cattis Dacisque fidem.* Iterum: *Hæc est quæ victis parcentia fœdera Cattis, Quæque suum Dacis donat clementia montem.* Cur montem diserte nominat? sicut in eadem

A. U. 822. A. C. 69. Parthorum arma, falsi Neronis ludibrio. Jam vero Italia novis cladibus, vel post longam sæculorum seriem repetitis, adflicta. Haustæ aut obrutæ urbes, fecundissima Campaniæ ora. Urbs incendiis vastata, consumptis antiquissimis delubris, ipso Capitolio civium manibus incenso: pollutæ cærimoniæ: magna adulteria: plenum exsiliis mare: infecti cædibus scopuli. Atrocius in urbe sævitum. Nobilitas, opes, omissi gestique honores pro crimine, et ob virtu-

ista re Silv. 1, 1, 80. *Tu civile nefas, tu tardum in fœdera montem Longo Marte domas.* Quiane montana Dacia, et tales ibi munitiones? Apparet e Fragm. Dionis, in rebus Trajani 68, 9. Ὁ δὲ Τραιανὸς ὄρη τε ἐντετειχισμένα ἔλαβε, καὶ ἐν αὐτοῖς τά τε ὅπλα, καὶ μηχανήματα, καὶ τὰ αἰχμαλωτά. Suspicari etiam possis, in re occultius aliquid designari; ἑνικῶς enim et unum montem dumtaxat appellitat. Aspectum igitur a poeta ad ridendam et miri stuporis superstitionem Dacorum; quibus Sacerdos in monte quopiam Deus habebatur, et mons ipse sacer. Strabo 7. p. 298. Παρὰ δὲ τοῖς Γέταις ὁ ἱερεὺς ὠνομάζετο Θεὸς, καὶ τὸ ὄρος ὑπελήφθη ἱερὸν, καὶ προσαγορεύουσιν οὕτως. At enim de Getis hoc Strabo ita. sed tu disce, Getarum populum Dacos esse, ex Dione 51, 22. et Strabone ipso statim. Etiam Appianus in Præf. §. 4. notat, *Getas ultra Danubium a Romanis Dacos appellari.* Addo etiam Cappadocibus montem pro Deo fuisse. Tyrius Maximus Diss. 38. Ὄρος Καππαδόκαις καὶ Θεὸς καὶ ὅρκος καὶ ἄγαλμα. Lips. Adde eundem Statium Theb. 1, 20. *et conjurato dejectos vertice Dacos.* *Mutuæ clades* sunt acceptæ et illatæ. Sed v. Burm. ad Virg. G. 2, 497. Ern. Getas a Dacis Strabo distinguit l. 7. p. 304. At nomine tenus diversos esse, refert Plin. 4, 12. (25.)

Falsi Neronis ludibrio] Dat et accipit lucem Suetonius in extremo Nerone: *Denique cum post XX. annos, adolescente me, exstitisset quidam conditionis incertæ, qui se Neronem esse diceret: tam favorabile nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus et vix redditus sit.* Post viginti annos, inquit, a morte Neronis. ergo in XIV. Consulatu Domitiani hic motus. Lips. Vide infra 2, 8. Sed bene huc J. Gronovius advocavit Lactant. Mort. Pers. c. 2. ubi luculentissime res narratur. Ern.

Post longam s. s. repetitis] Jam antiquissimo ævo sæviisse Vesuvium, vel viæ Herculanei et Pompeiorum docent, pumicosis scoriis stratæ, Cf. Winckelmann in Sendschr. von den Herculan. Entdeckungen. Hamilton, account of the discoveries at Pompeii.

Haustæ aut obrutæ urbes. Fecundissima] Verius distinxeris, *Haustæ aut obr. urbes fecundissima Campaniæ ora: et urbs inc. vastata.* Id enim significat, in Campania haustas aut obrutas urbes prodigiosa illa ejectione Vesuvii montis, quæ sub Tito. Qua duo oppida cum pagis multis obruta, Herculaneum et Pompeii, quin ille ipse Naturæ magnus mystes Plinius periit eodem casu. Statius de hac re eleganter Silv. 4, 4, 81. *Mira fides! credetne virum ventura propago, Cum segetes iterum, cum jam hæc deserta virebunt, Infra urbes populosque premi?* Tangit et Plutarchus de his, qui sero a Num. pun. c. 42. in iis, quæ Thespesio revelata, ubi Βέσβιον ὄρος appellat: quod male interpres *Lesbium montem* vertit. At, quod in Tacito de incendiis urbis est, intellege de capitolio exusto sub Vitellio (3, 71.) et de igne triduano, qui sub Tito. Dionem vide 65, 17. 66, 24. Lips. *Et urbs* scr. et edd. Deleverat copulam Pichena. Ern. Recte. Sic et Bipont.

Pollutæ cærimoniæ] Vestalium nempe incestis, quæ protraxit Domitianus pariter et puniit. Præter historicos Papinius allusit, qui prospectantem Domitianum facit Silv. 1, 1, 35. —*an tacita vigilet face Troicus ignis, Atque exploratas jam laudet Vesta ministras.* Lips.

Infecti cædibus scopuli] i. e. insulæ, in quibus exsules clausi, quæ erant fere desertæ et scopulosæ: ad eas missi subinde, qui exsules trucidarent, ut in Annalibus jam vidimus. Mare quoque ante de insulis, inprimis maris Ægæi, capiendum. Ern.

Atrocius in urbe sævitum] Recte. Imago enim sævitiæ cædiumque multa in insulis et provinciis, major in ipsa urbe. Egregius tamen et acutus quidam juvenis mavult *in urbe servitium.* Lips.

tes certissimum exitium. Nec minus præmia delatorum in- A. U.
visa, quam scelera; cum alii Sacerdotia et Consulatus, ut 822.
spolia, adepti, Procurationes alii et interiorem potentiam, A. C. 69.
agerent, verterent cuncta odio et terrore. Conrupti in do-
minos servi, in patronos liberti; et, quibus deerat inimicus,
per amicos oppressi. Non tamen adeo virtutum sterile sæ-
culum, ut non et bona exempla prodiderit. Comitatæ pro- 3
fugos liberos matres: secutæ maritos in exsilia conjuges:
propinqui audentes: constantes generi: contumax, etiam
adversus tormenta, servorum fides: supremæ clarorum vi-
rorum necessitates; ipsa necessitas fortiter tolerata; et lau-
datis antiquorum mortibus pares exitus. Præter multipli-
ces rerum humanarum casus, cælo terraque prodigia et ful-
minum monitus et futurorum præsagia, læta, tristia, ambi-
gua, manifesta. Nec enim unquam atrocioribus Populi
Rom. cladibus, magisve justis indiciis adprobatum est, non
esse curæ Deis securitatem nostram, esse ultionem. Cete- 4

Et interiorem pot.] Video interpretes recentiores in hoc hæsisse et male vertisse. *Interior potentia* est major, nec id debebat ignotum aut dubium esse. Sic Ann. 15, 2. *vires intimæ.* Adde nos in Clave Cic. in v. *intimus.* ERN. Bud. *inferiorem.*

Agerent, ferrent cuncta] Lectionem Flor. cod. *Agerent, verterent cuncta odio et terrore. Corrupti* etc. secutus est Pichena. At vulgatam et lectionem et distinctionem multo meliorem esse docuimus Observ. 3, 22. GRON. Nempe ibi docet, usitatam esse (apud Livium et alios) phrasin *agere ferre,* et *odio* ac *terrore* sic explicat, ut Lipsius. At lectionem Flor. quæ est etiam in Guelf. Agr. edd. ante Rhenanum omnibus, defendit et recepit rursus Ryckius, late et acerbe contra disputante J. Gronovio. Lectio, quæ est in textu, ab Rhenano inducta, utcunque explicari potest. In *agerent ferrent* facile assentior Gronovio: sed interpungi debet post *terrore.* Nam *odium* et *terror* non bene conveniunt verbo *corrupti,* quocum in tali re conjunguntur aut intelliguntur verba vim alliciendi habentia. An omnes tantum odio et terrore corrupti, nemo spe, præmiis etc. etiam liberti in patronos? ERN. Florentino consentit etiam Bud. Eam priscam lectionem cum Bern. Freinsh. Bip. reposui, interpunctione adhibita, quæ et Mureto et Acidalio placuit. Rhenanus temere ex ingenio textum mutarat. Temere quoque Ryckio succenset Gronovius.

Odio et terrore] Odio proprio, terrore a Domitiano. Nam ille vulgo usus delationibus et opera servorum. Plinius Paneg. hoc tangens c. 42. *Non enim jam servi Principis nostri amici, sed nos sumus; nec pater patriæ alienis se mancipiis cariorem, quam civibus suis, credit. Omnes accusatore domestico liberasti: unoque salutis publicæ signo, illud, ut sic dicam, servile bellum sustulisti.* LIPS. Sic et Gron. l. c. sed v. not. præced. ERN.

Supremæ cl. v. necessitates] Hic prædicatum desidero, unde virtus eluceat. Nam *necessitas suprema* nec virtus est, nec bonum exemplum. An fuit: *supremæ clar. vir. necessitates fortiter toleratæ.* Certe non satisfacit Lipsius in Dispunct. ERN. Hiller. Rac. 15. intelligit mortem non meritam, insigni constantia exspectatam, quæ statim dicitur fortiter tolerata, quale exemplum in Seneca 15, 61.

Justis indiciis] Cum Ryckio et J. Gronovio dedi *indiciis,* quod ex ed. prima jam indicavit Gruterus, estque in MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. Puteol. Beroald. In ed. Rhen. irrepsit, haud dubie operarum vitio, *judiciis,* quod per negligentiam sequentium editorum ad omnes propagatum est: cum possent etiam sine libris vitium odorari. ERN. Cod. Bud. et ed. Rom. *magis vetustis indiciis.* Cf. et Arntzen. ad Plin. paneg. c. 5.

Non esse curæ Deis] Impium, impium, tuum dictum, Tacite: etsi non imprudens. Nam humano ingenio si rem libras: cum tot clades, tot tristia, tam rara in bonos præmia, quid nisi ad-

A. C. 822. A. C. 69.

rum, antequam destinata componam, repetendum videtur, qualis status urbis, quæ mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid ægrum fuerit; ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam caussæque noscantur. Finis Neronis ut lætus, primo gaudentium inpetu, fuerat, ita varios motus animorum, non modo in urbe, apud Patres, aut populum, aut urbanum militem, sed omnes legiones Ducesque conciverat: evulgato Imperii arcano, posse Principem alibi, quam Romæ fieri. Sed Patres læti, usurpata statim libertate, licentius, ut erga Principem novum

vigilare Deos tantum censeas in pœnas? Atqui nos scimus aliter: nec rem metimur ex iis modo quæ sunt, sed quæ futura. Qui vindicem tantum Deum statuit, tollit ex Deo quod est Dei, imo quod Deus: vim beneficam, salutarem et adjuvantem. Itaque homo sile: et tecum alter ille tenebrio (Lucanus) qui 4, 807. clamat: *Felix Roma quidem, civesque habitura superbos* (*beatos*); *Si libertatis superis tam cura placeret, Quam vindicta placet.* A quo, fallor, aut tu sumpsisti. Lips. Contra impietatis criminationem tuentur Tacitum Bip. item Hiller. Rac. 13.

Qui plerumque fortuiti sunt] Ulcus hic, nisi fallor, etsi tectum. Si enim casus eventusque rerum fortuiti, quomodo remittis me ad caussas? aut cur ubique tam multus tu, tam serius in iis explicandis? Censeo immissa negatione scribendum, *qui plerumque haud fortuiti sunt:* ad rem et ad verum certe, si non ad Taciti mentem. Lips. *Fortuitum* interpretatur Savilius, cujus nullæ sunt, aut ignotæ caussæ, atque inde Tacitum reprehendit, ut imprudenter locutum. Cui reprehensioni subscribit Freinshemius in Versiones 2, 31. quomodo enim, ait, fortuitorum caussæ tradi possunt? aut quomodo, quorum caussæ possunt tradi, pro fortuitis possunt haberi? Mihi vero, *qui plerumque fortuiti sunt*, est, in quibus plurimum fortuna potest, qui ex fortuna pendent, et sæpe contra exspectationem eveniunt; adeo ut ex illis solis cognitis ad consilium capiendum nihilo sis instructior; ut non sint magistri et auctores rerum gerendarum. Ex quibus nihil discas nisi fortuitum; nisi fortunæ donum, nisi quid egerit, cum de partibus decerneret transigeretque fortuna; hoc est, huic ex sententia rem, illi asperam fœdamque provenisse: sed ea fortuna comes virtutem ducem habuerit an destituerit; unde exstiterit, continuetur, mutet ac sese circumagat; secundum meliores, an deteriores, et quare, dederit; tibi quod ab alio capias exemplum, quod sequare aut fugias, nequaquam ex hoc opere, et sæpe joco ac ludibrio fortunæ, ex his postprincipiis, sed ex exordio, filoque et serie ac decursu rerum, temporum, consiliorum, quæ ad ista viam munierunt, abunde colliges. Nero apud Suet. 23. *Omnia se facienda fecisse, sed eventum in manu esse Fortunæ; illos, ut sapientes et doctos viros fortuita debere excludere.* Cf. et Gellius 14, 1. Gron. Nil mutandum, etiam Pichena sensit.

Ratio etiam etc.] Cf. Sempr. Asellio ap. Gell. 5, 18.

Aut populum aut urbanum militem] Sic e Flor. restituit Pichena, cum Rhenanus (e Bud.) bis fecisset *apud* ex *aut.* Consentiunt Florentino Guelf. edd. ante Rhen. Ceterum illa frequentatio τοῦ *apud* non inepta, immo elegans foret et arrideret, si modo libris firmaretur. Sic c. 10. *apud subjectos, apud proximos, apud collegas.* Ern. Firmatur, uti dictum, Budensi, sed parum interest.

Principem alibi quam Romæ] Olim enim ita judicabant, *rem mali exempli esse, Imperatores legi ab exercitibus, et solenne auspicatorum comitiorum in castra et provincias, procul ab legibus Magistratibusque, ad militarem temeritatem transferri*, ut præclare Livius 26, 2. Sed nunc alia tempora erant, alii mores. Gron. Ego etiam huc traxerim: Cæsares hanc opinionem fovisse et aluisse, ut Romæ tantum, sic ut sedes esset Imperii, ita caput ejus fieri posset; cum crederent, facilius posse Romæ impediri, ne quis contra se Imperator crearetur. Id igitur fuit in arcanis Imperii, h. e. in artibus ejus servandi ac tuendi, ut ad annales explicavimus. Ern.

et absentem; primores Equitum proximi gaudio Patrum; A. U.
pars populi integra, et magnis domibus annexa, clientes li- 822.
bertique damnatorum et exulum, in spem erecti: plebs sor- A. C.
dida et circo ac theatris sueta, simul deterrimi servorum, 69.
aut qui, adesis bonis, per dedecus Neronis alebantur, mæsti et rumorum avidi. Miles urbanus, longo Cæsarum sacra- 5
mento inbutus, et ad destituendum Neronem arte magis et inpulsu, quam suo ingenio, traductus, postquam neque dari donativum, sub nomine Galbæ promissum, neque magnis meritis ac præmiis eundem in pace, quem in bello, locum, præventamque gratiam intelligit apud Principem, a legionibus factum; pronus ad novas res, scelere insuper Nymphidii Sabini Præfecti, Imperium sibi molientis, agitatur. Et Nymphidius quidem in ipso conatu oppressus: sed, quamvis capite defectionis ablato, manebat plerisque militum conscientia; nec deerant sermones, *senium atque avaritiam Galbæ* increpantium. Laudata olim et militari fama celebrata severitas ejus angebat adspernantes veterem disciplinam, atque ita XIIII. annis a Nerone adsuefactos, ut haud minus vitia Principum amarent, quam olim virtutes verebantur. Accessit Galbæ vox, pro Republica honesta, ipsi anceps, *legi a se militem, non emi*. Nec enim ad hanc 6

Pars populi integra, et magnis] Attende, et mecum rescribes: *pars p. integra, et magnis domibus annexi clientes libertique damnatorum*. Integram partem populi appellat, sinceram et lascivia temporum non corruptam. LIPS. Probant Pichena, qui recepit in textum, et Acidalius, sed ita, ut post *libertique* inseratur *quique* vel *quodque*. Neutro opus. Vulgatum est in omnibus scr. (Bud. quoque) et edd. vett. recteque restitutum a Freinshemio (et Ryckio). *Pars populi integra* est honestior et incorrupta: opponitur enim sordidæ plebi: ea annexa magnis domibus, vel per cognationem, et adfinitatem, vel per clientelam. Clientes et liberti damnatorum et exulum eriguntur in spem patronorum et dominorum recipiendorum. ERN.

Qui in bello] Placet fere, quod in scripto filius meus Jacobus Oxonii notavit: *eundem in pace, quem in bello, locum*. GRON. Sic et Flor. Guelf. (Bud. et Reg. Lall.) ed. pr. unde restitui. Sæpe in hac constructione obliqua accusativi in nominativos mutati. ERN.

Imperium sibi molientis agitatur] Malim *agitatus*. non enim cum maxime fiebat illud, sed jam ante adventum Galbæ factum erat. GRON. Mox *sed* est a Rhenano bene inductum, etsi omnes scripti et ante eum editi habent *et*. ERN. Sic et Bud. Rhenanus recte vidit, ob finalem vocis præcedentis initialem sequentis excidisse.

Manebat pl. m. conscientia] Acidalius vult *constantia*. Speciosa, sed non necessaria conjectura. Conscientia male facti acerrimus stimulus ad odium et res novas moliendas. Eaque sententia crebra est apud omnes historicos. Sic c. 8. exercitus Germ. metu incitantur. ERN.

Angebat aspernantes] Miror, tamdiu toleratum esse in Tacito ineptum verbum *coaspernantes*, quod tamen et in Guelf. (et Bud.) est: cum in ed. pr. plane sit *aspernantes*, quod etiam e Flor. et Agr. codd. protulit Ryckius. (Est et in Reg. Lall.). Mox male pro *verebantur* Ryckius e suo cod. *venerabantur*: quæ est glossa illius. Male etiam alii (Pich. Acid.) tentant *reverebantur*. Nam eodem sensu *vereri* dicitur. Ed. pr. (et Bud.) mox etiam habet *militem*, non *principem*, ut alii scr. et edd. vett. idque bene restituit Rhenanus. ERN. Qui *Principem* posuit, credebat de Pisone sermonem esse. Bud. *verebantur*. Hanc vocem Petronio c. 52. hoc sensu reddere parat Heins. pro *reverebantur* scil. ut ap. Liv. 39, 37.

A. U. 822. A. C. 69. formam cetera erant. Invalidum senem T. Vinius et Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignavissimus, odio flagitiorum oneratum, contemptu inertiæ destruebant. Tardum Galbæ iter et cruentum, interfectis Cingonio Varrone, Consule designato, et Petronio Turpiliano, Consulari: ille, ut Nymphidii socius, hic, ut dux Neronis, inauditi atque indefensi, tamquam innocentes, perierant. Introitus in urbem, trucidatis tot millibus inermium militum, infaustus omine, atque ipsis etiam, qui occiderant, formidolosus. Inducta legione Hispana, remanente ea, quam e classe Nero conscripserat, plena urbs exercitu insolito: multi adhoc nu-

Odio flagitiorum onerabant] Sive, ut libri scripti (in his Bud.) *oneratum*. Vox quidem ea retinenda est, male a Beato expulsa. Lips. Sic et Annal. 2, 3. Gron. *Oneratum* etiam MSS. Flor. Guelf. edd. vett. ante Rhen. restituit in textum Pichena. Sensus est: odium flagitiorum alterius in Galbam translatum, et inertiam alterius in contemtum adduxisse Galbam, atque inde perniciem ejus natam. Ceterum *ignavissimus* cape de Lacone. V. Sueton. Galb. 14. Ern. Acid. pugnat pro vulgari *onerabant*.

Cingonio Varrone] Ita scribamus jubet Vaticanus, qui non aliter nominat et Plutarchus, cui c. 14. est Κιγγώνιος Βάῤῥων. Sed in Taciti vulgatis etiam libris ita perscriptum A. 14, 45. *Censuerat Cingonius Varro Consul designatus.* Est autem hic ipse. Lips. Antiqua edd. lectio *Ciconio*, ut habet etiam MS. (Bud. et) Guelf. Ern. In loco cit. ex Ann. 14. dele *Consul designatus*.

Petronio Turpiliano] Qui Consul fuit a. u. 814. Plutarchum sperno, sive librarium, in quo c. 15. Τερτουλλιανὸς dicitur. Lips.

Dux Neronis] Non potest placere illud *Dux Neronis*. Putem, *hic, ut fidus Neronis*. Neque aliter Plutarchus c. 17. habuisse videtur, quod reddidit: ὅτι μὴ προεδίδου, οὐδὲ ἐμίσει τὸν ἡγεμόνα τοιοῦτον ὄντα, μισούμενος, ἄλλο δὲ μηδὲ ἓν μέγα ἀδικήσας ἀπέθανεν. Gron. Nil mutandum. Cf. c. 71. item 2, 12, 19, 33, 36.

Tamquam innocentes perierant] Nihil melius vulgato: et mens ejus: haud scio, an nihil peccarint; certe, ut solent, qui nihil peccarunt, a tyrannis occidi, nempe inauditi et indefensi. Gron. Scilicet Muretus volebat *tamquam nocentes*. Acidalius *quamquam innocentes*. Ego alterutrum probem. Nam ratio Gronoviana est nimis arguta. Sed *quamquam* prætulerim. illud *tanquam* jam est in *ut*. Ern. *Tanquam* bene se habet. Cf. Plin. ep. 4, 11. de Cornelia virgine Vestali.

Tot millibus] Classicos intelligit, de quibus c. 37.

Quam e classe Nero] Jam olim legiones *Classicæ*, si nummis fides, in quibus video: ANT. AUG. III. VIR. R. P. C. et parte altera: LEG. XVII. CLASSICÆ. Lips. Bud. *Nero ex classe*.

Multi ad hoc et innumeri] Vitium quivis viderit et sermonis ineptias, imo sordes. Quid enim illud est, *multi et innumeri?* Adstricto nostro scriptori satis erat, credo, alterum. Ferrettus emendabat, *milites ad hoc innumeri*. Ego verissime ex Farnesiani vestigiis *multi ad hoc numeri*. *Ad hoc*, Sallustianum est: et valet, etiam, præterea. At *numeros* hic capio cohortes, manus, vexilla: Crebrum id verbi sub ævum Taciti, eo sensu. Plinius epist. 10, 38. de tironibus: *nondum distributi in numeros erant*. Ulpianus l. 1. D. de his, qui notantur infamia. *exercitum non unam cohortem neque alam dicimus, sed numeros multos militum*. Idem l. un. D. de bon. poss. ex test. mil. *siquis militum ex alio numero translatus sit in alium*. Suet. Vespas. c. 6. *et tunc quidem compressa res est, revocatis ad officium numeris, parumper*. Claudianus in Epithal. Pallad. 86. *Regnorum tractat numeros, cuneosque recenset*. Nec cohortes solum in hoc nomen, sed paullatim venere etiam ipsæ legiones. Accredo hoc Sozomeno scribenti l. 8. Τὰ Ῥωμαίων τάγματα, ἃ νῦν ἀριθμοὺς καλοῦσιν. Ac Capitolinum ita accipio in Macrino c. 5. *Timuit autem et collegam, ne ipse imperare cuperet, quod si vel unius numeri consensus accederet, neque ipse recusaret, et omnes cupidissime id facerent*, quin noster ipse

meri e Germania ac Britannia et Illyrico, quos idem Nero, A. U.
electos præmissosque ad claustra Caspiarum, et bellum, quod 822.
in Albanos parabat, opprimendis Vindicis cœptis revocave- A. C.
rat: ingens novis rebus materia, ut non in unum aliquem 69.
prono favore, ita audenti parata. Forte congruerat, ut 7
Clodii Macri et Fonteii Capitonis cædes nuntiarentur. Macrum, in Africa haud dubie turbantem, Trebonius Garucianus, Procurator, jussu Galbæ; Capitonem in Germania, cum similia cœptaret, Cornelius Aquinus et Fabius Valens, Legati legionum, interfecerant, antequam juberentur. Fuere qui crederent, Capitonem, ut avaritia et libidine fœdum ac maculosum, ita cogitatione rerum novarum abstinuisse; sed a Legatis, bellum suadentibus, postquam inpellere nequiverint, crimen ac dolum compositum ultro: et Galbam mobilitate ingenii, an, ne altius scrutaretur, quoquo modo acta, quia mutari non poterant, comprobasse. Ceterum utraque cædes sinistre accepta: et inviso semel Principe, seu bene, seu male facta premunt. Jam adfere-

Tacitus hac voce iterum usus, in Agricola 18. *Quamquam transacta æstas, sparsi per provinciam numeri.* Hæc quidem proba et certa. sed illex ista libido correctorum, ignara quiescere etiam in certis. Itaque rescribit quidam, *multi ad hoc innumeri.* id est, inquit, qui in numeros legionesque nondum relati. Acumen! quod fateor superfuisse illi juveni, magis quam judicium: nisi quod ætas tamen id correxisset et direxisset. At tantum abest, ut de tironibus aut collectitio milite hic Tacitus: ut contra veteranos intellegat et electos sub vexillis. Itaque magis distincte paullo post *Illyrici exercitus electos* nominat *et Germanica vexilla.* Omitto, quod notionem eam vocis nobis ingerit, sine exemplo. Lips. Firmat correctionem Lipsii Flor. ed. pr. Ceteræ edd. ante Rhen. *ad hæc innumeri.* Inde a Rhenano (e Bud.) *ad hoc et innum.* Guelf. *adhoc innumeri.* Ern. Quod de Ferretto adfertur, non ita se habet. Is non ex ingenio, sed ex aliis variantem lectionem promit.

Clodii Macri] Mentio ejus in numo Galbæ ap. Patinum ad Suet. Galbam c. 11.

Fonteius Capito] Consul hujus anni cum C. Julio Rufo. Sic Cassiod. et Fasti Græci. Mox Bud. *nuntiaretur.* Paullo ante Acid. malebat *parato.*

Haud dubie turbantem] Vocem ejeci, quæ aberat recte ab optimo libro. et passim ita *turbandi* verbo usi prisci. Lips. Nempe *res:* quæ vox in Guelf. (Bud.) edd. vett. at non in ed. pr. codd. Flor. Agr. Ern.

Crimen ac dolum comp.] Bud. *crimen ad dolum comp.*

Et inviso semel Principe etc.] Ego hic non hæsissem. At hæsit Gruterus, qui volebat *ut;* hæsere alii, qui vellent accusativos, quos etiam Scotus edidit. Verum non raro Tacito ad sententiam talem transitus fit per copulam, quo modo nos etiam in vernacula utimur. Deinde in *facta premunt* intellige modo *eum.* In Flor. (et Bud.) est *principi,* ut referatur ad *facta.* Sed ceteri libri omnes vulgatum habent. Ern. Similis ablativi constructio A. 4, 19. Male in cod. Agr. est *premuntur,* quod Ryckius præferebat.

Jam afferebant v. c.] Hoc quoque temere tentatur, primo a Pichena et Freinshemio, qui interpungi volunt post *cuncta:* et ita sententiam corrumpunt. De aliis, qui nocerent Galbæ, dixerat. Venit tandem ad avaritiam libertorum et servorum. Non bene etiam e suo cod. (Agr.) Ryckius dedit *offerebant,* quod cui non in mentem sponte veniat. Loquitur de iis, data opera, tamquam de mercatoribus, qui merces venales adferunt. Ern. Pichena voluerat *jam afferebantur v. c.* Freinsh. *Iram afferebant v. c.* Acidalius τὸ *afferebant* delebat. Quod Lallemand ex Pich. et Freinsh. adfert *offendebant,* apud istos non reperio.

A. U. bant venalia cuncta præpotentes liberti: servorum manus
822. subitis avidæ, et, tamquam apud senem, festinantes: ea-
A. C. demque novæ aulæ mala, æque gravia, non æque excusata.
69. Ipsa ætas Galbæ inrisui ac fastidio erat adsuetis juventæ Ne-
ronis, et Imperatores forma ac decore corporis, ut est mos
8 vulgi, comparantibus. Et hic quidem Romæ, tamquam in
tanta multitudine, habitus animorum fuit. E provinciis,
Hispaniæ præerat Cluvius Rufus, vir facundus et pacis ar-
tibus, bellis inexpertus. Galliæ, super memoriam Vindicis,
obligatæ recenti dono Romanæ civitatis, et in posterum
tributi levamento. Proximæ tamen Germanicis exercitibus
Galliarum civitates, non eodem honore habitæ, quædam
etiam finibus ademptis, pari dolore commoda aliena ac suas
injurias metiebantur. Germanici exercitus, quod periculo-
sissimum in tantis viribus, solliciti et irati, superbia recentis

Servorum manus subitis avidæ] Ad ea auferenda, quæ subito fortunæ munere obvenerant, ut recte Pichena. Venuste exprimuntur mores hominum famelicorum, quibus ex insperato magna se ingurgitandi facultas data est. Ern.

Eademque novæ aulæ] Sententia (nam alios involvere video) eadem mala novæ aulæ Galbianæ fuisse, quæ veteris, id est Neronianæ: sed non æque excusata. Quid ita? quia Nero ortu et natalibus Princeps, quia juvenis, quia in plebem etiam gratiosus. Itaque plusculum ei licere volebant et ignoscebant. Non sic in Galba, qui electus: qui senex, ideoque prudens esse debebat: qui denique parcus, tristis, et per omnino paucis gratus. Lips. Mox dedi *irrisui ac fastidio* e Flor. et ed. pr. Ceteri *et ir. et fast.* Melius foret *irrisu*. Ern. Bud. *et ir. ac fast.*

Tamquam in tanta mult.] *Tamquam* abest a MS. Oxon. Ern.

Hispaniæ præerat] Nempe citeriori s. Tarraconensi. V. infra 4, 39. Ern.

Cluvius Rufus] De hoc v. Plin. ep. 9, 19.

Et pacis artibus bellis inexpertus] *Pacis artibus* ferri potest, si cum Rhenano intelligas *expertus*, quod latet in verbo *inexpertus*: cujus generis et alia exempla in Tacito. Quamquam ne hoc quidem necessarium est, cum Tacitus sæpe tali ablativo, absolute posito, utatur, ut intelligatur, instructus, abundans. Sed Faernus (et Ursinus) addi volebant *clarus*, quod est in MS. Agr. Heinsius ep. ad Græv. t. 4. Coll. Burm. *pacis par artibus* p. 498. quod valde probat Grævius p. 505. Mox *bellis* MSS. Flor. Guelf. edd. ante Rhen. qui male (e Bud.) substituit *belli* (sc. *artibus*). Vetus restituit Ryckius. *Bellis inexpertus* est, qui nullas res bello gessit, quibus scientia militaris cognosceretur. Ern. Contra *belli inexpertus*, qui bellum nunquam vidit.

Recenti dono Romanæ civitatis] Quomodo recenti? et nonne jampridem Galli isti comati id adepti a Claudio? clarum id e Tacito A. 11, 23. Sed expedio. Olim quidem jus civium adepti, non tamen promiscue, sed proceres tantum. Caute ibi et circumspecte Tacitus: *primores Galliæ*, inquit, *quæ Comata appellatur*. idque mihi notes. Sed nunc ecce a Galba diffusum id jus in Gallos omnes, qui pro Vindice stetissent. Plutarchus apertissime c. 18. Ἐκ δὲ τούτου καὶ τὰ μετρίως πραττόμενα διαβολὴν εἶχεν, ὡς τὰ πρὸς τοὺς Γαλατὰς Οὐΐνδικι συναραμένους. Ἐδόκουν γὰρ οὐ φιλανθρωπίᾳ τοῦ αὐτοκράτορος, ἀλλ' ὠνούμενοι παρ' Οὐιννίου τυγχάνειν ἀνέσεώς τε δασμῶν, καὶ πολιτείας. Lips.

Tributi levamento] Quarta parte tributi. c. 51.

Germanis exerc.] Edd. ante Rhen. omnes male *Romanis*. Mox *finibus ademtis*, int. parte agrorum. Mox rursus dedi *Germani exercitus* quod et MSS. quidam et edd. veteres habent, pro *Germanici*, ut similitudo esset. Ern. Bud. *Germanis exercitibus.... Germanici exercitus*. Similitudo ut sit, posteriorem formam utroque loco sequor. Sic et Bip. Agr. quoque *Germanicis*.

Finibus ademtis] Cf. c. 53.

Solliciti et irati] Haud temere mutem. aptior tamen membrorum connexus et responsio, si legas, *soliciti et elati*. Metu nempe soliciti, victoria elati. Lips.

victoriæ, et metu, tamquam alias partes fovissent. Tarde A. U.
a Nerone desciverant; nec statim pro Galba Verginius: an 822.
imperare voluisset, dubium; delatum ei a milite Imperium, A. C.
conveniebat. Fonteium Capitonem occisum, etiam qui 69.
queri non poterant, tamen indignabantur. Dux deerat,
abducto Verginio, per simulationem amicitiæ: quem non
remitti, atque etiam reum esse, tamquam suum crimen
accipiebant. Superior exercitus Legatum, Hordeonium 9
Flaccum, spernebat, senecta ac debilitate pedum invalidum,
sine constantia, sine auctoritate: ne quieto quidem milite,
regimen; adeo furentes infirmitate retinentis ultro ac-
cendebantur. Inferioris Germaniæ legiones diutius sine
Consulari fuere; donec, missu Galbæ, A. Vitellius aderat,
Censoris Vitellii ac ter Consulis filius: id satis videba-
tur. In Britannico exercitu nihil irarum. Non sane
aliæ legiones, per omnes civilium bellorum motus, inno-
centius egerunt: seu, quia procul et Oceano divisæ; seu
crebris expeditionibus doctæ hostem potius odisse. Quies
et Illyrico: quamquam excitæ a Nerone legiones, dum in
Italia cunctantur, Verginium legationibus adissent. Sed
longis spatiis discreti exercitus, quod saluberrimum est ad
continendam militarem fidem, nec vitiis, nec viribus misce-
bantur. Oriens adhuc inmotus. Syriam et quatuor legio- 10
nes obtinebat Licinius Mucianus, vir secundis adversis-
que juxta famosus. Insignes amicitias juvenis ambitiose
coluerat: mox, adtritis opibus, lubrico statu, suspecta

Frustra. Vid. Suet. Galb. 16. *fremebat superioris Germ. exercitus.* Mox, *in Britannico exercitu nihil irarum.* Post Muretus et Acidalius malebant, *etiamsi queri non poterant.* Non male, ut opinor. Est enim de eodem exercitu sermo. Ern.

Verginius] Cogn. Rufus, de quo Plin. ep. 2, 1. 6, 10.

Ne quieto q. m. regimen] MS. Guelf. *regenti*, in quo an melior lectio lateat, alii videant. Vulgatam fero, in ea interpunctione, quam feci. Mox delevi *etiam*, post *ultro*: quod suspectum fuit ab initio, cum primum hunc locum legerem. Post, abesse vidi a MS. Flor. Oxon. nunc etiam Guelf. ed. pr. Puteol. (Abest et a Bud.) Primus *etiam* addidit Beroaldus, nescio unde. Item mox e Flor. cum Ryckio et J. Gron. edidi *A. Vitellius*, ut est etiam in ed. pr. Ern. Bud. *Vitellius.* Agr. *A. Vit.*

Adeo furentes etc.] *Adeo* h. l. insolentius dicitur pro *multo magis*, sicut alibi dixit noster pro *multo minus*, infra 3, 64. *ne prosperis quidem par: adeo ruentibus debilitatus.* Sed et pro *multo magis* est A. 3, 34. 6, 15. ubi junctum negationi est pro *nedum:* sed tamen per se est *multo magis: ne tecta quidem urbis; adeo publicum consilium nunquam adiit.* Ern.

Missu Galbæ] Bud. *jussu Galbæ.* Sed *missu* et alibi. Cf. Ind.

Id satis videbatur] Dictum videtur, quasi milites, titulos et imagines tantum Vitellii spectarint, et paternæ ei virtutes processerint pro suis. Alias non male fortasse, *fatis:* ut missionem hanc Vitellii cælesti consilio adsignet, quæ ad Imperium scilicet via. Lips. Vulgatum verissimum. Ceterum possis etiam referre ad Galbam: ei satis visum ad dignitatem hominis, quod patrem talem habuisset. Sed malo cum Lipsio ad milites referre. Ern. Grut. ad Galbam.

Nec vitiis, nec viribus miscebantur] h. e. nec vitia sua inter se, velut per contagionem, communicare, nec se conjungere et vires suas mutuo augere poterant. Ern.

Mox attritis opibus] Etiamne mone-

A. U. etiam Claudii iracundia, in secretum Asiæ repositus, tam
822. prope ab exsule fuit, quam postea a Principe. Luxuria,
A. C. industria, comitate, adrogantia, malis bonisque artibus mix-
69. tus. nimiæ voluptates, cum vacaret; quoties expedierat, magnæ virtutes: palam laudes; secreta male audiebant. Sed apud subjectos, apud proximos, apud conlegas, variis inlecebris potens; et cui expeditius fuerit tradere Imperium, quam obtinere. Bellum Judaicum Flavius Vespasianus, Ducem eum Nero delegerat, tribus legionibus administrabat. Nec Vespasiano adversus Galbam votum aut animus. Quippe Titum, filium, ad venerationem cultumque ejus miserat, ut suo loco memorabimus. Occulta lege fati et ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque
11 ejus Imperium, post fortunam credidimus. Ægyptum co-

bo? Grammaticum et leve est. tamen in fido illo Vatic. scriptum, *atteritis*. Et sane crebro ita veteres. ut Tibullus in eodem hoc verbo 1, 4, 42. *Aut operi insuetas atteruisse manus*. Ut *accedisse* pro accessisse, *consistisse* pro constitisse, in Pandectis: et *hauritum* pro haustum in Apuleio (Met. 2. p. 121. Elm.) Et notavi plura talia, quæ vix promam, quin rideant, aut irrideant magistelli nostri. Quid tamen hic rideant? ecce et a Florentino jam codice scripturam hanc stabilitam. Lips. Recepit Pichena, non Lipsius, ut Ryckius videtur putasse: idque ambitiose contra Ryckium defendit Jac. Gronovius, non abstinens (tanta res agebatur!) contumelia, *serum studiorum* vocando etc. nec improbare videtur Oudend. ad Suet. Aug. 40. At MS. Guelf. (Agr. Bud.) ed. pr. et ceteræ, usque ad Pichenam, omnes *attritis:* quas secutus sum, nihil timens iras tales, sed nec istas sordes invidens cuiquam. Multa talia sunt in MSS. optimis, ab antiquariis librariis invecta: sicut in MS. Guelf. semper est *quoi*, *quoius* et alia: quæ etiam interdum viri docti edidere. Quæ si statim in textum inferentur: quid fiet tandem? in Apuleio feram tale quid, non in Tacito. Ern. Apul. Met. 11. p. 260. in codd. *atteruerant*. Cf. et Voss. de Analog. 3, 30. In nostro ubivis scribitur *attritus*. V. A. 15, 16. H. 3, 50.

In secretum Asiæ] In Lyciam, ut opinor, specie Legationis. Colligo e Plinii 12, 1 (5). *Licinius Mucianus ter Consul, et nuper provinciæ ejus* (Lyciæ) *Legatus*. Lips. Pro *repositus*, quod est in libris omnibus, Acidalius malebat *sepositus*, quod est sane verbum ordinarium in hac re. Ern.

Quoties expedierat] *Expedire* hic significat in expeditionem, sive ad bellum proficisci, ut infra c. 88. (et 15, 15.) ut jam alii notarunt. Ern.

Palam laudares, secreta male audiebant] Cod. Bud. habebat, *palam laures secreta male audiebat*. Græcismus, *secreta male audiebat*, non displicebat nec Rhenano, nec Ryckio, qui et ipse in suo MS. habebat *audiebat*. E *laures* possis etiam colligere *palam laudes*, substantive: quod non dubitari potest, quin sit melius vulgato. Sed etiam Rhen. tentabat: *palam laudari* nostrum, ut puto melius. Sed tamen vulgatum etiam ferri potest, quod in omnibus libris reperi; et illius corruptelæ, *laures* e *laudares*, jam supra simillimum exemplum e Flor. vidimus. Mox *fuerit* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. Ceteri *fuerat* usque ad Pichenam. Ern. Rhen. conjiciebat *secreto male audiebat*. et sic cod. Agr. nec ita male. Prius *laudes* reposui cum Bip. scil. *ei tribuebantur*. Τὸ *fuerit* vel *fuerat* expunctum volebat Grut.

Suo loco memorabimus] Male antea, *memoravimus*. Nam hæc quidem narrat infra 2, 1. Lips. *Memorabimus* et MS. (Bud.) Guelf. ed. pr. Puteol. Beroald. Alc. *Memoravimus* Rhenanus tacite edidit: ut nescias, an consulto. Ern. Videtur vitium esse typographi.

Ostentis] Cf. infra 2, 78.

Post fort. credidimus] i. e. postquam cognovimus fortunam Vespasiani, postquam Imperator factus est. *Credidimus* est credere cœpimus. Ita perfectum dicitur; alioqui esse deberet *credimus*. Ern.

Ægyptum, jam inde a D. Augusto] Supra A. 2, 59. *Nam Augustus, inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi*

piasque, quibus coerceretur, jam inde a D. Augusto, Equites Romani obtinent loco Regum. Ita visum expedire, provinciam aditu difficilem, annonæ fecundam, superstitione ac lascivia discordem ac mobilem, insciam legum, ignaram Magistratuum, domi retinere. Regebat tum Tiberius Alexander, ejusdem nationis. Africa ac legiones in ea, interfecto Clodio Macro, contentæ qualicunque Principe, post experimentum domini minoris. Duæ Maureta- A. U. 822. A. C. 69.

permissu, ingredi Senatoribus aut Equitibus illustribus Romanis, seposuit Ægyptum. Arrianus id consilii exemplique ab Alexandro Magno esse censet. qui (ut lib. 3. notat) *in plures præfectos Ægyptum distribuit* etc. Cautio ab Alexandro esse potuit: non tamen imitatio. quia ille in plures, isti uni permiserunt; sed infirmo. Lips. MS. Guelf. *Ægyptumque copiasque.* Mox videtur esse debere *coercetur*, vel *coerceatur.* Ferri quidem potest *coerceretur* propter verba, *jam inde ab Augusto:* Sed *coercetur* melius et verius est. Sic paullo post: *Thracia, et quæ aliæ Procuratoribus cohibentur* etc. *Loco Regum* est, iique tantum dignitatis habent, ut nihil prope, nisi nomen Regium, desit. Ern. Bud. *etiam inde ab Aug.*

Ignaram Magistratuum domi retinere] *Domi* licet referre ad *Magistr.* Nec leges suas, nec Magistratus suos ac domesticos habebat. Quamquam Dio 51, 17. solis Alexandrinis Senatum ademtum dicit: quem iis restituit Severus, auctore Spartiano in Sev. 17. Sed et *domi retinere* potest accipi pro, per Procuratores administrare, per Cæsaris Magistratus. Ern.

Tiberius Alexander] Ego hunc illum puto, qui in castris et gratia Corbulonis 15, 28. Qui et Judææ Procurator, apud Josephum 20, 5. Pater ejus, item Tiber. Alexander, qui Alabarches Alexandriæ, et frater Philonis Judæi, cujus nunc scripta habemus. Lips. Dicitur *ejusdem nationis*, quia in Ægypto natus erat ex familia, Judaica illa quidem, sed quæ Alexandriæ sedes fortunarum haberet, ceterum dudum civitate Romana donata, et Equestrem gradum adepta. Ern. Cf. et H. 2, 74. 79. Alciatus putat, eum esse, de quo Juven. 1, 30. sed saltem filius istius fuit.

Africa, ac legiones in ea] Plures igitur legiones tunc in Africa? Vix opinor. Adi, si lubet, quæ scripsi A. 4, 5. Una sane ordinaria legio in Africa, neque aliter infra numerat, aut nominat, hoc ipso anno H. 4, 48. *Legio in Africa, auxiliaque tutandis Imperii finibus.* Juvare aliquid hanc lectionem videatur locus H. 2, 97. *In Africa legio cohortesque dilectæ a Clodio Macro, mox a Galba dimissæ.* quasi novam legionem illi veteri adjunxerit Macer, atque ita sub initio Galbæ fuerint duæ. Vane: quia cohortes dumtaxat delectas a Macro intellegit, non legionem ipsam. Igitur inclino, ut hic rescribam, *Africa ac legio in ea.* Lips. Libri omnes constanter *legiones.* Ac forte legiones hic pro copiis dicuntur, unaque legione: ut *liberi* pro uno filio aut filia, *parentes* pro patre, uti supra vidimus *triumphales avos* de uno 14, 1. Libri porro plures habent *Africam*, quasi ad *regebat* referretur, ut Agr. Guelf. ed. pr. Denique libri meliores Flor. (Bud.) Guelf. Agr. ed. pr. *contenta*, ut ad *Africam* referatur. Quæ res suspicionem aliquam movere potest, verba *ac legiones in ea* esse insititia, nata ab eo, qui hunc locum superioribus similem reddere voluerit. Ern. *Contenta* restitui cum Bip.

Post exper. domini minoris] Quis est *dominus minor?* Macer? de hoc accepit Savilius. Ejus crudelitatem sane erant experti. Sed an is dominus? Solus Imperator proprie dominus. Aut non intelligo satis, aut legendum est *domini prioris* (ut in c. Agr.). Dominus prior, Nero, talis cognitus fuerat, ut facile Africa ferret qualemcunque alium. Si tamen vera est lectio *dominus minor*, erit intelligendus Præses provinciæ simpliciter, ut opponatur *domino majori*, Cæsari. Ern. De Macro capiunt etiam Brot. Lall. Bip. Ejus tyrannidem testatur Plut. cap. 6.

Duæ Mauretaniæ] Tingitana et Cæsareensis. Hanc divisionem Plinius acceptam fert Cæsari Caligulæ 5, 1. *Principio terrarum*, inquit, *Mauretaniæ appellantur usque ad C. Cæsarem Germanici F. regna: sævitia ejus in duas divisa provincias.* At Dio, palam adversus, Claudio attribuit 60, 9. Πραχθέντων δὲ τούτων ὁ Κλαύδιος διχῆ τοὺς Μαύρους τοὺς ὑπηκόους ἔνειμεν, ἔς τε τὰ περὶ

A. U. 822. A. C. 69. niæ, Rhætia, Noricum, Thracia, et quæ aliæ Procuratoribus cohibentur, ut cuique exercitui vicinæ, ita in favorem aut odium contactu valentiorum agebantur. Inermes provinciæ, atque ipsa in primis Italia, cuicumque servitio exposita, in pretium belli cessuræ erant. Hic fuit rerum Romanarum status, cum Ser. Galba iterum, Titus Vinius, Consules, inchoavere annum, sibi ultimum, Reip. prope supremum.

12 Paucis post Kal. Januarias diebus Pompeii Propinqui, Procuratoris, e Belgica litteræ adferuntur: *superioris Germaniæ legiones, rupta sacramenti reverentia, Imperatorem alium flagitare, et Senatui ac Pop. Rom. arbitrium eligendi permittere*; quo seditio mollius acciperetur. Maturavit ea res consilium Galbæ, jam pridem de adoptione secum et cum proximis agitantis. Non sane crebrior tota civitate sermo per illos menses fuerat: primum licentia ac libidine talia loquendi, dein fessa jam ætate Galbæ. Paucis judicium aut Reip. amor: multi occulta spe, prout quis amicus vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant,

Τίγγιν, καὶ ἐς τὰ περὶ Καισάρειαν, ἀφ' ὧνπερ καὶ ὀνομάζονται, καὶ δύο ἄρχουσιν ἱππεῦσι προσέταξε. Lips.

Procuratoribus] De his Procuratoribus Cæss. v. Guther. de off. dom. Aug. 3, 34.

Cuicumque servitio exposita] Sic dedi e Flor. Agr. Guelf. Pertinet hoc ad solam Italiam: reliquum est commune. igitur *cessuræ* verum, ut Guelf. et edd. omnes, non *cessura*, ut Flor. (Bud.) Agr. habent. Ern. Bud. *exposita*. Vulgo male *expositæ*.

Inchoavere annum sibi ultimum] Eleganter dictum. Solicitant tamen. et nonne, inquiunt, idem est ultimum ac supremum? Fateor. geminanda tamen vox fuit ob sententiam disparem. Non enim certe Reip. ultimus annus. Alioqui dicere percommode potuisset, *sibi et Reip. supremum.* Non ergo audio adolescentem eruditum, qui per litteras me monuit videri legendum, *Reip. prope primum;* qui tantum non vetus, inquit, Resp. et libertas incepere a Galba. Logi alogi. Lips.

Rupta sacramenti reverentia] Ita mei libri, et sententia exigit. Rhenanus, dum Budensis codicis corruptam scripturam [*licentia*] ut *τεμένων ἱερὰ* observat, nodum in scirpo quærit. Lips. Ita rem cape. Bud. habet, *rupta sacramenti licentia.* Inde Rhen. conjiciebat *rupti sacr. lic.* sed in textu servat vulgatum.

Fessa jam ætate Galbæ] Sic libri scr. et edd. nisi quod Bud. habuit *defessa an. æ. G.* unde Rhenanus conjiciebat *defessa animis ætate Galbæ.* Frustra. nec enim hic post *primum*, deesse potest *dein*, e more Taciti. Melius Marklandus ad Stat. Silv. 3, 3. *fesso jam ætate Galba.* nam *fessi annis, senectute* sæpe dicuntur, ut ibi demonstrat et Lexica docent. Virg. Æn. 2, 596. *ætate fessus.* Sed et *ætas fessa*, et quidem exquisitius dicitur sæpe a nostro, Ann. 1, 46. etc. Ern. Rhenanus lectionem Bud. interpretatur ita: *sermonem fuisse de fessa annis* (non *animis*, ut male hic legitur) *ætate Galbæ*, putabatque id *primum* non requirere sequens *dein.* Hæc sic placebant Vertranio. Interim Rhen. vulgatum expressit.

Multi occulta spe] Libri mei scripti, *stulta spe*, uti et in Covarruviæ. Placet tamen magis vulgata. Lips. *Stulta* etiam ed. pr. quod non ferunt sequentia. Sed Flor. et ed. pr. *militis* unde Pichena conjiciebat *multis occulta spes*, ut est in cod. Agr. J. Gronovius *multis occulta spei.* Lector eligat. Ego vulgatam veram puto. Ern. Et hæc emendanda. Cod. Agr. habet: *multis stulta spes*; hinc Heins. quoque et Ryck. conjectabant *multis occulta spes.* Bud. *stulta spe*, nec præcedit *multis*, tolerabili sensu, sed potior vulgata lectio.

Ambitionis rumoribus] Verum non negaveris, *ambitiosis.* Lips. *Ambitionis* scr. (in his et Bud.) et edd. omnes ante Lipsium, præter MS. Agr. Et tamen

etiam in T. Vinii odium, qui in dies quanto potentior, eo- A. U.
dem actu invisior erat. Quippe hiantes, in magna fortuna, 823.
amicorum cupiditates ipsa Galbæ facilitas intendebat: cum A. C.
apud infirmum et credulum minore metu et majore præmio 70.
peccaretur. Potentia Principatus divisa in T. Vinium, Con- 13
sulem, et Cornelium Laconem, Prætorii Præfectum. Nec minor gratia Icelo, Galbæ liberto, quem anulis donatum, Equestri nomine *Martianum* vocitabant. Hi discordes, et rebus minoribus sibi quisque tendentes, circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur. Vinius pro M. Othone: Laco atque Icelus consensu non tam unum aliquem fovebant, quam alium. Neque erat Galbæ ignota Othonis ac T. Vinii amicitia; et rumoribus nihil

ambitiosis verum est, recteque receptum. Ern. Bip. præferunt *ambitionis* subaudito *ergo*. Mihi dura nimis videtur ellipsis. Bene habet recepta legendi forma.

In T. Vinii odium diverterant] Parum cohærens lectio aut sententia. A priscis libris abest vox *diverterant*. Et tollam sane ego arbiter, legamque: *hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant, etiam in T. Vinii odium, qui in dies*, etc. Multi, inquit, successorem destinabant ex sua spe, quidam ex odio Vinii. Non dissimile illud Taciti de Pisone c. 34. *Juvenis recenti favore et infensus T. Vinio: seu quia erat, seu quia irati ita volebant.* Quod si retinendum tamen id verbi sit, mutem et diducam. *Etiam in T. Vinii odium diversi ierant.* Lips. Delevit Pichena auctoritate Flor. Abest etiam a Guelf. edd. omnibus ante Rhenanum, præter pr. in qua est quoque *et jam*, quod rursus cum *diverterant* induxit Rhenanus. Ern. Bud. *et jam—deverterat.*

Eodem actu invisior] Quid est illud, *actu invisum esse?* Ineptiæ, et sermo parum non dicam lautus, sed Latinus. Scribebam sublata ea voce, *eadem invisior erat.* genus sermonis notum vel ex uno Plauto. Placuit Jac. Lectii eruditi viri conjectura, *eodem auctu.* nunc mea ista, *eo dein fastu invisior.* Lips. Lectii sententiam probat Freinsh. (item Acid. Heinsius). Pichena: *eo cunctis inv.* Possis etiam *eodem* (tempore) *factis invisior*, quod sequentibus non male convenit: item alia: sed frustra, sine libris, qui hic nihil variant. Ern.

Icelo Galbæ liberto] Nequissimi hujus servuli nomen varie scriptum. Alibi *Hycellus*, alibi *Icellus.* (Bud. *Ycelo.*) Vaticanus semper *Icelus:* quem sequor. Plutarchum in ea voce emaculo, in Galba c. 7. Καὶ ἧκεν ἀπὸ Ῥώμης Ἰκελὸς ἀπελεύθερος ἑβδομαῖος. Vulgo, Σικελὸς scriptum: et verterunt homines docti, *Siculus quidam.* At Icelum hunc festinatum nuntium fuisse, doceat eos Suetonius Galb. 22. Lips.

Quem anulis donatum] De hoc eodem Suet. 14. *Icelus paullo ante annulis aureis donatus, et Martiani cognomine ornatus, et jam summæ Equestris gradus candidatus.* Viri docti interpretantur summam Equestris gradus, Præfecturam Prætorii: haud improbe. Tamen ego magis intellegam de Procuratione: quæ propria Equestris ordinis dignitas. An libertum promotum iri censeam ad Prætorii Præfecturam, idque sub Galba? numquam. Lips. De anulis v. Plin. 33, 2. et Paulus l. 5. de jur. aur. anul.

Martianum] Recte sic, quippe derivatum a Marte. V. Cannegieter de mutata Rom. nom. sub Princ. ratione. c. 13.

Rebus minor.] Muretus et Acid. supplent *in.* Sufficit subaudiri.

Vinius] Bud. ubivis *Junius.* Sic et c. 32. sq.

Pro M. Othone] Prænomen addunt MSS. Flor. (Bud. Agr.) Guelf. edd. vett. omnes, Casu in recentioribus post Lipsium excidit. restituit J. Gron. Ern.

Ex rumoribus etc.] Hunc locum aliquid vitii habere, satis convenit. medela non eadem adhibetur. Libri nil variant: nisi, quod MS. Fl. ed. prim. *et rum.* Bud. *et ex.* Jac. Gronovius hinc periodum sic concinnat: *et rumoribus—unica Vinio filia vidua* etc. Sed et *unica filia vidua* non satis placet, et tamen vel sic aliquid non satis culti superest in verbis *filia Vinio—cælebs, Otho, socer ac gener dest.* Nam nominativus patris potius, quam filiæ deside-

A. U. 823. A. C. 70. silentio transmittentium, (quia Vinio vidua filia, cælebs Otho) gener ac socer destinabantur. Credo et Reip. curam subisse, frustra a Nerone translatæ, si apud Othonem relinqueretur. Namque Otho pueritiam incuriose, adolescentiam petulanter egerat; gratus Neroni æmulatione luxus. eoque jam Poppæam Sabinam, principale scortum, ut apud conscium libidinum, deposuerat, donec Octaviam uxorem amoliretur: mox suspectum in eadem Poppæa in provinciam Lusitaniam, specie legationis, seposuit. Otho, comiter administrata provincia, primus in partes trans-

ratur. Itaque sic corrigam: *quibus* vel *quis Vinius, vidua filia*, (i. e. cujus filia erat vidua) *cælebs Otho, gener ac socer destinabantur.* Ceterum non repugnem, si *et* pro *etiam* vel præferatur, vel addatur. Infra c. 22. similis huic locus: *conjectura et rumore senium Galbæ et juventam Othonis computantium.* Ern. Cum Bip. præfero Flor. *et rum.* caussa, quæ adfertur, uncis inclusa. Lectio Bud. *et ex.* eundem sensum præbet.

Namque Otho] Cf. A. 13, 45.

Eoque jam P. S.] Τὸ *jam* suspectum Acidalio fuit. Merito. An fuit *tum?* Ern. *Jam* Bip. reddunt *primum.* Heins. volebat *clam.* Cf. Suet. Oth. 3. Plut. Galb. 19. ubi paullo aliter.

Octaviam uxorem amoliretur] Iisdem in hanc rem verbis usus est A. 14, 59. et sic mei libri. Covarruviæ tamen codex et Budensis, *Octavia uxor amoveretur.* Quod rectum æque. Lips. *Amoliretur* Flor. Guelf. edd. omnes. Sed in Guelf. est et *Octavia*, ut Colerus volebat, παθητικῶς accepto *amoliretur.* Budensis MS. lectionem rec. Rhen. cum seqq. usque ad Lips. Ern.

In Provinciam Lusitaniam] Totidem verbis Suet. Oth. 3. *Sepositus est per caussam legationis in Lusitaniam.* Sed operæ est videre divisionem Hispaniæ et Præfecturas, quoniam sæpe hic intercurrit. Divisa ea ab Augusto in duas provincias, citeriorem et ulteriorem. Citerior Tarraconensis etiam dicta: cui Galba præfuit, cui nunc Cluvius Rufus. Ulterior divisa in duas provincias, Bæticam et Lusitaniam. Bætica populi fuit, et in eam missus Proconsul. Noster 4, 13. *Vibius Serenus ulterioris Hispaniæ Proconsul.* non quia tota Hispania ulterior (caute legas) Proconsulem habuerit, sed quia ejus pars melior Bætica. Itaque confundebant scribendo sive loquendo. Plinius 3, 1. (2.) *Prima Hispania terrarum est, ulterior appellata, eadem Bætica.* Non tamen etiam regendo. Nam duæ Cæsaris fuerunt, sola Bætica populi. Strabo distincte, l. 3. p. 166. Νυνὶ δὲ τῶν ἐπαρχιῶν, τῶν μὲν ἀποδειχθεισῶν τῷ δήμῳ τε καὶ τῇ συγκλήτῳ, τῶν δὲ τῷ ἡγεμόνι τῶν Ῥωμαίων, ἡ μὲν Βαιτικὴ πρόσκειται τῷ δήμῳ, καὶ πέμπεται στρατηγὸς ἐπὶ αὐτὴν, ἔχων ταμίαν τε καὶ πρεσβευτήν... Ἡ δὲ λοιπὴ, Καίσαρός ἐστι. Πέμπονται δ' ἀπ' αὐτοῦ δύο πρεσβευταὶ, στρατηγικός τε καὶ ὑπατικός. Addit deinde, Prætorium Lusitaniæ præfuisse cum unico Legato: Consularem reliquæ cum tribus Legatis tribusque legionibus. Consentit et Dio 53, 12. qui diserte *Bæticam populo adsignat, Lusitaniam et Tarraconensem Cæsari.* Quid igitur Appiano in mentem venit scribere, de bello Hispaniensi, extremo? *Ab eo tempore* (quo Cantabri ab Augusto victi) *Romani Iberiam, quæ hodie Hispania dicitur, in tres partes dividere cœpisse mihi videntur, in quarum duas annuos magistratus Senatus mittit, in tertiam vero Præsidem Imperator.* Quæ a falso numquam excusem, nisi quid mutavit ejus ævo. Strabo etiam in fine operis duas Hispanias recensere inter eas, quæ Populi sunt, videtur. sed videtur: eaque res interpretem decepit, qui etiam τὴν ἐκτὸς Ἰβηρίαν, id est *ulteriorem* sive *exteriorem* Hispaniam, turpiter *interiorem* convertit. Vellem monuisse eruditissimum Casaubonum, cujus ad Strabonem probas sane notas jam nunc vidi. Lips. De provinciis Hispan. late egit Cennius in Antiq. Eccles. Hispan. vol. 1. Disc. 1. c. 1. sqq. Mox pro vulgato *seposuit* præcedentia requirunt *seposuerat*, ut ante est *deposuerat:* quod recipere non dubitavi, propter necessariam evidentiam. post Acidalius bene copulam *et* transponit: *nec segnis, donec bellum fuit, et inter pr. spl.* Ern. In verbo *seposuit* mutando fallitur vir optimus. Distinguenda omnino sunt tempora. Nec aliter codices. Mox Bud. *in diem.*

gressus, nec segnis, et, donec bellum fuit, inter præsentes splendidissimus, spem adoptionis, statim conceptam, acrius in dies rapiebat: faventibus plerisque militum, prona in eum aula Neronis, ut similem. A. U. 823. A. C. 70.

14 Sed Galba, post nuntios Germanicæ seditionis, quamquam nihil adhuc de Vitellio certum, anxius quonam exercituum vis erumperet, ne urbano quidem militi confisus, quod remedium unicum rebatur, comitia Imperii transigit: adhibitoque, super Vinium ac Laconem, Mario Celso, Consule designato, ac Ducennio Gemino, Præfecto urbis, pauca præfatus *de sua senectute, Pisonem Licinianum arcessi* jubet; seu propria electione, sive, ut quidam crediderunt, Lacone instante, cui apud Rubellium Plautum exercita cum Pisone amicitia: sed callide, ut ignotum, fovebat: et prospera de Pisone fama consilio ejus fidem addiderat. Piso, M. Crasso et Scribonia genitus, nobilis utrimque, vultu habituque moris antiqui, et æstimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur. ea pars morum ejus, quo suspectior sollicitis, adoptanti placebat.

15 Igitur Galba, adprehensa Pisonis manu, in hunc modum locutus fertur: *Si te privatus lege curiata apud Pontifices, ut moris est, adoptarem, et mihi egregium erat*

Ducennio Gemino] Ille est, de quo 15, 18. legis: *Exin Nero tres Consulares, L. Pisonem, Ducennium Geminum, Pompeium Paullinum vectigalibus præposuit.* Lips. De Mario Celso v. 15, 25.

Accersiri jubet, seu propria dilectione, sive ut quidam tradiderunt] Lege, *arcessi*. Gron. Recte. Sic et correxerat vir doctus in ed. Gryph. et convenit hodie satis *accersere* esse vocem nihili, debitam inscitiæ librariorum, qui eam millies verbo *arcessere* substituerunt. Itaque, ut aliis locis permultis factum est a viris doctis, movi loco vocem ineptam, etsi omnes libri et scr. et edd. in ea consentiunt. V. quos laudat Drakenb. ad Liv. 2, 19. qui et aliis locis ad Livium de eo verbo egit. et nos infra ad c. 31. *Crediderunt* e Flor. recepit Freinshemius. (Sic et Bud.) Ceteri libri *tradiderunt*. Ern. Lips. Pich. alii *dilectione*. Flor. Bud. ed. Puteol. *electione*.

Piso M. Crasso et Scribonia genitus] Puto illo M. Crasso Frugi, qui Consul fuit cum C. Lecanio Basso a. 816. sub Nerone. qui ipse e Calpurniis Frugi, in Liciniam gentem adoptione transiit, ut ex cognomine apparet: sicut hic noster iterum e Liciniis ad Calpurnios ivit. Quod autem de Scribonia addit: ex eo vides perperam in Plutarchi Galba c. 23. legi, Κράσσου καὶ Κριτίωνος ἔγγονος: et ex nostro corrigendum. Lips. De correctione Plutarchi frustra obloquitur Lipsio Ryckius, quod Plutarchus utrosque a Nerone sublatos dicat, cum Seneca in Apocol. a Claudio sublatos tradat. In nomine Imperatoris dissentire scriptores non mirum, quum in majoribus dissentiant. Et Senecæ hic haud dubie major fides. Idem Ryckius mavult intelligere Crassum, qui a. 780. cum Pisone Consul fuit, fratrem autem Pisonis putat, quem Lipsius patrem credebat. Verum puto: et sic jam Rupertus ad Reines. p. 679. Ern. et p. 429.

Et Scribonia] Sic Rhen. e Bud. prius legebatur *ex*.

Æstimatione recta] Recte sic accepta scriptura vetus *extimatione*, quam MS. (Bud.) Guelf. ed. pr. habent. ut et c. 16. Vid. ad 13, 17. Mox pro *quo* ed. pr. *quæ*, ut cod. Agr. Recepit Ryckius. Mihi vulgatum Taciti stilo convenientius: quo magis aliis suspecta erat, hoc magis Principi placebat. Ern. Bud. *quo* recte.

Egregium erat tunc] Guelf. *esset*. To *tunc* vitiosum esse, nemo ambigat. MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Agr. (et Reg. Lall.) ed. pr. *nunc*, quod nihilo melius, etsi placet J. Gronovio. Freinsh. correxit *Cnæi Pomp*. quod mihi quoque placet. Ern. Bene Freinsh. sensit id *nunc* vel

A. U. 823. A. C. 70. *Cn. Pompeii et M. Crassi subolem in Penates meos adsciscere, et tibi insigne, Sulpiciæ ac Lutatiæ decora nobilitati tuæ adjecisse. Nunc me, Deorum hominumque consensu ad Imperium vocatum, præclara indoles tua et amor patriæ inpulit, ut Principatum, de quo majores nostri armis certabant, bello adeptus, quiescenti offeram, exemplo D. Augusti, qui sororis filium, Marcellum, dein generum, Agrippam, mox nepotes suos, postremo Tiberium Neronem, privignum, in proximo sibi fastigio conlocavit. Sed Augustus in domo successorem quæsivit; ego, in Republica. non, quia propinquos aut socios belli non habeam; sed neque ipse Imperium ambitione accepi: et judicii mei documentum sint non meæ tantum necessitudines, quas tibi postposui, sed et tuæ. Est tibi frater pari nobilitate, natu major, dignus hac fortuna, nisi tu potior esses. Ea ætas tua, quæ cupiditates adolescentiæ jam effugerit; ea vita, in qua nihil præteritum excusandum habeas. Fortunam adhuc tantum adversam tulisti; secundæ res acrioribus stimulis animos explorant, quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua humani animi bona, tu quidem*

tunc ortum ex voce *Cnæi* vel *Cnei.* hoc prænomen vel eo est necessarium, quod et *Crasso* suum tribuitur. Secus J. Gron.

Sulpiciæ ac Lutatiæ] Intelligi volunt (cum Boxhornio) *nobilitatis*, e sequentibus. At in *decoribus* est nobilitas. Omnino excidit *gentis* post *insigne:* ubi facilis hic lapsus erat. Ern. Freinsh. et Heins. volebant *Sulpicia et Lutatia.*

In domo succ.] Mihi non dubium est, Tacitum scripsisse *in domo sua*, et *sua* absorptum esse per primam verbi sequentis syllabam. Nam ita consuetudo loquendi fert, et concinnius opponuntur *domus sua* et *Respublica.* Ern.

Socios belli] Qui me belligerantem consilio, factis adjuverunt, ut quondam Agrippa Augustum. Deinde elegantior Latinitas postulabat *non, quin pr. a. s. belli habeam*, aut *quo — non habeam.* Ne nostrum quidem quisquam hodie audeat dicere, *non quia non habeam:* certe non ego, at iterum sic c. 29. Ern.

Et judicii mei documentum] Sententiam ante involutam, filo et fide Vaticani codicis apte evolvi. Hoc dicit. Neque ego ambitione aut malis artibus Imperium quæsivi: et, quod te judicio successorem eligam, signum posthabiti non solum mei amici, sed et tui. Lips. *Et* MSS. Flor. edd. primæ. *Ut sit* Rhen. seqq. usque ad Lips. Ern. Bud. *ut sit.* Rhen. tamen malit *ut sint.* Idem e Bud. *sed tuæ*, omisso *et.* male. Sic et Puteol.

Est tibi frater] De quo infra 4, 39, *Ferebatur Antonius Scribonianum Crassum, egregiis majoribus et fraterna imagine fulgentem, ad capessendam Remp. hortatus.* Lips. V. et mox c. 47.

Nihil præteritum] Heinsius ap. Ryckium malebat *præteriti.* Rectius totum verbum abesset, præsertim apud scriptorem brevitatis nomine laudatum. Cicero certe et Livius omisissent: de Tacito affirmare nihil possum, ut jam alibi dixi, Libri quidem omnes *præteritum* habent. Ern.

Secundæ res acrioribus stimulis] Xenophon pariter Cyrop. 8, 4. *Δοκεῖ δέ μοι, ὦ Κῦρε, χαλεπώτερον εἶναι, εὑρεῖν ἄνδρα τἀγαθὰ καλῶς φέροντα, ἢ τὰ κακά· τὰ μὲν γὰρ ὕβριν τοῖς πολλοῖς, τὰ δὲ σωφροσύνην τοῖς πᾶσιν ἐμποιεῖ.* Et sententia similis, Diodoro Siculo expressa, 19. *Διόπερ ἔνιοι προσηκόντως ὑπολαμβάνουσιν, εὐχερέστερον ὑπάρχειν συμφορὰς ἐνεγκεῖν ἐπιδεξίως, ἢ τὰς εὐμεγέθεις εὐημερίας ἐμφρόνως. αἱ μὲν γὰρ διὰ τὸν περὶ τοῦ μέλλοντος φόβον ἐπαναγκάζουσιν ἐπιμελεῖσθαι, αἱ δὲ διὰ τὸ προγεγονὸς εὐτύχημα, προτρέπονται καταφρονεῖν πάντων.* Et Catoni illi Prisco (in fragm. l. 5. Originum.) *Adversæ res se domant, et docent quid opus sit facto; secundæ res lætitia transvorsum trudere solent a recte intelligendo atque consulendo.* Lips. *Animos* Flor. (Bud.) ed. pr. Freinsh. seqq. Ceteri scr. et edd. *animum.* Ern.

eadem constantia retinebis: sed alii per obsequium imminuent. A. U.
Inrumpet adulatio, blanditiæ, pessimum veri adfectus venenum, 823.
sua cuique utilitas. Ego, ac tu, simplicissime inter nos hodie A. C.
loquimur: ceteri libentius cum fortuna nostra, quam nobiscum. 70.
Nam suadere Principi, quod oporteat, multi laboris: adsentatio
erga Principem quemcunque sine adfectu peragitur. Etiam, si 16
immensum Imperii corpus stare ac librari sine rectore posset, dignus eram, a quo Resp. inciperet: nunc eo necessitatis jam pridem ventum est, ut nec mea senectus conferre plus Populo Rom. possit, quam bonum successorem, nec tua plus juventa, quam bonum Principem. Sub Tiberio et Caio et Claudio unius familiæ quasi hereditas fuimus: loco libertatis erit, quod eligi cœpimus. Et, finita Juliorum Claudiorumque domo, optimum quemque adoptio inveniet. Nam generari et nasci a Principibus, fortuitum, nec ultra æstimatur: adoptandi judicium integrum; et, si velis eligere, consensu monstratur. Sit ante oculos Nero, quem, longa Cæsarum serie tumentem, non Vindex cum inermi provincia, aut ego cum una legione, sed sua inmanitas, sua luxuria, cervicibus publicis depulere: neque erat adhuc damnati Principis exemplum. Nos bello et ab æstimantibus adsciti, cum invidia, quamvis egregii, erimus. Ne tamen territus fueris, si duæ legiones in hoc concussi orbis motu nondum quiescunt. Ne ipse quidem ad securas res accessi: et, audita adoptione, desinam videri senex; quod nunc mihi unum objicitur. Nero a pessimo quoque semper desiderabitur: mihi ac tibi providendum est, ne etiam a bonis desideretur. Monere diutius, neque temporis hujus; et inpletum est omne consilium, si te bene

Per obsequium imminuent] Ita diserte Vatic. et Venetus: nec quidquam pote (non me quidem arbitro) lectione hac melius. Rhenanus tamen turbat, mutat, et exemplaria ut haberent fecit, *alii licet per obsequium annuant.* Lips. Firmant Lipsii lectionem MSS. Flor. Guelf. ed. pr. Beroaldus. Alc. Ern. Rhen. ista non ex ingenio, sed ex Bud.

Etiam ego] Conjunctio ista perperam hic posita. Pichena rejicit ad præcedentia. Acidalius transponit et refert ad *si immensum,* quod probo, si virgula separetur; nec dubito ita recipere. In margine forsan olim adposita, alienum dein locum occupavit errore librarii. Bip. τὸ *etiam* in *enim* vertendum putant. Rectius Agr. *etenim ego.*

Inmensum Imp. corpus] Vide Heins. ad Vell. 2, 109.

Cum una legione] Una tantum? Atqui antea tres, in illa parte Hispaniæ, et τρία τάγματα, *tres legiones* (ita vertere interpres debuit, non *cohortes*) collocat sub Augusto Strabo l. 3. p. 156. Etiam sub Tiberio noster A. 4, 5. *Hispaniæ,* inquit, *recens perdomitæ tribus habebantur.* Sed iis ipsis verbis adsignificat, id mutatum, et imminutas legiones, animis ejus gentis tempore imminutis et fractis. Itaque in Tarraconensi, cui Galba præfuit, una tunc legio. Suetonius in Galba 10. ostendit, exercitum fuisse *legionis unius, alarum duarum, trium cohortium.* Lips. Sextam legionem fuisse docemur H. 5, 16. Mox *ne tamen* Guelf. ed. pr. Rhen. (e Bud.) at *nec tamen* Puteol. Ber. Deinde, si vellemus, ut quidque commode et eleganter abesse potest, ita tollere, *concussi* tentaremus. Sed credimus facile, esse a Tacito. Similiter mox frustra *desideretur,* eadem caussa, in suspicionem adducit Gruterus. Ern.

Depulere] Cod. Bud. *depulerit.* Mox Bud. *extimantibus,* sic et Puteol. Dein Bud. et Puteol. *non quiescunt.* Porro in Bud. *quod mihi unum,* omisso *nunc*; et *objicitur,* ut sæpe alias.

A. V. 823. A. C. 70.

elegi. Utilissimusque idem ac brevissimus bonarum malarumque rerum delectus est, cogitare, quid aut volueris sub alio Principe, aut nolueris. Neque enim hic, ut in ceteris gentibus, quæ regnantur, certa dominorum domus, et ceteri servi: sed imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem. Et Galba quidem hæc ac talia, tanquam Principem faceret; ceteri tanquam cum facto loquebantur.

17 Pisonem, ferunt, statim intuentibus, et mox conjectis in eum omnium oculis, nullum turbati aut exsultantis animi motum prodidisse. Sermo erga patrem Imperatoremque reverens, de se moderatus; nihil in vultu habituque mutatum: quasi imperare posset magis, quam vellet. Consultatum inde, *pro rostris, an in Senatu, an in castris adoptio nuncuparetur. Iri in castra*, placuit: *honorificum id militibus fore, quorum favorem, ut largitione et ambitu male adquiri, ita per bonas artes haud spernendum.* Circumsteterat interim palatium publica exspectatio, magni secreti impatiens: et male coercitam

18 famam supprimentes augebant. Quartum Idus Januarias, fœdum imbribus diem, tonitrua et fulgura et cælestes minæ ultra solitum turbaverant. Observatum id antiquitus comitiis dirimendis non terruit Galbam, quo minus in castra pergeret, contemptorem talium, ut fortuitorum; seu, quæ fato manent, quamvis significata, non vitantur. Apud frequentem militum concionem, Imperatoria brevitate, adoptari a se Pisonem, more D. Augusti et exemplo militari, quo vir virum legeret, pronuntiat. Ac ne dissimulata seditio in majus crederetur, ultro adseverat, *quartam et duodevi-*

Utilissimus quidem ac] Sive, ut Rhenano et Mauro visum e Budensi, *utilissimus idem*. Lips. *Idem* etiam Flor. unde Pichena edidit *utilissimusque idem*, ed. pr. et alii MSS. ap. Broterium. Ern.

Volueris—nolueris] Sic Pich. e Flor. Vulgo et in Bud. inverso ordine. Mox Bud. *neque enim ut gentibus q. r.*

In castris] Prætorianis, ut ap. Suet. Claud. 21.

Observatum id a. c. d.] i. e. cum ab ultimis temporibus ea res diremerit comitia, pro re habita sit, propter quam comitia debeant dirimi. Verbi *observare* exquisitior vis, et Livio usurpata. Ern. De re vide Cic. de Divin. 2, 18.

Non vitantur] In editione prima dedimus e Guelf. *vitarentur*, quod optime convenire temporum rationi videbatur, et hæc non e mente Taciti, sed Galbæ dici putabam. Sed ita etiam ante debebet esse *manerent*. Igitur pristinam lectionem restitui. Ed. Spir. habet *vertantur*. Intelligenda sunt e judicio Taciti, non Galbæ. Ceteri scr. et edd. fluctuant inter *vitentur*, ut Puteol. Ber. et *vitantur*. Ern. Sic Bud. et Rhen.

More D. Augusti et exemplo militari] Trajectio facta vocum videtur, quam odoratus Æmilius Ferrettus: legitque, *exemplo D. Augusti et more militari*. me quidem utraque manu adsentiente. Lips. Vulgatum defendunt Voss. et Davies ad Cæsar. B. G. 1, 8. quod et *more* pro *exemplo* dicatur. Ut id concedam, tamen et *exemplo militari* durius, quam ut probem. Ern.

Quo vir virum leg.] Cf. Victor. V. L. 18, 19.

Quartam et duodevicesimam legiones] Sic omnes scr. et edd. ante Pichenam, qui recepit *duo et vicesimam*, velut historia et Flor. a pr. manu desideraret. At se correxit ipse ad c. 55. Ceterum mirum, tamen a sequentibus editoribus hic *duo et v.* servatum, cum c. 55. *duodev.* exhiberent. Vetus restituit Ryckius (ex Agr.). Ern. Bud. *duodevic.*

cesimam legiones, paucis seditionis auctoribus, non ultra verba ac voces errasse, et brevi in officio fore. Nec ullum orationi aut lenocinium addit aut pretium. Tribuni tamen Centurionesque et proximi militum grata auditu respondent: per ceteros mæstitia ac silentium, tamquam usurpatam etiam in pace donativi necessitatem bello perdidissent. Constat, potuisse conciliari animos quantulacumque parci senis liberalitate. nocuit antiquus rigor et nimia severitas; cui jam pares non sumus.

A. U. 823. A. C. 70.

19 Inde apud Senatum non comptior Galbæ, non longior, quam apud militem sermo: Pisonis comis oratio. Et Patrum favor aderat; multi voluntate effusius; qui noluerant, medie; ac plurimi obvio obsequio, privatas spes agitantes, sine publica cura. Nec aliud sequenti quatriduo (quod medium inter adoptionem et cædem fuit) dictum a Pisone in publico factumve. Crebrioribus in dies Germanicæ defectionis nuntiis, et facili civitate ad accipienda credendaque omnia nova, cum tristia sunt, censuerant Patres, mittendos ad Germanicum exercitum legatos. agitatum secreto, num et Piso proficisceretur, majore prætextu; illi auctoritatem Senatus, hic dignationem Cæsaris laturus. Placebat et Laconem, Prætorii Præ-

Addit aut] Bud. *addidit aut.* Agr. *additum aut.*

Et proximi militum grata auditu respondent] Sic edd. Puteol. Ber. Alc. Firmat Flor. (Agr.) ed. pr. ubi est *grata audito.* At Rhen. cum sequentibus usque ad Pichenam (e Bud.) dedit *gratabundi*, quod est etiam in Guelf. Sed tamen et in margine eadem manu var. lect. *grata auditu.* Ern. Bip. recepere *grata audito.*

Usurp. etiam in pace don.] Cf. A. 12, 41.

Parci senis] Sic edd. omnes. MS. tamen Bud. *q. parva lib.* et in Guelf. excidit *senis*, additum a man. sec. Rhenanus conjiciebat *quantumcunque parva lib.* aut *quantacunque liberalitate;* quod melius. Sed vulgatum bene habet. Ern. In Bud. *parva* glossam sapit.

Quam apud militem] Sic Flor. Bud. Agr. Guelf. ed. pr. Ceteræ *milites.* Vetus restituit Ryckius. bene. Ern.

Et patrum favor aderat: multi] Hunc locum distinctione restituit Freinsh. cum ante post *effusius*, et *medie* (majore signo) interpungeretur. Idemque pro *medie* dedit *medii. Medie* omnes scr. et edd. quod defendit Ryckius, cujus MS. habebat *medie, at plurimi.* Vox *medie* non est illa quidem optima, sed in Tacito tamen toleranda, ut aliæ. Ea bene respondet antecedentibus *voluntate; effusius.* Sed ita *ac*, ut opinor, delendum foret, et scribendum *medie plurimi;* aut cum Agr. *at plurimi*, idque ut in parenthesi dictum accipiendum. Certe utrumque melius, quam Freinshemianum *medii*, quod *agitabant* desiderat, non *agitantes*. Prius melius puto, et *at* natum e mala interpunctione: sed alterum secutus sum propter libros. Ceterum in omnibus membris intelligendum *favebant*, quod latet in verbis præcedentibus, *patrum favor aderat.* Mox *in publico* Guelf. (et Bud.) ut Flor. Ceteri (in his Agr.) *in publicum. In publico* recepit Pichena. Ern. Priscam distinctionem cum Bip. reposui, aptiorem quippe.

Majore prætextu] Quid illud, *majore?* Suspectum mihi hic verbum. Lips. At est in omnibus libris. Sensus esse potest: prætextus, qui obtendebatur a suadentibus, verbo ac specie major, quam res ac vis esset. Nam dicebant: ut legati Senatus auctoritatem secum ad exercitum ferrent, sic illum Cæsaris dignationem, eaque de caussa legationem majorem vim ad coercendos milites habituram. Sed potius *prætextum* de specie rei, splendore, dignitate capiendum puto, ut et alibi dicitur apud nostrum v. c. c. 76. et alios. Vid. Gronov. ad Senec. epist. 71. Sensus igitur est: ut major legationis dignitas esset. Et fuit illa deliberatio Galbæ secreta, non Senatorum, et inter amicos. Ern.

A. U. 823. A. C. 70. fectum, simul mitti. is consilio intercessit. Legati quoque (nam Senatus electionem Galbæ permiserat) fœda inconstantia nominati, excusati, substituti, ambitu remanendi
20 aut eundi, ut quemque metus vel spes inpulerat. Proxima pecuniæ cura: et cuncta scrutantibus justissimum visum est, inde repeti, unde inopiæ caussa erat. Bis et vicies millies sestertium donationibus Nero effuderat. Adpellari singulos jussit, decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta. At illis vix decumæ super portiones erant, iisdem erga aliena sumptibus, quibus sua prodegerant; cum rapacissimo cuique ac perditissimo non agri, aut fenus, sed sola instrumenta vitiorum manerent. Exactioni XXX. Equites Romani præpositi; novum officii genus, et ambitu ac numero onerosum. ubique hasta et sector; et inquieta urbs auctionibus. Attamen grande gaudium, quod tam pauperes forent, quibus donasset Nero, quam quibus abstulisset. Exauctorati per eos dies Tribuni, e Prætorio Antonius Taurus et Antonius Naso; ex urbanis cohortibus Æmilius Pacensis; e vigiliis Julius Fronto. Nec remedium in ceteros fuit, sed metus initium: tamquam per artem et formidinem singuli pellerentur, omnibus suspectis.

Ambitu remanendi aut eundi] h. e. dum alii per gratiam consequuntur, ut liberentur a legatione, alii ire cupiunt. Nescio, cur Heinsio locus suspectus fuerit, qui *renitendi* tentabat. Ern. In cod. Agr. invenerat *retinendi*. Mox Bud. habet *ille auct.* quod probat Rhen. nullo sensu. Porro Rhen. refert in Bud. esse *ni consilio* potius ibi est *in cons.* sed aperto librarii vitio.

Ubi inopiæ caussa erat] Pichena reposuit *ubi*, ex Flor. et aliis veteribus, pro *unde*. Consentiunt Guelf. (Bud.) et vett. edd. præter pr. in qua *unde*, meliori Latinitate, ut in duobus MSS. ap. Broterium, unde restitui. Ern.

Bis et vicies mille sestertium] Verius fortasse, *bis et vicies millies.* quæ summa sane grandiuscula, sed digna effusionibus ejus monstri. *Erunt quinquaginta quinque milliones*, ut loquamur ritu et compendio nostro. Quid nimium pro opibus Romanis? Lips. Recepit Freinsh. Recte. Ern. Consentiunt Faernus, Ursinus, Acidalius et recentiores.

Super portiones erant] Per tmesin, pro *supererant*. Bene Pichena Virgilii illud comparat Æn. 2, 567. *Jamque adeo super unus eram.* Ern. Bud. male *supra*.

Exactioni XXX. Equites præpositi] In Suetonio c. 15. est, *quinquaginta.* nec liquet mihi de veritate. Lips.

Ambitu ac numero onerosum] Sensus: difficile illud munus erat propter ambitum et numerum collegarum, quo impediebatur sæpe administratio ejus. Tam multi enim non facile consentiunt; et quo plures collegæ, hoc sæpius accidebat, ut gratia turbaret negotium. Possis tamen etiam ambitum et numerum referre ad eos, a quibus revocanda pecunia erat. Mox bene *auctionibus*, etsi contra libros, qui habent *actionibus*, quæ confusio et alibi observata. Edidit jam Lipsius. Sed J. Gronovius *actionibus* servat ac defendit, intelligens negotia ex appellandis, in jus vocandis, cogendis iis, qui accepissent. Ern. Bud. *sectores* et *actionibus*. Sed Rhen. jam posuit *auctionibus* ex ingenio. Mox Bud. *ac tamen*.

E Prætorio] V. Perizon. de Prætor. p. 139. ubi ex h. l. planissime docet, *Prætorium* de cohortibus Prætorianis dici, ut *vigilias* de cohortibus vigilum. Ern.

Antonius Naso] Farnesiano est *Aurelius*. Lips. Probat Burmannus ad Suet. Cæs. c. 52. *Aurelius* aut *Autronius* Heinsii. Certe *Antonius* vitiosum. Dixisset enim *Antonii, Taurus et Naso*. Mox *Julius Fronto* v. ad 2, 68. Ern. Apud Suet. Cæs. 9. est *M. Actorius Naso*.

Metus initium] Heinsius malebat *motus*. Acid. *nec id remedium*.

Interea Othonem, cui, compositis rebus, nulla spes, omne A. U. 823.
in turbido consilium, multa simul exstimulabant: luxuria A. C. 70.
etiam Principi onerosa, inopia vix privato toleranda, in
Galbam ira, in Pisonem invidia. Fingebat et metum, quo 21
magis concupisceret. *Prægravem se Neroni fuisse. nec Lusitaniam rursus, et alterius exsilii honorem exspectandum: suspectum semper invisumque dominantibus, qui proximus destinaretur. Nocuisse id sibi apud senem Principem: magis nociturum apud juvenem, ingenio trucem, et longo exsilio efferatum. occidi Othonem posse. Proinde agendum audendumque, dum Galbæ auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset. Opportunos magnis conatibus transitus rerum: nec cunctatione opus, ubi perniciosior sit quies, quam temeritas. Mortem omnibus ex natura æqualem, oblivione apud posteros vel gloria distingui. Ac, si nocentem innocentemque idem exitus maneat, acrioris viri esse, merito perire.* Non erat Othonis mollis 22
et corpori similis animus. Et intimi libertorum servorumque, corruptius quam in privata domo habiti, aulam Neronis et luxus, adulteria, matrimonia, ceterasque Regnorum libidines, avido talium, si auderet, ut sua ostentantes;

Othonem exstimulabant: luxuria] Veræ hæ mutationum caussæ. et prudenter Aristoteles eas ingerit Polit. 5, 6. *Γίγνονται δὲ μεταβολαὶ. . . . καὶ ὅταν ἀναλώσωσι τὰ ἴδια ζῶντες ἀσελγῶς. Καὶ γὰρ οἱ τοιοῦτοι καινοτομεῖν ζητοῦσι, καὶ ἢ τυραννίδι ἐπιτίθενται αὐτοὶ, ἢ κατασκευάζουσιν ἕτερον.* O veriloquium, quod utinam principes imbibant, et corruptissimis hodie moribus advertant! LIPS. Mox *iram et invidiam* Guelf. ed. pr. ut ad *fingebat* referantur. male. ERN. Bud. *iram . . invidiæ.* Mox idem *se Neroni gravem.*

Et alterius e. hon.] Sic MSS. et edd. vett. Rhenanus dedit *aut* ex ingenio. Vetus restitui. ERN. Non ex ingenio Rhen. sed e Bud.

Occidi Othonem posse] Ant. Augustinus (referente Ursino) legebat: *occidi Pisonem posse.* Item Groslotius, qui nil certius putabat. Mox *proinde* Fl. (Bud.) Guelf. ed. pr. Ceteri *proin.* ERN.

Agendum audendumque] Sic Liv. 22, 14. *Audendo atque agendo res Romana crevit.*

Nondum coaluisset] i. e. confirmata esset, convaluisset; ut supra *coalita libertas, audacia.* V. Indic. Male Ryckius: scil. *cum auctoritate Galbæ.* male et Acidalius corrigebat *convaluisset:* nam idem est. ERN.

Transitus rerum] Conversiones, commutationes Imperii, cum ab uno ad alterum transit. sic c. 29. *res translatæ.* ERN.

Acrioris viri esse] *Acrioris* suspectum Freinshemio. Fortior sane oratio foret, si abesset. Sed non propterea Tacitus non sic dedit: estque in omnibus libris. ERN. *Acres viros* etiam Seneca habet de morte Claudii. et nostro infra 2, 5. *Vespasianus acer militiæ* dicitur.

Adulteria, matrimonia] Apud Suetonium lego inter illa, quæ maxime improbantur in Nerone 28. *Super ingenuorum pædagogia et nuptarum concubinatus virgini Vestali Rubriæ vim intulit.* Hinc colligo, Tacitum scripsisse: *aulam Neronis et luxus, adulteria, pædagogia, cæterasque Regnorum libidines.* GRON. Nimis a scriptura recedit hæc correctio. Bene filius defendit vulgatum, et sumtum dicit e memoria Poppææ: in qua primum adulterium, deinde matrimonium. Ryckius conjicit *adulteria matronarum.* ERN.

Ceterasque Regnorum libidines] Glossam præfert: ac fortasse germanius, *cæteraque Regnorum avido talium.* Paullo ante etiam malim conjunctim legi, *adultera matrimonia.* LIPS. Et sic erat in MS. Bud. ERN. Sed vulg. rectius. nam et matrimonia pro libidine mutabat Nero, ut ante Claudius. Budensis hic varie peccat. Supra *audiendum* habet pro *audendum*, *manet* pro *maneat*, mox *vetabatur* pro *vetabitur*, *Principis* pro *principalis*.

A. U. 823. A. C. 70. quiescenti, ut aliena, exprobrabant: urgentibus etiam mathematicis, dum *novos motus, et clarum Othoni annum, observatione siderum*, adfirmant: genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper, et retinebitur. Multos secreta Poppææ mathematicos, pessimum Principalis matrimonii instrumentum, habuerant: e quibus Ptolemæus, Othoni in Hispania comes, cum *superfuturum eum Neroni* promisisset, postquam ex eventu fides, conjectura jam et rumore senium Galbæ et juventam Othonis computantium, persuaserat, *fore, ut in Imperium adscisceretur.* Sed Otho tamquam peritia et monitu fatorum prædicta accipiebat, cupidine ingenii humani libentius obscura credendi. Nec deerat Ptolemæus, jam et sceleris instinctor, ad quod facillime ab ejusmodi voto transitur.
23 Sed sceleris cogitatio incertum an repens: studia militum jam pridem, spe successionis, aut paratu facinoris, adfectaverat; in itinere, in agmine, in stationibus, vetustissimum quemque militum nomine vocans, ac, memoria Neroniani comitatus, *contubernales* adpellando; alios agnoscere, quosdam requirere et pecunia aut gratia juvare: inserendo sæpius querelas et ambiguos de Galba sermones, quæque alia turbamenta vulgi. Labores itinerum, inopia commeatuum, duritia imperii, atrocius accipiebantur, cum, Campaniæ lacus et Achaiæ urbes classibus adire soliti, Pyrenæum et Alpes et inmensa viarum spatia ægre sub armis eniterentur.
24 Flagrantibus jam militum animis velut faces addiderat Mævius Pudens, e proximis Tigellini. is mobilissimum quemque ingenio, aut pecuniæ indigum, et in novas cupiditates præcipitem adliciendo, eo paullatim

E quibus Ptolemæus] Sueton. c. 4. *Seleucum* vocat. ubi v. intt. Ejusdem hominis nomina esse nuper defendit Oudend. ERN.

Computantium] Possis e Livio 1, 5. conjicere *comparantium.* Sed non est necesse. ERN.

Libentius obscura credi] Assentior Pichenæ, *credendi.* LIPS. Quidni recipiamus, quod Latinitas necessario exigit. Sæpe jam talia vitia sublata vidimus, ex omissione syllabæ mediæ orta. V. ad 2, 63. Petavius et Huetius corr. *credentis*, quod recepit Broterius. Sed non ingenium humanum credit, verum homo, cupidine credendi obscura, ingenio insita. ERN. Cf. Plin. 30, 1.

An repens] Acid. malit *an recens.* Sed vulg. majorem vim habet. Vide dicta ad A. 6, 7.

In itinere, in agmine] Sic omnes libri. Et tamen *in agmine* nihil aliud, quam, *in itinere*, cum exercitus, aut pars ejus iter faceret. nam sic *agmen* dici, vel tirones sciunt. ceterum hæc cum antecedentibus cohærent. Explicant enim verba *studia m. affectaverat.* Igitur mediam interpunctionem feci pro puncto. ERN.

Eniterentur] Sic Flor. PICHENA. Probum: nec improbe idem Pichena, *emetirentur.* LIPS. *Eniterentur* scr. (in his et Bud.) et edd. pr. Rhen. sqq. At Puteol. Ber. *emitterentur*, male. ERN.

Flagrantibus i. m. animis] Bud. non habet *animis*, vitio librarii, quod non visum Rhenano. Juretus ad Symmachum 6, 22. ideo legendum suadebat *flagratibus.* Mox Bud. *jam faces.*

In novas cupiditates pr.] i. e. rerum novarum. Sæpe sic hoc adjectivum ad aliud substantivum refertur, ut supra jam notavimus. Sic *spes* quoque *novæ* dicuntur. A. 14, 68. 15, 42. 51. ERN.

progressus est, ut per speciem convivii, quotiens Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos numos divideret: quam velut publicam largitionem Otho secretioribus apud singulos præmiis intendebat; adeo animosus corruptor, ut Cocceio Proculo, speculatori, de parte finium cum vicino ambigenti, universum vicini agrum, sua pecunia emptum, dono dederit: per socordiam Præfecti, quem nota pariter et occulta fallebant. A. U. 823. A. C. 70.

25 Sed tum e libertis Onomastum futuro sceleri præfecit, a quo Barbium Proculum, Tesserarium speculatorum, et Veturium,

Sed ibi *spes* ubivis simpliciter, nullibi *nova* dicitur.

Per speciem convivii] Sportularum titulo erogatio ea facta, nisi fallor. Lips. Vid. Grut. Inscr. p. 330, 2.

Centenos numos] Suetonius *aureos* habet. Nam sub Cæsaribus aurei singuli centum numis sestertiis æstimati. V. intt. ad Sueton. Oth. 4. et Gronov. de Sestert. p. 82. Ceterum *viritim* commode abfuerit, non consentiens nec Taciti brevitati nec Latinitati severæ. nam inest in *centenos*. Ern.

Animosus corruptor] i. e. per magnas largitiones, sic Suet. Cæs. 47. *animosissime comparare,* insanis pretiis emere etc. Ern.

Proculo speculatori] Ubique hoc militiæ nomen et munus ita scribo, et *spiculatores* expello. Libri omnes scripti suadent: etiam lapides. ut ille Romæ (ap. Grut. p. 517, 7.) P. ÆL. MUCIANO SPEC. LEG. II. ADJUT. Alius juxta Æmiliam (ib. p. 386, 4.) L. CASURIO. L. F. CLU. SPECULATORI. Item (ib. p. 169, 7.) SCHOLA. SPECULATORUM. LEGIONUM. I. ET. II. ADJUTRICUM. PIARUM. FIDELIUM. In Nummis item M. Antonii COHORTIS. SPECULATORUM. Sed et in Marci Evangelio 6, 27. Ὁ Βασιλεὺς ἀποστείλας τὸν σπεκουλάτωρα. et in Suetonii Calig. 52. *caliga speculatoria*, scriptum. Sed verine hi speculatores sive exploratores? Vix opinor, et exempla refutant. Potius censeam, fuisse inter custodes corporis Imperatorii certum genus, qui velut in specula ejus salutis. Unde nomen. Certe Suidas clare σπεκουλάτωρα τὸν δορυφόρον interpretatur: et hic in Tacito atque in Suetonio reperias inter satellites Principales. Arma iis clypeus et lancea. ex Joseph. Ἰουδαικ. ἁλώσ. 3, 6. Φέρουσι δὲ οἱ μὲν ἐπὶ τὸν στρατηγὸν ἐπίλεκτοι πεζοὶ λόγχην καὶ ἀσπίδα. et c. 8. Μεθ' οὓς αὐτὸς Οὐεσπασιανὸς ἐξήλαυνε τούς τε ἐπιλέκτους τῶν πεζῶν καὶ ἱππέων καὶ τοὺς λογχοφόρους ἔχων. Nam capiam ibi sane λογχοφόρους sive lancearios, hos speculatores. Suet. hortatur in Claudio 35. *Neque convivia inire est ausus, nisi ut speculatores cum lanceis circumstarent.* Et in Galba 18. *Descendentem Galbam speculator impulsu turbæ lancea prope vulneravit.* Hi sunt, quos sequens ætas *scultatores* dixisse videtur, quasi auscultatores. quod vere notatum censeo a Cujacio Observ. 6, 33. quem de alio etiam munere speculatorum adi et audi. Lips. *Speculatori* MSS. (Bud.) ed. pr. At Puteol. Ber. etc. *spic.* de scriptura verbi nuper et Oudendorpius ad Suet. Ern. Vide et infra 2, 11. Cf. omnino Eckhel in Doctr. NN. vet. vol. 6. p. 53. ad numum M. Antonii cit. et C. G. Schwarzii diss. de Speculatorib. Rom. 4. Alt. 1726.

Dono dederit] Suet. Oth. 4. *emancipavit*, de quo v. Brummer ad leg. Cinciam c. 13. p. 209.

Per socordiam Præfecti] Hæc durius coeunt cum antecedentibus. Itaque putavi aliquando loco mota esse et ponenda post *divideret*, ubi sane commodus locus foret. Sed, si verba hæc sunt suo loco, referenda sunt ad *intendebat*, vel *animosus corruptor*. Ern.

Tesserarium speculatorum] Ita scriptum meis libris. Cur spernam? Tesserarios enim suos cohortibus speculatorum fuisse, credam non vane. Si quis tamen junctim malit, *tesserarium speculatorem*, haud pugnem. In Glossario prisco: Γραμματεύς: *scriba, tesserarius.* In lapide, Romæ. AUR. SATURNINO. EQ. COH. VII. PR. S. VERISSIMI. QUI. MILITAVIT. IN. EQ. SECUNDA. ITALICA. TESSERARIUS. ANN. VI. Plutarchus in hac ipsa narratione c. 24. Ἐν δὲ τούτοις Οὐετούριος καὶ Βάρβιος, ὁ μὲν ὀπτίων, ὁ δὲ τεσσεράριος· οὕτω γὰρ καλοῦνται οἱ δι' ἀγγέλων καὶ διοπτήρων ὑπηρεσίας τελοῦντες. Lips. *Tesserarium* fuit a pr. manu in Guelf. est in ed. pr. E quo factum in ed. Puteolani *tesseranum*, vitio haud dubie

A. U. 823. A. C. 70. Optionem eorundem, perductos, postquam vario sermone callidos audacesque cognovit, pretio et promissis onerat, data pecunia ad pertentandos plurium animos. Suscepere duo manipulares Imperium Pop. Rom. transferendum; et transtulerunt. In conscientiam facinoris pauci adsciti. suspensos ceterorum animos diversis artibus stimulant: primores militum, per beneficia Nymphidii ut suspectos: vulgus et ceteros, ira et desperatione dilati totiens donativi. erant, quos memoria Neronis ac desiderium prioris licentiæ accenderet. in commune omnes metu mutandæ militiæ

26 terrebantur. Infecit ea tabes legionum quoque et auxiliorum motas jam mentes, postquam vulgatum erat, labare Germanici exercitus fidem. adeoque parata apud malos seditio, etiam apud integros dissimulatio fuit, ut postero

operarum. Et tamen id propagatum usque ad Lipsium. Ern. Bud. idem vitium habet *tesseranum speculatorem.* Plura de *Tesserario* et *Optione* dat Marc. Donatus ad h. l. Torrent. ad Suet. Oth. 5. præfert *speculatorem* et mox *eodem.*

Optionem eorundem] Constituta lectio pridem ab eximio Cujacio, loco quem jam dixi. nisi quod, *eorundem,* scripsi, non, *eodem,* fide Vaticani libri. Optiones Romana militia vetus dixit, qui a dignioribus cum gradu militibus adoptati, vicem eorum subibant. Posterior ætas, nisi fallor, diverso paullum sensu, qui velut custodes quidam, arbitri, et inspectores. Plutarchus l. c. *διοπτῆρας* vertit: et in legum libris Optio fabricæ, simili sensu: in Ambrosio, Optio carceris scriptum. videntur in quaque centuria hi fuisse, ex lapide qui in Piceno (ap. Grut. p. 551.) C. LUCILIUS: C. F. VEL. VINDEX MIL. COH. VI. PRÆT. VIX. ANN. XXX. MILITAVIT. ANNIS XII. PRINCIPALIS BENEFICIARIUS. TRIBUNI. DEINDE. OPTIO. IN CENTURIA. alibi utrumque junctum legas, et Tesserarium et Optionem: ut in illo marmore, EQUITI. COH. EJUSDEM. TESSERARIO. OPTIONI. (Cf. et Grut. p. 445, 10.) Male autem hactenus in Tacito hic, *Othonem,* lectum, contra meliores libros, itemque Cujacii monita et Turnebi Adv. 4, 7. Lips. *Optionem* MSS. Flor. Bud. ed. pr. At Guelf. edd. Puteol. sqq. usque ad Lipsium *Othonem.* Iidem libri *eodem.* Post *perductos* int. ad se, (Othonem) estque in partem deteriorem dictum, turpi de caussa; ut feminæ a lenonibus perduci dicuntur. Ern. Bud. *Vecturium.*

Manipulares] Sunt hi, quos Vegetius 2, 7. *principales milites* vel *principes* adpellat, quorum frequens apud nostrum mentio. V. A. 1, 20. 21. 12, 38. 15, 12.

Ad pertentandos] Infra c. 29. Lipsius corrigit *prætentare,* hic intactum prætermittit. Sed ibi sane probabilior est conjectura. Hic *tentare* simpliciter desideratur, pro quo *pertentare* ap. Terentium, Ciceronem, Livium et alios dicitur. Ern.

Per beneficia Nymphidii] Id est, qui promoti essent per Nymphidium, eos incitare et irritare, ut Galbæ suspectos. quia Nymphidium invisum ipse sustulerat. Commune autem, ut beneficiarii benefactori suo adhæreant: atque ita de Sejano, Præfecto item Prætorii, supra 4, 2. *Simul Centuriones ac Tribunos ipse deligere.* et, quod sequitur, beneficii sui facere. Lips.

In communi omnes metu] Rhenanus (ex ingenio) correxit bene *in commune.* ut paullo post *accendendos in commune ratus.* Libri scr. et edd. *in communi,* male. *Terrebantur* omnes libri. Pichena velut e cod. Fl. dedit *exterr.* quod propagatum usque ad Ryckium. Ern. Ibi scil. recentiori manu id superscriptum.

Postero idjuum die] Hispanus liber, *dierum.* Ego utrumque addititium puto, et *postero Iduum,* scribo. Lips. *Dierum* MS. Flor. (et Bud.) At Guelf. (et Agr.) edd. *die.* Pichena conjiciebat *Januar.* (quia mox occurrit XVIII. Kal. Febr.) nam mensis nomen adjiciendum fuisse: quod recte negat J. Gronovius, non tamen ea caussa, quam ponit, quod statim mensis ac temporis notatio sequitur: sed quod præcessit c. 18. Sed vereor, ne alia hic corruptela restet. Ac formam quidem loquendi feram: etsi alias non reperi, diem, qui Kalend. No-

Iduum die redeuntem a cœna Othonem rapturi fuerint, nisi incerta noctis, et tota urbe sparsa militum castra, nec facilem inter temulentos consensum, timuissent: non Reipublicæ cura, quam fœdare Principis sui sanguine sobrii parabant; sed ne per tenebras, ut quisque Pannonici vel Germanici exercitus militibus oblatus esset, ignorantibus plerisque, pro Othone destinaretur. Multa erumpentis seditionis indicia per conscios oppressa; quædam apud Galbæ aures Præfectus Laco elusit, ignarus militarium animorum, consiliique quamvis egregii, quod non ipse adferret, inimicus, et adversus peritos pervicax. XVIII. Kal. Febr. sacrificanti pro æde Apollinis Galbæ Haruspex Umbricius *tristia exta et instantes insidias ac domesticum hostem* prædicit: audiente Othone (nam proximus adstiterat) idque, ut lætum e contrario, et suis cogitationibus prosperum, interpretante. Nec multo post libertus Onomastus nuntiat, *exspectari eum ab architecto et redemptoribus:* quæ significatio coeuntium jam militum et paratæ conjurationis convenerat. Otho, *caussam digressus* requirentibus, cum, *emi sibi prædia vetustate suspecta, eoque prius exploranda*, finxisset, innixus liberto, per Tiberianam domum, in Velabrum, inde ad Miliarium aureum, sub ædem Saturni, pergit. Ibi tres et viginti

A. U. 823. A. C. 70.

27

nas, aut Idus sequitur, sic expressum. Dictum sit græco more, ὑστέρα Εἰδῶν, Καλανδῶν. c. 57. quidem, memoratis paullo ante Kal. Januariis, sequitur *die postero.* Sed, si res facta statim ab Idibus, h. e. XIX. Kal. Febr. qui fuit dies ante cædem Galbæ, falsus est Suetonius, qui Oth. c. 6. tradit, conjuratos in animo habuisse, statim ab adoptione, Galba interfecto, Othonem Imperatorem facere: deinde adlata caussa mutati consilii, medium ab illo die usque ad XVIII. Kal. Febr. tempus Seleucum religione exemisse. Quod si est, nullo modo tentandæ rei consilium primum esse potuit XIX. Kal. Febr. Adde, quod sic non satis fit præcedentibus: *adeo parata seditio fuit*, hoc est promta, festinata. Itaque suspicor, Tacitum scripsisse, *postero statim* (sc. ab adoptione) *die*, quæ facta est. IV. Idus, (s. *dierum*, ut est in Flor. nam si *statim* legimus, *dierum* locum habet) ut c. 31. *primo statim introitu.* Ita et Suetonio et sibi congruet. Initium conjurationis factum ipsa adoptionis die. Res ita accelerata fuit, ita parati conscii, ut postero statim die h. e. III. Idus, in castra rapere Othonem vellent, Galbamque interficere. In caussis deinde dilatæ rei dissentiunt Suetonius et Tacitus; sed ita, ut componi possint. Suetonius caussam dilatæ cædis, Tacitus dilatæ in castra deductionis tradit. Broterius tamen putat, correctionem nostram duriorem esse, quod remotior adoptionis tum memoria fuerit. Id ego non intelligo. Ipse scriptum putat fuisse *pr. Id.* Ern. Bip. recepere *postero iduum dierum.* Mihi hoc plane insolitum videtur. Servo vulg. donec quid melius offeratur.

Apud Galbæ aures] Bud. *apud Galbam audiens.* Probat Rhen.

Nam proxime adst.] In Bud. *nam* deest.

Miliarium aureum] Columna ex eo metallo, ut Plutarchus hic in Galba describit c. 24. *ad quam viæ omnes ex Italia desinebant. Fecit Augustus, cum Curator viarum esset*, Dio 54, 8. et statuit *in capite Romani fori.* Plin. 3, 9. Victor juxta Vicum Jugarium collocat (reg. 8.) et recte. *Ædes Opis et Saturni in Vico Jugario. Miliarium aureum.* Lips. v. Ryckius ad h. l. Collectanea de mil. aur. dedit Broterius ad h. l. Ern. Videantur de eo Revillas in Diss. Acad. Corton. t. 1. Holstenius in Grævii thes. a. R. t. 4. Arntzenius in Thes. diss. Belgic. vol. 1.

Sub ædem Saturni] Regius codex *in ædem Saturni.* Unde Rhenanus elicit,

A. U. 823. A. C. 70. speculatores consalutatum *Imperatorem*, ac paucitate salutantium trepidum, et sellæ festinanter inpositum, strictis mucronibus rapiunt. Totidem ferme milites in itinere adgregantur: alii conscientia, plerique miraculo; pars clamore et gaudio, pars silentio, animum ex eventu sumpturi.

28 Stationem in castris agebat Julius Martialis Tribunus. Is, magnitudine subiti sceleris, an conrupta latius castra, ac, si contra tenderet, exitium metuens, præbuit plerisque suspicionem conscientiæ. Anteposuere ceteri quoque Tribuni Centurionesque præsentia dubiis et honestis. Isque habitus animorum fuit, ut pessimum facinus auderent pauci, plures vellent, omnes paterentur.

29 Ignarus interim Galba et sacris intentus, fatigabat alieni jam Imperii Deos: cum adfertur rumor, *rapi in castra, incertum quem Senatorem: mox, Othonem esse, qui raperetur:* simul ex tota urbe, ut quisque obvius fuerat, alii formidinem augentes, quidam minora vero, ne tum quidem obliti adulationis. Igitur consultantibus placuit, *pertentari animum cohortis, quæ in palatio stationem agebat: nec per ipsum Galbam; cujus integra auctoritas majoribus remediis servabatur.* Piso pro gradibus domus vocatos in hunc modum adlocutus est: *Sextus dies agitur, commilitones, ex quo, ignarus futuri, et sive optandum hoc nomen, sive timendum erat, Cæsar adscitus sum. Quo domus nostræ aut Reipublicæ fatum in vestra manu positum est*; *non, quia meo nomine tristiorem casum paveam, (ut qui, adversas res expertus, cum maxime discam, ne*

inde in Saturni sc. *ædem.* Falso uterque. Suetonius convincit Oth. 6. *ut se in foro*, inquit, *sub æde Saturni ad milliarium aureum opperirentur.* Lips. *Sub edem* Guelf. *æde* ed. pr. Ern.

Pars clamore et gladiis] *Gladiis* libri omnes (in his Bud.). At Faernus, Muretus, Acidalius et alii corrigunt *gaudiis* vel *gaudio* (sic Pich.). Verum puto. Nam milites omnes *gladios* habent: nisi velis intelligere *strictis*. Mox *animum*, quod e Flor. dedit Pichena, etiam ed. pr. Ern. Nullus dubito cum Bip. recipere *gaudio.* Plane sic et infra 2, 70.

Julius Martialis] Ryck. suspicatur, eum esse, ad cujus bibliothecam exstat epigramma Martialis 7, 16.

Fatigabat Deos] Scil. dum aliam super aliam victimam cædi jubet, si tandem litare posset. Mox *formidine* e Flor. edidit J. Gronov. Vulgatum verum puto, quod in omnibus reperi. Ern. Bud. quoque *formidinem*, recte. J. Gron. pro ratione adfert, quod nulla dum formido adfuerit, quæ augeri posset. Sed *rumor* is *adlatus* excitare metum debebat. Bip. tamen sequuntur Gron.

Tentari animum] Libri fere *pertentari:* ex quo ego, *prætentari.* Lips. *Tentari* est a Rhenano (e Bud.). *Pertentari* MSS. Flor. Guelf. edd. Puteol. Ber. quod restituit Pichena. At ed. pr. plane, ut Lipsius voluit, *prætentari.* et confunduntur istæ syllabæ sexcenties in libris, ut et in hoc opere vidimus aliquoties. *Pertentare* supra jam c. 25. dixit noster: atque id hic quoque sufficit, nec necessario *prius pertentare*, ut apud Livium est 27, 10. requirit sensus, quod esset *prætentare.* Ern. V. et 6, 20. Bip. præferunt *prætentari.* Mox Agr. cod. *evocatos.*

Reip. fato] MS. Flor. Agr. (Bud.) *fatum:* etiam Guelf. sed a manu sec. ed. pr. *Fato* verum esse Latinitatis ratio indicat. Ern. Consensus codicum jubet reponi *fatum*, ut fecere Bip. bono sensu, si distinctione textus juvetur. Ryck. *fato* præfert.

Ut qui, adversas res expertus, cum maxime discam etc.] *Adversas res* e Flor.

secundas quidem minus discriminis habere); patris, et Senatus, et ipsius Imperii vicem doleo, si nobis aut perire hodie necesse est, aut, quod æque apud bonos miserum est, occidere. Solatium proximi motus habebamus incruentam urbem, et res sine discordia translatas. Provisum adoptione videbatur, ut ne post Galbam quidem bello locus esset. A. U. 823. A. C. 70.

30 Nihil arrogabo mihi nobilitatis aut modestiæ. neque enim relatu virtutum in comparatione Othonis opus est. Vitia, quibus solis gloriatur, evertere Imperium, etiam cum amicum Imperatoris ageret. Habitune et incessu, an illo muliebri ornatu mereretur Imperium? Falluntur, quibus luxuria specie liberalitatis inponit. Perdere iste sciet, donare nesciet. Stupra nunc et comissationes et feminarum cœtus volvit animo. hæc Principatus præmia putat; quorum libido ac voluptas penes ipsum sit, rubor ac dedecus penes omnes. Nemo enim unquam Imperium, flagitio quæsitum, bonis artibus exercuit. Galbam consensus generis humani, me Galba, consentientibus vobis, Cæsarem dixit. Si Respublica et Senatus et Populus vana nomina sunt: vestra, commilitones, interest, ne Imperatorem pessimi faciant. Legionum

edidit Ryckius. *Adversas* et *secundas* (est in Bud.) fuit et in Guelf. a man. pr. sed *res* exciderat: manus sec. correxit *adversam Remp.* et *secundam:* quod est et in ed. pr. Vulgo est *adversa* et *secunda.* Deinde *cum maxime*, quod temporis præsentis significationem habere, hodie pervulgatum est, non ad *expertus* referendum, ut in vulgatis fere, sed ad sequens *discam*, quod e correctione Freinshemii recepimus. MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Agr. edd. pr. sqq. *dicam*, e quo male factum a Rhenano *ducam*, et quidem ex ingenio: cui cur non præferatur *discam*, quod τὸ *expertus* plane desiderat. *Dicere* sæpe in MSS. pro *discere* obtruditur. V. Burm. ad Ovidium Fast. 3, 326. *Cummaxime* autem recte ab eodem inductum. Ante erat *tummaxime*, illud in MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. Ern.

Ipsius Imperii] *Ipsius* non est in Bud.

An illo muliebri orn.] Sic omnes libri, nisi quod Puteol. *alio.* Vulgatum efficacius puto. Post *meretur* legendum credo cum Acidalio. nec ullo modo ex elegantiori Latinitate hic imperfectum ferendum (Bud. *mereretur*). Mox MSS. et edd. ante Rhen. *speciem.* Forte excidit *per.* Quamquam vel sic frigidum est, *falluntur quibus imponit* i. e. qui falluntur. J. Gronovius præfert atque edit lectionem vett. librorum (Flor. Agr. Bud.) *speciem.* Sed ita *fallunt* requiritur, non *falluntur.* Fallunt res eæ, i. e. vitia, quibus luxuria speciem liberalitatis tribuit. (Nam Gronovianam explicationem aut non capio, aut est contra Latinitatem.) Sed luxuria non tribuit speciem, verum accipit, deberetque esse: *quibus luxuriæ speciem liberalitatis imponit*, h. e. falluntur homines iis rebus, quibus speciem liberalitatis conciliant luxuriæ suæ. In hac difficultate undique se ingerente, vulgatum, ut lenissimum retinui. Horatius: *fallit enim vitium specie virtutis et umbra.* Ern. Cum Gron. faciunt Bip. et *inponit* explicant per *offert, objicit,* quod durum nimis. Locus quem ex Horatio citat Ern. est Juvenalis 14, 109.

Donare nesciet] MS. Reg. (Agr.) et ed. pr. *donare nescius.* non male. Ern.

Comissationes] Bud. *comessationes.* et mox *apud omnes.*

Vana nomina sunt] Sic Guelf. edd. Puteol. sqq. At Flor. Bud. Agr. ed. pr. *vacua nomina sunt.* Id recepit Ryckius et J. Gronovius. Sed exempla allata non sunt huic similia, nec mihi satis simile exemplum occurrit. Ern. Ast simile tamen prorsus H. 4, 14. *inania legionum nomina.* Itaque sequor codices cum Bip. Bahrdt in vers. Germ. pro *Si* legit *Ni*, non male, si codices consentirent.

A. U. *seditio adversum Duces suos audita est aliquando: vestra fides*
823. *famaque inlæsa ad hunc diem mansit. et Nero quoque vos de-*
A. C. *stituit, non vos Neronem. Minus XXX. transfugæ et deserto-*
70. *res, quos Centurionem aut Tribunum sibi eligentes nemo ferret, Imperium adsignabunt? Admittitis exemplum? et quiescendo commune crimen facitis? Transscendet hæc licentia in provincias: et ad nos scelerum exitus, bellorum ad vos, pertinebunt. Nec est plus, quod pro cæde Principis, quam quod innocentibus datur: sed perinde a nobis donativum ob fidem, quam ab aliis*
31 *pro facinore accipietis.* Dilapsis speculatoribus, cetera cohors, non adspernata concionantem, ut turbidis rebus evenit, forte magis et nullo adhuc consilio, parat signa, quam, quod postea creditum est, insidiis et simulatione. Missus et Celsus Marius ad electos Illyrici exercitus, Vipsania in porticu tendentes. Præceptum Amulio Sereno et Domitio Sabino, primipilaribus, *ut Germanicos milites e Libertatis atrio arcesserent.* Legioni classicæ diffidebatur, infestæ ob

Minus XXX. tr.] Respice ad c. 27.

Sed proinde a nobis] *Perinde* legendum esse consentiunt multi. Sed libri omnes *proinde*. male, ut alibi. Broterius tamen in MS. Harleiano reperit *perinde* et edidit. Ern.

Donativum] Cod. Med. et Bud. *donativo*, ut alias dono, muneri. Quod sequebatur in edd. *plus*, non est in Bud. recteque delevit Rhen.

Ut turbidis rebus evenit, timore] Locus totus mihi inter infirmos. Vacillat etiam Budensis scriptio, *rebus evectior ire magis et nullo adhuc consilio.* Ex qua facias: *evenit, ira magis, et nonnulli ad hoc.* At in Flor. est, *eventior te magis:* unde Pichena, *forte magis.* Lips. Guelf. *timore magis,* ut editi habent usque ad Pichenam: nisi quod ed. pr. *evectior re . . . et nonnullo a. c.* Deinde pro *parat signa*, quod edd. omnes et Bud. habent Flor. *par signas.* Guelf. plane ut Lipsius conjecerat, *pars ingens.* Hinc varie tentatus locus. J. Gronovius Pichenæ rationem probat: quam et nos secuti sumus. Freinshemius mavult *more*, et dein, *nullo consilio*, item, *quam ut*, pro *quod.* At *more* hic alienum est. Nec *signa parare* placet, quæ jam aderant, et tantum convellenda erant: igitur *pars ingens* et *nullo a. c.* præferam. Illud Broterius in tribus MSS. reperit, hoc propter *forte* necessarium est: *pars ingens*, int. cohortis. Ern. Triller. Obs. Crit. 3, 22. legit *erectior temere magis* etc. Ingeniose Bip. *ut t. r. evenit, in orbem agi, sed inconsulto adhuc consilio; pars agitans, quod* etc. Sequor Broterium. Acid. suo more locum transpositione sanare studebat. Sic et proxime sequentia turbat.

Celsus Marius ad electos] Credo ideo, quia notus iis et in Illyrico militaverat. Tacitus 15, 25. *Et legio decimaquinta, ducente Mario Celso, e Pannonia adjecta est.* Videtur igitur Legatus fuisse ejus legionis. Lips. Cf. et c. 14.

Vipsania in porticu] Nam miles, extra ordinem in urbe, agere plerumque solitus in porticibus aut templis. Noster 2, 93. infra: *Sed miles in porticibus aut delubris.* Ipsi Prætoriani in Palatii porticibus excubabant. Vult Isidorus 9, 3. *Excubitores, quod excubias agunt. Sunt enim ex numero militum, et in porticibus excubant propter Regalem custodiam.* Lips. *Vipsania* recte e MS. Flor. edidit J. Gron. Vulgo *Vipsani* aut *Vipsanii.* Ed. pr. *Vipsano.* Mox *arcesserent* legi volunt pro *accerserent.* Recte. et sic exhibet MS. Oxon. (et Bud.) nosque edidimus. Vide ad c. 14. Ern. Bud. *tendentis.* sic passim antique. Porticus ista alias Neptuni item Argonautarum dicta, in regione urbis IX. de qua Donatus et Nardinus videndi.

Legioni classicæ diffidebatur] Sic recte Guelf. a pr. manu. Erasum a. m. sec. *ur.* Sic volebat Acidalius. Alii omnes (et Bud.) *diffidebat:* quod vitiosum esse facile apparet. De legione classica et classicis v. ad c. 36. Mox MSS. Flor. Guelf. (et Reg. Lall.) ed. pr. *Cetrius.* item *necdum* Flor. ed. pr. Sic voluit et Rhenanus (ex ingenio) sed operæ non paruere. Recepit Jac. Gronovius. Vulgo

cædem commilitonum, quos primo statim introitu trucida- A. U.
verat Galba. Pergunt etiam in castra Prætorianorum Tri- 823.
buni, Cerius Severus, Subrius Dexter, Pompeius Longi- A. C.
nus; si incipiens adhuc, et necdum adulta seditio, meliori- 70.
bus consiliis flecteretur. Tribunorum Subrium et Cerium mi-
lites adorti minis, Longinum manibus coercent exarmantque;
quia non ordine militiæ, sed e Galbæ amicis, fidus Principi
suo, et desciscentibus suspectior erat. Legio classica, nihil
cunctata, Prætorianis adjungitur. Illyrici exercitus electi
Celsum ingestis pilis proturbant. Germanica vexilla diu
nutavere; invalidis adhuc corporibus et placatis animis,
quod eos, a Nerone Alexandriam præmissos, atque inde rur-
sus longa navigatione ægros, inpensiore cura Galba refove-
bat. Universa jam plebs palatium inplebat, mixtis servi- 32
tiis, et dissono clamore, *cædem Othonis et conjuratorum exi-
tium* poscentium, ut si in circo ac theatro ludicrum aliquod
postularent: neque illis judicium aut veritas: quippe eodem
die diversa pari certamine postulaturis: sed tradito more,
quemcumque Principem adulandi, licentia adclamationum
et studiis inanibus. Interim Galbam duæ sententiæ distine-
bant; T. Vinius, *manendum intra domum, opponenda servitia,
firmandos aditus, non eundum ad iratos* censebat: *daret malo-
rum pœnitentiæ, daret bonorum consensui spatium. scelera inpetu,
bona consilia mora valescere. Denique eundi ultro, si ratio sit,
eandem mox facultatem: regressus, si pœniteat, in aliena pot-
estate. Festinandum* ceteris videbatur, *antequam cresceret* 33
*invalida adhuc conjuratio paucorum. Trepidaturum etiam
Othonem, qui furtim digressus, ad ignaros inlatus, cunctatione
nunc et segnitia terentium tempus imitari Principem discat.
Non exspectandum, ut, compositis castris, forum invadat, et,*

nondum. Ern. Bud. *Cerrius* et *nedum*. Puteol. *Cerius*. Bip. forsan *Curtius Sev.* de quo 12, 55.

Principi suo] Suspectum mihi est *suo*, et a librario germanizante additum. Ern.

Celsum] Bud. *Festum Celsum.*

Ingestis pilis] Sic MSS. Bud. Agr. (et Reg. Lall.) ed. pr. Firmat Flor. *incestis*. Ceteri *infestis*, quod, ut notius, illi substitutum. Mox possis conjicere *refoverat* e Suet. Galb. 20. *quod se ægros et invalidos magnopere fovisset.* Sed vulgatum ferri potest, cum præsertim præcedat *adhuc invalidis corporibus*. Ern. Brot. et Bip. recepere *infestis*.

Dissono clamore] Qualis sit, disce e c. 36. med. Ern.

Conjuratorum exsilium poscentium] Acidalius *exitium*. Recte. Mox c. 37. *supplicia* postulari Otho dicit. Et sæpe eæ voces permutatæ in libris. Plane autem confirmatur correctio c. 72. ubi impetratum *exitium*. *Exsilia* plane aliena. Itaque *exitium* recipere non dubitavi. Ern. Sic et Brot. Lall. Bip.

Neque illis judicium aut veritas] Est hendiadys. Non de vero animi judicio, ut Cicero loqui solet, ista postulabant, sed impetu ac temere. *Pari certamine* est pari studio, clamore. Ern.

Eundi ultro] Ryck. explicat *sponte se offerendi*. Rectius Bip. *domo procedendi*.

Non exspectandum] Efficaciorem orationem fore putat Freinshem. si legatur *an* (ut A. 2, 77.). Verum est. Sed lenius fuerit *num*, ut jam monuit J. Gron. Mox *capitolium adeat*. sc. de more, ut auspicaturus Imperium sacrificet. Post Guelf. (et Bud.) *claudit*, ut edd. ante

A. U. 823. A. C. 70. *prospectante Galba, capitolium adeat: dum egregius Imperator, cum fortibus amicis, janua ac limine tenus domum cludit, obsidionem nimirum toleraturus. Et præclarum in servis auxilium, si consensus tantæ multitudinis, et, quæ plurimum valet, prima indignatio elanguescat. Proinde intuta, quæ indecora: vel, si cadere necesse sit, occurrendum discrimini. Id Othoni invidiosius, et ipsis honestum.* Repugnantem huic sententiæ Vinium Laco minaciter invasit, stimulante Icelo, privati

34 odii pertinacia, in publicum exitium. Nec diutius Galba cunctatus, speciosiora suadentibus accessit. Præmissus tamen in castra Piso, ut juvenis magno nomine, recenti favore, et infensus T. Vinio seu quia erat, seu quia irati ita volebant; et facilius de odio creditur. Vix dum egresso Pisone, occisum in castris Othonem, vagus primum et incertus rumor: mox, ut in magnis mendaciis, interfuisse se quidam et vidisse, adfirmabant, credula Fama inter gaudentes et incuriosos. Multi arbitrabantur, compositum auctumque rumorem, mixtis jam Othonianis, qui ad evocandum

35 Galbam læta falso vulgaverint. Tum vero non populus tantum et inperita plebs in plausus et inmodica studia, sed Equitum plerique ac Senatorum, posito metu incauti, refractis palatii foribus, ruere intus, ac se Galbæ ostentare, præreptam sibi ultionem querentes. Ignavissimus quisque et, ut res docuit, in periculo non ausurus, nimii verbis, linguæ feroces: nemo scire, et omnes adfirmare: donec inopia veri, et consensu errantium victus, sumpto thorace, Galba, inruenti turbæ, neque ætate, neque corpore sistens,

Lipsium. ed. pr. *excludit.* male. sed firmat *τὸ cludit,* quod jam Lipsius dedit. Ern.

Indign. languescat] MS. Flor. *indignatione langu.* unde J. Gron. corrigit *indignatio elanguescat*: placet. Ern. Recepere Lall. et Dotteville. Sequor. Sic et c. 46. et 4, 42.

Credula fama] Passive *credula* dixit: nove. nisi si *ποιητικώτερον famam* de hominibus dissipantibus rem temere creditam capias. Ern. Notat Savilius ex Dionysio Hal. consuetam fuisse Thucydidi activorum in passiva, et contra, mutationem. Simili modo *gnarum* pro *noto* passim; *volens* pro *grato; fuga* pro *exilio; largitio vulgi* pro *in vulgus collata* etc. apud nostrum. Possis tamen cum Virg. Æn. 4, 188. *Famam* accipere pro *Dea ficti pravique tenace.*

Vulgaverint] Sic scripti. (in his Bud.) edd. pr. Puteol. Rhen. sqq. At Ber. Alc. *vulgaverant.* Ern.

Ruere intus] Nihil hic vitii, ut nimis prono in conjecturas Acidalio visum et Ryckio. *Ruere* referendum primo ad *in plausus et i. st.* quoad pertinet ad populum et plebem, deinde ad *intus* pro *intro,* quoad pertinet ad Equites et Senatores. Ceterum Heinsius *ignavissimus* etc. conjungit cum *querentes.* et sic est in Guelf. ed. pr. Interpunctio vulgata est a Puteol. Mox Guelf. *nimiis verbis.* Ern. *Eo intus: sum intro* solœcismis adnumerat Quinctil. 1, 5, 50. Habet tamen Cato de R. R. *quæ intro dolitabunt.* et Cæsar B. C. 3, 26. *Quo simul atque intus est itum.*

Irruenti turbæ] Rhenanus Budensem scripturam secutus, legit, *irruente turba, neque corpore sistens.* hoc sensu, ut dicat, propter irruentem turbam, et quia corpore non posset sistere sive insistere, sella levatum. Meis tamen libris (et Agr.) scriptæ eæ voces, quas tollit: legamque potius, *irruenti turbæ neque æ. n. corpore resistens.* hac mente: Galbam, et ætate et corpore invalidum, non sustinuisse effuse irruentem et gratulantem turbam. Lips. *Resistens* etiam

sella levaretur. Obvius in palatio Julius Atticus, speculator, cruentum gladium ostentans, *occisum a se Othonem*, exclamavit: et Galba, *Commilito*, inquit, *quis jussit?* insigni animo ad coercendam militarem licentiam, minantibus intrepidus, adversus blandientes inconruptus. Haud dubiæ jam in castris omnium mentes: tantusque ardor, ut non contenti agmine et corporibus, in suggestu, in quo paullo ante aurea Galbæ statua fuerat, medium inter signa Othonem vexillis circumdarent. Nec Tribunis aut Centurionibus adeundi locus: gregarius miles caveri insuper præpositos jubebat. Strepere cuncta clamoribus et tumultu et exhortatione mutua, non tamquam in populo ac plebe, variis segni adulatione vocibus, sed, ut quemque adfluentium militum adspexerant, prensare manibus, complecti armis, conlocare juxta, præire sacramentum, modo Imperatorem militibus, modo Imperatori milites commendare. Nec deerat Otho, protendens manus, adorare vulgum, jacere oscula, et omnia serviliter pro dominatione. Postquam universa classicorum legio sacramentum ejus accepit; fidens viribus, et,

A. U. 823. A. C. 70.

36

Faerno placebat (et Heinsio): idque verum puto. Prima syllaba absorpta est a finali præcedentis verbi, ut centies alibi in MSS. *Insistens* MS. Agr. ed. pr. Mox *exclamavit*, quod e Flor. dedit Pichena, etiam Guelf. (Bud.) ed. pr. ceteræ *clamavit:* item *coercendam*, quod edidit Rhen. (e Bud.) post Put. at Ber. *coercendum*, quod ipsum quoque rectum esse, hodie satis constat. Ern. Rhenanum male cepit Lipsius. Bud. ita habet *irruenti turbæ neque corpore sistens*, omissis *neque ætate*. Inde Rhen. conjicit legendum *irruente turba;* in textu tamen vulgatum servat. Mox *se sistens* Bip. mallent.

Aurea Galbæ statua] Apparet ita tunc receptum in castris, A. 15, 29. *Medio tribunal sedem curulem et sedes effigiem Neronis sustinebat.* Lips.

Prensare] Sic dedimus pro vulg. *prehensare:* quia Tacitus sic semper, si bonis libris fides. MS. Flor. (et Agr.) ed. pr. *pressare* ut 14, 10. ubi vid. Jac. Gron. qui ad c. 66. tam acriter defendit, Tacitum ubique scripsisse *prensare*, tamen hic illam suam rationem deseruit. sed videtur esse vitium operarum, nam l. c. etiam hunc locum affert, ubi *prensare* scribendum sit. Ern. Bud. *prensare.*

Complecti armis] Muretus vellet, *arctius.* Non equidem: et militaris salutatio fuit, et affusi sunt cum gladiis et scutis, atque iis amplexi. Siquid mutandum; vellem, *amplecti armis.* Lips. Vulgatum est in libris scr. (Flor. Bud. Agr.) et edd. Ryckius et Schurzfleischius intelligebant *armos*, brachia. male. Schurzfl. hic etiam comparat frustra Virgil. Æn. 11, 641. Immo arma intelligenda, i. e. scutum, quo in complexu arctius admovetur pectori amicus. Et sunt tales amplexus apud Homerum. Ern.

Jacere oscula] Φιλήματα πέμπειν. Xiphil.

Classicorum legio] Hæc est lectio MS. Flor. Bud. Agr. ed. pr. quam bene restituit J. Gron. Falsum tamen est, quod *classiariorum* putat esse ab ingenio Beroaldi. Nam sic MS. Guelf. ed. Puteol. ex qua accepit Beroaldus. Neque credo, non et *classiariorum legionem* dici eodem sensu posse, et non *classicos* eosdem *classiarios* vocari, ut vult Fabrettus ad Columm. Traj. c. 3. p. 69. negans etiam p. 84. legiones classicas *classiarias* dici posse ex h. l. Taciti, cum Lazio, et *classiariorum legionem* vocari putans, quod ea legio fuerit, quam e classiariis Nero conscripserat. Nam etsi verum est, *classiarios* subinde intelligi *remiges*, et distingui a sociis navalibus, hoc est, militibus classem propugnantibus, et bellum mari gerentibus, tamen idem nomen etiam de militibus dici, minime ambiguis exemplis doceri potest, quæ etiam in lexicis exhibentur; unde, qui in antiquis monimentis *Centurio classi-*

A. U. 823. A. C. 70. quos adhuc singulos exstimulaverat, accendendos in commune ratus, pro vallo castrorum ita cœpit: *Quis ad vos processerim, commilitones, dicere non possum: quia nec privatum me vocare sustineo, Princeps a vobis nominatus; nec Principem, alio imperante. Vestrum quoque nomen in incerto erit, donec dubitabitur, Imperatorem Populi Rom. in castris, an hostem habeatis. Auditisne, ut pœna mea et supplicium vestrum simul postulentur? adeo manifestum est, neque perire nos, neque salvos esse, nisi una, posse. Et, cujus lenitatis est Galba, jam fortasse promisit: ut qui, nullo exposcente, tot millia innocentissimorum militum trucidaverit. Horror animum subit, quotiens recordor feralem introitum, et hanc solam Galbæ victoriam, cum, in oculis urbis, decumari deditos juberet, quos deprecantes in fidem acceperat. His auspiciis urbem ingressus, quam gloriam ad Principatum adtulit, nisi occisi Obultronii Sabini et Cornelii Marcelli in Hispania, Betui Chilonis in Gallia, Fonteii Capitonis in Germania, Clodii Macri in Africa, Cin-*

cus vocatur, ut ap. Donium Cl. 6, 15. apud nostrum *Centurio classiarius* dicitur A. 14, 8. Eademque inconstantia reperitur in verbis *nautæ, socii navales*. Nam, cum *nautæ* vulgo de remigibus dicantur, apud Ciceronem clare dicuntur etiam pro militibus navalibus. Verr. 5, 17. sunt *nautæ militesque*, et 20. extr. pro quo sunt c. 51. *milites remigesque*, et c. 33. *propugnatores atque remiges*. at c. 50. *remiges nautæque*. item c. 34. Porro *socii navales* de remigibus non uno loco dicuntur, apud Livium v. c. 21, 50. *ut sociis navalibus affatim instructam classem, ita inopem milite habebant*, ubi v. Sigon. item c. 61. *classici milites navalesque socii*. at apud eundem *socii navales* pro militibus classicis 26, 48. qui ante *socii navales* dicti erant, distinctique a *legionariis* militibus, clare mox *classici milites* vocantur. Ceterum *legionis classicæ* mentio supra c. 31. item *classicorum*, qui sunt ex ista legione II. 2, 11. 67. etc. Nempe, ut tradit Vegetius 5, 1. *apud Misenum et Ravennam singulæ legiones cum classibus stabant*. de quo loco vid. Fabrett. l. c. p. 83. quamquam etiam antiquioribus scriptoribus et in liberæ Reip. historia *legiones classis* memorantur, ut ap. Liv. 22, 57. 24, 2. Hinc *cohortes classicæ* in inscriptionibus antiquis. Add. A. van der Mieden in erudita disp. ad Marmor vetus de P. Sulpicii Quirini Censu. Traj. 1745. p. 15. sq. Mox *vocare* bene restituit Pichena (e Flor.) pro quo *vocari* edidit Rhenanus (e Bud.). ERN. Bud. perperam *classiorum*, unde Rhen. *classiariorum*. Mox Bud. *imperitante*. De classicis apud Misenum v. Xiphil. 73, 16.

Cujus lenitatis est] Sic MSS. Fl. (Bud.) Agr. Guelf. estque mordacius eo, quod omnes edd. ante Ryckium et J. Gron. habent *levitatis*: alioqui et ipsum bonum sensum habet. Mox *militum* pro *civium* habet etiam (Bud. Flor. Agr. et) ed. pr. at Guelf. edd. a Puteol. ad Pichenam alterum. Sane milites fere occiderat: et militum mentio ad exacerbandos milites efficacior, quam civium. ERN.

Obultronii Sabini] Conjectura ductus sic restitui, cum in libris esset, *ab ultroniis Albini*. Suspicor autem eum esse, de quo Tacitus A. 13, 28. *Helvidius Priscus adversus Obultronium Sabinum ærarii Quæstorem proprias contentiones exercuit*. LIPS. *Obultronii* plane Guelf. sed dein *Albini*. ERN.

Et Cornelii Marcelli] Libri scripti ita appellant, hominem alia mihi ignotum. Paullo post *Vettii Chilonis* lego, cum Rhenano. LIPS. Ejus (*Marcelli*) mentio tamen A. 16, 8. Sueton. Galb. 9, 12. ERN.

Vettii Chilonis] Hæc est correctio Rhenani, Lipsio probata, recepta a Freinshemio et sqq. MSS. (in his Bud.) et edd. vett. *Betuichilonis* vel *Berrich*. Flor. divisum *Betui Chilonis*, quæ est vera lectio, ut ex inscr. ap. Gruter. p. 375. plane demonstrat J. Gronovius, in qua C. BETUO TRO. CILONI. ERN.

gonii in via, Turpiliani in urbe, Nymphidii in castris? Quæ A. U. *usquam provincia, quæ castra sunt, nisi cruenta et maculata?* 823. *aut, ut ipse prædicat, emendata et correcta? Nam, quæ alii* A. C. *scelera, hic remedia vocat: dum falsis nominibus, severitatem* 70. *pro sævitia, parsimoniam pro avaritia, supplicia et contumelias vestras, disciplinam adpellat. Septem a Neronis fine menses sunt, et jam plus rapuit Icelus, quam quod Polycleti et Vatinii et Elii paraverunt. Minore avaritia ac licentia grassatus esset T. Vinius, si ipse imperasset: nunc et subjectos nos habuit, tamquam suos, et viles, ut alienos. Una illa domus sufficit donativo, quod vobis nunquam datur, et cotidie exprobratur. Ac,* 38
ne qua saltem in successore Galbæ spes esset, accersit ab exsilio, quem tristitia et avaritia sui simillimum judicabat. Vidistis, commilitones, notabili tempestate etiam Deos infaustam adoptionem aversantes. Idem Senatus, idem Populi Rom. animus est. Vestra virtus exspectatur, apud quos omne honestis consiliis robur, et sine quibus, quamvis egregia, invalida sunt. Non ad bellum vos, nec ad periculum voco: omnium militum arma nobiscum sunt. Nec una cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet. Cum vos adspexerit, cum signum meum acceperit, hoc solum erit certamen, quis mihi plurimum inputet. Nullus

Quæ castra] Bud. *Quæ in castris.*

Vatinii, et Elii, et alii] Vulgatis libris erat, *et Egii*, qui mihi quidem inter potentiores libertos irreperti. At Elium invenio (Dioni 63, 12. 64, 3. scribitur Ἥλιος) qui magnus apud Neronem, quique, abeunte eo in Græciam cantillatum, Præfectus mansit urbi Romæ. Est is ipse, de quo Tacitus 13, 1. *P. Celer Eques Romanus et Elius libertus, rei familiari Principis in Asia impositi.* Quod sequitur, *et alii:* videndum, ne superfluat, natumque sit ex hæsitantia librarii, et adfinitate vocis prioris. LIPS. Conjiciebam: *et jam plus rapuit Icelus, quam Polycleti et Vatinii et Elii et Tigellini paraverunt.* GRON. Ryckius *et Haloti* ex 12, 66. Suet. Galb. 15. (Id recepit Brot.) Jac. Gron. ex *et ægi* quod est in Flor. Guelf. etc. *Cethegi*, qui aliunde non noti in historia Neronis. Mox *ac* bene e Flor. pro *aut* Pich. Sic et (in Bud. et) Guelf. ed. pr. Idem deinde dedi *adversantes*, pro vulg. *avers.* cum (Mur. et) Pichena. de quo supra vidimus ad c. 1. In delendo *quod* consentio (Acidalio et) Gronovio. ERN. Bud. *adversantes.*

Nec una cohors togata] Quare Togata? et satisne ea vox sana? sana. Appellat enim ita, velut elevans et infirmans, quia moris, ut illa cohors, quæ more militiæ excubabat, idipsum faceret sine armis, gladiis tantum lanceisque contenta. Itaque et togis induti erant, non sagis. Modestiæ caussa institutum id videtur: et ne Mars palam habitare videretur in sua urbe. Huc spectat, quod infra legis, *apertum in castris armamentarium fuisse, rapta arma.* quorum scilicet armorum non iis vulgo jus aut usus, nisi Tribunis aut Præfecto permittente. Ideo in Martiali de Fusco (6, 76.). Præfecto Prætorii: *Ille sacri lateris custos Martisque togati, Credita cui summi castra fuere Ducis.* Vocat ecce *togati Martis* custodem ab hoc habitu: atque adeo in ipsa Italia tota milites togatos esse voluit M. Antoninus, de quo Capitolinus c. 27. *Per Brundisium veniens in Italiam, togam et ipse sumpsit, et milites togatos esse jussit. nec umquam sagati fuerunt sub eo milites.* Hæc tamen de ipsis Prætoriis cohortibus tantum accipio, quæ e civibus: de Batavis Germanisque custodibus, scimus aliter fuisse. LIPS. Ceterum legendum videtur *nec illa cohors togata:* nisi vulgatum dictum putemus abrupta brevitate, pro, nec illa cohors, quæ et una et togata est: quod non præfracte negem. sed illud mollius et usitatius. ERN.

Quis mihi plurimum imputet] Dictum

A. U. 822. A. C. 70. *cunctationi locus est in eo consilio, quod non potest laudari, nisi peractum.* Aperire deinde armamentarium jussit. rapta statim arma, sine more et ordine militiæ, ut prætorianus aut legionarius insignibus suis distingueretur: miscentur auxiliaribus galeis scutisque. Nullo Tribunorum Centurionumve adhortante, sibi quisque dux et instigator: et præcipuum pessimorum incitamentum, quod boni mærebant.

39 Jam exterritus Piso fremitu crebrescentis seditionis, et vocibus in urbem usque resonantibus, egressum interim Galbam, et foro adpropinquantem, adsecutus erat: jam Marius Celsus haud læta retulerat: cum alii, *in palatium redire*, alii, *capitolium petere*, plerique, *rostra occupanda*, censerent, plures tantum sententiis aliorum contradicerent, utque evenit in consiliis infelicibus, optima viderentur, quorum tempus effugerat. Agitasse Laco, ignaro Galba, de occidendo T. Vinio dicitur, sive ut pœna ejus animos militum mulceret, seu conscium Othonis credebat, ad postremum, vel odio. hæsitationem adtulit tempus ac locus, quia, initio cædis orto, difficilis modus. et turbavere consilium trepidi nuntii ac proximorum diffugia, languentibus omnium studiis, qui primo alacres fidem atque animum ostentaverant.

40 Agebatur huc illuc Galba, vario turbæ fluctuantis inpulsu: completis undique basilicis ac templis, lugubri prospectu. neque populi, aut plebis ulla vox; sed adtoniti vultus et conversæ ad omnia aures. non tumultus, non quies: quale magni metus et magnæ iræ silentium est. Othoni tamen, *armari plebem*, nuntiabatur. *Ire præcipites et occupare pericula* jubet. Igitur milites Romani, quasi Vologesen aut Pacorum avito Arsacidarum solio depulsuri, ac non Imperatorem suum inermem et senem trucidare pergerent, disjecta plebe, proculcato Senatu, truces armis, rapidis equis, forum inrumpunt. nec illos capitolii adspectus, et inminentium templorum religio, et priores et futuri Principes ter-

exquisitius consequens pro antecedente, hoc sensu: quis pro me acrius contendendo efficiat, ut ei plus debeam. Ern. Cf. c. 55.

Cunctationi] Sic Bud. ast Flor. Agr. *cunctationis.*

Aperire deinde armamentarium jussit] *Aperire* scr. (Bud. Agr.) et edd. omnes, ante Pichenam, qui recepit *aperiri*, quod omnes secuti sunt. Ego vetus restitui. Nam *jubere* et cum infinitivo activo dicitur, intellecto accusativo eorum, qui jubentur: v. Drakenb. ad Liv. 27, 24. et quos ibi laudat. Mox noster c. 40. *occupare pericula jubet*, sc. milites: ubi Rhenanus ex ingenio, ut opinor, (v. ibi notata) *occupari* edidit cum seqq. nonnullis. Sed id nec Lipsius nec sequentes imitati sunt. Atque etiam supra c. 36. pro *miles caveri præpositos jubebat* Muretus, qui hic corrigit *aperiri*, legi vult *cavere*. adeo inconstantes in hoc sunt viri docti. Ern.

Ad postremum vel odio] Sic primus Rhen. (ex ingenio) edidit: ante omnes *ad posterum*, ut et Guelf. (et Bud.) habet. Ern.

Huc illuc] Bud. *huc et illuc.* Mox Agr. *aspectu*, et dein *conculcato.*

Occupare pericula jubet] Sic scr. et edd. ante Rhen. V. ad c. 38. Mox Flor. (et Reg. Lall. et Bud.) *rapidi equis.* Ern. Bud. et ex eo Rhen. *occupari.* Sed sub activo intelligitur *suos.*

ruere, quo minus facerent scelus, cujus ultor est, quisquis A. U.
successit. Viso cominus armatorum agmine, vexillarius 823.
comitatæ Galbam cohortis (*Atilium Vergilionem fuisse* tra- A. C. 70.
dunt) dereptam Galbæ imaginem solo adflixit. Eo signo 41
manifesta in Othonem omnium militum studia, desertum fuga populi forum, destricta adversus dubitantes tela. Juxta Curtii lacum, trepidatione ferentium Galba projectus e sella ac provolutus est. Extremam ejus vocem, ut cuique odium aut admiratio fuit, varie prodidere. Alii, suppliciter interrogasse, *quid mali meruisset? paucos dies exsolvendo donativo* deprecatum: plures, obtulisse ultro percussoribus jugulum, *agerent ac ferirent, si ita e Republica videretur.* non interfuit occidentium, quid diceret. De percussore non satis constat. quidam *Terentium Evocatum*, alii *Lecanium;* crebrior fama tradidit *Camurium XV. legionis militem, impresso gladio, jugulum ejus hausisse.* Ceteri crura brachiaque, nam pectus tegebatur, fœde laniavere: pleraque vulnera
feritate et sævitia trunco jam corpori adjecta. Titum inde 42
Vinium invasere. de quo et ipso ambigitur, consumpseritne vocem ejus instans metus, an proclamaverit, *non esse ab Othone mandatum, ut occideretur.* Quod seu finxit formidine, seu conscientiam conjurationis confessus est: huc potius ejus vita famaque inclinat, ut conscius sceleris fuerit, cujus caussa erat. Ante ædem D. Julii jacuit, primo ictu

Vexillarius comitantis G. cohortis] Hæc lectio debetur Rhenano, qui an e MSS. duxerit, nescio. Nam in scriptis aliis et edd. ante Rhen. aliter est. (omnino Rhen. sic e Bud.) Flor. *comitatæ Galbæ coh.* Guelf. a man. pr. *comitatas Galbæ cohortes*, man. sec. fecit *comitatus*, quod est in MS. Agr. edd. ante Rhen. deinde *Galbæ cohortis:* in ed. pr. tantum *Galbæ.* Corrigendum potius fuisse *comitatæ Galbam cohortis*, credo cum Ryckio et J. Gronovio, quod et sensus postulat: et fecisset sic Rhenanus, si cod. Flor. habuisset. *Vergilionem* mox omnes libri. Plutarchus *Servilionem* vocat. Sed MS. Fl. habet *adilium*, ed. pr. *ad illum:* unde J. Gron. conjicit *A. Dilium* pro *Dillium* vel *Dellium.* Plutarchus c. 26. Αἰτίλλιον vocat. (Bud. *Atilium.*) Post Rhenanus bene (e Bud.) *dereptam* fecit e *direptam:* sed debebat etiam mox *destrictam* e *districtam.* Ern.

Solo adflixit] Bud. *solo afflixit.*

Curtii lacum] Sic e Flor. edidit J. Gron. Sic habent MS. Agr. ed. pr. Sic est etiam H. 2, 55. et ap. Sueton. 20. *Martis campum* supra vidimus, ubi pariter plures *Martium* edidere. Ern. Bud. *Curtium.*

Si ita e Rep.] Flor. *ita rep.* unde J. Gron. corrigit *id e rep.* MS. Agr. ed. pr. *ita reip.* Sed *hoc* ab initio addi, e formula solenni *hoc age*, ut Muretus et Acidalius volunt, non necessarium puto. Ern. Bud. *Ita e. Rep.*

Quidam etc.] V. et Plut. in Galba 27. qui non omnes hos, sed etiam alios commemorat, ut *Arcadium*, et *Fabium Fabulum.* Ern.

Nam pectus tegebatur] Agr. *Nam pectus thorax tegebat.*

Corpori adjecta] Groslotius, etsi vulgatum ferri posse fatetur, mavult tamen *adacta*, cui conjecturæ favet dativus *corpori*, quod verbum aptius huic, quam illi. Ern.

Conscientia conjurationis confessus est] Videtur *conscientiam* legendum Acidalio (et Heinsio). Recte, ut opinor. Non enim in illis est proprie confessio. Plutarchus ὁμολογῶν κοινωνὸς γεγονέναι τῆς συνωμοσίας: quod valde firmat hanc correctionem. Ern. *Conscientiam* probat et Lall. nec dubito recipere.

A. U. 823. A. C. 70. in poplitem, mox ab Julio Caro, legionario milite, utrumque latus transverberatus. Insignem illa die virum Sempronium Densum ætas nostra vidit. Centurio is Prætoriæ
43 cohortis, a Galba custodiæ Pisonis additus, stricto pugione occurrens armatis et scelus exprobrans, ac modo manu, modo voce, vertendo in se percussores, quamquam vulnerato Pisoni effugium dedit. Piso in ædem Vestæ pervasit, exceptusque misericordia publici servi et contubernio ejus abditus, non religione, nec cærimoniis, sed latebra imminens exitium differebat: cum advenere, missu Othonis, nominatim in cædem ejus ardentes, Sulpicius Florus, e Britannicis cohortibus, nuper a Galba civitate donatus, et Statius Murcus, speculator: a quibus protractus Piso, in foribus
44 templi trucidatur. Nullam cædem Otho majore lætitia excepisse, nullum caput tam insatiabilibus oculis perlustrasse dicitur: seu tum primum levata omni sollicitudine mens vacare gaudio cœperat: seu recordatio majestatis in

Julio Caro] Sic MSS. Flor. Guelf. at edd. ante Rhen. *Cario*. Ern. Bud. *Cario.*

In utrumque latus transverberatur] Suspicor præpositionem non esse a Tacito. Liv. 21, 7. *adversum femur tragula graviter ictus.* Auctor Africani belli c. 78. *pilo per cassidem caput ictus.* Idem 85. *Rufus brachium gladio percussus.* Suetonius Aug. 20. *crus et utrumque brachium consauciatus.* Gron. Sic visum et Heinsio. Verum est. Ern. Recte. Sic et Bip.

Centurio is Prætoriæ cohortis ad Galbæ custodiam a Pisone additus] Aliter concepta lectio in Farnesii codice: *Centurio is Prætoriæ ac Galbæ custodiæ a Pisone additus.* Quæ utravis tamen parum mihi certa. Quid enim? a Pisone custos hic Galbæ appositus? Quomodo potuit aut debuit? cum Galbæ sane, ut Principi, legitimi sui custodes et stipatores fuerint. Denique, unde ea auctoritas Pisoni? Tacitum etiam ipsum lege: videbis clare Sempronium hunc non Galbæ tutorem, sed Pisonis fuisse; cui quamvis vulnerato effugium etiam præbuit. Igitur inclinabam ut legerem: *Centurio is Prætorii, a Galba custodiæ Pisonis additus.* ut in illo motu rerum Galba, de Pisone anxius, addiderit ei custodem Centurionem. Hoc probabile. sustinet me tamen a pleno adsensu Dio et Plutarchus: qui ita narrant, ut Sempronius Galbam defenderit, non Pisonem. Si eos sequimur: tum mentem verborum Taciti faciam, ut hic Sempronius venerit in cohortes Prætorias, promotusque sit beneficio Pisonis: atque ita additus insertusque custodiæ. Vix tamen est, ut Taciti narratio cum Græcis iis non pugnet. Certe nec Suetonius, opem quemquam tulisse Galbæ, refert. Lips. Recepit Pichena cum sequentibus, ob Flor. lectionem, non longe abhorrentem, *a Galba custodi et a Pisonis additus.* Ed. pr. *ac Galbæ custodiæ a Pisone.* Guelf. (Bud.) edd. vett. omnes, ut ab initio indicatum. Acidalii correctio *Pisoni* non contemnenda: sed non propterea *ad custodiam* necessarium: nam *custodiæ* idem significat. Ern. Verba, quæ hic editio Alciati intrusit, nec Puteolanus habet, nec Bud. codex; rejecit et Rhen.

Occurrens armatis] Sic edidit Rhenanus (e Bud.) cum ante esset *armatus.* Guelf. *armatis.* ed. pr. *armis.* Mox bene idem (e Bud.) *cum* pro *tum.* Sed sic jam ed. pr. quæ etiam *advenirent* pro *advenere.* Male contra *jussu* pro *missu,* quod recte restituit Pichena: sic MSS. Flor. Guelf. edd. ante Rhen. et sic sæpe loquitur in tali re Tacitus. Ern. Bud. *advenere jussu.* Noster *missu* passim habet. Vid. ind.

Vagare gaudio] Repertum in opt. Vatic. non sprevi: quoniam passim veteres ita locutos sciebam. Vox autem apta, ad habitum explicandum mentis gaudio diffusæ et velut natantis. Lips. *Vacare* recte restituit Freinsh. quod omnes ante Lipsium edd. etiam scripti alii habent. Solita autem librariis hæc confusio, (v. Drakenb. ad Liv. 5, 8. 27, 16.) forte etiam hac de caussa, quod

Galba, amicitiæ in T. Vinio, quamvis inmitem animum A. U.
imagine tristi confuderat: Pisonis, ut inimici et æmuli, 823.
cæde lætari, jus fasque credebat. Præfixa contis capita A. C.
gestabantur, inter signa cohortium, juxta aquilam legionis: 70.
certatim ostentantibus cruentas manus, qui occiderant, qui interfuerant, qui vere, qui falso, ut pulchrum et memorabile facinus, jactabant. Plures quam CXX. libellos præmia exposcentium, ob aliquam notabilem illa die operam, Vitellius postea invenit: omnesque conquiri et interfici jussit: non honore Galbæ, sed tradito Principibus

media ætate *vagare* pro *vacare* dicebatur: unde *Clerici vagantes*, pro *vacantes*, in Concilio Vormatiensi apud Du Cangium, et alibi. in Cod. Theod. l. 49. *de Decurion.* præpositi *pacis* pro *pagis*, ut vidit Gothofr. Sic Ann. 3, 72. *arguerat* pro *arcuerat*. Ern. Bud. *vagare*. Sed Rhen. *vacare*.

Capita gestabantur] MS. Guelf. non habet *gestabantur*: sed in margine additum a man. sec. *gestantur*, quod est in ed. pr. Abest et a MS. Oxon. et potest commode abesse. Ern.

Quive vere, quive falso] Franc. Modius me monet in Rom. codice legi, *qui vere, qui falso*. Quod idem etiam scriptus Covarruviæ liber habebat. Lips. Item ed. pr. recepit Pichena, recte. est enim elegantius, et Taciti consuetudini congruens. *quive* tamen MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Unde nata sit syllaba, me tacente, apparet. Ern. Acid. volebat *qui vere, quive falso*.

Præmia exposc.] Flor. Bud. et Agr, *præmium*, quod recepit Gron.

Tradito Principibus more] Diu in hoc loco mei atque alieni fluctus. Nunc sisto in emendatione mea ultima: vera, etsi quidam renituntur. sed neque omnium est, veram criticam approbare: quid exercere? De re: ita lego. *Tradito Principibus more, munimentum ad præsens, in posterum ultione.* Ita verba structa apte, quæ alioqui non redigas sub grammaticæ leges: ita sententia concinna et vera. Ultio, inquam, hæc tradita est Principibus more, ad præsens munimentum et tutelam sui, sed quæ ultio? *in posterum*: id est, post ipsos, et ut successor ulciscatur. Tacitus in hac re c. 40. *Fecere facinus, cujus ultor est quisquis successit.* Et quo fine? ut ipsi in præsenti tutiores. Ita Claudius (in Suetonio 11.) *Centuriones e conjuratis in Caium interemit, exempli caussa.* et Domitianus Epaphroditum (in eodem 14.) *ut ostenderet, ne bono quidem exemplo audendam patroni necem.* Nimirum Principes, sollenniter puniendo Principum interfectores, se muniunt et tuentur. Œdipus hoc ita pulchre apud Sophoclem, ubi ait velle se exsequi et punire Laii cædem in Œd. Tyr. v. 139.

Ὅστις γὰρ ἦν, ἐκεῖνον ὁ κτανὼν, τάχ' ἂν
Κἄμ' ἂν τοιαύτῃ χειρὶ τιμωρεῖν θέλοι
Κείνῳ προσαρκῶν οὖν, ἐμαυτὸν ὠφελῶ.

Lips. Non memini me unquam, ex quo Taciti cum fructu tractandi fiduciam habui, hic loci hæsisse. Quid enim? nonne clamat auctor se dicere, Vitellium de istis supplicium sumpsisse, non ut Galbæ manes hac vindicta coleret, sed ut solent Principes punire omnes interfectores Principum, quo et ipsi in præsens sint ab insidiis hujusmodi tutiores, et successori exemplum ulciscendi, si quid ipsis contigerit, præbeant. *Ad præsens, in posterum*, sic H. 4, 17. *Clara ea victoria in præsens, in posterum usui.* Τὰ *munimentum* et *ultionem* sunt ἐπεξήγησις totius illius *conquiri et interfici jussit*: quasi foret: interfici jussit, quo recte Principes et more veteri judicant se sibi munimentum circumdare ad præsens, in futurum parare ultorem: vel quali animadversione putant Principes se comparare sibi, dum sunt, statum securiorem; si quid durius eveniat; ne desit vindex, ab ipsorum exemplo doctus decessorem non inultum pati. Collegeram ob genus loquendi fere omnia, quæ jam alii ediderunt. neque repeti necesse est. Sic et 16, 17. *Annæum Lucanum genuerat, grande adjumentum claritudinis.* Ad rem pertinent ista. Suetonius Claudio 11. *paucis e conjuratorum in Caium numero interemptis, exempli simul caussa, et quod suam quoque necem depoposcisse cognoverat.* Dio 47, 18. de triumviris: ὅτε γὰρ τῆς μοναρχίας ἐφιέμενοι, καὶ πρὸς αὐτὴν ἐπειγόμενοι, τούς τε σφαγέας αὐτοῦ (τοῦ Καίσαρος) τοὺς λοιποὺς ὀργῇ μετῆλσαν

A. U. 823. A. C. 70. more, munimentum ad præsens, in posterum ultionem. Alium crederes Senatum, alium populum. ruere cuncti in castra, anteire proximos, certare cum præcurrentibus, in-
45 crepare Galbam, laudare militum judicium, exosculari Othonis manum: quantoque magis falsa erant, quæ fiebant, tanto plura facere. Non adspernabatur singulos Otho, avidum et minacem militum animum voce vultuque temperans. Marium Celsum, Consulem designatum, et Galbæ usque in extremas res amicum fidumque, ad supplicium expostulabant, industriæ ejus innocentiæque, quasi malis artibus, infensi. Cædis et prædarum initium et optimo cuique perniciem quæri adparebat. sed Othoni nondum auctoritas inerat ad prohibendum scelus: jubere jam poterat. Ita, simulatione iræ, *vinciri* jussum, et *majores pœnas daturum* adfir-
46 mans, præsenti exitio subtraxit. Omnia deinde arbitrio militum acta. Prætorii Præfectos sibi ipsi legere: Plotium Firmum, e manipularibus quondam, tum vigilibus præpositum, et, incolumi adhuc Galba, partes Othonis secutum. adjungitur Licinius Proculus, intima familiaritate Othonis, suspectus, consilia ejus fovisse. Urbi Flavium Sabinum præfecere, judicium Neronis secuti, sub quo eamdem curam obtinuerat: plerisque Vespasianum fratrem in eo respicientibus. Flagitatum, *ut vacationes, præstari*

(quare? non profecto honore Cæsaris, ut Vitellius *non honore Galbæ, sed*) ὡς καὶ ἐκ τούτου τήν τε ἄδειαν σφίσιν, ὧν ἐποίουν, καὶ τὴν ἀσφάλειαν πόῤῥωθεν προπαρασκευάσοντες, (hoc utique *munimentum ad præsens*) καὶ πάνθ' ὅσα (hoc pro illo, *in posterum ultionem*, etsi melioris ominis et latius pateat) ἐς τιμὴν αὐτῷ ἔφερε, προθύμως ἔπραττον, ἐς ὑποδοχὴν τοῦ καὶ αὐτοί ποτε ὁμοίων ἀξιωθῆναι. Notabile quoque in hanc rem, quod Zonaras narrat in imperio Theophili 15, 25. Pater hujus Michael Balbus Leonem Armenium conspiratione sustulerat Regnumque invaserat. Filius αὐταρχήσας πρῶτον ἐποιήσατο ἔργον, τὴν κόλασιν τῶν τῷ πατρὶ αὐτοῦ συναραμένων εἰς τὸ τῆς βασιλείας τυχεῖν, καὶ ἀνελόντων τὸν Λέοντα. etc. GRON. Recte Gronovius, quem et vide Obs. 4. p. 272: idemque judicavere Bernecc. ad Sueton. Titum c. 6. Freinsh. et alii. Ultima intelligenda: ut esset munimentum etc. Lipsiana nota in ed. ultima in brevius contracta, sed majori fiduciæ significatione. ERN. Adde 13, 32. *Factum SC. ultioni juxta et securitati.*

Exosculari] Bud. *et osculari.*

Jubere jam poterat] Hæc verba aberant a MS. Bud. nec sunt in Guelf. Sed efficiunt sententiam nimis pulcram, quam ut non sint a Tacito. ERN. A Bud. absunt *ad proh. sc. i. n. p.* Idem mox *incolumi* absque conjunctione.

Simulatione iræ] Seneca explicat, qui callide hoc ad primam magnamque iram adhibendum suadet. De ira 3, 39. *quem non audet lenire, fallet. Simulabit,* inquit, *iram, ut tamquam adjutor, et doloris comes, plus auctoritatis in consiliis habeat: moras nectet, et, dum majorem quærit pœnam, præsentem differet.* Ipsa hæc nostra sunt, et moniti illius clarum hic exemplum. LIPS.

Vacationes] De his militarium operum vacationibus Justinus capiendus fuit 37, 4. *Hieme deinde imminente, non in convivio, sed in campo, non in vacationibus, sed in exercitationibus, nec inter sodales, sed inter æquales, aut equo aut cursu aut viribus contendebat.* Nec acutissimum Palmerium audire amicus meus debuit, *vocationes* substituentem et invitationes interpretantem. Imo vero has militares vacationes intellegit, et recte proprieque exercitationibus opponit. Tacitus A. 1, 17. *Vacationes munerum* appellat. et iisdem verbis Quinctilianus pro Milite c. 6. *Transeo oblatam no-*

Centurionibus solitæ, remitterentur. Namque gregarius miles, ut tributum annuum, pendebat. Quarta pars manipuli sparsa per commeatus, aut in ipsis castris vaga, dum mercedem Centurioni exsolveret: neque modum oneris quisquam, neque genus quæstus pensi habebat. per latrocinia et raptus, aut servilibus ministeriis, militare otium redimebant. Tum locupletissimus quisque miles labore ac sævitia fatigari, donec vacationem emeret. ubi, sumptibus exhaustus, socordia insuper elanguerat, inops pro locuplete et iners pro strenuo, in manipulum redibat: ac rursus alius atque alius, eadem egestate ac licentia conrupti, ad seditiones et discordias, et ad extremum in bella civilia ruebant. Sed Otho, ne vulgi largitione Centurionum animos averteret, *fiscum suum vacationes annuas exsoluturum*, promisit: rem haud dubie utilem, et a bonis postea Principibus perpetuitate disciplinæ firmatam. Laco Præfectus, tamquam in insulam seponeretur, ab evocato, quem ad cædem ejus Otho præmiserat, confossus: in Martianum Icelum, ut in libertinum, palam animadversum. Exacto per 47

A. U. 823.
A. C. 70.

lenti munerum vacationem, et blandius quam militiæ disciplina postulat, adulatum militi Tribunum: imperatas asperrimas expeditiones, ut remitterentur. Talem vacationem et Livius intellexit 7, 7. de cohortibus Hernicorum, *Immunes quoque operum militarium erant, ut in unum pugnæ laborem reservati plus quam pro virili parte adnitendum scirent.* Lips. Sunt autem pretia vacationum, pecunia, qua vacationes munerum redimerentur, ut verba *præstari* et *remitterentur* docent. Ern. Plura dat Marc. Donatus.

Pendebat. Pars manipulis] Libris veteribus vox inseritur, *pendebat quarta pars.* Numquid, *pendebat quartam?* ut velit in hoc tributum quartam stipendii partem erogatam? an magis Pichenam audimus? *Quarta pars manipuli sparsa per commeatus.* Audio, audio, et nihil melius veriusve. Lips. Recepit bene Freinsh. Nam sic Flor. Agr. Guelf. a manu sec. ed. pr. Ern. Bip. dedere *pendebat quartam*, quod Lipsio in mentem venerat. Sed quartam stipendii partem erogatam præcise, vix videtur auctor voluisse narrare. Verbum *pendebat*, absque casu positum, refertur ad *vacationes.* Bud. vitiosam Puteolani et al. lectionem offert, servatam a Rhenano.

Socordia miser elanguerat] Mallem *misere*, pro *miser*: aut cum Pichena (e Flor.) *insuper.* Lips. Guelf. *miser*, ed. pr. *socordia elanguerat.* Mox *seditiones* e Flor. J. Gron. sic et (c. Agr. et) ed. pr. Vulgo *seditionem.* Ern. Sic et Bud.

In bella civilia] Sic Heinsius recte. Τὸ *in* ultima præcedentis vocis littera abstulit.

Fiscum suum] Secutus sum J. Gronóvium, qui sic primus edidit e cod. Flor. in quo est *et fiscum suum*, ut in MS. Agr. (et Reg. Lall.) ed. pr. cum ceteri scr. (in his Bud.) et edd. habeant *ex fisco suo. Et* unde natum sit, in promtu est. Sed mihi et pronomen *suum* vel *suo* suspectum. An enim alius fiscus, quam Cæsaris? Et semper alibi, apud bonos scriptores, quantum memini, absolute dicitur, ut infra c. 58. *vacationes Centurionibus ex fisco numerat.* Et potuit facile pronomen hoc nasci e *fisco* vel *fiscum*, præsertim cum etiam *fisci* verbum scriberent vitiose, velut in Guelf. *physico*, in quo ultimæ duæ syllabæ prope nil differunt a *suo.* Post correxi *libertinum* pro *libertum.* Nam conditio hominis exprimitur, in qua *libertinus* dicitur non *libertus:* quod non sensit Broterius. Ern. Scripti et edd. *libertum.*

Tanquam—seponeretur] Sensus est, simulatum et divulgatum est, eum in insulam seponi, sed clam ab evocato confossum; nam opponitur *palam animadversum.* An excidit *clam* ante *tanquam?* Sed id Tacitus brevitatis studio potuit omittere. Ern. Bip. mallent *tum, quum.*

A. U. 823. A. C. 70. scelera die, novissimum malorum fuit lætitia. Vocat Senatum Prætor urbanus. certant adulationibus ceteri Magistratus. Adcurrunt Patres: decernitur Othoni *Tribunicia potestas et nomen Augusti et omnes Principum honores*, adnitentibus cunctis abolere convicia ac probra, quæ, promiscue jacta, hæsisse animo ejus, nemo sensit. omisisset offensas, an distulisset, brevitate imperii in incerto fuit. Otho, cruento adhuc foro, per stragem jacentium, in capitolium, atque inde in palatium vectus, concedi corpora sepulturæ, cremarique permisit. Pisonem Verania uxor ac frater Scribonianus, T. Vinium Crispina filia, composuere, quæsitis redemptisque capitibus, quæ venalia interfectores servave-
48 rant. Piso unum et tricesimum ætatis annum explebat, fama meliore, quam fortuna. Fratres ejus, Magnum Claudius, Cassum Nero interfecerant. Ipse diu exsul, quatriduo Cæsar, properata adoptione ad hoc tantum majori fratri prælatus est, ut prior occideretur. T. Vinius LVII. annos variis moribus egit. Pater illi e Prætoria familia,

Vocat Senatum Prætor urbanus] Uterque enim Consul cæsus erat, ut bene monet Savillius, qui laudat et Cicer. ad fam. 10, 12. *Placuit nobis, ut statim ad Cornutum Prætorem urb. literas deferremus: qui, quod Coss. aberant, Consulare munus sustinebat more majorum.* Sed multa ap. Livium exempla. Mox *occurrunt* MS. Oxon. quod placebat Gronovio. Utrumque rectum. Sed vulgatum plures et meliores libri. Ern. Bud. *adcurrunt.*

Decernitur etc.] V. contra H. 2, 55.

Hæsisse animo] MS. Guelf. in textu *exisse*, in margine, sed eadem manu, *hæsisse.* Ante pro *jacta* ed. pr. vitiose *acta.* Ern. Bud. *hesisse*, sed videtur et hic adfuisse prius *exisse.*

Omisisset offensas, an distulisset] Sic MSS. Flor. Guelf. edd. ante Rhen. qui edidit *omisisse tot offensas, an distulisse.* Priscum restituit Pichena. Mox *stragem* dedi ex ed. pr. pro *strages.* Consentiunt MSS. duo ap. Broterium, qui idem dedit. Ern. Flor. corrupte *tot fensas.* Bud. *tot offensas.* Perperam ergo Pichena Rhenanum ex Florentini errore id *tot* intrusisse putat, quod Mur. et Acid. delent. Mox Bud. *strages*, quod servat Gron.

Pisonem Verania] Plutarchum hinc emendemus in eadem ista re Galba 28. Τὴν δὲ Πείσωνος (κεφαλὴν) ἡ γυνὴ ἔλαβεν εὐ κρανίου δεηθεῖσα. et scribamus, Οὐηρανία δεηθεῖσα; ut interpretes aliquando nubecula ista liberentur. Nam Verania est: quæ precibus caput mariti abstulit. De hac Plinius ep. 2, 20. *Verania Pisonis graviter jacebat, Pisonis dico illius, quem Galba adoptavit.* Lips. Dedit decem millia HS, auctore Plutarcho. Verbum *componendi*, de sepeliendis usitatum, jam ab aliis passim illustratum est. Sic etiam dixit Horatius Sat. 2, 3, 110. Ern.

Annum explebat] Temporum ratio postulat *expleverat.* et sic Tacitus videtur scripsisse. De mortuo enim sermo est. Ern.

Magnum Claudius, Crassum Nero] Atqui Seneca in Menippea etiam Crassum videtur adserere a Claudio interfectum. *Occidit*, inquit, *in una domo Crassum, Magnum, Scriboniam, Assarionem, nobiles tamen: Crassum vero tam fatuum, ut regnare posset.* De Crasso a Nerone interfecto etiam Plin. epist. 1, 5. Lips. Sed alius ille ab eo, quem Claudius interfecit. V. ad c. 14. *Interfecerant*, quod e Flor. dedit Pichena, pro *interfecerat*, etiam Guelf. a manu pr. (Bud. *interfecerat.*) Mox *ad hoc* MS. idem (et Bud.) ed. pr. Rhenanus sqq. mediæ *adhæc:* male. Ern.

LVII. annos] Sic, *quinquaginta septem.* MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. recte recepere Ryckius et Gronovius. Vid. Ryckium. Ceteri libri *XLVII.* Sed numerus exprimendus *septem et quinquaginta.* Ern.

E Præt. fam.] Bud. *Præt. fam.* sine præpositione, ut mox 52. *Equestri fam.* et 4, 13. *Regia stirpe.*

maternus avus e proscriptis. Prima militia infamis, Legatum A. U.
Calvisium Sabinum habuerat: cujus uxor, mala cupidine 823.
visendi situm castrorum, per noctem militari habitu ingres- A. C.
sa, cum vigilias et cetera militiæ munia eadem lascivia ten- 70.
tasset in ipsis principiis stuprum ausa: et criminis hujus reus T. Vinius arguebatur. Igitur jussu C. Cæsaris oneratus catenis, mox, mutatione temporum, dimissus, cursu honorum inoffenso, legioni post Præturam præpositus probatusque: servili deinceps probro respersus est, tamquam scyphum aureum in convivio Claudii furatus: et Claudius postera die soli omnium Vinio fictilibus ministrari jussit. Sed Vinius Proconsulatu Galliam Narbonensem severe integreque rexit. mox Galbæ amicitia in abruptum tractus, audax, callidus, promtus et, prout animum intendisset, pravus aut industrius, eadem vi. Testamentum T. Vinii,

Maternus avus e proscriptis] Ego censuissem, paternum. Nam reperio in Dione 47, 7. T. Vinium proscriptum a Triumviris, et mira fide atque astu ab uxore Tanusia servatum. Fieri autem potest, ut hujus avi etsi materni nomen sumpserit, testamento, an adoptione. Lips.

Cujus uxor mala cupidine] Historiola hæc apud Dionem, in rebus Caii 59, 18. Καλουίσιος δὲ Σαβῖνος ἔν τε τοῖς πρώτοις τῆς βουλῆς ὢν, καὶ τότε ἐκ τῆς ἐν τῇ Παννονίᾳ ἀρχῆς ἀφιγμένος, ἥτε γυνὴ αὐτοῦ Κορνηλία γραφέντες (καὶ γὰρ ἐκείνη, ὡς φυλακάς τε ἐφοδεύσασα καὶ τοὺς στρατιώτας ἀσκοῦντας ἰδοῦσα, αἰτίαν ἔσχεν) οὐχ' ὑπέμειναν τὴν κρίσιν, ἀλλ' ἑαυτοὺς προανάλωσαν. Lips. De Calvisio v. et Sen. ep. 27. *habuerat* i. e. sub eo militaverat.

Eadem lascivia tentasset] Regius (Bud.) codex, *temperasset*, ex quo Rhen. *temerasset*. Lips. Ceteri omnes scr. et edd. *temperasset*. Rhen. conjecturam recepit Freinsh. Alii *tentasset* edidere. Illud defendit Heinsius ad Vell. 2, 60. ubi de confusione horum verborum vide. Ern. Non dubito, in Bud. vitiose legi *temperasset* pro *temptasset*, ut alias habet. Repono ergo vulgatum. Sic et Bip. Ipse quoque Rhen. servarat. Contra Ryck. Brot. Lall. Dottev. sequuntur Freinshemium.

In ipsis principiis] Plutarchus expressit Galba 12. καὶ διέφθειρεν ἐν τοῖς ἀρχαίοις, ἃ πριγκίπια Ῥωμαῖοι καλοῦσι. Principia autem sacra, quia in iis aquilæ et signa, id est, Dii militares. Sententiam ex eadem re Quinctilianus petiit, pro Milite c. 2. *Sed neque hoc Mars parens, nec signa militaria aquilæque victrices sinant, ut tua quoque sententia quisquam vir, et Romanus et miles, nimium pudicus sit, apud quem ante principia agendum est.* Hæc principia Statius, etsi in re Græca, circumscribit Theb. 10, 176. *Ventum ad concilii penetrale, domumque verendam Signorum.* Lips. Ceterum contextus videtur postulare *passa*. Nam *stuprum* est facientis; id infert, audet mas, patitur femina: estque de Vinii crimine sermo potius, quam feminæ. Et sic etiam videtur legisse Plutarchus. Vulgatum intelligendum: stuprum pati ausa. Et objicitur interdum etiam feminis stuprum. Perizonius porro de Prætor. p. 57. s. non ad sanctitatem loci dicta refert, quam ad frequentiam hominum, quæ ibi esset: unde magnitudo impudentiæ intelligatur. Enimvero res noctu facta est, et criminis verbum Lipsio potius favet. Ern. *Stuprum ausa* nolim mutare cum Bip. Significatur, provocasse stuprum, quod ex adposito *lascivia* patet.

Audax, callidus, promtus] J. Gronovius e Flor. edidit *calidus*. (Sic et Bud.) *Calidus* et *audax* sane et ap. Livium junguntur 35, 32. ubi v. Duker. et Gron. permiscenturque sæpe *calidus* et *callidus*. Sed vulgatum servavi, quia omnes alii libri habent *callidus*. Et *audax* atque *callidus* bene junguntur, quia non omnes audaces iidem callidi, nec omnes callidi statim audaces: denique et aliis locis duplicationem literarum in illo codice negligi vidimus. Ern. *Callidus* in Gron. edit. legitur, forte incuria operarum. In Bud. mox etiam c. 51, est *calide* pro *callide*.

A.U. 823. A.C. 70. magnitudine opum, inritum. Pisonis supremam voluntatem paupertas firmavit. Galbæ corpus diu neglectum et licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum, dispensator
49 Argius, e prioribus servis, humili sepultura in privatis ejus hortis contexit. Caput, per lixas calonesque suffixum laceratumque, ante Patrobii tumulum (libertus is Neronis, punitus a Galba fuerat) postera demum die repertum et cremato jam corpori admixtum est. Hunc exitum habuit Ser. Galba, tribus et septuaginta annis quinque Principes prospera fortuna emensus, et alieno Imperio felicior, quam suo. Vetus in familia nobilitas, magnæ opes: ipsi medium ingenium, magis extra vitia, quam cum virtutibus. Famæ nec incuriosus, nec venditator. Pecuniæ alienæ non adpetens, suæ parcus, publicæ avarus. Amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens; si mali forent, usque ad culpam ignarus. Sed claritas natalium et metus temporum obtentui, ut, quod segnitia erat, sapientia vocaretur. Dum vigebat ætas, militari laude apud Germanias floruit. Proconsule Africam moderate: jam senior, citeriorem Hispaniam pari justitia continuit: major privato visus, dum privatus fuit, et omnium consensu capax Imperii, nisi imperasset.

50 Trepidam urbem, ac simul atrocitatem recentis sceleris, simul veteres Othonis mores paventem, novus insuper *de Vitellio* nuntius exterruit, ante cædem Galbæ suppressus, ut, tantum superioris Germaniæ exercitum descivisse, crederetur. Tum *duos, omnium mortalium inpudicitia, ignavia, luxuria deterrimos, velut ad perdendum Imperium fataliter electos,* non Senatus modo et Eques, quis aliqua pars et cura Reipublicæ sed vulgus quoque palam mœrere. Nec jam

E prioribus servis] Sic omnes scr. et edd. recte, ut opinor: nec cum Faerno et Savillio corrigendum *primoribus* (ut A. 4, 10.) Servi sane primores dispensatores: sed tum non amplius servus erat Argius, verum libertus, ut Plutarchus 28. vocat; nisi improprie servum vocavit. Vidimus sane servitia etiam libertos vocari, sed contumeliæ caussa, non in narratione historica. *Priores servi* sunt, qui ante Imperium fuere. Ern.

Caput per lixas] Ed. pr. *caput ejus*, additumque est *ejus* in Guelf. a manu sec. (Non habet Bud.) Videtur repetitum e prioribus: nisi forte prius *ejus* potius delendum. Ern.

Libertus is Ner.] Et inter *odiorum nomina.* Cf. H. 2, 95.

Tribus et sept. annis] Paullo aliter Dio 64, 6. Cf. Ryckius.

Venditator] Bud. *vendicator* i. e. *vindicator*, quod forsan non spernendum, etsi vulgo non occurrat.

Ad culpam ignarus] Heins. *ignavus.* Sed male ad Lipsium provocat.

Metus temporum obtentui] A Rhenano est (e Bud.). Libri scripti, *obtinuit:* quod verius hic puto. Lips. Sed et Flor. et Agr. *obtentui.* (Sic et A. 1, 10. H. 2, 14.) Guelf. edd. ante Rhen. *obtinuit:* quod si verum esset, requireretur *claritate* et *metu.* Mox ex eodem Flor. cum Gron. dedi *Proconsule.* Ern. (Sic et Bud.)

Velut ad perdendum Imperium] Ita libri flagitant, ita sententia. Beatus tamen: nos, inquit, *ad partiendum*, emendavimus (scil. e Bud.). Lips. Heinsius volebat *evectos* ad Vellei. 2, 12. non enim electos a Senatu Populoque fuisse. Non sane ab his, sed a fato. Ern.

recentia sævæ pacis exempla, sed repetita bellorum civilium memoria: *captam totiens suis exercitibus urbem, vastitatem Italiæ, direptiones provinciarum, Pharsaliam, Philippos et Perusiam ac Mutinam*, nota publicarum cladium nomina, loquebantur. *Prope eversum orbem, etiam cum de Principatu inter bonos certaretur. sed mansisse C. Julio, mansisse Cæsare Augusto victore, Imperium; mansuram fuisse, sub Pompeio Brutoque, Rempublicam. Nunc pro Othone, an pro Vitellio, in templa ituros? Utrasque inpias preces, utraque detestanda vota, inter duos, quorum bello solum id scires, deteriorem fore, qui vicisset.* Erant, qui Vespasianum et arma Orientis augurarentur. et, ut potior utroque Vespasianus, ita bellum aliud atque alias clades horrebant. Et ambigua de Vespasiano fama; solusque omnium ante se Principum in melius mutatus est. Nunc initia caussasque motus Vitelliani ex- 51
pediam. Cæso cum omnibus copiis Julio Vindice, ferox præda gloriaque exercitus, ut cui sine labore ac periculo ditissimi belli victoria evenisset, expeditionem quam otium, præmia quam stipendia malebat. Diu infructuosam et asperam militiam toleraverant, ingenio loci cælique et severitate disciplinæ; quam, in pace inexorabilem, discordiæ civium resolvunt, paratis utrimque conruptoribus et perfidia inpunita. Viri, arma, equi, ad usum et ad decus su-

A. U. 823. A. C. 70.

Totiens] Bud. *quotiens.*

Suis civibus urbem] Præfero quod in scriptis, *suis exercitibus*. LIPS. Recepit Pichena. Sic et Flor. Guelf. edd. omnes ante Rhen. ERN. Is *civibus* e Bud.

Atque alias clades] Bud. *et alias clades.*

In melius mutatus] Imitatus hoc palam Ausonius, de eodem Vespasiano: *Olim qui dubiam, privato in tempore, famam Par aliis Princeps, transtulit in melius.* Suetonium vide. LIPS. Ap. Auson. alii legunt *Rarum aliis!*

Expeditionem et aciem] Non temere mutem, et elicio sententiam etiam ex hac scriptura. Tamen haud paullo clarior antithesis videatur, si legas, *expeditionem quam otium*. LIPS. Recte sane. Sed scriptores in talibus non sunt semper satis diligentes, in primisque noster, ut alibi vidimus. ERN. Bip. ulcus hujus loci sic sanare parant: *exped. et facilia pr. q. stip.* scil. ordinaria laboribus, quos in pace disciplina postulabat, conjuncta. Ut ingeniosa hæc, aptior tamen Lipsiana ratio et recipienda videtur. Probabat et Acidalius.

Præmia quam stipendia] Boxhornius *prædam* malebat, quod ante esset, *præda ferox exercitus*. Sed *præmia* de præda dici, ut suspicabatur Acidalius, docet Gronov. ad Liv. ep. 89. (Sic et A. 1, 16. Inde et *præmiari* Suet. Tit. 7. *præmiatores*, nocturni prædones ap. Non. 2, 629.) Prædam venatorum poetæ quam sæpe præmia vocant? Sed hodie res nota. Potest vero Tacitus respexisse non modo ad prædam, sed etiam alia præmia, quæ victoribus darentur, quorumque crebra apud veteres mentio. Rutgers. Lect. Venus. p. 415. *prælia*: quod sane convenit præcedentibus et sententiæ; sed non est necesse. Præmia sunt belli et præliorum, stipendia etiam in pace solvuntur. ERN.

Diuque inf.—toleraverat] MS. Flor. et ed. pr. *diu toleraverant*, quod probat J. Gron. Ceteri libri omnes vulgatum habent: nec id est a libidine Beroaldi, ut J. Gronovius dicit. Idque et ipse servavi, quia præcedit *malebat*. ERN. Bud. et Agr. tamen *toleraverant;* idem *diu* sine præpos. Potior Gronovii lectio.

Ad usum et ad decus] Id est, arma, equi, iis suppetebant, non ad necessitatem modo, sed et ornatum. Tale est, quod iisdem infra tribuit, *baltheos et faleras insigniaque armorum argento decora.* Tamen libri quidam (in his Bud.) *dedecus*: ex quibus alii (Rhen.

A. U. 823. A. C. 70. perant: sed ante bellum centurias tantum suas turmasque noverant: exercitus finibus provinciarum discernebantur. tum adversus Vindicem contractæ legiones, seque et Gallias expertæ, quærere rursus arma, novasque discordias: nec *socios*, ut olim, sed *hostes*, *et victos* vocabant. Nec deerat pars Galliarum, quæ Rhenum accolit, easdem partes secuta, ac tum acerrima instigatrix adversus *Galbianos*. hoc enim nomen, fastidito Vindice, indiderant. Igitur Sequanis Æduisque ac deinde, prout opulentia civitatibus erat, infensi, expugnationes urbium, populationes agrorum, raptus penatium hauserunt animo: super avaritiam et adrogantiam, præcipua validiorum vitia, contumacia Gallorum irritati, qui, *remissam sibi a Galba quartam tributorum partem; eos publice damnatos, in ignominiam exercitus*, jactabant. Accessit callide vulgatum, temere creditum, *decumari legiones et promptissimum quemque Centurionum dimitti*. undique atroces nuntii, sinistra ex urbe fama; infensa Lugdunensis colonia, et, pertinaci pro Nerone fide, fecunda rumoribus. Sed plurima ad fingendum credendumque materies in ipsis castris, odio, metu, et, ubi vires suas respexerant, securitate.

52 Sub ipsas superioris anni Kal. Decembres Aulus Vitellius, inferiorem Germaniam ingressus, hiberna legionum cum cura adierat. redditi plerisque ordines, remissa ignominia, adlevatæ notæ: plura ambitione, quædam judicio: in qui-

Vertran.) scribendum, *ad abusum et ad dedecus*, censuerunt, ut mea mens est, procul a Taciti mente, et *Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano*. Lips. *Decus* Flor. Agr. Guelf. edd. omnes. Ern. Unde error, Ryckius docet.

Contractæ leg.] Puteol. et Alciati ed. *confractæ*. Sic et Bud.

Seque et Gallias expertæ] i. e. cum usu didicissent, se esse fortiores Gallis, quos vicissent, novum cum ipsis bellum, certa victoriæ spe optabant. Ern.

Hoc enim nomen] Ita solita plebs mutare per fastidium, et innovare hæc contumeliæ nomina. At Dion. Gothofredo IC. legendum videbatur *fatis dato Vindice*. Lips.

Super arrogantiam et avaritiam] *Super* e Flor. edidere Pichena, Ryckius et Gron. Ceteri scr. (in his Bud.) et edd. omnes *secundum*: quod servassem propter istum consensum librorum, ni Latinitas magis *super*, quam *secundum* postularet. Nam *secundum* non est *præter*, quod hic desideratur, sed *post*. Ann. 13, 18. *super ingenitam avaritiam undique pecunias, quasi in subsidium, corripiens*: et aliis locis, quorum magnam copiam Index exhibet. Sueton. Oth. 5. *instigante, super animi dolorem, etiam magnitudine æris alieni*, qui locus huic est simillimus. Ern.

Publice donatos] Agris, quos Galba Treviris eripuerat, aliisque: *et damno finium perculerat*, ut infra dicit c. 53. Lips. Bip. bene notant, quid hoc in ignominiam exercitus, si Galli donentur agro? itaque legunt *publice damnatos*, ut cohæreat cum seq. Melius non succurrit. Recipio, sed sic *et* in *eos* mutandum puto. Est tamen conjectura audacula.

Pertinaci pro Ner. fide] Ob beneficium, de quo An. 16, 13. unde etiam infensa erat Galbæ, et rumores sinistros fingebat, alebat. Ern.

Superioris anni] Bud. *prioris*.

In quibus sordem] Usitatius erat, *sordes*: vid. v. c. infra c. 60. ut recte notat Acidalius. Atque etiam alibi singularis pro plurali irrepsit, ut c. 46. *seditionem* pro *seditiones*. Sed tamen et alibi singularis reperitur. Cicer. Flacc. 3. *nullam sordem in re familiari* etc. Idem etiam ad Att. 1, 16. dixit *sordem urbis*, de plebe infima: in quo sensu etiam pluralis usitatior. *Integre mutaverat* i. e. dignis reddens, indignis adi-

bus sordem et avaritiam Fonteii Capitonis, adimendis adsignandisve militiæ ordinibus, integre mutaverat. Nec Consularis Legati mensura, sed in majus omnia accipiebantur. Et Vitellius apud severos humilis. Id comitatem bonitatemque faventes vocabant, quod sine modo, sine judicio donaret sua, largiretur aliena: simul aviditate imperandi. ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur multi in utroque exercitu sicut modesti quietique, ita mali et strenui. Sed profusa cupidine et insigni temeritate Legati legionum, Alienus Cæcina et Fabius Valens: e quibus Valens, infen- A. U. 823. A. C. 70.

mens, sine gratiæ aut quæstus respectu. Ern.

Et Vitellius apud severos humilis] Rhenanus (ex ingenio) et Salinerius volunt: *et ut Vitellius*, s. *et Vitellius ut.* (Pro Salinerio Acidalium repone. Placebat et Freinshemio.) Non video, quis hic usus sit particularum comparandi. Lege, *id comitatem*, ut et Grotius scribendum notavit. Vitellius inquit, recta æstimatione hominum gravium et disciplinæ studiosorum nimis se demittebat abjiciebatque, et indignis persona sua, ac prope modum vernilibus, blanditiis utebatur (*tota via caligatorum quemque exosculans; perque stabula ac diversoria mulionibus et viatoribus præter modum comis, ut mane singulos, jamne jentassent, sciscitaretur, seque fecisse ructu ostentaret* teste Suetonio 7.) *id*, inquit, hanc vilitatem sui illi *comitatem* vocabant. quemadmodum etiam *bonitatem* appellabant, *quod sine modo, sine judicio, donaret sua, largiretur aliena.* Neque enim *bonitatis* vocabulum etiam pertinet ad humilitatem excusandam, ut viri docti accepisse videntur. Nempe *bonitas* est ei liberalitas vel munificentia: quemadmodum alibi *malitiam* dicit pro avaritia, ut A. 13, 30. et 15, 21. Plutarchus pro utroque dicit χρηστότητα καὶ μεγαλοφροσύνην. Gron. Omnes libri vulgatum habent: nisi quod MS. Agr. *ut* habet, sed a manu sec. Grotium et Gronovium sequor: etsi sentio, aliquid vel sic duri relinqui, quod tamen in tali scriptore ferendum. Ern.

Simul aviditate imperandi] i. e. atque etiam cupientes nimis Imperatorem habere Vitellium, ut recte interpretantur Pichena et J. Gron. Non enim aviditas imperandi in Vitellio, ut patet c. 53. init. Verbum imperandi passive etiam aliis dictum bonis scriptoribus. Cicer. ep. 9, 25. *ades ad imperandum* h. e. ut tibi imperetur. Itaque male Ryckius in textu posuit *impetrandi* e conjectura J. F. Gronovii, quam ipsi postea displicuisse patet ex eo, quod non edidit eam. h. l. *simul* refertur ad *faventes*. Favore quodam in Vitellium, comitatem et bonitatem ei tribuebant, et præterea cupiditate imperii Vitelliani etc. Ern. Potius *imperandi* active accipiunt Bip. referuntque ad Vitellium, adpositoque puncto separant a seq. Sic omnia plana, nisi quod particula *simul* paullulum turbet. Verum sit ita, sequor. In sequentibus quoque ordinem verborum rectius constituisse Bip. puto. Ryckius non tam J. F. Gronov. quam codicem suum Agr. erat secutus. Bud. *imperandi.*

Sicut modesti quietique etc.] Colerus corrigi volebat *immodesti*, ut opponerentur *quietis*. Immo *mali et strenui* opponuntur *modestis et quietis.* In MS. Guelf. *strenui* est a sec. manu. quid ante ibi fuerit, adsequi non licuit. *Strenuus* est δραστήριος, promtus ad quidvis audendum: neque semper bonam in partem dicitur. Mox *sed* male in *et* mutavit Rhen. (e Bud.) bene restituit Pichena (e Flor.). Est transitus ab universo s. toto ad partem vel singulos: in quo semper *sed* dicitur. Ern.

Alienus Cæcina] Mihi, imo libris debetur verum hoc Cæcinæ nomen. Nam illi constanter *Alienum* scribunt. Etiam in Dionis Epitoma semper Ἀλιηνός. Romanum vero id nomen: et nummi exstant, C. CÆSAR. IMP. COS. ITER. ALIENUS. PROCOS. Nominat et quemdam Alienum Cicero Div. in Verrem 15. Vulgatis tamen Taciti libris hic A. Cæcina dicitur: et Fastis, quos eruditi viri concinnarunt, *A. Licinius.* Unde eruerint, miror. Lips. *A. Cecina* MS. Guelf. et edd. inde a Puteol. usque ad Lipsium, idque defendebat Ursinus (e lap. antiquo.). At Flor. (Bud. Agr.) ed. pr. *Alienus.* idque verum est. Nec spernam Ryckii conjecturam, totum nomen esse *A. Allienus Cæcina* ex Sueton. Tit. 6. ubi *A. Cæcina* vocatur. *A. Al-*

A. U. 823. A. C. 70. sus Galbæ, tamquam detectam a se Verginii cunctationem, oppressa Capitonis consilia ingrate tulisset, instigare Vitellium, *ardorem militum* ostentans. *Ipsum celebri ubique fama: nullam in Flacco Hordeonio moram: adfore Britanniam: secutura Germanorum auxilia: male fidas provincias: precarium seni Imperium et brevi transiturum. panderet modo sinum et venienti Fortunæ occurreret. Merito dubitasse Verginium, Equestri familia, ignoto patre: inparem, si recepisset Imperium, tutum, si recusasset. Vitellio tres patris Consulatus, Censuram, conlegium Cæsaris, inponere jampridem Imperatoris*
53 *dignationem, auferre privati securitatem.* Quatiebatur his segne ingenium, ut concupisceret magis, quam ut speraret. At in superiore Germania, Cæcina, decora juventa, corpore ingens, animi inmodicus, scito sermone, erecto incessu, studia militum inlexerat. Hunc juvenem Galba, Quæstorem in Bætica, inpigre in partes suas transgressum, legioni præposuit: mox compertum, publicam pecuniam avertisse, ut peculatorem flagitari jussit. Cæcina ægre passus, miscere cuncta et privata vulnera Reipublicæ malis operire statuit. Nec deerant in exercitu semina discordiæ: quod et bello adversus Vindicem universus adfuerat, nec, nisi occiso Nerone, translatus in Galbam, atque in eo ipso sacramento vexillis inferioris Germaniæ præventus erat. Et Treveri ac Lingones, quasque alias civitates atrocibus edictis aut damno finium Galba perculerat, hibernis

lienus alius pluribus locis ap. Ciceronem occurrit, Trebonii primum Legatus, deinde Dolabellæ, Prætor Lentulo et Marcello coss. Loca vide in Clave Cicer. Scribitur in libris Cic. fere per duplex *l*. Occurrunt etiam *Halieni*, qui et ipsi *Alieni*. Tusc. 4, 22. ubi vid. Davies. ad Q. Fr. 1, 1, 3. Ern. Differt autem is Cæcina a Licinio Cæcina, de quo H. 2, 53. Ceterum lapis antiquus, ad quem provocat Ursinus, Reinesio in ep. 21, p. 61. videtur νοθεύειν.

Detectam a se etc.] Rhenanus (e Bud.) correxit *detecta a se cunctatione* offensus, ut opinor, omissione copulæ, quæ tamen in Tacito frequens. Sed Lipsius rursus edidit priscum, cum omnibus post eum editoribus. Ed. pr. vitiose *decretam*. *Tulisset ingrate*, est a se accepisset, sibi deberet, neque tamen præmio digno se affecisset. Ern. De re ipsa v. c. 8. et 9.

Collegium Cæsaris] Suet. Vit. 2. *L. Vitellius, Imperatoris pater, cum Claudio Principe duos ordinarios Consulatus Censuramque gessit.* Mox *et inp.* Flor. ed. pr. Pich. seqq. At MS. (Bud.) Guelf. ed. Puteol. utraque copula caret, quod mihi optimum videtur. In ed. Beroaldi posterior accessit, casu forte: certe non e libro: quod servatum est usque ad Pichenam. Simile mox: *ut speraret* Flor. Guelf. Puteol. Beroald. Alc. At *ut* abest ab (Bud. Agr.) ed. pr. Rhen. sqq. usque ad Pich. item ab ed. Ryckii. Ern. Copulam utramque delevi Budensem secutus. Legebatur *et inpon... et auferre.*

Cito sermone] An, *scito?* Lips. Sic et aliis videtur, Groslotio, Acidalio etc. neque recipere dubitavi. Nam *citus sermo* est in vitio, nec ad studia alliciendа aptus. Facile patet, literam primam absorptam esse finali præcedentis, sic infr. 2, 5. *aptior sermone Mucianus.* Aliud est *promtus sermone* H. 2, 86. ne quis inde defensionem lectioni vulgatæ petat. Mox *illexerat*, quod e Flor. edidit Pichena, habent etiam Guelf. ed. pr. ceteræque ante Rhenan. in cujus editionem irrepsit (e Bud.) *allexerat*. Illud est suetum Tacito verbum. Ern. Sed *adlicere* non minus. Vid. c. 61. et 2, 5.

Mox compertum] Non item male, *compertu*. Lips.

legionum propius miscentur. Unde seditiosa conloquia, et A. U. inter paganos conruptior miles, et in Verginium favor, cui- 823. cumque alii profuturus. Miserat civitas Lingonum, vetere A. C. 70. instituto, dona legionibus, dextras, hospitii insigne. Le- 54 gati eorum, in squalorem mæstitiamque compositi, per principia, per contubernia, modo *suas injurias*, modo *civitatum vicinarum præmia*, et, ubi pronis militum auribus accipiebantur, *ipsius exercitus pericula et contumelias* conquerentes, accendebant animos. Nec procul seditione aberant, cum Hordeonius Flaccus *abire Legatos*, utque occultior digressus esset, *nocte castris excedere* jubet. Inde atrox rumor, adfirmantibus plerisque, *interfectos, ac, nisi ipsi consulerent, fore, ut acerrimi militum, et præsentia conquesti, per tenebras et inscitiam ceterorum occiderentur*. Obstringuntur inter se tacito fœdere legiones. Adsciscitur auxiliorum miles; primo suspectus, tamquam, circumdatis cohortibus alisque, inpetus in legiones pararetur, mox eadem acrius

Dextras hospitii insigne] Fidei etiam et pacis. Cæsaris locus est, quem correctione libens huc traxerim. De bello Gall. 7, 50. *Ædui visi ab latere nostris aperto.... ii similitudine armorum vehementer nostros perterruerunt. ac, tametsi dextris humeris exertis animadvertebantur, quod insigne pacatis esse consueverat; tamen id ipsum sui fallendi caussa milites ab hostibus factum existimabant.* De humeris, et quomodo exeri ii potuerint, nec capio, nec legi. Glossema subolet, et insitio non proba: legamque, *dextris exertis.* voce *humerorum* ejecta, nisi si ea aliter conformanda. Dextras quidem attolli, etiam nunc pacis ac socii adventus signum habetur. Lips.

ADD. In Cæsaris loco libenter nunc legerim, *dextris nudis exertis.* Livius suadet 28, 3. qui scribit, opidanos quosdam, deditionem et amicitiam significantes, egressos: *dextras nudas ostentantes.* Lacedæmonii etiam apud Thucydidem 4, 38. circumventi ab Atheniensibus, *τὰς χεῖρας ἀνέσεισαν, manus quatiebant,* signum pacis et deditionis. In Frontino quidem lego, humeros etiam exseri a militibus, sed longe alio sensu. Stratag. 2, 1, 3. *Cum Sertorianos milites animadvertisset magno impetu instinctos, deposcentes pugnam, humerosque exercentes* (lego, *exserentes*) *et lanceas vibrantes.* Itaque hoc magis in Cæsariana correctione nostra firmamur. Lips. Dextræ hospitii insignia etiam H. 2, 8. occurrunt. Durior modus loquendi: et alias tesseræ potius insignia hospitii, quæ mittantur. Sed contra librorum consensum nihil tentandum. Credo cum Pichena ad H. 2, 8. fuisse figuras quasdam ex auro aut argento: forte quales in numis Triumvirorum reperimus. Paullo post recte Pichena *auribus* pro *animis* dedit e Flor. Consentit (Bud. et) Guelf. At edd. vett. omnes *animis*: quod ortum est e mox sequente verbo *animos*. Ern. Quæ hic Lipsius, ad rem parum faciunt. Egregium est apud Montefalc. in Antiq. Expl. t. 3. pl. 197. exemplum manus æneæ symbolicæ, inscriptæ ΤΕΑΑΤΝΙΩΝ, quæ ab his in fidei amicitiæque tesseram Arvernis missa videtur. Bud. mox male *insignes*. Ceterum h. l. duæ dextræ junctæ videntur intelligi, quales visuntur in numis.

Adfirmantibus] Ed. pr. addit *et*: cujus vestigia etiam in Guelf. fuit enim *rumore* vel *rumores*: sed erasit sec. manus. Ita conjungenda forent *et obstringuntur legiones*. Sed ab omnibus aliis edd. copula abest. Mox restitutum a Ryckio e Flor. (et Agr.) *nisi ipsi*, quod est et in (Bud.) Guelf. et edd. ante Rhen. qui (ex ingenio) dedit *ni sibi*. Illud melius etiam sensu. *Consulere* sæpe absolute dicitur sine dativo, pro prospicere, mederi malis. Ern.

Inscitiam] Bud. *inscientia*. unde Rhen. *inscitia*.

Acrius volvens] Sic Flor. Guelf. Agr. (Bud.) edd. ante Rhen. in cujus ed. irrepsit, haud dubie errore operarum, *volens*: non enim tacite hoc mutasset: idque propagatum usque ad J. Gron. qui e Flor. restituit. Infra c. 64. *bellum volvebat*. Mox pro *tamen* edd. Puteol. Ber.

A. U. 823. A. C. 70. volvens: faciliore inter malos consensu ad bellum, quam in pace ad concordiam. Inferioris tamen Germaniæ legiones solemni Kalend. Januariarum sacramento pro Galba adactæ, multa cunctatione et raris primorum ordinum vocibus:
55 ceteri silentio proximi cujusque audaciam exspectantes: insita mortalibus natura, propere sequi, quæ piget inchoare. Sed ipsis legionibus inerat diversitas animorum. Primani quintanique turbidi adeo, ut quidam saxa in Galbæ imagines jecerint: quintadecima ac sextadecima legiones, nihil ultra fremitum et minas ausæ, initium erumpendi circumspectabant. At in superiori, quarta ac duodevicesima legiones, iisdem hibernis tendentes, ipso Kalend. Januariarum die, dirumpunt imagines Galbæ: quarta legio promptius, duodevicesima cunctanter, mox consensu. Ac, ne reverentiam Imperii exuere viderentur, Senatus Populique Romani obliterata jam nomina sacramento advocabant: nullo Legatorum Tribunorumve pro Galba nitente, quibusdam, ut in tumultu, notabilius turbantibus. Non tamen quisquam in modum concionis e suggestu locutus.
56 neque enim erat adhuc, cui imputaretur. Spectator flagitii Hordeonius Flaccus, Consularis Legatus aderat, non compescere ruentes, non retinere dubios, non cohortari bonos ausus: sed segnis, pavidus et socordia innocens. Quatuor

Alc. *inde:* quæ verba permutantur in libris ob similitudinem compendiorum *tñ* et *īn*. ERN. Bud. *tamen* totidem litteris.

Insita mortalibus natura propere] Melius *insito*. Vidi, qui sequentia perverteret, *non tam propere*. Vere perverteret. Nam Taciti gnome, arcanæ, ut solet, veritatis est; et plebs ita facta, ut rebus arduis nemo facile ducem se præbeat, comitem quivis. Facit huc illud H. 2, 80. *Dum quæritur locus tempusque: quodque in tali re difficillimum est, prima vox*. LIPS.

At in superiori] Int. Germania: nam mox præcessit *inferioris Germaniæ* mentio. Delevimus *exercitu*, auctoribus MSS. Oxon. Guelf. in quo a manu sec. in margine adscriptum est. Adscripserat aliquis, ut intelligendum: inde venit in textum. Ceterum *superior exercitus* recte dicitur c. 56. atque inde forte vitii origo. ERN. Bud. habet *exercitu*.

Duo et vicesima] Covarruviæ scriptus codex ita passim. Probamus. Sæpe erratum etiam infra. Recte tamen integreque scriptum 3, 22. *sextadecimanos duoetvicesimanosque lævum cornu complesse*. Nos alibi in textu reposuimus. LIPS. Vide ad c. 18. Guelf. (et Agr. a 2. m.) hic exhibet *duodev*. et edd. vett. præter pr. quæ habet *duo et vic*. ut Flor. ERN. Et Bud. *Duodevicesimam* intelligi Pichena demonstravit ex H. 4, 24 et 37.

Dirumpunt imagines] Forte melius *deripiunt*. Supra 1, 41. *Dereptam Galbæ imaginem solo affixit*. Freinsh. et Acidalius. Sed libri omnes consentiunt. Etiam alibi *fractas imagines* dixit. ERN.

Contanter. Mox consensu, ac] Melius distingue: *Contanter, mox consensu. Ac ne r.* LIPS. Guelf. *constanter* pro *cunctanter;* ut Rutgers. Lect. Venus. p. 415. corrigit: sed id natum est e scriptura solenni illius libri *contanter*. Distinctio Lipsii recte recepta a Pichena. ERN.

Senatus Populique] Sic correximus hunc locum, in quo vulgo erat *in Senatus—sacramenta adv.* (ut in Bud.) At sic legendum conjecerat J. Gron. quod *in* a Flor. aberat. Quod dedi, plane est in ed. pr. Paullo post *e suggestu* volebat Groslotius: idemque in mentem venit Ryckio. ERN. Benc. non puto unquam *suggestu* simpliciter sine præpos. dictum.

Socordia innocens] Boxhornius *inter nocentes* corrigit. Si quid mutandum,

Centuriones duodevicesimæ legionis, Nonius Receptus, A. U.
Donatius Valens, Romilius Marcellus, Calpurnius Re- 823.
pentinus, cum protegerent Galbæ imagines, inpetu mili- A. C. 70.
tum abrepti vinctique. Nec cuiquam ultra fides aut me-
moria prioris sacramenti: sed, quod in seditionibus acci-
dit, unde plures erant, omnes fuere. Nocte, quæ Kal.
Januarias secuta est, in coloniam Agrippinensem aquilifer
quartæ legionis epulanti Vitellio nuntiat, *quartam et duode-
vicesimam legiones, projectis Galbæ imaginibus, in Senatus et
Populi Rom. verba jurasse.* Id sacramentum inane visum.
occupari nutantem Fortunam et offerri Principem, placuit.
Missi a Vitellio ad legiones Legatosque, qui *descivisse a
Galba superiorem exercitum*, nunciarent: *proinde aut bellan-
dum adversus desciscentes, aut, si concordia et pax placeat, fa-
ciendum Imperatorem: et minore discrimine sumi Principem,
quam quæri.* Proxima legionis primæ hiberna erant, et 57
promptissimus e Legatis Fabius Valens. Is die postero
coloniam Agrippinensem cum equitibus legionis auxiliario-
rumque ingressus, *Imperatorem* Vitellium consalutavit. Se-
cutæ ingenti certamine ejusdem provinciæ legiones: et su-
perior exercitus, speciosis Senatus Populique Romani no-
minibus relictis, III. Nonar. Januarias Vitellio accessit.
scires illum priore biduo non penes Rempublicam fuisse.
Ardorem exercituum Agrippinenses, Treveri, Lingones æ-
quabant, *auxilia, equos, arma, pecunias* offerentes, ut quis-
que corpore, opibus, ingenio validus. Nec principes modo

vellem *socordia nocens*. Gron. In vulgato intellige *sola:* hoc nomine tantum innocens fuit, quod nihil egit contra Galbam: sed Gronoviana correctio melior. Ern.

Romilius] MS. Guelf. (Bud.) ed. pr. Puteol. *Romulus*, c. 59. ed. pr. *Romulius*, ut Beroald. Ern.

In coloniam Agr.] Incuria operarum in ed. J. F. Gron. hic aliquid turbavit. Nam nota Pichenæ hinc translata ad c. 57. init. verba *Coloniam Agripp.* in qua se dicit e Flor. addidisse *in*. Hinc Ryckius negat notatam esse in collatione sua præpositionem: J. Gronovius confirmat contra Ryckium. Sed de diversis locis loquuntur. Ern.

Occupari nutantem Fortunam] Recte est qui malit, *invitantem*. Lips. Sed, quid est *nutans fortuna*, quæ *occupetur?* neque innuens, neque labans: sed dubitans, quo se vertat: quo sensu *nutare* dici, hodie etiam lexica docent: et cui verbum *occupandi* egregie convenit. *Fortuna nutans* laudatur e Liv. 21, 44. Sed ibi est in bonis libris *fortuna dubitabit:* et sic editum est a Drakenborchio, ne varietate quidem ulla lectionis notata. Mox *aut* post *proinde* abest a MS. Oxon. Ern.

Die postero] Flor. Agr. ed. pr. *proximo.* De equitibus legionum alio loco dictum ad Annales. Ern. Bud. *postero.*

Secutæ ingenti certamine] Hispanus liber (et Bud.) *ingenti agmine.* Lips.

Corpore, opibus, ingenio validus] Cur hic de ingenio; aut quis ejus usus? nisi forte ad orandum, aut impellendum. Lips. *Ingenio* etiam Acidalium et Pichenam offendit. vix credo, verum esse. Nam, si quis quærat, quis vero corporis usus in tali re? nempe, quia et ipsi operam militarem navare volebant. Ern. De Pichena, nego. Is potius intelligit senes, invalidos saltem consiliis et concionibus populares suos accendisse.

Principes colon. aut castrorum] Illi sunt Decuriones, etiam ditiores: hi signiferi, aquiliferi, optiones etc. ut recte Savillius. Ern.

A. U. 823. A. C. 70. coloniarum aut castrorum, quibus præsentia ex adfluenti et
parta victoria magnæ spes: sed manipuli quoque et grega-
rius miles viatica sua et balteos phalerasque, insignia armo-
rum argento decora, loco pecuniæ tradebant; instinctu et
58 inpetu et avaritia. Igitur, laudata militum alacritate, Vi-
tellius, ministeria Principatus, per libertos agi solita, in
Equites Romanos disponit: vacationes Centurionibus ex
fisco numerat: sævitiam militum, plerosque ad pœnam ex-
poscentium, sæpius adprobat, partim simulatione vinculo-
rum frustratur. Pompeius Propinquus, Procurator Belgi-
cæ, statim interfectus. Julium Burdonem, Germanicæ
classis Præfectum, astu subtraxit. Exarserat in eum ira-
cundia exercitus, tamquam crimen ac mox insidias Fon-
teio Capitoni struxisset. Grata erat memoria Capitonis:
et apud sævientes occidere palam, ignoscere non nisi fal-
lendo, licebat. Ita in custodia habitus: et post victoriam
demum, stratis jam militum odiis, dimissus est. Interim,
ut piaculum, objicitur Centurio Crispinus, qui se sanguine
Capitonis cruentaverat: eoque et postulantibus manifestior
59 et punienti vilior fuit. Julius deinde Civilis periculo ex-
emptus, præpotens inter Batavos, ne supplicio ejus ferox
gens alienaretur. Et erant in civitate Lingonum octo Ba-
tavorum cohortes, quartædecimæ legionis auxilia, tum dis-
cordia temporum a legione digressæ, prout inclinassent,
grande momentum sociæ aut adversæ. Nonium, Dona-
tium, Romilium, Calpurnium, Centuriones, de quibus supra
retulimus, occidi jussit, damnatos fidei crimine, gravissimo

Ex adfluenti] Græca forma loquendi, pro affluenter. In præsens copiosi erant. Mox Groslotius volebat *ex parta*, hoc quoque sine necessitate. Ern. V. et infra 2, 84.

Pari simulatione vinculorum frustratur] Manifestum mendum. quo enim illud, *pari*, referetur? Tu vel meo periculo lege, *partim*. Sævitiæ militum, inquit, sæpe indulget, et ad pœnam iis plerosque largitur: quosdam simulatione vinclorum subtrahit. Prisca lectio suffragatur huic correctioni, quæ præfert, *parum*. ex quo, *pari*, emendasse fatetur Rhenanus. *Partim* autem solitarium sæpe poni nec geminari semper, notius est, quam ut ostendam. Lips. Recepit Pichena et sic jam voluit Faernus. *Pari* MS. Guelf. (Bud.) Videtur in hoc loco respici ad factum Othonis c. 45. extr. *Parum* edd. ante Rhen. *Partim* verum est. Ern.

Stratis jam militum odiis] Restituimus in locum suum vetus *stratis*, quo nihil elegantius, idque juvimus exemplis Observ. 3, 22. Gron. Nempe Freinsh. receperat *satiatis*, e conjectura. *Stratis* MSS. (Bud.) Guelf. Agr. edd. omnes, præter Freinsh. quem miror cum Rhenano in hac voce hæsisse: cum nihil sit frequentius apud Poetas *strato mari*, *fluctu*, forma loquendi, ducta a Græcis. Ern. Rhen. conjectabat *frustratis jam mil. animis*.

Qui se sanguine] Absunt *qui se* a Flor. (Agr.) et ed. pr. Jac. Gronov. placet: *sanguine C. se cruentaverat*. Vulgatum verum, et vitio librarii *qui se* excidisse puto. Ern. Bud. habet.

Jul. Civilis] Is infra 4, 13. *Cl. Civilis.* Forte integrum nomen *Cl. Jul. Civilis.*

Grande momentum] Justini illud simile est 17, 2. *Ingens momentum futurus, utri parti accessisset.* Lucanus 4, 819. *Momentumque fuit, mutatus Curia, rerum.* Lips.

inter desciscentes. Accessere partibus Valerius Asiaticus, A. U.
Belgicæ provinciæ Legatus, quem mox Vitellius generum 823.
adscivit: et Junius Blæsus, Lugdunensis Galliæ rector, A. C. 70.
cum Italica legione et ala Taurina, Lugduni tendentibus. Nec in Rhæticis copiis mora, quo minus statim adjungerentur. Ne in Britannia quidem dubitatum.
60 Præerat Trebellius Maximus, per avaritiam ac sordes contemptus exercitui invisusque. Accendebat odium ejus Roscius Cælius, Legatus vicesimæ legionis, olim discors, sed occasione civilium armorum atrocius proruperat. Trebellius *seditionem et confusum ordinem disciplinæ* Cælio; *spoliatas et inopes legiones* Cælius Trebellio objectabat: cum interim fœdis Legatorum certaminibus modestia exercitus conrupta, eoque discordiæ ventum, ut auxiliarium quoque militum conviciis proturbatus, et, adgregantibus se Cælio cohortibus alisque, desertus Trebellius ad Vitellium perfugerit. quies provinciæ, quamquam remoto Consulari, mansit. rexere Legati legionum; pares jure, Cælius audendo potentior.
61 Adjuncto Britannico exercitu, ingens viribus opibusque Vitellius, duos Duces, duo itinera bello destinavit. Fabius Valens *adlicere, vel, si abnuerent, vastare Gallias, et Cottianis Alpibus Italiam inrumpere*; Cæcina *propiore transitu, Peninis jugis degredi* jussus. Valenti inferioris exercitus electi, cum aquila quintæ legionis et cohortibus alisque, ad *XL*. millia armatorum data: *XXX*. millia Cæcina e superiore Germa-

Valerius Asiat.] Forsan filius ejus de quo 11, 1 sq.

Junius Blæsus] Filius ejus, cujus mentio A. 1, 19. Bud. *ut Junius Blæsus.*

Ala Taurina] MS. Guelf. edd. vett. *Tauriana.* Ern. Bud. *Taurina.*

Trebellius Maximus] De hoc v. 14, 46.

Atrocius proruperat] Sic MSS. Flor. a man. pr. Guelf. ed. pr. Editi ceteri (et cod. Bud.) *proruperant:* tamquam ad utrumque pertineret. Verbum *discors* mox præcedens satis indicat, de uno Cœlio sermonem esse. Et sic placebat etiam J. Gronovio. Ern.

Conviciis proturbantibus] Priscæ editiones *proturbatus:* quas sequor. Lips. *Proturbantibus* est a Rhen. (e Bud.) *Proturbatus* etiam Guelf. (Flor.) ed. pr. Mox *perfugerit*, rectius *perfugeret.* Ern. Agr. *profugerit.*

Cottianis Alpibus] MS. Guelf. edd. pr. Puteol. *quottidianis.* vitiose. Beroaldus edidit *Cottianis.* Ern. Bud. *Cotianis.* C. 27. dicit *Cottias.*

Peninis jugis] Ita scribendum ubique, auctore Livio, qui negat eas Alpes sic dici, quod Annibal Pœnus ea transmiserit, sed a jugo excelsi montis, quod Penum incolæ dicunt. Fidem ei notæ etiam nostra lingua hodie facit, qui excelsa omnia et in acutum fastigiata pennas vocamus sive pinnas. Lips. Add. Cent. I. ad Belg. ep. 93. et viros doct. ad Liv. 21, 38. Mox *degredi* recte Rhenanus dedit. Vid. ad A. 4, 49. Add. Gronov. ad Melam 2, 45. Ern.

Cum aquila quintæ legionis] Vatic. habet, *aquilex quintæ.* e quo legendum esse, *aquilax quintæ*, aut si magis placet, *quintædecimæ*, ego censebam. Lips. Vulgatum est in Flor. (Bud.) Guelf. edd. omnibus, præter pr. in qua est *aquilex*, ut in Vatic. Ern.

E sup. Germania] Ex h. l. collato cum H. 4, 70. Perrecior docet, superiorem Germaniam, ad Alpes usque protensam, Helvetiam quoque comprehendisse. Legio XXI. Vindonissa cognominata, ibi stationem habebat. Cf. Grandidier Hist. de la Prov. d'Alsace t. 1, p. 169.

A. U. nia ducebat, quorum robur legio una, prima et vicesima,
823. fuit. addita utrique Germanorum auxilia, e quibus Vitellius
A. C. suas quoque copias supplevit, tota mole belli secuturus.
70. 62 Mira inter exercitum Imperatoremque diversitas. Instare
miles, arma poscere, *dum Galliæ trepident, dum Hispaniæ*
cunctentur. non obstare hiemem neque ignavæ pacis moras.
invadendam Italiam, occupandam urbem. nihil in discordiis
civilibus festinatione tutius, ubi facto magis, quam consulto
opus esset. Torpebat Vitellius, et fortunam Principatus in-
erti luxu ac prodigis epulis præsumebat, medio diei temu-
lentus et sagina gravis: cum tamen ardor et vis militum ul-
tro Ducis munia inplebat, ut si adesset Imperator, et stre-
nuis, vel ignavis spem metumque adderet. Instructi inten-
tique *signum profectionis* exposcunt. Nomen *Germanici* Vi-
tellio statim additum: *Cæsarem* se adpellari etiam victor
prohibuit. Lætum augurium Fabio Valenti exercituique,
quem in bellum agebat, ipso profectionis die, aquila leni
meatu, prout agmen incederet, velut dux viæ, prævolavit:
longumque per spatium is gaudentium militum clamor, ea
quies interritæ alitis fuit, ut haud dubium magnæ et pro-
63 speræ rei omen acciperetur. Et Treveros quidem, ut so-
cios, securi adiere. Divoduri (Mediomatricorum id oppi-
dum est) quamquam omni comitate exceptos subitus pavor

Legio una, prima et vicesima] Distinctione locum juvi. Nec tamen nunc abnuo, quin glossematium hic sit, scribendumque, *una et vicesima.* (ut c. 67.) Lips. *Una, pr. et vic.* MSS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. Freinshemius recepit alteram Lipsii conjecturam, illud restituit Ryckius. Sed mihi tamen *una et vicesima* placet. Adde ad 4, 78. Ern. Probat et Lall. Mihi in voce *una* emphasis esse videtur. In omnibus istis copiis *una* fuit legio, quæ omnium robur.

Instructi intentique] MS. Guelf. (et Bud.) *interritique:* item edd. Puteol. Beroald. Alc. sqq. Lipsius edidit *intentique.* recte. solent enim hæc duo verba jungi in hac re. Ern.

Nomine Germanici .. addito] Sic ed. pr. Rhen. (e Bud.) sqq. omnes. At MS. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. *nomen additum:* quod melius puto. Estque initium novæ sententiæ. Quia et in aliis MSS. ap. Broterium est, recepi cum ipso. Ern.

Cæsarem se etc.] Ægyptium tamen numum cum elogio *Cæsaris* exhibet Pellerin in Mêlange t. 1. tab. 13. Vid. Eckhel Doctr. NN. vet. vol. 4. p. 56. et vol. 6. p. 309. Cf. et infra 2, 62. et 3, 58. et Suet. c. 8.

In bellum agebat] Sic Flor. ed. pr. Pich. et seqq. *Cogebat* Guelf. (Bud.) edd. cet. Mox *leni meatu* recte edidit Pichena. MSS. (in his Bud. et Agr.) et edd. ante omnes *levi:* quæ verba sæpe confunduntur. Ern.

Divoduri] Sic edd. pr. Rhen. sqq. Guelf. cett. edd. ante Rhen. male *Dinodurium* vel *Dinodrium.* Ern.

Subitus pavor exterruit] Sic edd. omnes præter J. Gron. qui e Flor. edidit *terruit,* quod est et in (Bud. et) Guelf. At in hac formula et hoc sensu *exterrere* est verbum legitimum. Sensus enim est: subita consternatio invasit milites, ut arma raperent et cædem facere inciperent. Consternatio autem et pavor non de timore, sed perturbatione quadam repentina mentis et furore accipi debent: qui cum incessit animos, *exterriti* dicuntur, i. e. efferati. Virgil. non uno loco sic dixit et cum *efferus* permutavit. Vid. etiam Burm. ad Georg. 3, 534. Itaque non sustinui Gronovium imitari. Mox ed. pr. *cupidine:* quod recte jam e MS. Agr. recepit Ryckius. Vulg. *cupidinem.* Ern. Editiones non utique omnes habent *exterruit,* Puteol. *terruit.* Sic et cod. Bud. idem *cupidinem.* Acidalius jam emendarat *cupidine.*

exterruit, raptis repente armis ad cædem innoxiæ civitatis: A. U. non ob prædam aut spoliandi cupidine, sed furore et rabie 823. et caussis incertis, eoque difficilioribus remediis; donec, A. C. precibus Ducis mitigati, ab excidio civitatis temperavere. 70. cæsa tamen ad quatuor millia hominum. Isque terror Gallias invasit, ut venienti mox agmini universæ civitates cum Magistratibus et precibus occurrerent, stratis per vias pueris feminisque; quæque alia placamenta hostilis iræ, non quidem in bello, sed pro pace, tendebantur. Nuntium de 64 cæde Galbæ et Imperio Othonis, Fabius Valens in civitate Leucorum accepit. Nec militum animus in gaudium aut formidinem permotus: bellum volvebat. Gallis cunctatio exempta, et in Othonem ac Vitellium odium par, ex Vitellio et metus. Proxima Lingonum civitas erat, fida partibus. benigne excepti, modestia certavere; sed brevis lætitia fuit, cohortium intemperie, quas, a legione quartadecima, ut supra memoravimus, digressas, exercitui suo Fabius Valens adjunxerat. Jurgia primum: mox rixa inter Bata-

Raptis repente armis] Flor. habet, *raptisve*, forte, *raptisque*. PICHENA. Non hic locus est copulativæ: sed, si non omnino incassum sunt inculcatæ literæ, significant: *raptis derepente*. GRON. Bud. *raptis repente*. Sic et Agr.

Cum Magistratibus et precibus] Hæc verba absunt a MS. Guelf. male. (non a Bud.) Etiam alibi Magistratus et Sacerdotes occurrisse hosti traduntur. *Et precibus* etsi tolerari posse et explicari scio, tamen mihi suspecta sunt, et e superioribus huc forte tracta. Nam supplicia in sequentibus insunt, nec solent in hac re commemorari: nisi aliud quid in iis latet. ERN.

Pueris feminisque] Flor. Agr. Bud. *feminis puerisque*.

Placamenta iræ] i. e. infulæ et velamenta c. 66. Adde Cic. Verr. 4, 50. ubi *infulæ et verbenæ*. Ovid. A. A. 2, 401. *vittæ et lauri*. Verbenæ s. lauri sunt velamenta. Sed MS. Agr. ed. pr. *tendebant:* quod non spernam. In passivo forte dixisset *tenduntur:* ut supra pro *sectabantur* editum *sectantur* i. e. *sectari solent*. ERN. Bud. *tendebantur*. Acid. malebat *tentabantur*.

Non quidem in bello] Locus obscurus, sed illustro (si tamen sincerus). Erant preces et supplicia, ut in bello: neque bellum erat, sed tamen timebant hostilia, et pacem sic orabant. LIPS. Adde Græv. ep. ad Heins. T. 4. coll. Burm. p. 175. et Heins. ibid. p. 187. ERN.

Nec militum animus etc.] Primo *formidine* ed. pr. In edd. Gronoviorum notula sub nomine Rhenani, eandem lectionem attribuit MS. Budensi. Sed ea non est Rhenani, sed Ursini, ut opinor. Eam lectionem defendere licet Taciti studio variandæ orationis. In ed. pr. etiam *in gaudio*, vitiose. Operæ conformare hanc vocem sequenti voluere. Deinde Grævius epist. ad Heins. l. c. p. 158. corrigebat: *permotus. Bellum volebant*. Heinsius autem p. 163. defendit vulgatum ex A. 3, 38. Add. p. 494. ubi distinctionem Grævii probat, non correctionem verbi. Ipse dein Grævius concedit de verbo, ceterum, ut Heinsio placebat, *volvebant* legendum: quod mihi quoque videtur. Distinctionem quidem Grævii recipere non dubitavi. Vitium ortum est ex eo, quod librarii *permotus* pro participio habebant, quod a *volvebat* penderet. ERN. Quod de cod. Bud. et nota Rhenani adfertur, omnino sic se habet; nec ista ad Ursinum spectat. Dein Bud. *volvebat*.

Ut supra memoravimus] c. 59.

Jurgia primum] *Jurgio* e conjectura edidit Freinsh. (ut H. 2, 27.) quem Gronovii secuti sunt. Scil. quod *exarsere* non convenit jurgiis et rixæ, sed cohortibus. Sed Ryckius *jurgia* revocavit, quod omnes scr. (etiam Bud.) et edd. habent. Neque opus est correctione, modo sic interpungatur locus, ut a nobis factum est. *Primum jurgia* sc. erant, nihil amplius: sed ea exarsere in rixam, qua ita irritati sunt animi, ut res ad arma et vim spectaret. Locus similis est ap. Liv. 10, 23. *brevis altercatio* etc. ERN.

A. U. 823. A. C. 70. vos et legionarios, dum his aut illis studia militum adgregantur, prope in prœlium exarsere; ni Valens animadversione paucorum oblitos jam Batavos imperii admonuisset. Frustra adversus Æduos quæsita belli caussa. jussi *pecuniam atque arma deferre*, gratuitos insuper commeatus præbuere: quod Ædui formidine, Lugdunenses gaudio fecere. Sed legio Italica et ala Taurina abductæ. Cohortem duodevicesimam Lugduni, solitis sibi hibernis, relinqui placuit. Manlius Valens, Legatus Italicæ legionis, quamquam bene de partibus meritus, nullo apud Vitellium honore fuit. secretis eum criminationibus infamaverat Fabius ignarum et, quo incautior deciperetur, palam laudatum.

65 Veterem inter Lugdunenses Viennensesque discordiam proximum bellum accenderat. multæ invicem clades, crebrius infestiusque, quam ut tantum propter Neronem Galbamque pugnaretur. Et Galba reditus Lugdunensium, occasione iræ, in fiscum verterat: multus contra in Viennenses honor. unde æmulatio et invidia et uno amne discretis connexum

Lugdunenses gaudio fecere] Caussa gaudii, quod Vitellium bello petere putabant eum, qui contra Neronem fecisset, ab eoque defecisset, seque incommodis affecisset. V. c. 65. Ern.

Cohortes octodecim Lugduni] At tot cohortes mihi relinqui non placet. Cur enim, cum undique miles conquiratur, et eo ad aciem opus, in uno eoque amico oppido, impositæ tot cohortes? Sed ait etiam vetera et solita tot cohortibus hiberna fuisse. quod falsum. Unica enim dumtaxat jam olim Lugduni cohors: e Taciti A. 3, 41. *Andegavos Acilius Aviola excita cohorte, quæ Lugduni præsidium agitabat, coercuit.* Manuscriptos igitur meos audio, et hic *cohortem decimamoctavam* repono. Vox etiam *Lugduni*, supervacua videtur, et velut interpretamentum inserta. Lips. Verum vidit Lipsius. In Flor. *cohortem XVIII. Lugduni*. Agr. *cohortem decimamoctavam*. (Non ita sed *duodevicesimam* totidem literis exhibet, teste Ryckio). Ed. pr. *octavam decimam*. *Lugduni* porro non est in MS. Oxon. Tum *sibi*, quod pro *ibi* volebat Acidalius, Flor. Agr. Guelf. ed. pr. Puteol. Beroald. Alc. Primum in ed. Rhen. reperi *ibi*: quod vitio operarum irrepsit, alias, si libri firmarent, non spernendum. Vid. ad c. 70. *Sibi* restituit Pichena. De castris Lugdunensibus v. Marcam de Primat. Lugd. p. 290. sq. Ern. *Ibi* legitur in Bud. inde Rhen.

Secretis eum cr.] *Eum* commodius abesset. Sed pronomina talia interdum etiam a brevitatis studiosis admittuntur, ut ad Suetonium notavimus. Ern.

Veterem discordiam] De qua vid. Dionis Epit. 46. quem locum jam laudavit Ryckius. Mox *redditus* pro *reditus* Guelf. Puteol. quod præferebat Danesius. Male. Ern. Vitiosa scriptura *redditus* medium ævum sapit, quo sic in usu. Sic et Bud.

Multus c. i. Viennenses honor] Hinc factum putat Marca l. c. ut ordine civili Vienna Lugduno præponeretur, ut in inscriptione epistolæ ap. Euseb. H. E. 5, 1. Ern. Lugdunum fuit colonia juris Romani; Vienna Italici. Cf. Laccary hist. colon. p. 192. et Brot. ad h. l.

Unde æmulatio etc.] Auctor des Antiquitez de Lyon p. 273. has caussas non agnoscit, et alias adfert. Ern.

Et uno amne discretis connexum odium] Quamquam amne discreti a natura erant, tamen odiis incensi, quasi tollebant fines naturæ, et conjungebant disjuncta. An habuit in animo locum Horat. Carm. 1, 3, 21. Sed tamen ad meum sensum acumen sententiæ non est, nisi in lusu verborum. Etiam τὸ *uno* non satis concoquo. An, quia uno tantum amne discreti, propterea se oderunt, velut nullo tali naturæ opere sejunctos. An fuit *Rhodano?* vel *magno*. Sed quid argutamur? Ipsi, qui ista acumina captant, sæpe non possent plane explicare, ut opinor, argutias suas, quæ fere auditæ placent, non intellectæ.

odium. Igitur Lugdunenses exstimulare singulos militum, A. U.
et in eversionem Viennensium inpellere, *obsessam ab illis* 823.
coloniam suam, adjutos Vindicis conatus, conscriptas nuper A. C.
legiones in præsidium Galbæ referendo. et, ubi caussas odio- 70.
rum prætenderant, magnitudinem prædæ ostendebant. Nec
jam secreta exhortatio, sed publicæ preces: *Irent ultores,*
exscinderent sedem Gallici belli. cuncta illic externa et hostilia:
se coloniam Romanam et partem exercitus et prosperarum ad-
versarumque rerum socios. si fortuna contra daret, iratis ne
relinquerentur. His et pluribus in eundem modum, perpule- 66
rant, ut ne Legati quidem, ac Duces partium restingui
posse iracundiam exercitus arbitrarentur; cum haud ignari
discriminis sui Viennenses, velamenta et infulas præferen-
tes, ubi agmen incesserat, arma, genua, vestigia prensando,
flexere militum animos. Addidit Valens trecenos singulis
militibus sestertios. tum vetustas dignitasque coloniæ va-
luit, et verba Fabii, salutem incolumitatemque Viennen-
sium commendantis, æquis auribus accepta. publice tamen

Ern. Hæc et mox sequentia boni Ernestii otiosa prorsus, ut bene Bip.

Referendo] Gruterus venustiorem fore orationem putabat, si hoc verbum abesset. Credo. Sed idem credo, hanc vocem esse a Tacito, qui sibi in brevitate non constat, ut sæpe vidimus, et in tali narratione fere gerundium tale aut participium addit. Ern.

Se coloniam Romanam] Quid ergo? non etiam Vienna inter Romanas colonias? Vero pridem. Vel Claudio Imperatori credamus in Oratione, quam pro Gallis habuit: *Ornatissima ecce valentissimaque colonia Viennensium, quam longo jam tempore Senatores huic Curiæ confert!* Sed et noster statim, de eadem: *Tum vetustas dignitasque coloniæ valuit.* Equidem haud satis hæc concilio. Nisi si Viennenses prisci, id est, Allobroges, sive Galli, donati colonico jure, etsi militibus aut Romanis civibus non deductis; Lugdunum autem contra magnam partem Romanis familiis stetit. Nam et hic externos immixtos, Dio suadet 46, 50. Lips. Simplicius ac forte melius Boxhornius: se vere coloniam Rom. dignos hoc nomine. nam præcesserat: *illic externa et hostilia.* Ern.

Si fortuna contra daret] MS. Agr. *contra cederet.* ed. pr. *contra diceret.* male. In eadem, mira corruptela, pro *prosperarum* editum *persarum*. Ern. Cf. A. 15, 13.

Ut nec Legati quidem ac Duces] Vitium frequens nimis. Lege: *ut ne Legati quidem ac Duces.* Sic et l. 2, 76. et 4, 38. Gron. Mox *sui* abest a Guelf. in margine a manu sec. additur. Et quis neget commode abesse posse? potuitque nasci ex ultima litera præcedentis et prima syllaba sequentis verbi. Ern. In capite hujus notæ *togati* pro *legati* quomodo in editiones Gronovianas inrepserit, non video. Manifestus est error, quem Ernesti servare non debebat; delevi. Bud. *nec.* item *sui.*

Velamenta] V. ad c. 63. In *prensando*, eadem in libris varietas, quæ supra: nisi quod Flor. (et Bud.) clare *prensando*, ex quo factum *pressando*, quod est in MS. Agr. ed. pr. ut alibi et in Flor. Ern.

Tricenos singulis militibus sestertios] Liber Hispanus (et Bud.) *trecenos*, quod verius. Nam prius illud non congiarium sit, sed heminarium: ut quidam jocabatur. *Treceni HS.* sunt nobis, septem Philippici et semis. Lips. Atque ita habent MSS. Flor. Agr. Ab ed. pr. plane abest. Ern.

Vetustas dign. col.] Nam et Claudius in Orat. pro Gallis *ornatissimam et valentissimam coloniam* vocat. Sed ea habebat jus colonicum, etsi civibus Rom. eo non deductis, cum Lugduni contra multæ Romanæ familiæ, ut docet P. de Marca de Primat. Lugd. p. 288. Ern. Agr. *vetusta dignitas col.*

A. U. 823. A. C. 70. armis mulctati, privatis et promiscuis copiis juvere militem. Sed fama constans fuit, *ipsum Valentem magna pecunia emptum.* Is diu sordidus, repente dives, mutationem fortunæ male tegebat, accensis egestate longa cupidinibus immoderatus, et, inopi juventa, senex prodigus. Lento deinde agmine, per fines Allobrogum et Vocontiorum ductus exercitus: ipsa itinerum spatia et stativorum mutationes venditante Duce, fœdis pactionibus adversus possessores agrorum et Magistratus civitatum, adeo minaciter, ut Luco (municipium id Vocontiorum est) faces admoverit, donec pecunia mitigaretur. quotiens pecuniæ materia deesset, stupris et adulteriis exorabatur. Sic ad Alpes perventum.

67 Plus prædæ ac sanguinis Cæcina hausit. Inritaverant turbidum ingenium Helvetii, Gallica gens, olim armis virisque, mox memoria nominis clara, de cæde Galbæ ignari, et Vitellii imperium abnuentes. Initium bello fuit avaritia ac festinatio unaetvicesimæ legionis. rapuerant pecuniam, missam in stipendium castelli, quod olim Helvetii suis militibus ac stipendiis tuebantur. ægre id passi Helvetii, interceptis epistolis, quæ nomine Germanici exercitus ad Pannonicas legiones ferebantur, Centurionem et quosdam militum in custodia retinebant. Cæcina, belli avidus, proximam quamque culpam, antequam pœniteret, ultum ibat. mota propere castra. vastati agri. direptus longa pace in modum municipii exstructus locus, amœno salubrium aquarum usu frequens. missi ad Rhætica auxilia nuntii, ut ver-

Accensis eg. longa cup.] Sic scr. (in his Bud.) et edd. at Guelf. a man. sec. *accensus*, ob interpunctionem post *longa*, quæ a pr. man. est. Vulgatum verum est. Ern.

Luco] Augusti scilicet. Plin. 3, 5.

Pecuniæ materia] Non intelligam occasionem, prætextum postulandæ: sed facultatem dandæ: ubi non posset pecunia ob inopiam dari. Copula ante *stupris* abest a Flor. ed. pr. recteque delevit Pichena, ut dudum voluerant viri docti. (Faernus, Acid.) Ern. Bud. copulam habet.

Olim armis] Sic recte correxit Rhen. Ante edd. omnes, Guelf. (Bud.) *Soli in armis*. Ern.

Clara] Sic Bud. male ex Agr. *clari* probat Heinsius.

Festinatio undevicesimæ legionis] Ut supra narravit, Cæcina unicam legionem habuit, eamque XXI. Quis igitur hæreat, quin hic scribendum *unaetvicesimæ?* Didici postea sic esse in Flor. Lips. Guelf. a pr. man. *unius et vic.* Ed. pr. (et cod. Bud.) *unde et vic.* quod factum ex *una et vic.* facile patet. Mox *rapuerant* Flor. (Bud.) Guelf. edd. ante Rhen. omnes. In hujus ed. irrepsit, vitio operarum, *rapuerunt*, idque propagatum. Vetus restituit Pichena. Ern.

Retinebant] Agr. *detinebant*. Heinsio placet.

Proximam quamque culpam] Heinsius corrigebat *proximum quemque culpæ*. Placet Grævio T. 4. ep. Coll. B. p. 505. Si ad singulorum pœnam pertinet, rectum est. Sed ad id non opus bello, nec ad puniendos Duces. Quod idem ad Valer. Fl. 3, 392. porro corrigit *aut pœnitentiæ*, merito improbat J. Gron. Ern. Hæc verba *aut pœnitentiæ* non leguntur in loco Burmanni.

Direptus longa pace] Intelligitur oppidum Badena in pago Tigurino, quod nomen ab aquis salubribus accepit. Ern. Heinsius ad Vell. 2, 115. pro *locus* legi vult *vicus* ut A. 1, 20. Sic mox pro *arma noscere* velit *poscere*, ut 6, 34, 12, 35.

sos in legionem Helvetios a tergo adgrederentur. Illi, ante A. U.
discrimen feroces, in periculo pavidi, quamquam primo tu- 823.
multu Claudium Severum Ducem legerant, non arma no- A. C. 70.
scere, non ordines sequi, non in unum consulere. exitiosum 68
adversus veteranos prœlium, intuta obsidio, dilapsis vetustate mœnibus. hinc Cæcina cum valido exercitu; inde Rhæticæ alæ cohortesque et ipsorum Rhætorum juventus, sueta armis et more militiæ exercita. undique populatio et cædes. ipsi in medio vagi, abjectis armis, magna pars saucii aut palantes, in montem Vocetium perfugere. Ac statim, inmissa cohorte Thracum, depulsi, et, consectantibus Germanis Rhætisque, per silvas atque in ipsis latebris trucidati. multa hominum millia cæsa, multa sub corona venundata. Cumque, dirutis omnibus, Aventicum, gentis caput, justo agmine peteretur, missi, qui dederent civitatem: et deditio accepta. In Julium Alpinum, e principibus, ut concitorem belli, Cæcina animadvertit: ceteros veniæ vel
sævitiæ Vitellii reliquit. Haud facile dictu est, legati Hel- 69
vetiorum minus placabilem Imperatorem, an militem invenerint. *civitatis excidium* poscunt, tela ac manus in ora Legatorum intentant. Ne Vitellius quidem minis ac verbis temperabat: cum Claudius Cossus, unus ex Legatis, notæ facundiæ, sed dicendi artem apta trepidatione occultans atque eo validior, militis animum mitigavit: ut est mox

Adv. veteranos] Intellige veteres milites ad differentiam tironum. Sic et alibi. V. index.

In montem Vocetium] Quidam libri, *Vocetum*. And. Schottus noster *Vogesum* reponebat. Quem fateor non quidem in Helvetiis esse, sed nec longe ab iis. Certe Vocetii non alibi mentio. Lips. *Vocetium* Flor. Agr. Guelf. edd. pr. vett. quas inspexi. Putant esse partem Juræ, quæ hodie *Bœzberg* vocatur. Ern. Bud. male *Vocensium*. Mons *Vocetius* pars asperrima est Jurassi. Cf. Cellar. G. ant. t. 1. p. 226. et D'Anville notice de la Gaule p. 714. Frickianæ valli inminet. V. Büsching. Male ergo Ortelius apud nostrum parabat *Vogesum* reponere.

Cumque dirutis omnibus] Flor. (Reg. Lall.) Agr. ed. pr. *dirutis*. Guelf. (Bud.) edd. Puteol. Beroald. etc. *diruptis*. Lipsius tacite edidit *direptis*, nescio unde: quod omnes secuti sunt. *Dirutis* defendit J. Gronovius, et commodum sensum habet. Heinsius ad Vellei. 2, 115. etiam *dirutis vicis omnibus*: quod non necessarium puto. Si *direptis* libris scriptis firmaretur, servassem. Nunc antiquam et MSS. lectionem restitui. *Diruptus* factum e *dirutus*, cui sæpe in libris substituitur male. V. Drakenb. ad Liv. 9, 45. Gebhard. ad Cic. ep. 4, 5. Ern. Pichena τὸ *direptis* probat.

Aventicum] Hodie Gallis dicitur *Avenches*. Vid. Cellar. G. A. t. 1. p. 223. de qua extat elegans Wildii libellus. Ern. Sub Constantino jam deserta, teste Ammiano 15, 11. Pristini splendoris hodieque vestigia extant, de quibus. v. Schmidt Rec. d'Antiq. trouvées à Avenches etc. 4. Berne 1760. et Ritter Mém. et recueil de qqs. Antiq. de la Suisse. 4. Berne 1788.

Claudius Cossus] MS. Oxon. *Cornelius Cossus*. quod placebat J. Gronovio. Sane *Cossus* est cognomen Corneliorum, non Claudiorum. Idque et ipse verum puto. Ern.

Apta trepid.] In Bud. *apta* deest.

Ut est mos vulgo: mutabile etc.] Sic locum e libris restituimus. *Mutabile* MSS. Agr. Bud. (Reg. Lall.) ed. pr. Ex eo *mutabilem* factum, quod ad *animum* referebant, cum ad *vulgus* pertineret. Atque hinc necessarium visum Freinshemio mox corrigere *immodicus*, quod

A. U. vulgus mutabile subitis et tam pronum in misericordiam,
822. quam immodicum sævitia fuerat. effusis lacrimis, et meliora
A. C. constantius postulando, inpunitatem salutemque civitati
70. inpetravere.
70 Cæcina paucos in Helvetiis moratus dies, dum sententiæ Vitellii certior fieret, simul transitum Alpium parans, lætum ex Italia nuntium accipit, *alam Silanam, circa Padum agentem, sacramento Vitellii accessisse.* Proconsulem Vitellium Syllani in Africa habuerant: mox a Nerone, ut in Ægyptum præmitterentur, exciti, et ob bellum Vindicis revocati, ac tum in Italia manentes, instinctu Decurionum, qui Othonis ignari, Vitellio obstricti, robur adventantium legionum et famam Germanici exercitus adtollebant, transiere in partes: et, ut donum aliquod novo Principi, firmissima Transpadanæ regionis municipia Mediolanum ac Novariam et Eporediam ac Vercellas, adjunxere. id Cæcinæ per ipsos compertum. Et, quia præsidio alæ unius latissima pars Italiæ defendi nequibat, præmissis Gallorum Lusitanorum Britannorumque cohortibus et Germanorum vexillis, cum ala Petrina, ipse paullulum cuncta-

ipse et Gronovii edidere: atque ipse secutus essem, si libri in *mutabilem* consentirent. Sed interpunctione locus erat juvandus. Ita plana et apta omnia. Vulgus mutabile est subitis in utramque partem. Rhenanus hoc non advertens, fecit *mutabili* et *prono*, quod omnes usque ad Freinsh. secuti sunt. Ryckius e MS. suo (Agr.) edidit: *ut est mox vulgus.* Sed illud *mox* friget. Ern. Bud. *ut est mox vulgo mutabile.* Unde pronum est emendare cum Agr. *ut est mox vulgus.* quod post Ryckium recipio cum Bip.

Meliora constantius postulando] Lipsius et Acidalius *molliora* conjecere. quod est verbum usitatum in tali re. *molliora consulta, mollius consulere* Livius 3, 59. 30, 7. Noster A. 12, 46. *molliora respondens.* Et infra 4, 32. pro vulgato *meliora* e libris *molliora* restituit Pich. Sed et *meliora* ferri posse puto. Notum illud, *Di meliora!* Ern.

Accipit] Alter Flor. et Bud. *accepit.*

Alam Syllanam] Si vera scriptura, præfectum *Syllam* habuit. Sed MS. Agr. (Bud.) ed. pr. habent *Silanam* hic et alibi: quod melius videtur quibusdam. At esse deberet *Silanianam.* Certe mox *Silaniani:* quamquam in his formis non sunt satis constantes scriptores. Ern. Bip. emendant *Silianam,* forsan a Silio Italico dictam, de quo H. 3, 65.

Revocati] Sic MSS. edd. vett. ante Rhen. quem omnes præter Ryckium secuti, *remorati* edidere. Vetus cum Ryckio restituimus. Supra c. 6. *opprimendis Vindicis cœtis revocaverat.* Ern. Bud. *remorati.*

In Alpe Graia ipse] Male huic loco esse jurem apud omnes Censores. Pugnat historia, pugnant libri. De historia, quid certius quam Cæcinam non Graio monte sed Penino in Italiam venisse? Tacitus supra 61. *Cæcina propiore transitu Peninis jugis digredi jussus.* et paullo infra: *Penino subsignanum militem itinere et grave legionum agmen traduxit.* Atqui diversi et dissiti hi transitus. Jam libri longe abeunt ab hoc scripto. Farnesianus *in alpe triaria,* sicut et Hispanus: Budensis *trianna:* optimus Vatic. *cum alpe turina:* ex quo ego, *ala Taurina:* Savillius, *Petrina.* Et certe Taurina jam cum Valente in Italiam iverat. (V. c. 64.) Ergo Savillio assentior et libens. Lips. Probant Mercerus, Pichena: recepit Freinsh. Ryckius tamen *Taurina* prætulit e MS. Agr. ratus plures Taurinas alas fuisse: ut alia apud Valentem, alia apud Cæcinam fuerit. MS. Guelf. consentit Vaticano: ed. pr. *alpe triarina.* Ern. *Ala Petrina* occurrit et infra 4, 49. in partibus Vitellianis. Comparet etiam in lapide ap. Grut. p. 572, 3. Ab Equitibus inlustribus, quibus Petra nomen, dictam auguratur Broterius.

tus, num Rhæticis jugis in Noricum flecteret, adversus Petronium, [urbis] Procuratorem, qui concitis auxiliis, et interruptis fluminum pontibus, fidus Othoni putabatur. Sed metu, ne amitteret præmissas jam cohortes alasque, simul reputans, plus gloriæ retenta Italia, et, ubicumque certatum foret, Noricos in cetera victoriæ præmia cessuros, Penino subsignanum militem itinere, et grave legionum agmen hibernis adhuc Alpibus traduxit. A. U. 823. A. C. 70.

71 Otho interim, contra spem omnium, non delitiis, neque desidia torpescere. dilatæ voluptates, dissimulata luxuria, et cuncta ad decorem Imperii composita. eoque plus formidinis adferebant falsæ virtutes et vitia reditura. Marium Celsum, Consulem designatum, per speciem vinculorum, sævitiæ militum subtractum, acciri in capitolium jubet. clementiæ titulus e viro claro, et partibus inviso, petebatur. Celsus, constanter servatæ erga Galbam fidei crimen confessus, exemplum ultro inputavit. Nec Otho,

Petronium urbis Procuratorem] Cujus urbis? imo totius Norici Procurator erat, non unius alicujus oppidi. Vertranius Maurus ICtus emendat, *urbis Præfectum* sive *Prætorem*. Haud recte. quæ enim ejus partes in Norico? Ego vero aut oblita ea voce scripserim, *Petronium Procuratorem*, aut mutata, *Petronium ibi Procuratorem*. Vetus quidem lectio *urbi* habet: quod depravatum facile ex *ubi* vel *ibi*. Lips. Probat Pichena, opportune laudans ex H. 2, 16. *trierarchum Liburnicarum ibi navium*. Freinsh. etiam conjiciebat *Urbicum*, quod Reinesius probabat. Ad hunc modum et alia conjicere licet. Illud certum, *urbis* vitiosum esse. Ed. pr. etiam habet *urbi*. Ern. Bud. *urbis*, Savilius putabat, *urbem* pro civitate poni. Bip. conjecturas cumulant, forsan *Viruni* legendum. Rectius spuriam vocem uncis includunt. Gutherius de off. dom. Aug. 3, 18. Procuratorem Romæ intelligit, qui alias Rationalis urbis Romæ dictus.

Accessuros] Covarruviæ liber et priscæ editiones *cessuros*. Lips. Sic et Guelf. ed. pr. *Accessuros* est a Rhenano (e Bud.), *Cetera* MS. Guelf. (Bud.) ed. vett. Pro quo Freinsh. induxit *ceteræ*. MS. Agr. ed. pr. *incerta* (inde Heins. *in certa*). An fuit *Noricos universæ victoriæ præmia accessuros*: i. e. ut præmia? Ern. Restitui *cetera* Sic et Brot. et Bip.

Subsignanum militem] De subsignanis vid. dicta ad 4, 33. Ern. Cf. et A. 1, 70.

Hibernis adhuc nivibus] Iidem libri, *hibernis adhuc Alpibus*. quod interpretor Sallustiano verbo, Alpibus adhuc hiemantibus. Poeta etiam vetus eo sensu dixit: *Jupiter hibernas cana nive conspuit Alpes*. Lips. *Alpibus* Flor. Reg. ed. pr. Ceteræ usque ad Pichenam *nivibus*, quod et Guelf. habet. Ern. Vetus Poeta Furius est Bibaculus. V. vet. schol. ad Horatii Sat. 2, 5, 41. et Quinctil. 8, 6, 17.

Exemplum ultro imputavit] i. e. Ita locutus est, ut demonstraret, exemplum fidei a se editum gratum esse Othoni debere: tantum abesse, ut iram ejus meruerit: interesse enim et ipsius, fidos amicos habere; talemque se in ejus amicitia futurum, qualis in Galbam fuisset. Sententia hæc et aliis in tali tempore usurpata, ut Herodi post Actiacam pugnam Cæsarem Octavianum Rhodi adeunti, ap. Joseph. A. I. 15, 10. Add. Freinsh. Ern. Bud. *impetravit*. id se scripsisse Rhenanus testatur, sed in textu vulgatum legitur.

Nec Otho quasi ignosceret] Frons aliqua sententiæ appareat: sed, si excutias, vanæ et falsæ. Censeo emendandum: *sed nec hostis metu, reconciliationi se adhiberet*. Duo videlicet, cum Celsum sibi jungeret, Otho cavit. Ne aut ignoscere videretur, ut in vero magnoque crimine: aut ne hostis, id est, Vitellii metu, adsciscere sibi virum nobilem et fortem. Itaque nec obnoxium habere eum voluit, nec suspensum: sed statim assumpsit inter intimos amicos

A. U. 823. A. C. 70. quasi ignosceret, sed, ne hostis metum reconciliationis adhiberet, statim inter intimos amicos habuit, et mox bello inter Duces delegit. mansitque Celso, velut fataliter, etiam pro Othone fides integra et infelix. Læta primoribus civitatis, celebrata in vulgus Celsi salus, ne militibus quidem ingrata fuit, eandem virtutem admirantibus, cui irascebantur.

72 Par inde exsultatio, disparibus caussis consecuta, inpetrato Tigellini exitio. Sophonius Tigellinus, obscuris parentibus, fœda pueritia, inpudica senecta, Præfecturam vigilum et Prætorii et alia præmia virtutum quia velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam et

Plutarchus comitatem hanc ita narrat c. 1. Κελεύσας Μάριον Κέλσον ἀχθῆναι πρὸς αὐτὸν, ἠσπάσατο καὶ διελέχθη φιλανθρώπως, καὶ παρεκάλεσε τῆς αἰτίας ἐπιλαθέσθαι μᾶλλον, ἢ τῆς ἀφέσεως μνημονεύειν. Hæc talia acumina frustra multis verbis approbem iis qui non tales. Lips. Non placuit viris doctis Lipsii correctio: nec mihi probatur. Sed non magis ab aliis prolata placent. Freinshemius correxit ***hosti***, et sic editum inde ab illo tempore, hoc sensu, ne Vitellius, quem allicere oblata pace tentabat, c. 74. metu abalienaretur, scil. ne non reconciliaretur sibi ex animo. Sed recte monuit Ryckius, id non esse, metum reconciliationis adhibere. Nam id est, minari reconciliationem. Ceterum illa sententia esset bona. Nec Ryckii consilium probandum, qui e MS. Agr. recepit: *sed ne hostes metueret, conciliationes adhibens*, quod et Pichena in MS. reperit. (nisi quod ibi *conciliationis*) et fere est in ed. pr. *sed ne hostes metuere, conciliationis adhibens.* Verum male vir doctiss. *hostes* pro *inimicis* accipit, quod Latinitas non patitur. Et tamen alii in hac lectione intelligi non possunt. Itaque veterem lectionem servavi. In MS. Guelf. *quasi* post *metum* reperitur. An fuit: *ne hostis metum* (*falsæ* vel *fictæ*) *reconciliationis adhiberet* sc. Celso, aut omnino omnibus: hoc sensu: Verebatur, ne, si Celsum non exquisita humanitate tractaret, hostis Vitellius averteret ceteros ab Othone, suspicione fictæ reconciliationis admovenda animis. Aut (ut Freinshemio visum) *ne hosti metum* (*falsæ*) *rec. adh.* i. e. ne Vitellius, cognita Celsi fortuna, metueret, ne et illa reconciliatio falsa esset, quam sibi Otho offerret. Illud melius puto. *Metum alicujus rei adhibere*, est injicere, movere metum ejus, efficere, ut aliquis quid metuat. Et sic dixere Cicero de Or. 2, 45. Quinctil. 1, 3. ut ostendit jam Elsnerus, refellens Trilleri conatus, in schediasm. Crit. p. 79: ipse tamen aberrans in eo, quod *hostis* nomine Celsum intelligit. *Hostes* sunt, quibuscum bellum gerimus, *inimici*, quibuscum odia exercemus. Sed in hoc hodie homines facile errant, vernaculæ linguæ consuetudine decepti. Porro *ficte reconciliatam gratiam* dixit Cic. ep. 3, 12. Ern. In loco Cic. citato non est *metum* sed *motum adhibere*. Bud. hic ita: *sed ne hostis metu reconciliationis adhibens.* Inde Rhen. effingebat: *seu hostis metu reconciliationi adnivens.* Satis ingeniose. Reg. Lall. *sed hostes metuere consolationes adhibens.* Gronovius Freinshemium sequitur. Bip. emendant: *sed, ne hostis metueretur, conciliationes adhiberet.* Ceterum cum nostro cf. hic Dio 64, 7.

Inter intimos] Sic edidit e MS. Agr. Ryckius, pro vulg. *intra.* Consentit ed. pr. itaque et ipse recepi. Ern. Bud. *intra.*

Fides integra et infelix] Acidalius corrigit *felix*, quia et a Vitellio veniam accepit et Consulatum servavit, ut e 2, 60. patet. Sed *infelix*, quod omnes libri habent, referam huc, ut coactus fatis iniquis fuerit, transire ad amici hostem, perdiderit amicum, et sperare sive accipere coactus salutem ab hoste. Mox bene Rhenanus (ex ingenio) correxit *primoribus*. MSS. et edd. vett. omnes *pro moribus*. Ern.

Eamdem virtutem admirantibus] Est vera et notabilis gnome, atque eadem in Livii l. 5. de Camillo: *Sed severitate imperii victi, eamdem virtutem et oderant et mirabantur.* Lips. Paullo post *quia* omnes scr. et edd. Ursinus, Muretus etc. maluere *quæ*. frustra. Ern. Bud. *quia*. et paullo ante *Præfecturam vigiliarum.*

virilia scelera exercuit, conrupto ad omne facinus Nerone; quædam ignaro ausus, ac postremo ejusdem desertor ac proditor. Unde non alium pertinacius ad pœnam flagitavere, diverso adfectu, quibus odium Neronis inerat, et quibus desiderium. Apud Galbam T. Vinii potentia defensus, prætexentis, *servatam ab eo filiam.* et haud dubie servaverat, non clementia, quippe tot interfectis, sed effugio in futurum. quia pessimus quisque, diffidentia præsentium mutationem pavens, adversus publicum odium privatam gratiam præparat; unde nulla innocentiæ cura, sed vices inpunitatis. Eo infensior populus, addita ad vetus Tigellini odium recenti T. Vinii invidia: concurrere e tota urbe in palatium ac fora, et, ubi plurima vulgi licentia, in circum ac theatra effusi, seditiosis vocibus obstrepere: donec Tigellinus, accepto apud Sinuessanas aquas supremæ necessitatis nuntio, inter stupra concubinarum et oscula et deformes moras, sectis novacula faucibus, infamem vitam fœda-

A. U. 823. A. C. 70.

Virilia scelera] Facinora audaciam virilis ætatis desiderantia, ut cædes et similia. Mox *ac proditor* abest a MS. Reg. et ed. pr. quam Gruterus Romanam vocat. (non a Bud.) Sane Tigellinus deseruit Neronem, non prodidit, nisi hoc sensu, quo dicitur prodere, pro deserere. Sed consuetudinem secutus esse potuit Tacitus, quæ hæc verba libenter conjunxit. Si tamen alius liber consentiret; facile proscriberem hæc verba. Ern.

Sed effugio in futurum] Ed. pr. (et cod. Bud.) *effugium.* Non abhorret a Taciti more. Supra c. 44. *non honore Galbæ, sed tradito Principibus more, munimentum ad præsens* etc. Mox Grutero suspecta verba *mutationem pavens*, tamquam a librariis orta: quia redundant. Hoc verum. Sed non propterea insititia verba sunt, ut alibi jam dixi. Nimis multa resecanda forent. Ern.

Præparat: unde nulla innocentiæ cura sed vitæ inpunitatis] Non mutant libri, nisi quod, vices *impunitatis*, habent. Totum locum lego: *privatam gratiam præparatum it: nulla innocentiæ cura, sed vice suæ impunitatis.* Palmerii etiam conjectura haud improba: *privatam gratiam prærarat undeunde: nulla*, etc. *Undeunde* Latinis valet ὁποθενοῦν. Quod autem ad sententiam, pulchra est et usu sæpius probata. Ita Dio notat 48, 30. cum Menas præfectus Sex. Pompeii in mari *Helenum cepisset, libertum Cæsari admodum carum, statim sine precio remissum. qui beneficium hoc multo ante apud Cæsarem deponebat, et perfugium sibi, si res ita ferret, apud eum præparans.* Lips. Alii aliter locum tentant. Antiqua lectio est *vices impunitatis*, quam et MS. Agr. edd. ante Rhen. omnes habent, et restituit bene Freinsh. Sensus est: ea res facit, ut homines non tam innocentia saluti suæ consulere studeant, sed fiducia vicis sibi reddendæ: ipsos impunitatem aliis impetrasse, sibi vicem reddituros, qui potentes essent, si qua mutatio ingruat. Bona et clara sententia. Rhenanus (e Bud.) edidit *vitæ impunitatis*, quod est etiam in Guelf. et edd. inde a Rhenano omnibus usque ad Freinsh. Etiam alibi *vicis* mentio in hac re. A. 13, 20. *Impunitas vitæ* simpliciter pro *scelerum*, non satis placet. Ern. Boxhorn. conjectabat *vitæ et impunitatis.*

Seditiosis vocibus] Bud. *seditionis.*

Sinuessanas aquas] Male vulgo, *Suessanas.* Libri scripti docent et Plutarchus in hac ipsa re c. 2. Ἔπεμψεν οὖν ἐπ' αὐτὸν ὁ Ὄθων εἰς τοὺς περὶ Σινόεσσαν ἀγρούς. Aquæ autem eæ inter salubres habitæ. Plinius 31, 4. *In eadem Campaniæ regione Sinuessanæ aquæ sterilitatem feminarum et insaniam virorum abolere creduntur.* Et quia ad vitia muliebria: ideo in Martiali 11, 8. *Diceret hystericam se forsitan altera mæcha In Sinuessano velle sedere sinu.* Sed et Claudius apud Tacitum 12, 66. *refovendis viribus mollitie cæli et salubritate aquarum, Sinuessam perrexit.* Lips. Ed. pr. *Sumessanas aquas*, quod manus Lipsio antiquior correxit *Sinuessanas*. Ern. Bud. *Suessanas.*

A. U. 823. A. C. 70. vit etiam exitu sero et inhonesto. Per idem tempus expostulata ad supplicium Galvia Crispinilla variis frustrationibus, et adversa dissimulantis Principis fama, periculo ex-
73 empta est: magistra libidinum Neronis, transgressa in Africam, ad instigandum in arma Clodium Macrum, famem populo Rom. haud obscure molita, totius postea civitatis gratiam obtinuit, Consulari matrimonio subnixa, et apud Galbam, Othonem, Vitellium inlæsa: mox potens pecunia et orbitate, quæ bonis malisque temporibus juxta valent.
74 Crebræ interim, et muliebribus blandimentis infectæ, ab Othone ad Vitellium epistolæ, offerebant *pecuniam et gratiam et quemcunque quietis locum prodigæ vitæ legisset*. Paria Vitellius ostentabat, primo mollius, stulta utrimque et indecora simulatione: mox, quasi rixantes, stupra et flagitia invicem objectavere. neuter falso. Otho, revocatis, quos Galba miserat, legatis, rursus alios ad utrumque Germanicum exercitum et ad legionem Italicam easque, quæ Lugduni agebant, copias, specie Senatus misit. Legati apud Vitellium remansere, promptius, quam ut retenti viderentur. Prætoriani, quos, per simulationem officii,

Galvia Crispinilla] *Calvia* verius: an etiam, *ministra?* nec tamen illud damno. Ceterum hæc Calvia a veste Sporo fuit et ejus custos. Breviarium Dionis, in Nerone 63, 12. Χωρὶς δὲ, ὅ τε Πολύκλειτος καὶ Καλουΐα Κρισπινίλλα ἦγον, ἐπόρθουν, ἐσύλουν πάνθ' ὅσα ἐνεδέχετο· ἐκεῖνος μὲν ἐν τῇ Ῥώμῃ, αὕτη δὲ μετά τε τοῦ Νέρωνος καὶ μετὰ τῆς Σαβίνης τοῦ Σπόρου. Τήν τε γὰρ φυλακὴν αὐτοῦ, καὶ τὴν ἐπιτροπείαν τὴν περὶ ἐσθῆτα, καίπερ γυνὴ καὶ ἐπιφανὴς οὖσα, ἐπεπίστευτο, καὶ δι' αὐτῆς πάντες ἀπεδύοντο. Vides ex ea nota, quid feminæ Calvia hæc fuerit, et cur populo exosa. Lips. *Galvia* MS. Guelf. (Bud.) edd. Puteol. seqq. Ed. pr. *Galliva*. Eadem *Crispinilla*, ut Guelf. (Bud.) ed. Rhen. sqq. at ceteræ ante Rhen. *Crispilina*: male. Ern.

Ad instigandum in arma] Quæ sc. pro Nerone ulciscendo caperet. Mox edidi *Populo Rom.* ut voluit Acidalius, ex ed. pr. Vulgo *populi R.* Sic etiam ante e MS. Agr. Ryckius (et Heins.) Ern. Bud. *Populi R.*

Consulari matrimonio innixa] MS. *subnixa*. Sed vulgatam prætulit Pichena. Ego vero alterum, quod sensu prægnantius. nam *subnixa* dicit pro superba, elata. Ut apud Silium Varro *Subnixus rapto plebeii muneris ostro*. Gron. Atque etiam alibi noster *subnixus cognationibus* et similia dixit, non uno loco. Itaque, cum idem sit in ed. pr. et MS. Agr. cum Ryckio recepi. (Bud. *innixa*.) Mox a MS. Bud. aberat *temporibus*. Rhenanus intelligebat hominibus. Non credo *bonis hominibus* dici, nec apud bonos viros ista æque atque apud malos valere. Sed et bonis temporibus ista valuere, ut Augusti. V. Ann. 3, 25. et ibi Lipsius. Ern.

Crebræ interim etc.] *Blandimentis*, quod Rhen. (e Bud.) edidit, etiam ed. pr. non *blanditiis*. Mox *offerebant p. et g.* est a Rhen. (ex ingenio.) Sed MSS. (in his et Bud.) et edd. ante *offerebantur*, *pecuniam* etc. Pichena conjecit: *epistolæ*. *Offerebat pecuniam*. Bene V. ad 3, 81. ex quo loco hunc emendandum cum Pichena etiam J. Gronovius putabat. Forte etiam non male *Offerebantur pecunia et gratia*. Mox *ostentabat*, quod Ryckius (e cod. Agr.) pro *ostendebat* edidit est et in ed. pr. et est Tacito usitatius. Ern. Bud. *ostendebat*.

Pecuniam et gratiam] Imo et societatem Imperii. Dio 64, 10.

Primo mollius] Bud. præmittit *Vocontiorum*, quod Rhen. forsan in *vacationem* mutandum conjiciebat. Credo, librarium per errorem in c. 66. recidisse.

Rursus alios] Recepi *alios*, quod MSS. (Bud.) Guelf. Oxon. Agr. edd. ante Rhen. omnes habent, et a Rhenano tacite omissum est. Ern.

legatis Otho adjunxerat, remissi, antequam legionibus mis- A. U.
cerentur. Addit epistolas Fabius Valens, nomine Germa- 823.
nici exercitus, ad Prætorias et urbanas cohortes, de viri- A. C. 70.
bus partium magnificas et concordiam offerentes. Increpa-
bat ultro, *quod tanto ante traditum Vitellio Imperium ad*
Othonem vertissent. Ita promissis simul ac minis tentaban- 75
tur; *ut bello inpares, in pace nihil amissuri.* neque ideo
Prætorianorum fides mutata. Sed insidiatores ab Othone in
Germaniam, a Vitellio in urbem missi. utrisque frustra fuit:
Vitellianis inpune, per tantam hominum multitudinem, mu-
tua ignorantia fallentibus: Othoniani, novitate vultus, om-
nibus invicem ignaris, prodebantur. Vitellius litteras ad
Titianum, fratrem Othonis, composuit, *exitium ipsi filioque*
ejus minitans, *ni incolumes sibi mater ac liberi servarentur.* Et
stetit domus utraque: sub Othone, incertum an metu; Vi-
tellius victor clementiæ gloriam tulit. Primus Othoni 76
fiduciam addidit ex Illyrico nuntius, *jurasse in eum Dalma-*
tiæ ac Pannoniæ et Mœsiæ legiones. Idem ex Hispania ad-
latum: laudatusque per edictum Cluvius Rufus: et statim
cognitum est, conversam ad Vitellium Hispaniam. Ne
Aquitania quidem, quamquam a Julio Cordo in verba
Othonis obstricta, diu mansit. nusquam fides aut amor;
metu ac necessitate huc illuc mutabantur. Eadem formido
provinciam Narbonensem ad Vitellium vertit, facili trans-
itu ad proximos et validiores. Longinquæ provinciæ, et
quidquid armorum mari dirimitur, penes Othonem mane-
bant: non partium studio; sed erat grande momentum in
nomine urbis ac prætextu Senatus: et occupaverat animos

Increpabat ultro] Sic edidi ex ed. pr. ut conjecerat Rhenanus. Ad *epistolas* retulere verbum librarii, ut ante. Similis lapsus 3, 81. Vulgo: *increpabant.* Ern. Sic et Bud.

Tanto ante] Majora verba quam pro re. Nam intervallum sane, inter Vitellii Othonisque Imperium, exiguum. Jurarunt enim Germanici exercitus in Vitellii nomen Kalendis Januariis: at postridie Idus Galba cæsus, et Princeps factus Otho. Ita pauci dies interfuerunt, et aut militum aut Taciti adsertio non usquequaque cauta. Lips. Vitellium inferior exercitus postridie Kal. Jan. salutavit Imperatorem; superior III. Non. Jan. c. 5. 7. Galba cæsus XVIII. Kal. Febr. c. 27. Eo adhuc vivo nuntius de Vitellio Romam adlatus c. 14. et 50. Militi longum id spatium visum, quo alios prævenisset.

Omnibus invicem ignaris] Sic edidi e MS. Flor. edd. pr. Puteol. Beroald. Alc. Nec aliter sensus constat. Ignoti vultus prodidere, cum nemo alterum nosset invicem, eaque ignorantia suspecta esset. In Rhen. editionem (a. 1544.) *gnaris* venit, nescio utrum ipso volente, an casu: id ad omnes post editos libros propagatum. Ern. Bud. et Reg. Lall. item ed. Rhen. 1519. habent *ignaris.*

Ad Titianum fratrem] Edd. vett. (et c. Bud.) *Tutianum.* recte Rhen. edidit *Titianum* (ex ingenio.) Ern.

Ne Aq. quidem] Bud. *nec.* Sic et Agr. sed Flor. *ne.*

Julio Cordo] Alciat. contra codd. volebat *Manilio Cordo.*

Et stetit domus utraque sub Othone] Tu vero interpunge, *stetit domus utraque. sub Othone incertum an metu.* Lips. Groslotius distingui volebat post *Othone.* Ern.

Prætextu Senatus] Flor. *prætexto,* et mox c. 77. Id recepit J. Gronovius h. l. non altero; quod tamen fieri debebat, si unica Florentino libro fides. Scio etiam in aliis auctoribus neutrum occurrere.

A. U. 823. A. C. 70. prior auditus. Judaicum exercitum Vespasianus, Syriæ legiones Mucianus sacramento Othonis adegere. Simul Ægyptus omnesque versæ in Orientem provinciæ nomine ejus tenebantur. Idem Africæ obsequium, initio a Carthagine orto. Neque exspectata Vipstani Aproniani, Proconsulis, auctoritate, Crescens, Neronis libertus (nam et hi malis temporibus partem se Reipublicæ faciunt) epulum plebi, ob lætitiam recentis Imperii, obtulerat, et populus pleraque sine modo festinavit. Carthaginem ceteræ civi-

77 tates secutæ. Sic distractis exercitibus ac provinciis, Vitellio quidem ad capessendam Principatus fortunam bello opus erat. Otho, ut in multa pace, munia Imperii obibat: quædam ex dignitate Reipublicæ, pleraque contra decus ex præsenti usu properando. Consul cum Titiano fratre in Kalend. Martias ipse: proximos menses Verginio destinat, ut aliquod exercitui Germanico delinimentum. Jungitur Verginio Poppæus Vopiscus, prætextu veteris amicitiæ;

Vid. Oudend. ad Sueton. Cæs. 80. ubi et hunc locum laudat. sed cum omnes alii scripti (in his Bud.) et edd. habeant *prætextu*: id servavi. De ceteris locis Taciti deinceps sigillatim videbimus. Nec, si in uno loco plures libri consentient, ad illum locum omnes conformari debent. Ceterum vid. ad c. 19. Ern.

Omnesque versæ in Orientem] Credo germanum esse. aliquot tamen libri *omnesque versus Orientem*. Lips. Ut MS. Pichenæ, Agr. ed. pr. Ceteri libri vulgatum tenent. Etiam MS. Flor. *versam in or.* pro *versæ*. Igitur hoc, ut elegantius quoque, prætuli. Ern. Bud. male *versus in Orientem*. Ad rem quod adtinet, extant numi Othonis cusi Antiochiæ in Syria, itemque Alexandriæ. Cf. Eckhel doctr. NN. vet. vol. 6. p. 307. et vol. 4. p. 56.

Vipsanii Aproniani] Fragmentum fratrum Arvalium (apud Grut. p. 118.) ADFUERUNT. A. VITELLIUS. M. APONIUS. SATURNINUS. L. SALVIUS. OTHO. TITIANUS. SULPICIUS. CAMERINUS. C. VIPSTANUS. APRONIANUS. Iterum: ADSTANTIBUS. SULPICIO. CAMERINO. MAGISTRO. L. SALVIO. OTHONE. TITIANO. C. VIPSTANO. APRONIANO. Et sæpius. Gron. MSS. Agr. Guelf. (Bud.) Edd. pr. Puteol. Beroald. Rhen. etc. *Vipsani*, quod esse pro *Vipstani* etiam alibi A. 14, 1. vidimus. Itaque cum Ryckio *Vipstani* recepimus. *Proconsulis* scr. et edd. omnes. Ern.

Partem se Reip. fecerat] Interpretor. miscuerat se, velut et ipse inter curatores ejus et administros. Ita supra, hoc libro: *Non Senatus et Eques modo, quis aliqua pars et cura Reip.* Lips. Nempe legebatur tum: *nam in malis tempp. etc.* Sic MS. (Bud.) Guelf. edd. inde a Puteol. omnes. At MSS. Flor. Agr. ed. pr. *Nam et in malis—faciunt.* unde Pichena fecit, quod nunc editur. Ern. Bud. *fecerat.*

Ceteræ civitates] Bud. *multæ c.* et mox *distractis ejus exerc.*

Otho ut in m. pace] Recte monuit Freinsh. initium novæ sententiæ esse a verbis: *sic distractis.* In prim. ed. etiam est *et Otho.* Melius foret *at Otho:* quod etiam præcedens *quidem* videtur desiderare. Ern.

Ex præs. usu] Sic Rhen. e Bud. Legebatur prius *et pr. usu.*

Consul ipse] Nempe a XVIII. Kal. Febr. initioque imperii, more Imperatorum solenni, Consulatum cum principio Imperii conjungendi. Mox pro *proximos* Guelf. vitiose *proprios.* item *destinabat.* Ern. Bud. *proximos.* Idem a *Verginio* ad *jungitur* cuncta omittit, quod librarii peccatum male tuetur Rhenanus.

Pompeius Vopiscus] Sic MSS. et edd. omnes ante Lipsium, in cujus editiones, tacito ipso, venit *Poppæus*, atque inde ad sequentes. *Pompeius* restituit Ryckius. At Flor. habet *Poppæus*, cujus auctoritate hoc nomen defendit J. Gronovius. Lipsius ex alio MS. reposuisse videtur. Nam Flor. lectiones tum nondum viderat, cum primum ederet Tacitum. Ex Vat. cod. Lipsium id nominis hausisse Bipontini autumant. Bud. *Pompeius.*

plerique, Viennensium honori datum, interpretabantur. Ceteri Consulatus ex destinatione Neronis aut Galbæ mansere. Cælio ac Flavio Sabinis in Julias, Arrio Antonino et Mario Celso in Septembres: quorum honori ne Vitellius quidem victor intercessit. Sed Otho Pontificatus Auguratusque honoratis jam senibus cumulum dignitatis addidit: et recens ab exsilio reversos nobiles adolescentulos avitis ac paternis Sacerdotiis, in solatium, recoluit. Redditus Cadio Rufo, Pedio Blæso, Sevino Pomtino Senatorius locus, qui repetundarum criminibus sub Claudio ac Nerone ceciderant. placuit ignoscentibus, verso nomine, quod avaritia fuerat, videri majestatem: cujus tum odio etiam bonæ leges peribant. Eadem largitione civitatum quoque ac provinciarum animos adgressus, Hispaliensibus et Emeritensibus

A. U. 823. A. C. 70.

78

Cælio ac Flavio Sab.] *Cælius* IC. de quo Pompon. D. d. de O. I. l. 2. §. 46. De *Flavio* v. c. 46. supra.

Arrio Antonino] Ms. Agr. *Arrio*, ut ed. pr. MS. Guelf. *Archio:* e qua scriptura natum *Archio* edd. ceterarum. ante Rhen. qui edidit e Bud. *Ario*. *Antonio* omnes vett. (et Bud.) Recte tamen a Lipsio editum *Antonino:* quod verum viri nomen est. Fuit avus Antonini Pii Imp. v. Ryck. ad h. l. *Antoninus* fuisse cognomen *Arriorum* præclare docet etiam Vignolius ad column. Anton. Pii c. 6. p. 89. s. Ern. Plin. ep. 4, 3 et 5, 10. Græca *Arrii Antonini* carmina celebrat.

Honoratis jam senibus] Otho, inquit, *senibus* Patrum *jam honoratis* (qui summis olim scilicet essent honoribus functi aut fungendis designati) *addidit cumulum dignitatis.* quem illum? *Pontificatus Auguratusque*, quæ duo vocabula plurativi numeri accusandi casu *κατ' ἐπεξήγησιν*, quam appositionem vulgo vocant, adhærent, junguntur que *τοῖς dignitatis cumulum.* Justin. 17, 2. *In eo bello Lysimachus, amissis ante variis casibus XV. liberis, non instrenue moriens, postremus domus suæ ruinæ cumulus accessit.* Et firmat planissime Plut. c. 1. Τοῖς ἀποδεδειγμένοις ὑπὸ Νέρωνος ἢ Γάλβα πᾶσιν ἐτήρησε τὰς ὑπατείας. ἱερωσύναις δὲ τοὺς καθ' ἡλικίαν προήκοντας ἢ δόξαν ἐκόσμησε. Hæc, ne quem abducat Jac. Gutherii fiducia in suo, *honoratis jam insignibus.* de jure pontif. 1, 15. Gron. Mox Bud. male *aut recens.* Agr. *culmen dignitatis.*

Sevino Pomtino] Sic nomen hoc correximus. Edd. inde a Puteolano usque ad Lipsium *Pontio*, ut habet etiam Guelf. At Lipsius edidit *Promptino.* Ea est lectio cod. Flor. quæ deinde ab omnibus servata est. Consonat cod. Agr. (Bud.) ed. pr. in quibus est *promtius.* Sed hodie satis constat, in has voces a librariis corruptum esse nomen *Pomtinus*, ut plane docet Cortius ad Sall. Catil. 45. ubi eædem aberrationes in libris reperiuntur. Idem docet Drakenb. ad Liv. 2, 34. 4, 25. ut nullo modo hic potuerim hæsitare. Præterea etiam *qui* abest a MS. Flor. placetque J. Gronovio. Ern. Lipsius ex Farnes. *proprius* et Vat. *Promtios* confecit *Promtino.* Posset quoque legi *Pomptinio*, ut in lapid. Donianis, vel *Pontinio*, ut in Gruterianis. Utraque forma in codd. Cicer. ep. ad Att. 4, 16. occurrit. Cf. Ernesti ind. Cic. Τὸ *qui* habet Bud. Sed rectius abest. De *Cadio Rufo* v. 12, 22. Agr. *Candio.* De *Pædio Blæso* 14, 18.

Quod avaritia fuerat, videri majestatem] Otho Cadium Rufum, Pedium Blæsum, Sivinum Promptinum restituit, quasi tyrannica majestatis lege perculsos, quo innocentibus injuria facta videretur; ut plerisque, qui tum temporis essent ea lege postulati: non autem, ne provincialium animi offenderentur, ut Pichena suspicatur. Horum immo οὐ λόγος illi, οὐ δ' ἀριθμός. nam qui poterant non offendi hoc mimo satis memores et gnari veterum dolorum? qui, ut verisimile est, ipsi productos in jus fures et depeculatores nequissimos damnarant? Ergo, ut dixi, horum ille nullam rationem habuit: tantummodo suæ et restitutorum existimationi consultum voluit, ne ipse indignos dignari, illi indigni potiri eo beneficio viderentur. Gron. *Majestatem* intellige *læsam.*

Hispaliensibus] Sic (tacite) correxit Rhenanus. MSS. et edd. vett. *Hispanicnsibus.* Ern. Sic et Bud. et Agr.

A. U. 823. A. C. 70. familiarum adjectiones, Lingonibus universis civitatem Romanam, provinciæ Bæticæ Maurorum civitates dono dedit. nova jura Cappadociæ, nova Africæ, ostentui magis, quam mansura. Inter quæ, necessitate præsentium rerum et instantibus curis excusata, ne tum quidem immemor amorum, statuas Poppææ per Senatus consultum reposuit. Creditus est etiam de celebranda Neronis memoria agitavisse, spe vulgum adliciendi. et fuere, qui imagines Neronis proponerent: atque etiam Othoni quibusdam diebus populus et miles, tamquam nobilitatem ac decus adstruerent, NERONI OTHONI adclamavit. Ipse in suspenso tenuit, vetandi metu, vel adgnoscendi pudore.

Familiarum adjectiones] Ita solent Romani coloniarum infrequentiæ subvenire, nova familiarum aliquot adjectione. Livius 43, 17. *Postulantibus a Senatu Aquileiensium legatis, ut colonorum numerum augeret, mille et quingentæ familiæ ex SC. scriptæ.* Lips. Cf. et A. 13, 31.

Lingonibus universis] Latet hic omnino mendum. Primum enim, quis locus Lingonibus (Galliæ ii sunt) inter Hispaniæ populos esse potest? Adde, quod Lingones isti ipsi, primi et præcipui in Othonem hostes. Hi, qui Vitellium fovere; hi, qui milites turbidis colloquiis ad bellum impulere: hi, qui etiam nunc Othonis partes oppugnant viris, armis, equis. Unde igitur iis præmium? Clare aliena et falsa ea vox: et censeam Hispaniæ aliquam gentem reponendam: *Lusonas*, an *Illurconas?* an tale aliquod nomen, quod parum vicinum adhuc repperi corruptæ voci. *Nec scire fas est omnia*, ait Lyricus. tu cogitabis. Lips. Omnes libri in vulgato consentiunt. Nec rationes Lipsii satis graves videntur. Nam nulla necessitas est credendi, Hispaniensem populum hic a Tacito commemoratum: et potuerunt hæc delinimenta Lingonibus, ut supra Germanico exercitui, objici. V. Ryckius. Ern. Cum Lipsio faciunt Bip. putantque se in *Langobriga* Lusitaniæ invenisse medelam, cujus incolæ forsan *Longones* dicti. Conjectura perquam scita, cui favet Bud. *Langonibus*. Ceterum per civitatem Romanam hic jus Latii intelligendum, ut clarius de aliis A. 15, 32. H. 3, 55. Ryckius censet, inprobante Spanhemio in orbe Romano c. 9. et 16.

Ostentui magis] Sic MS. Guelf. ed. pr. Rhen. (e Bud.) et seqq. estque valde usitatum Tacito verbum. At Puteol. Beroaldus *Ostenta m. q. m.* Nisi clare tot libri *ostentui* haberent, conjicerem *ostentata magis.* Nam haud dubie respexit h. l. ad illud Virgil. Æn. 6, 869. *hunc tantum ostendent terris Dii.* Ern. Bip. præferunt *ostenta.* parum interest. Mox Bud. *creditus* sine *est.*

Interque necessitate præsentium rerum et instantibus curis excusata] Sic MSS. Flor. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. ut *excusata* referatur ad *inter:* aut potius ad *inter quæ*, quod est in ed. pr. Rhen. (e Bud.) sq. At quia in Bud. cod. fuit *excusatus*, Rhenanus edidit *excusatis*, quod expressum est usque ad Lipsium. *Excusatus* habet etiam MS. Agr. ed. pr. quod ipsum quoque ferri posset. Homines eum vulgo excusabant, cum ista faceret, necessitate et curis. etc. Ern.

Et fuere, qui imagines Neronis præponerent] Plinius 35, 4. *Princeps tabulam pictam prælii, quo Carthaginienses et Hieronem in Sicilia devicerat, proposuit in latere Curiæ Hostiliæ.* Suet. Cal. 41. *Hujusmodi vectigalibus indictis neque propositis.* Gron. *Proponerent* MSS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. edd. pr. Put. At in ed. Beroaldi irrepsit *præponerent:* Rhenanus (ex ingenio) *reponerent* maluit, aliique. *Proponerent* verum est. In locis publicis injussi posuere imagines Neronis. Ern.

Othoni quibusdam diebus] Quibus diebus? et cur hoc ita ἀορίστως? Fortasse *Quinquatruum diebus:* quod scriptum initialibus modo litteris fuit. Lips. Heins. tentabat *iisdem diebus, iisdem ludi diebus.*

Cognoscendi pudore] Malim, *agnoscendi.* Lips. Sic e Flor. reposuit Pichena. sic et ed. pr. Ern. Bud. *cognoscendi.* Idem *metu*, unde Rhen. *metu —pudore*, quod Lipsius aliique recepere. prius legebatur *metum . . pudorem.*

Conversis ad civile bellum animis, externa sine cura ha- A. U.
bebantur. Eo audentius Rhoxolani, Sarmatica gens, priore 823. A. C.
hieme cæsis duabus cohortibus, magna spe ad Mœsiam in- 70.
ruperant: novem millia equitum, ferociora successu et 79
prædæ magis quam pugnæ intenta. Igitur vagos et incuriosos tertia legio, adjunctis auxiliis, repente invasit. apud Romanos omnia prœlio apta: Sarmatæ, dispersi cupidine prædæ, aut graves onere sarcinarum, et lubrico itinerum adempta equorum pernicitate, velut vincti cædebantur. Namque mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipsos. nihil ad pedestrem pugnam tam ignavum: ubi per turmas advenere, vix ulla acies obstiterit. Sed tum humido die et soluto gelu neque conti, neque gladii, quos prælongos utraque manu regunt, usui, lapsantibus equis et cataphractarum pondere. Id Principibus et nobilissimo cuique tegmen, ferreis laminis aut præduro corio consertum; ut adversus ictus inpenetrabile, ita inpetu hostium provolutis inhabile ad resurgendum. simul altitudine et mollitia nivis hauriebantur. Romanus miles facili lorica et missili pilo aut lanceis adsultans, ubi res posceret, levi gladio inermem Sarmatam (neque enim defendi scuto mos est) cominus fodiebat: donec pauci, qui prœlio superfuerant, paludibus abderentur. ibi sævitia hiemis et vi vul-

Magna spe ad Mœsiam irruperant] *Ad Mœsiam* omnes scr. et edd. Post *et ferocia* edd, omnes ante Rhen. is (e Bud.) edidit *ex.* sic et Guelf. Similiter c. 77. pro *et præsenti usu* recte editum *ex pr. usu.* Sed post *irruperant* non debet esse punctum, sed minor distinctio, ut in Guelf. Sarmatæ irruperant, novem millia, et caussæ irruptionis ferocia, ut ab initio, et successus superioris hiemis. Paullo post omnes libri *tertia legio*, eamque in Mœsia fuisse patet ex H. 2, 74. Savillius frustra conjicit *tres legiones*, quia tres Legati Consularia ornamenta accepisse dicuntur. Tot legiones in Mœsia tum fuisse, verum est, vid. Suet. Vesp. c. 6. sed non omnes contra novem millia barbarorum cum auxiliis ductæ. Una legio cum suis auxiliis sufficiebat. Honos tamen cum Legatis omnibus communicatus. Ern. Cod. Agr. *et ferociora successu et.* Hoc Bip. omissa priori copula recepere. recte, ut puto, quos sequor. Ern. posuerat vulgatum *ex ferocia et successu.* Contra Acid. jam emendarat *ferocia ex succ.* Sed comparativo simili modo utitur noster infra 4, 28.

Dispersi cupidine, aut g. o. s.] Sic edidit Freinsh. cum ante *aut* esset post *dispersi.* (Sic et in Bud.) J. Gronovius veterem ordinem restituit ac defendit. Ejus rationes mihi non satis faciunt, quas inspiciat, qui volet. Freinshemium verum vidisse puto, cum J. F. Gronovio et aliis, qui ejus correctionem secuti sunt. Ern. Jam Acidalius *τὸ aut* ante *graves* locaverat.

Virtus velut extra ipsos] Nempe in pernicitate equorum, non in animo et corporis robore, ut hodie fere in tormentis bellicis. Videtur ductum a Stoicis, qui negabant *extrinsecus* esse debere bene vivendi rationes. Ern.

Advenere] Heins. volebat *adsiluere,* ut A. 2, 21. Mox Agr. *tegimen,* ut l. hoc cit.

Præduro corio] Sic MSS. et edd. omnes. Lipsius de Mil. Rom. 3, 6. conjecit *cornu,* quia sic nonnulli de Sarmatis tradidere, sed sine caussa, ut recte judicat J. Gronovius. Ern. Cum Lipsio facit Fabrettus ad col. Traj. c. 4. p. 111.

R. miles facili lorica] MS. Flor. *facilis lorica.* quod non adeo spernendum. Ryckius laudat ex nostro bene: *sagulo leves.* Facilis lorica est habilis sine pondere, non molesta gestanti militi. Ern.

Ibi sævitia, hic miseria] Mutilus locus, aut corruptus. Mihi ex sententia vi-

A. U. 823. A. C. 70. nerum absumpti. Postquam id Romæ compertum, M. Aponius, Mœsiam obtinens, triumphali statua, Fulvius Aurelius et Julianus Titius ac Numisius Lupus, Legati legionum, Consularibus ornamentis donantur: læto Othone et gloriam in se trahente, *tamquam et ipse felix bello, et suis*
80 *Ducibus suisque exercitibus Remp. auxisset.* Parvo interim initio, unde nihil timebatur, orta seditio prope urbi excidio fuit. Septimam decimam cohortem, e colonia Ostiensi in urbem acciri Otho jusserat: armandæ ejus cura Vario Crispino, Tribuno e Prætorianis, data. Is, quo magis vacuus, quietis castris, jussa exsequeretur, vehicula cohortis, incipiente nocte, onerari, aperto armamentario, jubet. tempus in suspicionem; caussa in crimen; adfectatio quietis in tumultum evaluit: et visa inter temulentos arma cupidinem sui movere. Fremit miles, et Tribunos Centurionesque *proditionis* arguit *tamquam familiæ Senatorum ad perniciem Othonis armarentur:* pars ignari et vino graves:

deatur: *illi sævitia hiemis, hi miseria vulnerum absumpti.* Junctim enim cum prioribus legenda. et reliqui confugerunt, inquit, ad paludes: quorum alii frigoris vi, alii jam læsi, cum nemo curaret, misere tabe et pure vulnerum perierunt. Lips. Vetus lectio, etiam Guelf. et ed. pr. est, *ibi sævitia, hic misericordia vulnerum.* Pro eo Rhen. dedit *miseria vulnerum:* in quo miseria bene exprimit Græcorum ταλαιπωρίαν. Quod nunc editur, est e correctione Mureti admodum verosimili, quam primus recepit Freinsh. Ryckius e suo cod. edidit, *ubi sævitia hiemis et dolore vulnerum absumti.* In Mureti correctione suspectum esse possit, quod terminationis *cordia* nulla ratio habetur. An fuit *et incuria vulnerum?* cum curare vulnera non possent, inopia fomentorum et remediorum. Et *incuriam* sic dici vel lexica docent, Cicer. Prov. Cons. c. 3. *milites—incuria, fame, morbo, vastitate consumti.* Ern. Mureto recte plaudunt Pichena et Acidalius. Ernesti conjectura placet Lallemando. In Bud. est *mia.*

M. Aponius] Cogn. *Saturninus.* Cf. infra 2, 85. et fragm. Fratrum Arval. ad c. 76. Supra *Julianus Titius* 2, 85. *Tertius Jul.* inde Ryckio *Tertius Titius Julianus.* Legati legionum Vegetio 2, 9. *Præfecti legionum* dicuntur, agebant vices Legati Imp. in legione. Sed cf. not. ad c. 82.

Septimam dec. cohortem] Plures Ostiæ cohortes, ut Puteolis, quæ numerarentur, ut legiones, et inde nomen acciperent. Male Phil. a Turre ad Inscr. M. Aquilii c. 4. hinc septimam decimam legionem facit, notatus a Burmanno ad Suet. Oth. c. 8. ubi et de dissidio Taciti et Suetonii in hac re agitur. Ern.

Colonia Hostiensi] Scito, eam illic perpetuam stationem habuisse ex decreto Claudii. Suet. Claud. 25. *Puteolis et Hostiæ singulas cohortes, ad arcendos incendiorum casus collocavit.* Lips. Præpositionem deleverat (cum Bud.) Rhenanus, reposuit Pichena e Fl. Est et in Guelf. (Agr.) ed. pr. Ern.

Quietis castris] Quia vigiliæ jam tunc constitutæ, et omnes in contuberniis, exceptis Vigilibus. Lips. Mox *evaluit* omnes libri, nec tentandum aliquid. Ed. pr. *affectio*, omissa media syllaba. Ern. *Evalesceret* sic quoque A. 14, 58. Male ergo Ursinus *evadit.*

Visa inter tem. arma] Is affectus Homero exprimitur, in Odyssea Π. 292. ubi Ulysses Telemachum monet amovenda arma a procis, et caussam dat:

Μήπως οἰνωθέντες, ἔριν στήσαντες ἐν ὑμῖν,
Ἀλλήλους τρώσητε.

Et caussæ caussam v. 294.

—Αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.

Lips. *Familias Senatorum* de servis intelligendos, tironum caussa monemus. Ern.

Pars ignari et vino graves] Primum hæc non divellenda a præcedentibus erant majore interpunctione, quibuscum cohærent. Itaque minorem fecimus, qualis in MS. Guelf. Sed idem codex edd. Put. Ber. *ignavi*, male. Ed. pr. *ignari*, quod restituit Rhen. (e Bud.) Post *cujuscunque* recte reddidit Ryckius pro *cu-*

pessimus quisque in occasionem prædarum: vulgus, ut mos est, cujuscunque motus novi cupidum. et obsequia meliorum nox abstulerat. resistentem seditioni Tribunum et severissimos Centurionum obtruncant. rapta arma, nudati gladii, insidentes equis urbem ac palatium petunt. A. U. 823. A. C. 70.

81 Erat Othoni celebre convivium, primoribus feminis virisque: qui trepidi, fortuitusne militum furor, an dolus Imperatoris, manere ac deprehendi, an fugere et dispergi, periculosius foret; modo constantiam simulare, modo formidine detegi, simul Othonis vultum intueri. utque evenit, inclinatis ad suspicionem mentibus, cum timeret Otho, timebatur. Sed haud secus discrimine Senatus, quam suo territus, et Præfectos Prætorii ad mitigandas militum iras statim miserat, et *abire propere omnes e convivio* jussit. Tum vero passim Magistratus, projectis insignibus, vitata comitum et servorum frequentia, senes feminæque, per tenebras, diversa urbis itinera, rari domos, plurimi amicorum tecta, et, ut cuique humillimus cliens, incertas latebras petivere.

82 Militum inpetus ne foribus quidem palatii coercitus, quo minus convivium inrumperent, *ostendi sibi Othonem* expostulantes: vulnerato Julio Martiale, Tribuno, et Vitellio Saturnino, Præfecto legionis, dum ruentibus obsistunt. Undique arma

jusque e Flor. Agr. edd. ante Rhen. (qui *cujusque* e Bud.) Consentit Guelf. ed. pr. Ern.

Vino graves] Quippe in cæna jam, aut potius a cæna. Ubi autem es, vetus disciplina? Sed vero hæc castra urbana et cum urbis vitiis. Lips.

Severissimum Centurionum] Vatic. *severissimos.* et Plut. c. 3. ἑκατοντάρχας δύο interfectos scribit. Noster tamen etiam infra c. 83. de uno tantum: *Unus alterve perditus ac temulentus, Centurionis ac Tribuni sanguine manus imbuet?* Itaque placeat magis hic legi, et *severissimum Centurionem*, ut proprium nomen expresserit interfecti. aut certe in altero Taciti loco *Centurionum ac Tribuni*, scribendum erit. Lips. *Severissimos Centurionum* etiam Flor, Guelf. ed. pr. ceteræque ante Rhen. (qui sic etiam e Bud.) idque restituit Pichena. Consentiunt Suet, et Plut. Ern.

Modo constantiam etc.] *Modo* abest a MS. Oxon. Vid. ad 3, 83. et Gron. fil. ad h. l. Ern. Bud. habet.

Præfecto legionis] Apud Tacitum nuspiam Præfectos leg. occurrere, vere monet Savilius. At sæpe occurrunt in inscriptionibus antiquis apud Gruterum et alios: estque de iis caput ap. Vegetium 2, 9. At non negandum, hunc unum locum esse in antiquioribus, ubi id nomen occurrat. Sunt, qui Tribunum intelligant. male. nam diserte h. l. a Tribuno distinguitur. E Vegetii loco patet, fuisse eundem, qui alias *Legatus legionis* vocatur a Tacito et Suetonio. Nam medius est inter Legatos Imperatoris, qui pluribus legionibus præsunt, et Tribunos, qui ei cum Centurionibus ceterisque militibus subesse dicuntur a Vegetio. Et, quæ Legato legionis tribuuntur apud nostrum A. 1, 44. ut judicium exerceat et pœnas reorum militum, idem tribuitur Præfecto legionis ap. Vegetium l. c. Sed cum Taciti ætate, atque aliquandiu post *Legati legionis* nomen manserit, ut patet e Suetonio et aliis, suspicio esse potest, *Præfectum legionis* deberi librario, qui nomen recentius et notius substituit, sive, cum notatum esset interlineari glossa, aut in margine eundem esse, qui Præfectus legionis dicatur, id verbum in textum deinde venisse. Antiquissimam hujus honoris mentionem ego quidem reperi in inscr. ap. Gruter. p. 465. 2. quæ ad M. Aurelii Antonini tempora pertinet. De Præfectis legionum egit Pancirollus ad Notit. Dign. Imp. c. 36. p. m. 64. Sed parum accurate, ut et Stewechius ad Veget. l. c. Fortasse verum est *Præf. legioni*, ut ap.

A. U. 823. A. C. 70. et minæ, modo in Centuriones Tribunosque, modo in Senatum universum: lymphatis cæco pavore animis, et, quia neminem unum destinare iræ poterant, licentiam in omnes poscentibus. donec Otho, contra decus Imperii, thoro insistens, precibus et lacrymis ægre cohibuit: redieruntque in castra inviti, neque innocentes. Postera die, velut capta urbe, clausæ domus: rarus per vias populus; mœsta plebs; dejecti in terram militum vultus, ac plus tristitiæ, quam pœnitentiæ. Manipulatim adlocuti sunt Licinius Proculus et Plotius Firmus, Præfecti, ex suo quisque ingenio mitius aut horridius. Finis sermonis in eo, ut quina millia numum singulis militibus numerarentur. Tum Otho ingredi castra ausus. atque illum Tribuni Centurionesque circumsistunt, abjectis militiæ insignibus, *otium et salutem* flagitantes. Sensit invidiam miles, et compositus in obsequium, *auctores*
83 *seditionis ad supplicium* ultro postulabat. Otho, quamquam turbidis rebus et diversis militum animis, cum optimus quisque *remedium præsentis licentiæ* posceret; vulgus et plures, seditionibus et ambitioso Imperio læti, per turbas et raptus facilius ad civile bellum inpellerentur: simul reputans, non posse Principatum, scelere quæsitum, subita modestia et prisca gravitate retineri: sed discrimine urbis, et periculo Senatus anxius, postremo ita disseruit: *Neque ut adfectus vestros in amorem mei accenderem, commilitones, neque ut animum ad virtutem cohortarer* (*utraque enim egregie supersunt*) *sed veni postulaturus a vobis temperamentum vestræ fortitudinis, et erga me modum caritatis. Tumultus proximi*

Suet. Tit. 4. *legioni Præpositus:* ubi etiam genitivus in MS. Memm. ut non sit nomen honoris ac muneris usitatum. Ern.

Abjectis militiæ insignibus] h. e. pugione et vite. de vite A. 1, 23. traditur. Ern.

Otho, quamquam] Frustra in verbo *quamquam* hæret Freinshemius, quod omnes libri exhibent, nec abesse potest. Consequens est: *sed* (pro *tamen*) anxius discrimine urbis, tandem orationem habuit sequentem. Ern. Freinsh. legendum putabat *quoque*.

Ambitioso Imperio læti] h. e. in quo Princeps ambitione uteretur, quæ est in captanda militum vulgique benevolentia et gratia. Sueton. Aug. c. 42. *ut salubrem magis quam ambitiosum Principem scires.* Mox *subita modestia* est studium et cura legum disciplinæ servandæ, ejusque adeo exactio, qua statim ab initio uteretur, sive repente et præter opinionem hominum. Sic *subita benignitas* apud Phædrum 1, 23. ubi v. Burm. Ern. Et *subita largitas* ap. Ter. Ad. 5, 9, 28.

Ut animum ad] Bud. *ut ad animum.* Sic et Agr. a 1. m. Id Rhen. exponit *ad fortitudinem.*

Tumultus proximi initium etc.] Etsi possum aliquam verborum structuram reperire: tamen durior est, quam ut nihil vitii esse putem. *Nimia pietas vestra acrius quam consideratius excitavit initium tumultus proximi.* Bene. Sed cetera: *non cupiditate vel odio* etc. huic sententiæ sive nimiæ pietati non conveniunt. Igitur feci colon post *periculorum*, ut (voluit Acidal. et) est in ed. pr. quæ etiam habet *sed nimia pietas:* quod tamen non probo, sed sine illo *sed* efficaciorem orationem credo. Sed ita *initium tum. prox.* non habet verbum, ad quod referatur. Ei incommodo duobus modis mederi licet; vel, ut post *periculorum* excidisse dicamus *ortum,* (hoc placet Lallemando) aut ante *cupi-*

initium, non cupiditate vel odio, quæ multos exercitus in discordiam egere, ac ne detrectatione quidem aut formidine periculorum: nimia pietas vestra, acrius quam consideratius, excitavit. Nam sæpe honestas rerum caussas, ni judicium adhibeas, perniciosi exitus consequuntur. Imus ad bellum. num omnes nuntios palam audiri, omnia consilia cunctis præsentibus tractari, ratio rerum aut occasionum velocitas patitur? tam nescire quædam milites, quam scire, oportet. Ita se Ducum auctoritas, sic rigor disciplinæ habet, ut multa etiam Centuriones Tribunosque tantum juberi expediat. Si, ubi jubeantur, quærere singulis liceat, pereunte obsequio etiam imperium intercidit. An et illic nocte intempesta rapientur arma? unus alterve perditus ac temulentus (neque enim plures consternatione proxima insanisse crediderim) Centurionis ac Tribuni sanguine manus inbuet? Imperatoris sui tentorium inrumpet? Vos quidem istud pro me: sed in dis- 84
cursu ac tenebris et rerum omnium confusione patefieri occasio etiam adversus me potest. Si Vitellio et satellitibus ejus eligendi facultas detur, quem nobis animum, quas mentes inprecentur, quid aliud, quam seditionem et discordiam, optabunt? ne miles Centurioni, ne Centurio Tribuno obsequatur. hinc confusi, pedites equitesque, in exitium ruamus. Parendo potius, commi-

A. U. 823. A. C. 70.

ditate præpositionem *a*, quæ ante istam literam sæpe excidit in libris, intelligamusque *est;* vel ut e sequente verbo ἀπὸ κοινοῦ intelligamus *excitatum est:* quod fortasse lenius videbitur. Ceterum *cupiditate* est etiam in Guelf. (et Bud.) quod e Flor. lectione *cupidite* dedit Pich.) ed. Put. At (c. Agr.) edd. pr. Ber. (Rhen.) sqq. *cupidine*. Pro *detrectatione* cod. Guelf. ed. pr. *detractione*, ut in aliis libris. Videtur fuisse *detractatione:* de qua scriptura vid. Drakenb. ad Liv. 34, 15. et quos ibi laudat. Add. ad A. 11, 11. Ern. Bud. *detractatione.*

Num omnes nuntios] *Num* edd. pr. Rhen. (e Bud.) seqq. MS. Guelf. a man. s. Fuit ante *non*, ut in edd. Put. Ber. Illud melius puto. Ern. Freinsh. præferebat *non.*

Ut multa per Centuriones] Liber Hispanus *ut multa Centuriones Tribunosque*, omissa vocula. Verissime. Nam ea Othonis mens est, ut velit quædam imperia Centurionibus tantum Tribunisque indicari: non in milites spargi. Flor. liber habet, *Multa etiam Centuriones:* optime. Lips. Florentino congruunt MSS. (Bud.) Agr. Guelf. edd. pr. Put. Ber. At Rhen. (cum Bud.) omisit *etiam*, quod restituit Pichena. Lipsius fluctuavit. Sed tamen et ultima ed. Rhenanum sequitur. Ern. Receptam lectionem tuentur Acid. et Gruterus.

Si ubi jubeantur] MSS. Flor. (Reg. Lall.) Guelf. a m. s. ed. pr. *sicubi*. Ryckius e cod. Agr. dedit *si cur*. Ern. Bud. *si ubi.*

Perditus ac temulentus] Puto, *percitus*. Nam ad instinctum quemdam et *insaniam* (ita statim) refert. Lips. Bud. *alterne.*

Vos quidem istud pro me] Sc. fecistis. *Istud* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Agr. vett. edd. ante Rhenanum. Recte restituit Ryckius. At Rhen. dedit *istuc*. sc. irrupistis. Ern. In Rhen. editione potius operarum vitio legi *istuc* putarim; nihil enim notavit.

Si Vitellio et satellitibus ejus] Hæc ipsa movendi ratio ab hostium affectu et voto, usurpata decenter Homero: Iliad. A. 255.

Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες,
Ἄλλοί τε Τρῶες μέγα κεν κεχαροίατο θυμῷ,
Εἰ σφῶϊν τάδε πάντα πυθοίατο μαρναμένοιϊν.

Et cur non ab illo uberi eloquentiæ et sapientiæ fonte sit hic rivus? Lips.

Nobis] Rhen. malit *vobis*, sed non necesse. Oratorio artificio utitur Princeps.

Parendo potius] Hic et aliis locis in hac oratione Tacitus ob oculos habuit orationem Paulli ad milites ap. Liv. 44, 34. Ern.

A. U. 823. A. C. 70. *litones, quam imperia Ducum sciscitando, res militares continentur. et fortissimus in ipso discrimine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus. Vobis arma et animus sit: mihi consilium et virtutis vestræ regimen relinquite. Paucorum culpa fuit, duorum pœna erit. ceteri abolete memoriam fœdissimæ noctis. nec illas adversus Senatum voces ullus unquam exercitus audiat. Caput Imperii, et decora omnium provinciarum, ad pœnam vocare, non hercle illi, quos cum maxime Vitellius in nos ciet, Germani audeant. Illi ne Italiæ alumni, et Romana vere juventus, ad sanguinem et cædem deposcerent ordinem, cujus splendore et gloria sordes et obscuritatem Vitellianarum partium præstringimus? Nationes aliquas occupavit Vitellius, imaginem quandam exercitus habet: Senatus nobiscum est. Sic fit, ut hinc Respublica, inde hostes Reipublicæ constiterint. Quid? vos pulcherrimam hanc urbem domibus et tectis et congestu lapidum stare creditis? Muta ista et inanima intercidere ac reparari promiscua sunt: æternitas rerum et pax gentium*

Fortissimus in ipso discrimine] Verissima gnome, quæ veteri Græcorum dicto firmatur apud Eustathium, Θρασὺς πρὸ ἔργου, ἐκ πολλοῦ κακός. Aristoteles etiam apte in Nicom. 3, 10. Καὶ οἱ μὲν θρασεῖς, προπετεῖς καὶ βουλόμενοι πρὸ τῶν κινδύνων κινδυνεύειν, ἐν αὐτοῖς δὲ ἀφίστανται· οἱ δὲ ἀνδρεῖοι, ἐν τοῖς ἔργοις ὀξεῖς, πρότερον δὲ ἡσύχιοι. Quem locum, nihil absurdum, Tacitum adspexisse et expressisse. Sed et Homerus Græcos semper quietos et tacitos facit ante pugnam: Il. B. 8.

Οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοί.

Iliad. Δ. 429.

— Οἱ δ' ἄλλοι ἀκὴν ἴσαν (οὐδέ κε φαίης
Τόσσον λαὸν ἕπεσθαι ἔχοντ' ἐν στήθεσιν αὐδὴν)
Σιγῇ δειδιότες σημάντορας.

Talis et Livianus Manlius, qui nulla voce aut minis in Gallum ibat 7, 10. *sed pectus, animorum iræque tacitæ plenum, omnem ferociam in discrimen ipsum certaminis distulerat.* LIPS.

Nec illas] Sic ed. pr. nisi quod vitiose *ullas* pro *illas*, Rhenanus seqq. Contra *ne illas* MS. Guelf. edd. ceteræ ante Rhen. Illud melius. conjunctum est enim cum antecedentibus. ERN. Rhen. e Bud. *nec illas*.

Vitellius in nos ciet] Locum ab aliis fœde interpolatum e Vaticano restitui, religiose servata ejus scriptura: nisi quod *audeant* feci, ex *audiant*. Ne Germani quidem, inquit, illi barbari: quos nunc Vitellius in nos concitat, audeant ad pœnam amplissimum ordinem deposcere: nedum vos Romana suboles. non etiam spreverim scribere cum Hispano codice, *quis cum maxime:* id est, quis comitatus maxime Vitellius in nos movet. LIPS. Lipsii correctionem firmat Flor. Guelf. Ante Lipsium erat *quibus* et *audiant*. (Sic et Bud.) Ed. pr. corruptius: *nec illos, quibus cum maxime. Ignosci et Germani audiant.* Mox *deposcerent* MSS. Flor. Bud. Guelf. edd. pr. Rhen. sqq. At Puteol. Ber. *reposcerent*. Illud verum est, et verbum proprium in hac re. Rhenanus malit *deposcent*. Frustra. sensus est: si vos vere Romani essetis, an deposceretis etc. ERN. Teste Jac. Gronovio Flor. habet *depoposcerint*. Bud. *depoposcerent*. Istud recepit Gron.

Vitellianarum partium perstringimus] Lege *præstringimus*. i. e. hebetamus, obumbramus. At recte mox: *perstringendos mulcendosque animos.* Hoc enim quod Persius 1, 107. *mordaci radere vero.* GRON. Verissime. ERN. Bud. *perstringimus.* Verum cum Gron. omnes interpretes consentiunt, legendum *præstringimus*. Quidni ergo recipiamus?

Domibus et tectis] Tale Augustus in Dione, oratione ad populum 56, 5. Ἄνθρωποι γάρ που πόλις ἐστὶν, οὐκ οἰκίαι, οὐδὲ στοαὶ. οὐδ' ἀγοραὶ ἀνδρῶν κεναί. LIPS. Camillus apud Liv. 5, 54. *Adeo in superficie tignisque caritas nobis patriæ pendet?* ERN.

Promiscue possunt] Bud. (et Agr.) codex, *promiscua sunt:* itemque Flor. in quo *promisca sunt.* quod hellenismo

et mea cum vestra salus incolumitate Senatus firmatur. Hunc A. U.
auspicato a parente et conditore urbis nostræ institutum, et a 823.
Regibus usque ad Principes continuum et inmortalem, sicut a A. C.
majoribus accepimus, sic posteris tradamus. Nam, ut ex vobis 70.
Senatores, ita ex Senatoribus Principes nascuntur. Ea oratio 85
ad perstringendos mulcendosque militum animos, et severitatis modus (neque enim in plures, quam in duos animadverti jusserat) grate accepta, compositique ad præsens, qui coerceri non poterant. Non tamen quies urbi redierat: strepitus telorum et facies belli erat: militibus, ut nihil in commune turbantibus, ita sparsis per domos, occulto habitu, et maligna cura in omnes, quos nobilitas aut opes aut aliqua insignis claritudo rumoribus objecerat. Vitellianos quoque milites venisse in urbem ad studia partium noscenda, plerique credebant. Unde plena omnia suspicionum, et vix secreta domuum sine formidine. Sed plurimum trepidationis in publico. Ut quemque nuntium fama adtulisset, animum vultumque conversi, ne diffidere dubiis ac parum gaudere prosperis viderentur. Coacto vero in curiam Senatu, arduus rerum omnium modus, ne contumax silentium, ne

quodam retineri posse, imo debere, assentior Rhenano. Sed velim amplius, *inanima*, rescribi, paullo ante. Lips. Firmat *promiscua sunt* ed. pr. recepit Freinsh. cum altero *inanima* pro *inania*. Ern. Quod ad Flor. lectionem, notat Pichena, in quibusdam codicibus antiquis semper legi *promiscus, a, um.* Apud Plautum quoque et Gellium passim sic. *Muta atque inanima* simili modo jungit Cic. in Verr. 5, 67.

Æternitas rerum] Intellige Rempublicam Romanam. *Pax* MS. Guelf. (Bud.) ed. pr. Rhen. sqq. *Pars* Puteol. Beroald. vitiose. Ern.

Et oratio] Guelf. a m. pr. Rhen. (e Bud.) sqq. At edd. ante Rhen. omnes, MS. Agr. *ea*, ut Mureto placuit. Ern. Brot. et Bip. recte recepere, restitui et ipse.

Non tamen quies urbis] Lectionem hanc et distinctionem a libris priscis non potui, quin anteferrem vulgatæ, aut conjecturis aliorum parum firmis. Lips. Sic et Guelf. (Bud.) edd. ante Rhen. omnes. Hic (ex ingenio) edidit: *non tamen quies urbi. Sed erat str. t.* et sic editum usque ad Lipsium. item *et* pro *erat*, quod exhibet etiam Flor. (et Bud.) exprimitque etiam J. Gron. Ern.

Militibus sparsis per domos] Turbarunt me verba, quæ jam capio. Significat enim, milites in plebeia aut pacata veste, sine gladiis, domos perlustrasse, sermones excepisse adversus Principem, aut statum præsentem. Arrianus eum morem mihi suggerit Diss. Epicteti 4, 13. Οὕτω καὶ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἐν Ῥώμῃ οἱ προπετεῖς λαμβάνονται. Παρακεκάθικέ σοι στρατιώτης ἐν σχήματι ἰδιωτικῷ, καὶ ἀρξάμενος κακῶς λέγειν τὸν Καίσαρα, εἶτα σὺ ὥσπερ ἐνέχυρον παρ' αὐτοῦ λαβὼν τῆς πίστεως τὸ αὐτὸν τῆς λοιδορίας κατῆρχθαι, λέγεις καὶ αὐτὸς ὅσα φρονεῖς. Εἶτα δεθεὶς, ἀπάγῃ. Et hoc fine præsertim milites, qui frumentarii dicti. De quo alias. Lips.

Animo vultuque conversis] Bene Rhen. (e Bud.) *animum vultumque;* male *conversi.* nam alterum prorsus postulat series orationis, in qua intelligitur verbum substantivum, quasi esset: *Sed plurimum trepidationis in publico erat conversis animum vultumque, ut quemque nuntium, fama attulisset.* Gron. *Animum vultumque* Guelf. a pr. manu, ed. pr. Ceteræ ante Rhen. *animo vultuque. Conversis* deinde omnes scripti et editi præter Flor. qui habet *conversi*, ut edidit Rhenanus (e Bud.): quod plane cum J. Gronovio probo. Nova autem est sententia, ut idem vidit. Deinde pro *ac* Ursinus et Acidalius malebant *aut.* Ern. Ryck. præfert *conversis.*

A. U. 823. A. C. 70. suspecta libertas. Et privato Othoni nuper, atque eadem dicenti, nota adulatio. Igitur versare sententias, et huc atque illuc torquere, *hostem et parricidam* Vitellium vocantes: providentissimus quisque vulgaribus conviciis; quidam vera probra jacere, in clamore tamen, et ubi plurimæ voces, aut

86 tumultu verborum sibi ipsi obstrepentes. Prodigia insuper terrebant, diversis auctoribus vulgata. *In vestibulo capitolii omissas habenas bigæ, cui Victoria institerat: erupisse cella Junonis majorem humana speciem: statuam D. Julii in insula Tiberini amnis, sereno et inmoto die, ab Occidente in Orientem conversam: prolocutum in Etruria bovem: insolitos animalium partus:* et plura alia, rudibus sæculis etiam in pace observata, quæ nunc tantum in metu audiuntur. Sed præcipuus et cum præsenti exitio etiam futuri pavor, subita inundatione Tiberis: qui inmenso auctu, proruto ponte sublicio, ac strage obstantis molis refusus, non modo jacentia et plana urbis loca, sed secura ejusmodi casuum inplevit. Rapti e publico plerique, plures in tabernis et cubilibus intercepti. Fames in vulgus, inopia quæstus et penuria alimentorum. Conrupta stagnantibus aquis insularum fundamenta, dein, remeante flumine, dilapsa. Utque primum vacuus a periculo animus fuit, id ipsum, quod paranti expeditionem Othoni, campus Martius et via Flaminia iter belli esset ob-

Atque eadem dicenti, nota adulatio] E Vatic. ita restituimus, voce una addita, et altera mutata. Difficilis, inquit, in Senatu rerum omnium modus. Taceres? silentium pro contumacia esset. Diceres libere et censeres? invisa libertas. Ad gratiam loquerere? non faceres fidem: quia privatus nuper Otho, peritus harum artium et iisdem adulationibus exercitus. Lips. Ante erat *eadem dicendi adulatio.* ed. pr. *dicenda.* Quod Lipsius dedit, est et in Flor. (et Agr.) Ern. Bud. male *eadem dicendi nata.*

Aut tumultu verborum] MSS. Guelf. Agr. ed. pr. *tumultus.* male. sua ipsorum vociferatione sibi obstrepebant, non aliena. Ern. Bud. et edd. Puteol. Ber. Rhen. *tumultu.* Grotius volebat *aucto tumultu.*

Sereno et immoto die] Abest *die* a MSS. Ox. Bud. Guelf. ubi man. sec. addidit. Sed habent ceteri libri scripti et editi omnes. Nec video, quare deleri Muretus et J. Gron. aut pro eo *cælo* rescribi voluerit Rhenanus. Ern.

Tantum in metu audiuntur] Quippe hoc ingenium vulgi, tunc converti ad religiones et monstra observare aut fingere. Claudianus apposite, De bello Getico 227. *Utque est ingenioque loquax, et plurima fingi Permittens credique timor: nunc somnia vulgo Narrari, tunc monstra Deum, monitusque sinistri.* Propiusque ad Tacitum 239. *Et si quod fortasse quies neglexerat omen, Addit cura novis.* Lips.

Etiam futuri pavor] Is enim, ut ait Plinius 3, 5. (9.) *vates quodammodo intelligitur ac monitor, auctu semper religiosus.* Lips.

Prorupto ponte sublicio] Sine dubio Tacitus scripsit, *proruto.* Gron. Verissime. *Nec prorupto* in tali evidentia ferendum. Mox *et cubilibus* etiam Flor. Guelf. (Bud.) Male edd. ante Rhen. *ex.* Ern. Davies ad Cæs. B. G. 3, 26. tuetur *τὸ prorupto*, ut 15, 40.

Ejusmodi] Sic Flor. Bud. Agr. Recepit et J. Gron.

Corrupta] Ante hanc phrasin majorem distinctionem bene locavit Pichena.

Id ipsum quod etc.] Omnes libri præter Bud. *quod. Othoni*, quod ab eodem abest, etiam in Guelf. est a man. sec. Ern.

structum a fortuitis vel naturalibus caussis, in prodigium et omen inminentium cladium vertebatur. Otho, lustrata urbe, et expensis belli consiliis, quando Peninæ Cottiæque Alpes et ceteri Galliarum aditus Vitellianis exercitibus claudebantur, Narbonensem Galliam adgredi statuit; classe valida et partibus fida, quod reliquos cæsorum ad pontem Milvium, et sævitia Galbæ in custodiam habitos, in numeros legionis composuerat; facta et ceteris spe honoratioris in posterum militiæ. Addidit classi urbanas cohortes et plerosque e Prætorianis, vires et robur exercitus, atque ipsis Ducibus consilium et custodes. Summa expeditionis Antonio Novello, Suedio Clementi, primipilaribus, Æmilio Pacensi, cui ademptum a Galba Tribunatum reddiderat, permissa. Curam navium Oscus libertus retinebat, ad observandam honestiorum fidem comitatus. Peditum equitumque copiis Suetonius Paullinus, Marius Celsus, Annius Gallus, rectores destinati. Sed plurima fides Licinio Proculo, Prætorii Præfecto. is urbanæ militiæ inpiger, bellorum insolens, aucto-

A. U. 823.
A. C. 70.
87

In prodigium et omen] Bud. *in omen.*

Lustrata urbe] Vid. ad A. 13, 24. Ern.

Reliquos cæsorum] Freinshemius malebat *reliquias:* quod non necessarium puto. *Cæsorum,* in Guelf. a manu sec. correctum *Cæsarum,* est in ed. pr. item in marg. pro var. lect. *ad pontem Æmilium.* Mox *in custodiam* omnes, præter MS. Agr. qui habet *in custodia,* ut Rhenanus voluit. Sed illud quoque rectum. Ern. Bud. male *cesarum ad p. miluinum.* Sed mox *in custodiam.* Cf. Vossius de Construct. c. 65.

In numerum legionis] Hispanus codex *numero:* Romana editio et Flor. (cod. et Agr.) *numeros.* quod rectum hic est; intellegendique numeri militares, de quibus jam prædixi. Lips. Florentinus intelligendus non antiquior ille, qui hic folio defectus est, sed alius a Pichena inspectus. *Numeros* etiam ed. pr. *Numero* Guelf. (Bud.) et edd. vett. Lipsius edidit *numerum,* etiam in sexta et ultima recensione. *Numeros* recepit Pichena. Sunt cohortes. Ern. Cf. not. supra ad c. 6. tum et Agr. 18 et 32. Unde Ryck. et A. 2, 80. emendandum putat.

Facta et ceteris spes] Suspicor auctorem scripsisse: *composuerat, facta et cæteris spe honoratioris in posterum militiæ.* Sic l. 3, 9. *in Vitellium ut inimicum rescripsere, facta Tribunis et Centurionibus retinendi, quæ Vitellius indulsisset, spe.* Gron. Sic correxerat et vir doctus in Gryphiana. *Ceteris* MS. (Bud. Agr. et) Pichenæ, ed. pr. quæ et *honoratæ* habet. Alii edd. et scr. *reliquis.* Ern.

Plerosque] i. e. nonnullos vel multos, ut ap. Quinctil. 6, 4, 7. Cf. Ryck.

Vires et robur] A conjectura nostra est. libri enim omnes, *e Prætorianis viris, ut robur exercitus.* parum apte. Lips.

Invitatus] Vox *invitatus,* suspecta. quidam libri (Agric. et Reg. Lall.) *imitatus,* alii *immutatus.* Faernus, *initio datus.* Lips. Nihil ineptius τῷ *invitatus,* nisi forte ipsæ illius verbi defensiones. Hoc adfirmare proclive est: sed non tam facilis medicina. Suspicabar tamen, *comitatus,* vel *minister datus.* Adde Observ. 2, 20. Gron. Grævio in ep. ad Heins. et Ryckio placebat *incitatus,* quod non melius τῷ *invitatus.* Nec placent Gronovianæ conjecturæ, aut Heinsiana, ep. ad Græv. in Syll. t. 4. p. 173. *imputatus:* quasi etiam beneficium esset, quæ contumelia erat. Usitatum alias verbum est *impositus.* Ern. Flor. habet *immutatus.* Inde Pich. conjiciebat *immixtus,* quasi inter Duces additus. Boxh. tuetur vulg. *invitatus.* Muretus et Gruterus deleri vocem jubent; quod mihi satis arridet. Heinsii *imputatus* rejicit Grævius l. c. p. 187. Dum quid melius, recipio cum Bip. Gronovii *comitatus.*

Rectores destinati] Liber Covarruviæ (et Bud.) *rectores constituti.* Utrumque spurium: et sententia sine eo constat. Lips.

A. U. 823. A. C. 70. ritatem Paullini, vigorem Celsi, maturitatem Galli, ut cuique erat, criminando, quod facillimum factu est, pravus et callidus, bonos et modestos anteibat. Sepositus per eos dies Cor-

88 nelius Dolabella in coloniam Aquinatem, neque arta custodia, neque obscura: nullum ob crimen, sed vetusto nomine et propinquitate Galbæ monstratus. Multos e Magistratibus, magnam consularium partem, Otho, non participes aut ministros bello, sed comitum specie, secum expedire jubet: in quis et L. Vitellium, eodem quo ceteros cultu, nec ut Imperatoris fratrem, nec ut hostis. Igitur mota urbis cura: nullus ordo metu aut periculo vacuus. primores Senatus ætate invalidi et longa pace desides: segnis et oblita bellorum nobilitas; ignarus militiæ Eques: quanto magis occultare et abdere pavorem nitebantur, manifestius pavidi. Nec deerant e contrario, qui ambitione stolida, conspicua arma, insignes equos, quidam luxuriosos adparatus conviviorum et inritamenta libidinum, ut instrumenta belli, mercarentur. Sapientibus quietis et Reipublicæ cura: levissimus quisque et futuri inprovidus, spe vana tumens: multi adflicta fide in pace, ac turbatis rebus alacres, et per incerta

89 tutissimi. Sed vulgus, et magnitudine nimia communium curarum expers populus, sentire paullatim belli mala, conversa in militum usum omni pecunia, intentis alimentorum pretiis: quæ, motu Vindicis, haud perinde plebem adtriverant, secura tum urbe et provinciali bello, quod inter legio-

Corn. Dolabella] Suet. Galba 12. *Cneium* dicit.

Propinquitate Galbæ] Quo vinculo, nescio: sed ipsi Galbæ suspectum Dolabellam de imperio, in Suetonii Galba 12. observo. Scribit et Plutarchus c. 23. cum de successore Galba deliberaret, *amicos partim Dolabellæ, plures Othoni studuisse.* Non ergo mirum, Othoni nunc suspectum et a Vitellio mox interfectum. Lips. Cf. H. 2, 63.

Secum expedire] i. e. in bellum ire, ad bellum se accingere, ut supra c. 10. dictum. Mox *mota cura* reddidit Freinshemius, quod est in Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. At ed. pr. Rhen. seqq. *motæ urbis curæ.* Dedi deinde *et abdere* e Guelf. edd. vett. pro *ac addere*, quod recentiores male obtinet. Ern. Bud. et inde Rhen. *motæ urbis cura.* (non *curæ* ut Agr. et Reg. Lall.) Mox Bud. *abdere.* tum *ætate invalidi*, ast Agr. *invalida.*

Sapientibus quietis et Reip. cura] *Et* edd. pr. Rhen. (e Bud.) seqq. omnes. Ceteræ *a Reip. cura* et Guelf. Possis conjicere *quies a Reip. cura.* i. e. abstinebant se a Republica. sed vulgatum verum puto. Sic in fine libri quies urbis et Imperii cura conjunguntur. Ern.

Multis afflicta fides in pace] Quis crederet, optimum Rhenanum tam diu impune laturum fuisse hanc mendam? Mutat olim editum, quod, etiamsi, ut ille voluit, omnes libri præferrent, ipso orationis filo postulante restituendum foret. Et profecto sic conjeceram, antequam ex notis ejus didicissem, antea lectum ita fuisse. Quam bene, quæso cohærent: *multis afflicta fides, ac alacres et tutissimi?* Præsertim si conferas: *multi afflicta fide, ac alacres et tutissimi.* Qua parte autem commodius, *multis afflicta fides*, quam *multi afflicta fide?* An *homo antiqua virtute et fide*, insolentius quam, *homini antiqua virtus et fides?* Redde igitur Tacito multo rotundiorem sermonem: *multi afflicta fide in pace, ac turbatis rebus alacres, et per incerta tutissimi.* Gron. Sic sane et Guelf. et edd. Put. Ber. Alc. Quod Rhenanus dedit (e Bud.) tamen et in ed. pr. est et MS. Agr. *Magnitudine nimia* refer ad populum, qui in societatem curarum talium venire non potest propter multitudinem suam. Ern.

Et provinciali bello] Sic ed. pr. Rhen.

nes Galliasque velut externum fuit. Nam, ex quo D. Augustus res Cæsarum composuit, procul, et in unius sollicitudinem aut decus, Populus Romanus bellaverat. Sub Tiberio et Caio, tantum pacis adversa in Rempublicam pertinuere. Scriboniani contra Claudium incepta simul audita et coercita. Nero nuntiis magis et rumoribus, quam armis depulsus. Tum legiones classesque, et, quod raro alias, Prætorianus urbanusque miles in aciem deducti: Oriens Occidensque et quidquid utrimque virium est a tergo: si ducibus aliis bellatum foret, longo bello materia. Fuere, qui proficiscenti Othoni moras *religionemque nondum conditorum ancilium*, adferrent. Adspernatus est omnem cunctationem, ut Neroni quoque exitiosam: et Cæcina, jam Alpes transgressus, exstimulabat. Pridie Idus Mart. commendata Patribus Republica reliquias Neronianarum sectionum, nondum in fiscum conversas, revocatis ab exsilio concessit: justissimum donum et in speciem magnificum,

A. U. 823. A. C. 70.

90

(e Bud.) seqq. omnes. At MS. Guelf. (Agr.) edd. Puteol. Beroaldi *a prov. bello*. Ern.

Pacis adversa pertimuere] Fallor, aut hoc rectum: etsi a mente tantum nostra, sine libris. Nam illi omnes (in his Bud.) voce auctiores, *adversa Reip. pertimuere*, quam nos tamen superesse censemus, imo sententiam perdere. Lips. Nihil adhuc melius Lipsiana correctione vidi. nec ei præferam, quod mihi in mentem aliquando venit, ob consensum librorum in *Reipubl.* verbo: *pacis adversa Remp. perdidere*. Ern. Agr. *in Republica pertimuere*. Cod. a Pichena cit. habet *r. p. pertinuere*. Arripiunt hoc Bip. et exponunt *per Rempublicam pertinuere* i. e. permanarunt, quæ vis verbi frequens apud Cic. aliosque. Hoc ut admodum probabile mihi videtur, ita præpositionem cod. Agr. non incassum adesse puto, lego *in Rempublicam pertinuere*. Bud. habet *r. p. partimuere*.

Scriboniani] Dalmatiæ Legati. Sueton. Claud. c. 13. Ern.

A tergo] Distinxi ab antecedentibus, ut factum in Guelf. et Acidalius voluit. Oriens cum viribus suis a tergo Othonis, occidens Vitellii. Ern.

Si ducibus aliis] Sic MS. Pichenæ, edd. pr. Pichenæ, seqq. et sic voluit Rhenanus (ex ingenio). alii libri *sub ducibus aliis si b. f.* quod eodem redit. Post Ryckius e MS. Agr. edidit *longa bello materia*. Ern. Bud. *sub Ducibus aliis bellatum foret*; ubi *si* deest.

Nondum conditorum ancilium] Mitto te ad ea, quæ scripsi olim Antiq. Lection. 5, 16. Quibus adtexi velim Ovidii locum Fast. 3, 395. *Arma movent pugnam: pugna est aliena maritis. Condita cum fuerint, aptius omen erit.* quibus versibus vult poeta, ne conjugium quidem dextro pede adiri, cum mota sunt ancilia, sed cum condita. Festus autem ostendit, etiam alios aliquot dies fuisse, quibus Romani tenuerint se ab armis: *Præliores dies*, inquit, *quibus fas est hostem bello lacessere. erant enim quædam feriæ publicæ, quibus nefas erat id facere.* Lips. Ceterum ed. pr. addit *scutum et arma cœlestia*, idemque in MS. Guelf. additum a manu sec. in margine: quæ esse e glossa, quivis videt. Add. ad A. 16, 2. Post edidi cum Ryckio (ex Agr.) *aspernatus est*, quod habet etiam ed. pr. Ern. Quæ in margine Guelf. leguntur, in textu habet Bud. In antiquo Kalendario ad Kal. Mart. adscriptum est: FESTUM MARTIS ET JUNONIS. ANCILIA FERUNTUR. In alio ex ævo Constantii occurrit VII. Idus. ARMA ANCILIA MOVENT. Ibidem prid. Idus ponuntur MAMURALIA, ultimus festi dies. Hoc nondum condita fuerunt ancilia, quum Otho profectionem moliretur. A dictis abludit Polybius, qui in exc. legat. c. 23. triginta dierum fuisse id festum Saliorum scribit. Qua de re vid. Gutberlethus de Saliis c. 15. Verbum substantivum post *adspernatus* non habet Bud.

Neronianarum sectionum] Vid. supra c. 20. Intelliguntur donationes Neronis revocandæ. Ern.

A. U. 823. A. C. 70. sed, festinata jam pridem exactione, usu sterile. Mox vocata concione, *majestatem urbis et consensum Populi ac Senatus pro se* adtollens, adversum Vitellianas partes modeste disseruit: *inscitiam potius legionum, quam audaciam*, increpans, nulla Vitellii mentione: sive ipsius ea moderatio, seu scriptor orationis, sibi metuens, contumeliis in Vitellium abstinuit: quando, ut in consiliis militiæ, Suetonio Paullino et Mario Celso, ita in rebus urbanis Galerii Trachali ingenio Othonem uti credebatur. et erant, qui genus ipsum orandi noscerent, crebro fori usu celebre, et ad inplendas aures latum et sonans. Clamor vocesque vulgi, ex more adulandi, nimiæ et falsæ. quasi Dictatorem Cæsarem, aut Imperatorem Augustum prosequerentur, ita studiis votisque certabant. nec metu aut amore, sed ex libidine servitii, ut in familiis, privata cuique stimulatio et vile jam decus publicum. Profectus Otho, quietem urbis curasque Imperii Salvio Titiano fratri permisit.

Festinata exactione] Nempe ab ipsis, qui fisco præerant: qui festinantes, et, ut in talibus, diffidentes, exegerant vel ante diem: pactione etiam aliqua, aut remissione. Itaque pro hac sententia, bene Flor. et quidam libri *festinata jampridem exactione:* addita significanter voce. Lips. Habent et MS. Agr. ed. pr. ceteræque ante Rhenanum, qui id verbum ejecit (quia a Bud. abest). Recepere jam Ryckius et J. Gronovius. Mox edd. veteres et (Bud. ac) Guelf. *usu sterili.* Ern.

Galerii Trachali] De eo dictum in Dial. de Oratoribus. Mox *Othonem* insititium putat Acidalius. non male. Item ab ed. pr. post abest *populi* ante *aures.* recte. Si Romana prima ab illa diversa est, consentit. V. Gruterus. Itaque delevi. Ern. De Trachalo v. Quinctil. 10, 1, 119. 12, 5, 5. 12, 10, 11. Consul fuit a. u. 821. cum C. Silio Italico. *Populi* habent Bud. Agr. et edd. vet. Contra abest a cod. Reg. Lallem. Loco *Othonem* reponunt Bip. *et oratione*, et ad A. 13, 3. provocant, ubi similia de Nerone, qui oratione usus, a Seneca composita.

Latum] Heins. dabat *elatum*, ut Grævius quoque ap. Cic. ad Div. 6, 7. Sed ap. Cic. in Bruto c. 31 *adstrictiori orationi* opponitur etiam *liberior et latior*. Nil ergo mutandum.

Sed ex libidine servitii, ut in familiis] Verius clariusque distinxeris, *servitii. Ut in familiis*, etc. Lips. Nec quid hæc verba sibi velint, nec quid Saviliana eorum explicatio, *inter servitia*, intelligo. Suspicabar autem: *sed ex libidine servitii et in tantis malis privata cuique stimulatio et vile decus publicum.* Sic video aliquam sententiam. *Tò et* accipiendum pro *etiam.* Solent adversa ex fortuna ebriis facere sobrios, et admonere decoris, atque efficere, ut, privata spe neglecta, in publicum consulamus. At hi adeo, inquit, adsuerant servili adulationi, ut etiam, quum cogeret nemo, et tanta imminentia civilis belli mala facile tristiores vultus excusarent, gratiam captarent privatam, nec cogitarent, quid tali tempore Reipublicæ deceret. H. 2, 71. Vitellius Neronem *sectari cantantem solitus, non necessitate, qua honestissimus quisque, sed luxu et saginæ mancipatus emptusque.* Et c. 74. ex MS. *in tanta mole*, pro *inerat a mole* eruit Pichena. Gron. Mihi vulgatum verum videtur. Populus serviendi studio eadem faciebat, quæ in privatis ædibus familia servorum solet. Utilitatis cura est singulis, nulla dignitatis ac decoris. MS. Guelf. (Bud. Agr.) *simulatio.* Ern. *Familia*, ut ap. Phædrum 3, 19. *Æsopus domino solus quum esset familia.*

Profectus Otho] Suet. referente c. 8. *profectus est eo die, quo cultores matris Deum lamentari ac plangere incipiunt.* fiebat id die 27. Martii.

C. CORNELII TACITI
HISTORIARUM
LIBER SECUNDUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. *Titus ad Galbam missus, nuntio mortis ejus accepto, vertit iter.* 2. *Paphiæ Veneris templum adit.* 3. *Hujus origo et Deæ cultus.* 4. *Ibi futura edoctus, acuto animo, ad patrem, qui bellum Judaicum profligaverat, redit.* 5. *Vespasiani Mucianique ingenium ac mores diversi. Hi Duces, positis odiis, in medium consulunt. Inde* 6. 7. *civilis belli occasio, intumescentibus Orientis legionibus.* 8. 9. *Falsi Neronis ludibrium, ab Asprenate compressum.* 10. *In urbe parvæ res magnis motibus actæ. Vibius Crispus Annium Faustum, delatorem fratris sui, pervertit.*

11. *Læta Othoni principia belli.* 12. *Miles ejus in Alpinos sævit,* 13. *in Albium Intermelium iras vertit. Egregium maternæ pietatis exemplum.* 14. *Inminet provinciæ Narbonensi Othoniana classis, Vitelliani cæsi,* 15. *nec Othonianis incruenta victoria.* 16. *Pacarium Procuratorem, juvare Vitellium Corsorum viribus parantem, insulani necant.* 17. *Vitellianorum res secundæ in Italia.* 18. 19. *Spurinna Placentiam munit contra Vitellianos.* 20. *eam Cæcina dum oppugnat,* 21. *amphitheatrum urbi proximum conflagrat.* 22. *Obsidione soluta, Cremonam Cæcina petit, ubi* 23. *Othoniani prospere pugnant. Vincentium inpetum reprimunt Duces, inde suspecti fiunt suis.* 24. *Cæcinæ insidias in ipsum vertit Suetonius Paullinus, cujus* 25. *cunctatione Vitelliani servantur.* 26. *Utrimque tumultuantur milites.*

27. *Valens in Italiam copias ducit.* 28. 29. *Gravis in ejus exercitu orta Batavorum seditio Alpheni Vari consilio composita.* 30. *Junctis armis, æmulatione suppressa, Cæcina ac Valens Vitellium fovent, Othoni probra objectant. Eorum* 31. *Othonisque et Vitellii comparatio. Otho consultat de ratione belli.* 32. *Suetonius Paullinus moram suadet.* 33. *Titiani fratris et Proculi consilia prævalent. Otho cum valida manu Brixellum concedit.* 34. *Vitelliani transitum Padi simulant;* 35. 36. *quem prohibentes Othoniani cæduntur.* 37. *Vanus rumor, pavore belli fastidiove utriusque Principis, pacis consilia inter exercitus fuisse agitata.* 38. *Excursus de prioribus P. R. civilibus bellis.* 39. 40. *Titianus et Proculus ad quartum a Bedriaco castra inperite promovent. Ducibus dubiis, rem in discrimen mitti Otho jubet.* 41—43. *Bedriacensis pugna.* 44. *Othonianorum fuga et adversus Duces suos ira.* 45. *Induciæ. Victi cum victoribus, in lacrimas effusi, civilia bella detestantur.*

46—49. *Accepto cladis nuntio, Otho, consilii certus, spretis amicorum militumque solatiis, seditionem compescit et in ferrum pectore incumbit. Funus maturatum. Ad rogum quidam militum se interficiunt.* 50. *Othonis ætas, origo, fama.*

51. *Novata luctu ac dolore militum seditio.* 52—54. *Pars Senatus, Othonem secuta, extremum discrimen adit.* 55. *Romæ trepidationis nihil, spectantur ludi; audita Othonis morte, Vitellio plauditur.* 56. *Gravis Italiæ victor exercitus.* 57. *Vitellius nuntium de victoria sua accipit,* 58. *simulque de transgressa in partes suas utraque Maurĕtania.* 59. *Blæsi verniles blanditias odiis pensat.* 60. *Othonianorum promtissimos Centuriones interficit, Duces absolvit.* 61. *Maricci, inserere sese fortunæ ausi, supplicium.* 62. *Vitellii gula, leges. Spretum Augusti Cæsarisque præconium. Pulsi mathematici. Equites arena prohibiti.* 63. 64. *Dolabellæ cædes. Triariæ licentia; Galeriæ et Sextiliæ modestia.* 65. *Cluvius absolvitur; Trebellius removetur.* 66. *Victæ legiones ferociunt. Quartadecimanorum et Batavorum discordia.* 67. *Prætorianorum honesta missio. Sparguntur legiones.* 68. *Luxuriam Principis æmulatur exercitus. Ticini tumultus alio tumultu sedatus. Verginii periculum.* 69. *Cohortes Batavorum in Germaniam remissæ. amputati legionum auxiliorumque numeri; miles luxu conruptus.* 70. *Vitellius Bedriacenses campos lætus lustrat, propinquæ sortis ignarus.* 71. *Neronis libidines æmulatur, Consulatus partitur.* 72. *Falsus Scribonianus cruci suffixus.*

73. *Vitellius, ob adactum in verba ejus Orientem superbus et vecors, Vespasiani ad nomen excitatur.* 74. *Hic bellum armaque parat.* 75—78. *nutantem firmant Mucianus, Legati alii, vatum responsa et Carmeli Dei Sacerdos.* 79. 80. *Imperatorem salutant Ægyptus et Syria.* 81. *Accedunt ad partes ejus Reges Sohemus, Antiochus, Agrippa; Regina Berenice.* 82. *Belli consilia. Titus instat Judææ. Vespasianus claustra Ægypti obtinet.* 83. 84. *Mucianus, cum exercitu præmissus, nervum belli conquirit.* 85. 86. *Mœsicæ Pannonicæque legiones, in partes transgressæ, Dalmaticum militem trahunt. Belli faces Antonius primus, Cornelius Fuscus.*

87. *Vitellius, contemptior in dies, gravi urbem agmine petit, eamque,* 88. 89. *patrata multa militum paganorumque cæde, ut captam, ingressus,* 90. *magnificam de semetipso orationem promit,* 91. *humani Divinique juris expers, nonnulla tamen popularia usurpat.* 92. *Munia Imperii Cæcina ac Valens obeunt. Vitellio auctoritas nihil.* 93. *Militis in urbe otium, libidines, morbi, mortes,* 94. *insolentia, paucitas. Vitellii inopia, prodigentia. Duces Galliarum postulati ad supplicium. Militiæ ordo confusus.* 95. *Natalis Vitellii ingenti paratu celebratus. Inferiæ Neroni factæ. Urbis miseria.* 96. *Defectionis Flavianæ rumores male coercet Vitellius.* 97. 98. *Excita tamen auxilia, sed necessitas dissimulata.* 99. *Inrumpentibus hostibus, Cæcina ad bellum præmittitur; sed is* 100. 101. *cum Lucilio Basso classibusque Ravennate Misenensique proditionem componit, et ad partes Vespasiani transit. Gesta hæc sunt paucis mensibus anno eodem, Consulibus iisdem et aliis suffectis, de quibus videsis* 1, 77.

STRUEBAT jam Fortuna, in diversa parte terrarum, ini- 1
tia caussasque Imperio, quod varia sorte, lætum Reipublicæ A. U.
aut atrox, ipsis Principibus prosperum, aut exitio fuit. 823. A. C.
Titus Vespasianus e Judæa, incolumi adhuc Galba, missus 70.
a patre, caussam profectionis *officium erga Principem et maturam petendis honoribus juventam* ferebat. Sed vulgus fingendi avidum disperserat, *accitum in adoptionem.* materia sermonibus, senium et orbitas Principis et intemperantia civitatis, donec unus eligatur, multos destinandi. Augebat famam ipsius Titi ingenium, quantæcumque fortunæ capax, decor oris cum quadam majestate, prosperæ Vespasiani res, præsaga responsa, et, inclinatis ad credendum animis, loco ominum etiam fortuita. Ubi Corinthi, Achaiæ urbe, certos nuntios accepit de interitu Galbæ, et aderant, qui arma Vitellii bellumque adfirmarent, anxius animo, paucis amicorum adhibitis, cuncta utrimque perlustrat. *Si pergeret in urbem, nullam officii gratiam, in alterius honorem suscepti: ac se Vitellio, sive Othoni, obsidem fore. Sin rediret, offensam haud dubiam victoris: sed incerta adhuc*

Quod varie ortum] Non suspicabar de mendo, absque Vaticano fuisset. cujus lectio diversa coegit me acrius paullo intueri. Nam in eo, *vari aborte*, scriptum. Et, Hercules, vulgata inepta et exsensa. quid enim est, varie ortum esse Imperium Vespasiani? Imo unus et certus illius ortus. Scribo ex vestigiis illis priscis, *quod varia sorte.* Atque ita est. Imperium Vespasianorum, felix Reip. et infelix, itemque ipsis Principibus fuit. LIPS. Emendationi Lipsianæ per se certissimæ addam præsidium ab alio auctoris loco infra c. 95. *Magna et misera civitas, eodem anno Othonem Vitelliumque passa, inter Vinios, Fabios, Icelos, Asiaticos, varia et pudenda sorte agebat.* FREINSH. Sic et H. 3, 80. *Varia legatorum sors fuit.* GRON. Recepit Pichena. Ed. pr. *vane ortum aborte*, utraque scriptura conjuncta et confusa, ut alibi. ERN. Bud. male *varie ortum semen r. p.*

Missus a patre] Qua de re ita Hegesippus 4, 21. *Sententiam novi Principis* (Galbæ) *de bello Judaico sciscitari Vespasiano consilium fuit. misitque Titum filium et Regem Agrippam. Titus de Achaia revertit, comperto quod Galba occisus: Agrippa Romam contendit.* LIPS.

Decor oris] Sic eleganter ex ingenio correxit Rhenanus. Libri omnes *decori* vel *decoris.* ERN. Bud. *decoris.* Agr. *decorus.*

Prosperæ Vesp. res] Ultima duo verba non erant in MS. Bud. et in Guelf. a manu sec. addita sunt in margine. Unde Rhenanus volebat *prospere præsaga responsa*, plane ut est in Guelf. Sane alienæ sunt Vespasiani partis res: cum de ipsius bonis sermo sit. Forte tantum *prosperæ res* scripsit Tacitus. ERN.

Præsaga responsa] Legendum *præsagia, responsa*, diximus Obs. 2, 20. GRON. Verum puto. Nam *ominum* mox mentio, quæ sunt præsagia. ERN. Cf. Suet. Tit. 2.

Loco ominum etiam fortuita] Sic edidit Freinsh. *Ominum* est e libris, habetque Guelf. alterum ex ingenio. sed vere. sententia hæc Tacito et alibi usurpata. Vulgo erat vel *loco omnium*, vel *ominum etiam fortuna.* ERN. Bud. *omnium etiam fortuna.* Grotius citatis a Freinsh. locis ex H. 1, 86. 2, 84. addit alium quoque similem H. 4, 26.

Sed incerta etc.] *Sed* edidit Rhen. (ex ingenio) bene. Antiquiores edd. item MS. (Bud. et) Guelf. *et:* quod quomodo e *sed* factum sit, patet. Sed idem Guelf. et ed. pr. *incertam adhuc victoriam*, verum MS. a man. sec. male. Sensus est: sed veniam sperari posse ex eo, quod id factum sit incerta adhuc victoria, præsertim, si pater in partes victoris concedat: intelligendum est *fore.* mox male *infensarum* Guelf. edd. Put. Ber. Alc. ERN. Bud. *incerta adhuc victoria.* Sis

A. U. 823. A. C. 70. *victoria, et concedente in partes patre, filium excusatum. Sin Vespasianus Rempublicam susciperet, obliviscendum offensarum de bello agitantibus.* His ac talibus inter spem metumque jactatum, spes vicit.

2 Fuere, qui, *accensum desiderio Berenices Reginæ, vertisse iter* crederent. Neque abhorrebat a Berenice juvenilis animus: sed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum. lætam voluptatibus adolescentiam egit, suo quam patris imperio moderatior. Igitur oram Achaiæ et Asiæ, ac læva maris prævectus, Rhodum et Cyprum insulas, inde Syriam, audentioribus spatiis petebat. Atque illum cupido incessit, adeundi visendique templum Paphiæ Veneris, inclytum per indigenas advenasque. Haud fuerit longum, initia religionis, templi situm, formam Deæ, neque

3 enim alibi sic habetur, paucis disserere. *Conditorem templi Regem Ærian* vetus memoria, quidam *ipsius Deæ nomen id* perhibent. Fama recentior tradit, *a Cinyra sacratum templum, Deamque ipsam, conceptam mari, huc adpulsam. Sed scientiam artemque Haruspicum adcitam; et Cilicem Tamiram intulisse: atque ita pactum, ut familiæ utriusque posteri cærimoniis præsiderent.* Mox, ne honore nullo Regium genus peregrinam stirpem antecelleret, ipsa, quam intulerant, scientia hospites cessere: tantum Cinyrades Sacerdos consulitur. Hostiæ, ut quisque vovit, sed mares deliguntur.

et Put. Alc. Dein Bud. *infensarum*, ex quo Rhen. ex ingenio *offensarum*, ut Flor. et Vat. teste Pichena. Urs. et Grotius volebant *infensorum*.

Jactatum spes vicit] Ferri potest. Sed tamen spes proprie non vicit Titum, sed metum. Et illam formulam *spes vicit* similesque absolute poni, sciunt omnes, ut opinor. Itaque diu est, cum conjeci legendum *jactatis*. Dicuntur autem eleganter et sæpe *jactata*, de quibus multa, crebra, longa, varia deliberatio fuit, in primis apud Livium. Vid. J. F. Gronovius et Drakenb. ad 38, 25. Alias etiam *jactari inter spem metumque* eleganter dicitur, pro inter spem metumque incertum, ambiguum esse, ut alibi noster: ut prope malim, *his ac talibus inter spem metumque jactatur*, vel *jactatus. Spes vicit:* si quid mutandum videtur. Ern.

Moderatior] Sic Med. et Agr. Recepere Bip. Sequor.

Prætervectus] MS. Pichenæ *prævectus*. item Guelf. ed. pr. unde recepi. de verbo jam dictum alio loco, et sic volebat Gron. ad Liv. 29, 32. Ern. Bud. *prætervectus*.

Neque enim alibi sic habetur] Deæ simulacrum et forma. Ern.

Regem Ærian] Libri scripti aut *Verianum* hunc nominant (ut Flor. et Bud.) aut *Venerianum* (ut Agr.). Pro vulgata lectione tamen Tacitus ipse in Ann. est 3, 62. *Exin Cyprii tribus delubris, quorum vetustissimum Paphiæ Veneri Ærias auctor, post filius ejus Amathus*, etc. Ægyptum ipsam olim Æriam dictam fuisse, Isidoro 9, 2. traditum est et Agellio 14, 6. Alciatus hic mavult *Uranium*. De Cinyra autem, quod sequitur, Homerus Il. 11, 20. Plutarchus, Athenæus l. 10. in fine. Arnobius l. 6. aliique meminere. Lips. Gr. Κινύρας. Æl. H. An. 9, 36. Hesych. in Κινυράδαι. Hygin. Fab. 270. Ovid. Met. 10, 200.

Cilicem Tamiram] Hæc lectio debetur Rhenano. in MS. Bud. erat *cilicenta miram:* et plane sic Flor. Guelf. ed. pr. Unde confirmatur etiam probata doctis scriptura *Thamiram*, non *Thamyram*. Ern. *Tamiram* scribendum Meursius docet ex Hesychii Ταμιράδαι.

Ut quisque vovisset] Pichena ex vestigiis Florentini libri: *ut quisque vovit, sed mares.* Lips. Idque recepit Pichena et seqq. omnes. MS. Guelf. ed. pr. *novisset*. Unde corrigendum esset *novit, sed mares*. Novit, i. e. potest, per

Certissima fides hædorum fibris. Sanguinem aræ obfundere vetitum: precibus et igne puro altaria adolentur, nec ullis imbribus, quamquam in aperto, madescunt. Simulacrum Deæ non effigie humana: continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum, metæ modo, exsurgens. et ratio in obscuro. Titus spectata opulentia donisque Regum, quæque alia lætum antiquitatibus Græcorum genus incertæ vetustati adfingit, *de navigatione* primum consuluit. Postquam *pandi viam et mare prosperum* accepit, de se per ambages interrogat, cæsis compluribus hostiis. Sostratus (Sacerdotis id nomen erat) ubi læta et congruentia exta, magnisque consultis annuere Deam, videt, pauca in præsens et solita respondens, petito secreto, futura aperit. Titus, aucto animo, ad patrem pervectus, suspensis provinciarum et exercituum mentibus, ingens rerum fiducia accessit.

A. U. 823. A. C. 70.

4

Græcismum, sed vulgatum nunc teneamus. Ceterum hostiæ non nisi extorum inspiciendorum caussa adhibitæ, non ut in ara adolerentur. Ern. Bud. clare *novisset*.

Offundere aræ vetitum] Meursius Cypr. 1, 16. perperam hic reprehendit Tacitum, intelligebat quippe *effundere* sanguinem s. immolare hostiam. Cf. Ryckius. Put. Alc. *obfundere*. Bud. *effundere*, male.

Altaria adolentur etc.] Hoc loco refellitur correctio Harduini ap. Plinium 2, 96. (97.) ubi in loco de hoc templo ex *aram* facit *aream*. Oportet autem tectum templi apertum fuisse super aram illam, ut in eo, quod fuit in Thracia, in monte Zilmisso. V. Sueton. Aug. c. 94. et ibi dicta. Ern. Bud. male *redolentur*. Virg. Æn. 7, 71. *Castis adolet dum altaria tædis*. et 1, 420. *Veneris Sabæo ture calent aræ sertisque recentibus halant*. De aris hypæthriis v. Eustath. ad Odyss. Θ. 363.

Nec — madescunt] Idem de statua quadam Dianæ narrat Polyb. 16, 12.

Continuus orbis latiore initio] Tyrius Max. (diss. 38.) *Venus a Paphiis colitur, cujus simulacrum nulli rei magis assimile, quam albæ pyramidi*. Lips. Ea species exhibetur et in numis ap. Tristan. in Comm. t. 1. p. 419—534. V. Jac. Gron. ad h. l. Ern. Cf. Vaillant in NN. Col. t. 1. p. 93. in numo Drusi, et Pitture d'Ercolano t. 3. tav. 52. Apud Spanh. de Præst. et V. NN. ed. a. 1671. male in numo Pergameno p. 479. cono caput humanum inpositum cernitur, in edit. recentiore f. Lond. 1706, diss. 8, 6. is error est emendatus.

Ratio in obscuro] Eam tradit Clemens Alex. Protrept. (ed. Sylb.) p. 29. 30. ubi et de aliis talibus Deorum Dearumque formis reperies. Nempe tales figuræ sunt indicia vetustatis ultimæ, qua nondum exprimere didicerant ligno aut saxo formas hominum aut animalium. Add. eundem Clem. Strom. 1. p. 348. s. et Collecta Pottero Arch. Gr. 2, 2. Ern. Consuli merentur interpretes picturarum Herculanensium l. c. quorum alii conum symbolum amoris esse, alii ad phallum pertinere arbitrantur.

Per ambages interrogat] h. e. interrogat de fatis suis, quid sperare posset: verum non plane: ne periculum inde nasceretur: sed verbis ambiguis, quæ tamen intelligere Sacerdos posset. Hinc mox vocat *magna consulta*. Consuluit de Imperio, an sibi fatis debeatur. Mox *videt*, quod Rhenanus (e Bud.) edidit, est etiam in ed. pr. At Guelf. ceteræque edd. ante Rhen. *vidit*: ut ante *accepit*. Item post *provectus* omnes edd. ante Rhen. male. Ern. Rhen. *pervectus* e Bud. ut c. 9.

Compluribus] Sic Rhen. e Bud. prius legebatur *pluribus*.

Ingens rerum fiducia] Suspicabar, *ingens rerum*, voce sequenti rejecta. Sed Pichena sagaciter sensum eruit, *ingens rerum fiducia* (sexto casu) quam ex oraculo conceperat. Audiamus. Lips. Sic Justinus 11, 4. *qui, ex continenti ad Darium profecti, non mediocre momentum Persarum viribus accessere*. Et 13, 6. *ubi et Olympias esset mater Alexandri, non mediocre momentum partium*. Gron. Post Lipsii notam hic omissa est Freinshemii, qui inprobat conjectu-

A. U. 823. A. C. 70. Profligaverat bellum Judaicum Vespasianus; oppugnatione Hierosolymorum reliqua, duro magis et arduo opere, ob ingenium montis et pervicaciam superstitionis, quam quo satis virium obsessis ad tolerandas necessitates superesset. Tres, ut supra memoravimus, ipsi Vespasiano legiones erant, exercitæ bello: quatuor Mucianus obtinebat in pace; sed æmulatio et proximi exercitus gloria repulerat segnitiam: quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies et inexpertus belli labor. auxilia utrique cohortium alarumque, et classes Regesque, ac nomen dispari fama celebre.

5 Vespasianus, acer militiæ, anteire agmen, locum castris capere, noctu diuque consilio, ac, si res posceret, manu hostibus obniti. cibo fortuito, veste habituque vix a gregario milite discrepans: prorsus, si avaritia abesset, antiquis Ducibus par. Mucianum e contrario magnificentia et opes et cuncta privatum modum supergressa extollebant. aptior sermoni, dispositu provisuque

ram Pichenæ, et *fiducia* nominativo casu positum statuit. Cum hoc sentit Gron. et in subsidium Justini locum adfert. Acidalius Lipsio; Muretus Freinshemio favet.

Profligaverat bellum] Paullo aliter *profligandi* verbo usus, quam *plauit Agellio 15, 5. qui in tota ea re vereor ut caliget. Ni ita est; barbare etiam locutus sit Augustus in Ancyrano lapide: CEPTA. PROFLIGATAQUE. OPERA. A. PATRE. MEO. PERFECI. quod exemplum rigide et ex diametro cum Agellii nota pugnat. LIPS. Cf. Tollius ad Ausonii Mosellam v. 425.

Ob ingenium gentis] Nam pervicaces scilicet et cedere nescii Judæi. Tamen in Flor. est, *ingenium montis:* et scimus, Hierosolyma in arduo fere sita. LIPS. *Montis* etiam Guelf. a m. pr. at sec. m. correxit stulte *mentis*, quod pro *montis* editum est in ed. pr. Ex eo *gentis* factum. *Montis* bene recepit Pichena. Mox MS. Flor. *quam quo.* Sic et Guelf. (Bud.) ed. pr. unde recepi. Vulgo *quod.* ERN. Ex Bud. *mentis* Rhenanus fecit *gentis.* Paullo ante Rhenanus sublata post *Hierosolymorum* distinctione sensum meliorem dedit.

Ut supra memoravimus] Vid. 1, 10.

Mucianus] Ita ubique præpotentis hujus hominis nomen scripsi. Græci suadent, qui Μουκιανὸν appellant: et lapides, in quibus C. media, non T. semper sculptum. ut in illo Romæ (ap. Grut. p. 32, 6.) L. ANNIO. FABIANO. M. NONIO. MUCIANO. COS. Multa etiam hujus mentio in Plinio, qui 12, 1. (5.) Licinium ei nomen addit, et titulum fere ter Consulis. *Licinius Mucianus ter Cos. et nuper Lyciæ provinciæ Legatus.* Libro 32, 6. (21.) de ostrearum præstantia: *Dicemus,* inquit, *aliena lingua, quæque peritissima hujus censuræ in nostro ævo fuit. Sunt ergo Muciani verba, quæ subjiciam.* Et sæpe alias: ostenditque doctum et alterum velut Mæcenatem. LIPS. Mox pro *repulerat* ed. pr. et MS. ap. Broterium *depulerat.* melius. ERN. Bud. *repulerat.*

Et inexpertus belli labor] Redundare vox *labor* videtur, et inculcata huc e priore versu. Legam, *et inexpertis belli.* Ita supra: *pacis artibus, belli inexpertus.* LIPS. *Labor* est in libris omnibus. In ed. pr. bis posita vox *labor* fecit, ut intermedia omnia omitterentur. In MS. Guelf. (et Bud.) est *inexperti,* ut Flor. et edd. vett. ante Rhen. ERN. Cod. Agr. *et inexperti belli labores,* quod Ryck. probat. Rhen. pro *labor* volebat *ardor.* Bip. legunt *sed inexperti belli labore.* quod vulgato non præstat.

Ac, si res p.] Conjunctio *ac* non est in Bud. et delet Rhen.

Dispositu provisuque] Non possum hic videre, quod Savilius: *very expert in the direction and foresight of civil affairs:* quasi uno spiritu jungeret auctor: *dispositu provisuque civilium rerum peritus:* quum ille voluerit; *aptior sermone, dispositu provisuque,* junctim accipi, quæ sensum impleant absque illo: *civilium rerum peritus.* Significat

civilium rerum peritus; egregium Principatus tempera- A. U.
mentum, si, demptis utriusque vitiis, solæ virtutes misce- 823.
rentur. Ceterum hic Syriæ, ille Judææ præpositus, vici- A. C.
nis provinciarum administrationibus, invidia discordes, ex- 70.
itu demum Neronis, positis odiis, in medium consuluere: primum per amicos: dein præcipua concordiæ fides Titus, prava certamina communi utilitate aboleverat: natura atque arte compositus adliciendis etiam Muciani moribus. Tribuni Centurionesque et vulgus militum, industria, licentia, per virtutes, per voluptates, ut cuique ingenium, adsciscebantur.
Antequam Titus adventaret, sacramentum Otho- 6
nis acceperat uterque exercitus, præcipitibus, ut adsolet, nuntiis, et tarda mole civilis belli, quod longa concordia quietus Oriens tunc primum parabat. Namque olim validissima inter se civium arma, in Italia Galliave, viribus Occidentis cœpta. Et Pompeio, Cassio, Bruto, Antonio, quos omnes trans mare secutum est civile bellum, haud prosperi exitus fuerant. Auditique sæpius in Syria Judææque Cæsares, quam inspecti. Nulla seditio legionum: tantum adversus Parthos minæ, vario eventu. Et proximo civili bello, turbatis aliis, inconcussa ibi pax: dein fides erga Galbam. Mox, ut, *Othonem ac Vitellium scelestis armis res Romanas raptum ire*, vulgatum est, ne penes ceteros Imperii præmia, penes ipsos tantum servitii necessitas esset, fremere miles et vires suas circumspicere. Septem legiones statim et cum ingentibus auxiliis Syria Judæaque: inde continua Ægyptus duæque legiones: hinc Cappadocia Pontusque et quidquid castrorum Armeniis prætenditur. Asia et ceteræ provinciæ, nec virorum inopes et pecuniæ

enim Mucianum elegantiorem et diligentiorem fuisse in dispositione et ordine omnium, quæ ageret circaque haberet. Quale est, quod de Vespasiano Suet. 21. *Ordinem vitæ fere hunc tenuit.* etc. Plinius Ep. 2, 11. *Salvius Liberalis, vir subtilis, dispositus, acer, disertus.* Noster infra 68. *Apud Vitellium omnia indisposita, temulenta.* Adde ad Sen. de ira 3, 6. Sic igitur Vespasiano dispositior vel *aptior dispositu* Mucianus. Idem *aptior provisu*, hoc est, magis providus et divinus et pensitator futuri, quicquid ageret. Gron. Savilii ratio potior mihi videtur cum Bip. qui etiam recte, ut puto, reponunt *sermoni*, dandi quippe casum requirit *aptior*.

Vario eventu] Respice ad A. 15, 24. 27. Sic non opus Acidalii *vano*.

Vires suas circumspicere] i. e. intellectis viribus suis arrogantiam, saltem fiduciam sumere. Ern.

Duæque legiones] Paullo aliter hoc olim. Nam C. Cæsar, Ægypto devicta, tres in ea legiones reliquit. Auctor Suetonius in Jul. 76. Augustus eum numerum retinuit, imo et Tiberius: sub quo Strabo sane vixit, et hæc scripsit lib. 17. p. 797. Ἔστι δὲ (in Ægypto) *τρία τάγματα· ὧν τὸ ἓν κατὰ τὴν πόλιν ἵδρυται, τ' ἄλλα δ' ἐν τῇ χώρᾳ.* Sed Tiberius tamen non in longum. Anno enim Imperii ejus nono Tacitus clare duas saltem legiones Ægypto adtribuit: uti et hic A. 4, 5. *Cetera Africæ per duas legiones parique numero Ægyptus.* Observa ergo obiter; paullo certius de Strabonis scriptione, quam vides eum desiisse ante hunc nonum Tiberiani Imperii annum. Addo, Egesippum etiam de duabus his legionibus adsentiri Tacito 4, 26. *Esse etiam illic duos ordines militarium virorum, quos sibi adjungere Vespasianus properavit.* Lips.

A. U. opulentæ. quantum insularum mari cingitur, et parando
823. interim bello secundum tutumque ipsum mare. Non falle-
A. C. bat Duces inpetus militum: sed, bellantibus aliis, placuit
70.
7 exspectari belli exitum. *victores victosque numquam solida*
fide coalescere. nec referre, Vitellium an Othonem superstitem
Fortuna faceret. Rebus secundis etiam egregios Duces insole-
scere. discordiam his, ignaviam, luxuriem: et suismet vitiis al-
terum bello, alterum victoria periturum. Igitur arma in occa-
sionem distulere, Vespasianus Mucianusque nuper, ceteri
olim mixtis consiliis: optimus quisque amore Reipublicæ:
multos dulcedo prædarum stimulabat; alios ambiguæ domi
res. Ita boni malique caussis diversis, studio pari, bellum
8 omnes cupiebant. Sub idem tempus Achaia atque Asia falso
exterritæ, velut Nero adventaret: vario super exitu ejus rumore, eoque pluribus vivere eum fingentibus credentibusque. Ceterorum casus conatusque in contextu operis dicemus: tunc servus e Ponto, sive, ut alii tradidere, libertinus ex Italia, citharæ et cantus peritus (unde illi, super similitudinem oris, propior ad fallendum fides) adjunctis desertoribus, quos inopia vagos ingentibus promissis conruperat,

Seclusum tutumque] Vatic. Flor. et Romana editio, *secundum tutumque.* quod approbo. Lips. Recepit Pichena. Ern. Bud. male *seculum.* Acidalius ita legendum suadebat: *cingitur parando i. b. seclusum; tutumque i. m.*

Cum in victores victosque] Rodolphus (in cod. suo) et prisca item editio *cum victoribus victos numquam solida fide coalescere.* At totum locum libentius nunc cum Pichena legam: *exspectari belli exitum. victores victosque numquam, etc.* Lips. Gronovius conjicit *exspectari eventum.* Pichenæ correctionem recepit Freinsh. Cod. Guelf. *placuit exspectari bellum: cum in victores victosque n. s. f. coalesceret.* Sic editiones omnes usque ad Freinsh. nisi quod ed. pr. *coalescere*, ut MS. (Flor. Agr.) Bud. J. Gronov. conjicit *belli nutum* vel *cumulum.* Ern. Acid. volebat *belli casum.* Bud. *bellum cum in* etc. Inde Rhen. emendabat *bellicum.* Muretus simpliciter legebat *placuit exspectari.* Lallem. recepit *belli eventum.*

Nuper, ceteri olim] Locus subobscuræ sententiæ, imo incertæ. Rodolphus (in cod. suo) legisse dicitur, *nuper Titi opera mixtis consiliis.* sententia nihil aberrante; vereor tamen, ut propria quadam lectione, non a libris. An *ceteros* intelligimus, amicos et familiares Vespasiani? qui jamdiu cum eo spem conceperant Imperii, et de eo locuti erant? Diu sane spem conceptam, idque ob omina multa et clara. Sueton. Vespas. 5. Lips. Agricolæ lectionem recepit Ryckius: quod recte improbat J. Gron. Est explicatio e c. 5. Ern. Lectio *ceteri* est a Rhen. e Bud. prius enim legebatur *ceterum.* Sensus: V. et M. nuper consilia de invadendo imperio consociasse; ceteris, Tito, Tribunis aliisque fidis ministris rem illam multo ante agitatam. Cf. c. 5. Sic Pich. Brot. Lall. Hic et in Regio suo reperit *ceteri.* Bipontini ingeniose locum ita constituunt: *Mucianusque. jam perlætari miles in mixtis consiliis.* Acid. volebat *secretis olim, nuper m. c.*

Ambiguæ domi res] h. e. æs alienum, fides decocta, conscientiæ facinorum. Vid. 1, 88. sæpe istæ caussæ bellorum Tacito memorantur. Ern.

Velut Nero adv.] Tangit hanc Ψευδο-Neronis fabulam Lactantius de mort. pers. c. 2. ad quem locum vid. Cuperus, item Columbus, qui ab ecclesiæ patribus refutatum commentum docet. Plures etiam falsos Nerones exstitisse, Casaub. ostendit ad Suet. Ner. c. ult.

Eum fingentibus credentibusque] MS. Agr. *confingentibus.* Broterius corrigit *credentibusve.* Ern.

Propior ad fallendum fides] Suspicatur legendum Freinsh. *promptior.* Possis etiam *pronior.* Sed illud melius. Ern. Bud. *propior.*

mare ingreditur: ac, vi tempestatum Cythnum insulam de- A. U.
trusus, et militum quosdam ex Oriente commeantium ad- 823.
scivit, vel abnuentes interfici jussit, et spoliatis negotia- A. C.
toribus, mancipiorum valentissimum quemque armavit. 70.
Centurionemque Sisennam, dextras, concordiæ insignia,
Syriaci exercitus nomine ad Prætorianos ferentem, variis
artibus adgressus est: donec Sisenna, clam relicta insula,
trepidus et vim metuens aufugeret. inde late terror, multis
ad celebritatem nominis erectis, rerum novarum cupidine et
odio præsentium. Gliscentem in dies famam fors discus- 9
sit. Galatiam ac Pamphyliam provincias Calpurnio Aspre-
nati regendas Galba permiserat. datæ e classe Misenensi
duæ triremes ad prosequendum, cum quibus Cythnum in-
sulam tenuit. Nec defuere, qui trierarchos nomine Nero-
nis accirent. is in mæstitiam compositus, et *fidem suorum
quondam militum* invocans, *ut eum in Syria aut Ægypto siste-
rent*, orabat. Trierarchi nutantes, seu dolo, *adloquendos sibi
milites, et paratis omnium animis reversuros*, firmaverunt. Sed
Asprenati cuncta ex fide nuntiata. cujus cohortatione ex-
pugnata navis, et interfectus quisquis ille erat. Corpus, insi-
gne oculis comaque et torvitate vultus, in Asiam atque inde
Romam pervectum est. In civitate discordi et, ob crebras 10
Principum mutationes, inter libertatem ac licentiam in-
certa, parvæ quoque res magnis motibus agebantur. Vi-
bius Crispus, pecunia, potentia, ingenio inter claros magis,
quam inter bonos, Annium Faustum, Equestris ordinis, qui
temporibus Neronis delationes factitaverat, ad cognitionem
Senatus vocabat. Nam recens, Galbæ Principatu, censue-
rant Patres, *ut accusatorum caussæ noscerentur*. Id Senatus-

Scithinum insulam] Farnes. (et Agr.) *Cynthum*. Vatic. *Scithynum*. (Bud. *Scitunum*.) Vera lectio, *Cythnum*: quomodo aiunt legi in Flor. quæ insula juxta Atticam sub Eubœa. Plinio nominatur 4, 12. (22.) et Ptolomæo 3, 15. dicitur Κύθνος. Philoni etiam in Flaccum sic dicitur, et juxta Ceam collocatur. In Zonara 11, 15. non recte scriptum, hunc falsum Neronem in trajectu Cydni amnis interfectum: decepitque eum adfinitas hæc vocum. Lips. Ed. pr. *Cinthum*. Mox *vel* pro *et* dedimus post Ryck. et Gron. e Flor. Guelf. Ern. Flor. et Bud. *vel*. ad hoc non adtendit Rhen.

Dextras c. ins.] Vide not. ad 1, 54. Male Rhen. conjiciebat *dextera*.

Ad prosequendum, cum quibus] Sic Rhen. edidit e Bud. sic et Guelf. At edd. vett. omnes *prosequendum eum, quibus*: quod non deterius. Ern.

Sisterent] Constituerent. Sic A. 2, 14. Suet. Aug. 28.

Trierarchi nutantes etc.] In ed. pr. *trierarchis*. forte natum e *seu* per compendium s. scripto: quamquam id commode abesse potest. Mox *alloquendos* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Agr. edd. omnes præter pr. quæ habet *adequandos*. vitiose. Ern. Bip. illud *seu* recepere. Perinde est; omittitur et A. 5, 4. Bud. hic male habet *trierarchas*, relatum scil. ad *orabat*. Ex isto *adequandos* Grut. exsculpebat *adaquandos*, ut ap. Suet. Galba 7. in eoque sibi mirifice placet.

Delationes factitaverat] Habet a Cicerone in Bruto 34. *qui, quum tanto nomine esset, patremque optimum virum habuisset et juris peritissimum, accusationem factitaverit*. Gron.

Accusatorum caussæ noscerentur] Vide si lubet pecuniæ veteris 4, 3. Gron.

A. U. 823. A. C. 70. consultum varie jactatum et, prout potens vel inops reus inciderat, infirmum aut validum retinebatur. Ad hoc terroris et propria vi Crispus incubuerat, delatorem fratris sui pervertere: traxeratque magnam Senatus partem, *ut indefensum et inauditum dedi ad exitium* postularent. Contra apud alios nihil æque reo proderat, quam nimia potentia accusatoris: *dari tempus, edi crimina, quamvis invisum ac nocentem, more tamen audiendum,* censebant. Et valuere primo, dilataque in paucos dies cognitio. mox damnatus est Faustus, nequaquam eo adsensu civitatis, quem pessimis moribus meruerat. quippe ipsum Crispum easdem accusationes cum præmio exercuisse meminerant. nec pœna criminis, sed ultor displicebat.

11 Læta interim Othoni principia belli, motis ad imperium ejus e Dalmatia Pannoniaque exercitibus. fuere quatuor legiones: e quibus bina millia præmissa; ipsæ modicis intervallis sequebantur: septima a Galba conscripta; veteranæ undecima ac tertiadecima et præcipua fama quartade-

Varie jactatum] Quod non eandem semper vim habuerat: modo parum, modo multum valuerat, ut mox ipse explicat. Cicer. Off. 3, 20. *jactabatur nummus, sic ut nemo scire posset, quid haberet:* nempe, quia modo plus, modo minus valebat. omninoque *jactari* dicuntur, quæ agitant, certo loco consistere non sinunt. *Retinebatur* porro id SC. Etsi sub Galba factum adversus Neronianæ tyrannidis instrumenta, tamen non abolebatur ab Othone, etsi favente Neronianis. Itaque non opus, cum J. Gronovio quærere, quid sibi hoc verbum velit. *Retinere morem* dixit Cicero Fin. 2, 1. et alii. *Retinere monimenta ingenii* noster Ann. 4, 61. ut opponatur τῷ abolere, tollere. Ern. Trillerus Obs. crit. 1, 8. emendasse se putat locum, legendo, *infirmus haud validus,* scil. reus; sed quis in Tacito hanc Ταυτολογίαν ferat? Bene habet vulg. in quo *infirmum SC. inopi, validum potenti reo* respondet. Vis SC. plus minusve intendebatur pro conditione reorum.

Adhæc terrore et propria vi] Quid si, *Ad hunc terrorem.* Super hoc terriculamentum Senatus consulti, etiam non terriculis, sed vi eloquentiæ et gratiæ suæ annitebatur. Gron. Firmant Flor. Bud. qui habent *ad hunc terroris,* et Agr. ed. pr. *ad hunc terrore.* At Guelf. Puteol. Rivius *ad hæc terroris.* Quod vulgo editur, est e Beroaldina, qui tamen non e cod. MS. hæc edidit: ut ab correctione ejus, vitium operarum putantis, profectum esse *terrore* videatur. Si tamen verum est, intelligendæ sunt *minæ,* quæ accusatoribus et alibi tribuuntur. *Adhæc, adhoc, adhunc* sæpe in libris, etiam his, confunduntur. *Vis* intelligenda de gratia, concursatione, precibus et similibus. Ern. Freinsh. vult *ad hoc terrore.* Rectius Rhen. *ad hoc terroris.* Bip. *ad hocce terroris.* Verum sic sequens *et* valet *etiam.*

Fratris sui] Vibii secundi, de quo A. 14, 28.

Magnam Senatus partem] MSS. Bud. Guelf. a m. pr. *magistratus.* vitiose. At *postularent,* quod est e Flor. etiam ed. pr. ceteri scr. (in his Bud.) et edd. usque ad Pich. *postularet.* Item *invisum,* ut Rhen. edidit (e Bud.); at Guelf. et edd. ceteræ *infirmum.* Ern.

Læta interim] Sic omnes scr. et edd. vett. In secunda Rhen. excidit *interim:* restituit Pichena (e Flor.). Mox *e Dalmatia* restituit Ryckius; nec scio, cur Gronovius id non imitatus sit, cum sit haud dubie vitium operarum *a Dalm.* quod in Freinshem. ed. irrepsit. Ern. Intellige secundam, nam prior habet *e;* sic et Flor. Bud. Agr.

Præcipua fama quartadecumani] Sic edd. omnes ante Rhenanum, et Flor. ut puto, quia nil notavit Gronov. At MSS. Bud. Guelf. (Reg. Lall.) edd. post Rhen. omnes usque ad Freinsh. *præcipui.* Ern. *Præcipua fama,* ut c. 32. *magna fama.* Ob compressam Britanniæ rebellionem, de qua 14, 29. 34. *Cerialis quartodecu-*

cumani, rebellione Britanniæ compressa. Addiderat gloriam Nero, eligendo, ut potissimos. unde longa illis erga Neronem fides, et erecta in Othonem studia. Sed, quo plus virium ac roboris, e fiducia tarditas inerat. agmen legionum alæ cohortesque præveniebant. Et ex ipsa urbe haud spernenda manus, quinque Prætoriæ cohortes, et equitum vexilla cum legione prima: ac deforme insuper auxilium, duo millia gladiatorum, sed per civilia arma etiam severis Ducibus usurpatum. His copiis rector additus Annius Gallus, cum Vestricio Spurinna ad occupandas Padi ripas præmissus: quoniam prima consiliorum frustra ceciderant, transgresso jam Alpes Cæcina, quem sisti intra Gallias posse speraverat. Ipsum Othonem comitabantur speculatorum lecta corpora, cum ceteris Prætoriis cohortibus, veterani e Prætorio, classicorum ingens numerus. Nec illi segne aut conruptum luxu iter: sed lorica ferrea usus est, et ante signa pedester, horridus, incomptus, famæque dissimilis.

A. U. 823. A. C. 70.

12 Blandiebatur cœptis Fortuna, possessa per mare et naves majore Italiæ parte, penitus usque ad initium maritimarum Alpium. quibus tentandis adgrediendæque provinciæ Narbonensi, Suedium Clementem, Antonium Novellum, Æmi-

manos domitores Britanniæ adpellat H. 5, 16. In Bud. vitiose legitur *quartadecima in*, unde Rhen. bene *quartadecimani;* prius legebatur *quartadecumana.*

E fiducia tarditas inerat] Fallitur Pichena (difficultatem movens ex eo, quod alibi acer in hoc bello, non cunctator tradatur.) Non enim Othonis, non omnis exercitus, sed solorum quartadecimanorum tarditatem accusat Tacitus. Gron. Ante *agmen* mox *eo* addunt edd. ante Rhen. qui delevit. In Guelf. est in marg. a man. sec. Ern. *Eo* non habent Bud. et ed. Put. sed Alc. intrusit.

Et ex ipsa urbe] Sic recte Bud. Ryckius etiam restituit e Flor. et Agr. et edd. ante Rhen. qui omisit.

Vestricio Spurinna] Vid. Lips. ad c. 18. Ern.

Padi Ripas] Regiones et urbes circa Padum in istis locis, quibus Cæcina venturus videbatur, Placentiam et Cremonam, v. c. 18. sqq. Mox *intra* e Flor. dedit Pichena. bene. Sic et Guelf. (Bud.) edd. Puteol. Ber. At edd. pr. Rhen. et sqq. *inter* male. *Sisti* est coerceri, ne a Galliis in Italiam prodiret. Ern.

Veterani e Prætorio] Superesse videantur hæ voces. Præmisit enim jam nunc de Prætoriis omnibus cohortibus: qui igitur isti amplius e Prætorio? Sed non supersunt. Distinguit enim a cohortibus veteranos, recte. quia exauctoratos intellegit, et qui post sedecim stipendia habebantur sub vexillo, non aliter quam legionarii, de quibus scripsi satis ad A. 1, 17. Atqui hi nec in legionibus ultra censebantur, nec illi in cohortibus. Lips. De classicis in militiam terrestrem et legionariam adscitis v. Schel. ad Hygin. p. 95. Mox *usus est* Flor. edd. ante Rhen. Pichena sqq. At Guelf. *usus*, edd. Rhen. (e Bud.) sqq. Ern. Grut. ambas voculas *usus est* deletas cupiebat.

Majore Italiæ p.] Bud. et edd. ante Rhen. *et majore.* Eam particulam connectentem Rhen. delevit.

Quibus tentandis, aggrediendæque] Farnesiana hæc scriptura est: quam verissimam censeo. Duplex enim mandatum Othoniani Duces habuerunt; tentandarum Alpium et Provinciæ invadendæ, quæ ad Vitellium defecerat. Supra 1, 87. *Narbonensem Galliam aggredi statuit, classe valida et partibus fida.* Infra c. 14. *imminere provinciæ Narbonensi, in verba Vitellii adactæ, classem Othonis, trepidi nuntii adtulere.* Vulgata lectio valde turbat: *quibus tentandis aggrediendisque, provinciæ Narbonensi*, etc. tamquam tres hi Duces Provinciæ impositi. et mage majores tenebras offundit etiam Maurus. Lips. Bud. *aggrediendisque pr. Narbonensis.* De Ducibus laudatis vid. H. 1, 87.

A. U. lium Pacensem Duces dederat. Sed Pacensis per licentiam
823. militum vinctus: Antonio Novello nulla auctoritas: Sue-
A. C. dius Clemens ambitioso imperio regebat, ut adversus mo-
70. destiam disciplinæ conruptus, ita prœliorum avidus. Non
Italia adiri, nec loca sedesque patriæ videbantur: tamquam
externa litora et urbes hostium urere, vastare, rapere: eo
atrocius, quod nihil usquam provisum adversum metus.
Pleni agri, apertæ domus. occursantes domini juxta conju-
ges et liberos securitate pacis et belli malo circumveniebantur.
Maritimas tum Alpes tenebat Procurator Marius
Maturus. Is concita gente (nec deest juventus) arcere
provinciæ finibus Othonianos intendit. Sed primo inpetu
cæsi disjectique montani, ut quibus, temere conlectis, non
castra, non Ducem noscitantibus, neque in victoria decus
13 esset, neque in fuga flagitium. Inritatus eo prœlio Othonis
miles vertit iras in municipium Albium Intemelium. quippe
in acie nihil prædæ: inopes agrestes et vilia arma: nec
capi poterant, pernix genus et gnari locorum. sed calamitatibus
insontium expleta avaritia. Auxit invidiam præclaro
exemplo femina Ligus, quæ filio abdito, cum simul
pecuniam occultari milites credidissent, eoque per cruciatus
interrogarent, *ubi filium occuleret?* uterum ostendens,
latere respondit. Nec ullis deinde terroribus, aut morte,
14 constantiam vocis egregiæ mutavit. *Inminere provinciæ
Narbonensi, in verba Vitellii adactæ, classem Othonis*, Fabio
Valenti trepidi nuntii adtulere. Aderant legati coloniarum,
auxilium orantes. Duas Tungrorum cohortes, qua-

Per licentiam militum vinctus] Sic ex Flor. bene Pichena, et similia exempla in hoc ipso libro occurrunt, mox de Julio Frontone c. 26. In ed. pr. est inverse *junctus*. Ceteri libri *victus*. Ern. Sic et Bud. Præfert hoc Acidalius.

Corruptus, ita prœliorum avidus] Hæc commodius de militibus quam de Duce dici censeo, et eo scripsisse Tacitum: *Suedius Clemens ambitioso imperio regebat, ut adversus modestiam disciplinæ corruptos, ita prœliorum avidos*. Gron. Pro vulg. stant Flor. et Bud. Ast Bip. malint *adversus* (contra) *modestiam* (h. e. immoderatus) *disciplinæ corruptor*.

Non Italia adiri] Nihil ego hic nisi germanum video. Sudant tamen in mutando Rhenanus pariter et Vertranius. Lips. Rhenano sudorem elicit conruptus in Bud. locus.

Albium Intemelium] Ita quidem e Strabone scripseris lib. 4. p. 202. Τῶν οὖν Λιγύων, inquit, τῶν μὲν ὄντων Ἰγγαύνων, τῶν δὲ Ἰντεμελίων, εἰκότως τὰς ἀποικίας αὐτῶν ἐπὶ τῇ θαλάττῃ, τὴν μὲν ὀνομάζεσθαι Ἄλβιον Ἰντεμέλιον, οἷον Ἄλπιον, τὴν δὲ ἐπιτετμημένως μᾶλλον, Ἀλβιγγαῦνον. Nec aliter in Plinio 3, 5. (7.) Quin tamen etiam concise Albintemelium dicta fuerit, haud pertinaciter eo negatum. Lips. In Antonini itinerario (ed. Wessel. p. 296.) *Albintimilio*, ubi v. Surita.

In acie] Bud. *in ea acie*. Mox idem *nec pernix genus*, ubi Rhen. τὸ *nec* verti vult in *et*. Idem *Ligus*, Agr. *Ligur*. Sed et ap. Sall. Jug. 93. *Ligus* et Græc. Λιγύς.

Tortoribus] Regius (Bud.) codex, *temporibus*, ex quo Rhenanus, *terroribus*. Lips. Et sic e Flor. edidit Pichena. Sic jam est in ed. pr. (contra edd. Put. Alc. et Rhen. *tortoribus*). *Terrores* sunt minæ, ut supra dixi. Ante Heinsius eleganter conjiciebat, *hic latere*. malim, quia est oratio obliqua, *ibi*. Ern. Heins. provocat ad cod. Agr.

Duas Tungrorum] Sic (hic et in seq.) ex ingenio edidit Rhen. Sed MSS. et edd. vett. *Turingorum*; nisi Flor. *Tun-*

A. U. 823. A. C. 70.

tuor equitum turmas, universam Treverorum alam cum Julio Classico, Præfecto, misit: e quibus pars in colonia Forojuliensi retenta, ne, omnibus copiis in terrestre iter versis, vacuo mari classis acceleraret. Duodecim equitum turmæ, et lecti e cohortibus, adversus hostem iere: quibus adjuncta Ligurum cohors, vetus loci auxilium, et quingenti Alpini, qui nondum sub signis. Nec mora prœlio: sed acie ita instructa, ut pars classicorum, mixtis paganis, in colles mari propinquos exsurgeret, quantum inter colles ac litus æqui loci, Prætorianus miles expleret, in ipso mari ut annexa classis et pugnæ parata, conversa et minaci fronte prætenderetur. Vitelliani, quibus minor peditum vis, in equite robur, Alpinos proximis jugis, cohortes densis ordinibus post equitem locant. Treverorum turmæ obtulere se hosti incaute, cum exciperet contra veteranus miles, simul a latere saxis urgeret apta ad jaciendum etiam paganorum manus: qui sparsi inter milites, strenui ignavique, in victoria idem audebant. Additus perculsis terror, invecta in terga pugnantium classe. Ita undique clausi. deletæque omnes copiæ forent, ni victorem exercitum adtinuisset obscurum noctis, obtentui fugientibus. Nec Vitelliani, quamquam victi, quievere. accitis auxiliis, securum hostem ac successu rerum socordius agentem invadunt. cæsi vigiles, perrupta castra, trepidatum apud naves: donec, cedente paullatim metu, occupato juxta colle defensi, mox inrupere. atrox ibi cædes, et Tungrarum cohortium Præfecti, sustentata diu acie, telis obruuntur. Ne Othonianis quidem incruenta victoria fuit, quorum inprovide secutos conversi

grorum habet, e quo nil notatum video. Sic tamen ed. pr. 4, 55. et 66. Ern.

Vacuo mari] i. e. cujus litus nullis præsidiis munitum esset. Ern.

Adversus hostem] Bud. *ad hostem*.

Pannonii nondum sub signis] Milites auxiliarii e delectu Pannonico missi, sed nondum in cohortes divisi. Ern. Sed *Pannonii* Othonis partes sequebantur. v. c. 11. et 17. Hinc Savilius reponit *Alpini* et intelligit *Ligures*. Mox etiam ipse Tacitus *Alpinos* memorat. Sequor Savilium et cum Bip. addo *qui*.

Mixtis paganis] h. e. non militibus quidem, sed qui tamen nunc aliquid operæ militaris navarent. Pagani militibus opponuntur. de iis Pichena ad h. l. et intt. Suetonii aliique abunde dixere. Ern.

Conversa et minaci fronte] h. e. quæ non, ut adsolebat, puppes, sed proras et rostra obverteret litori, ut in prœliis in oppugnationibus fieret. Ern.

Simul a latere] In his et seqq. cum Flor. consentit Guelf. (et Agr.) ed. pr. nisi quod in illo *etiam* post *saxis* est, in hac *jacendum* vitiose pro *jaciendum*, ut in MS. Bud. Ern. In hoc etiam male *simul altitudo apta*. Bip. locum ita refingunt: *simul a latere. Saxis etiam urgeret apta ad i. p. m.*

Obtentui fugientibus] Quo idoneo prætextu fugere honestius poterant Vitelliani. Male hic *objectum* additur in edd. Puteol. Ber. Alc. Post pro *sidente* MS. Oxon. *cedente*, quod melius: aut *residente*. Ern. Id *objectum* Bud. non habet, et bene sustulit Rhen. Dein Bud. *cedentes*, quo firmatur lectio Oxon. quam restitui.

Sustentata] Put. Alc. addunt *quidem*, quod irrepsit e linea seq. id Bud. non habet et Rhen. delevit.

Quorum improvide secutos] Pro, e quibus qui improvide secuti fuerant, eos equites circumvenere. Vid. ad A. 6, 12. Ern.

A. U. equites circumvenerunt. Ac velut pactis induciis, ne hinc
823. classis, inde eques, subitam formidinem inferrent, Vitelliani
A. C. retro Antipolim, Narbonensis Galliæ municipium; Otho-
70.
16 niani Albingaunum interioris Liguriæ, revertere. Corsi-
cam ac Sardiniam, ceterasque proximi maris insulas, fama
victricis classis in partibus Othonis tenuit. Sed Corsicam
prope adflixit D. Pacarii Procuratoris temeritas, tanta
mole belli, nihil in summam profutura, ipsi exitiosa. Nam-
que, Othonis odio, juvare Vitellium Corsorum viribus sta-
tuit, inani auxilio, etiam si provenisset. Vocatis principi-
bus insulæ, consilium aperit: et contra dicere ausos, Clau-
dium Phirricum, Trierarchum Liburnicarum ibi navium,
Quinctium Certum, Equitem Romanum, interfici jubet.
quorum morte exterriti, qui aderant, simul ignara et alieni
metus socia inperitorum turba, in verba Vitellii juravere.
Sed, ubi delectum agere Pacarius, et inconditos homines
fatigare militiæ muneribus occepit, laborem insolitum pe-
rosi, infirmitatem suam reputabant: *insulam esse, quam in-
colerent, et longe Germaniam viresque legionum: direptos va-
statosque classe, etiam quos cohortes alæque protegerent.* Et
aversi repente animi: nec tamen aperta vi; aptum tempus
insidiis legere. digressis, qui Pacarium frequentabant, nu-
dus et auxilii inops, balineis interficitur, trucidati et comi-
tes. Capita, ut hostium, ipsi interfectores ad Othonem
tulere: neque eos aut Otho præmio adfecit, aut punivit
Vitellius, in multa conluvie rerum majoribus flagitiis per-
17 mixtos. Aperuerat jam Italiam, bellumque transmiserat,
ut supra memoravimus, ala Syllana, nullo apud quemquam
Othonis favore: nec quia Vitellium mallent; sed longa pax
ad omne servitium fregerat, faciles occupantibus et melio-

Inde eques] Sic Flor. (Bud.) Guelf. edd. ante Rhen. Is edidit *equites*. Illud Pichena restituit. Ern.

Albingaunum] Sic et MS. (Bud.) Guelf. (edd. Put. Alc. Rhen.) At Flor. ed. pr. *Albigaunum*. Ern.

Nihil in summa profuturum] Videtur scripsisse auctor, *tentata mole belli*, utcunque *τὸ tanta* explicet Acidalius. Gron. Sc. cum esset tanta moles belli. Sed *in summam*, quod, pro conjectura posuerant Rhenanus, Lipsius, recepit Freinshemius. Recte. Libri superiores scr. et edd. *in summa*. Vide dicta ad 13, 38. Ern.

Cors. viribus] Cod. Agr. *navibus*. glossema.

Phirricum Trierarchum] Forte nomen hominis fuit *Pyrrhicum*. Gron. MS. Guelf. *Pyrricum*. Ern. Bud. *Phyricum*.

Inconditos homines] i. e. nunquam alicui exercitationi militari adsuefactos, eoque duri exercentibus, etc. V. A. 2, 52. Ern.

Balineis] Sic Flor. vulgo *balneis*.

Majoribus flagitiis permixtos] Cum multo graviora patrata essent, quæ punirentur, hi latuere, et pœnam effugere. Ern. Sic A. 16, 8. Pro *rerum* Heins. conjicit *reorum*.

Aperuerat jam Italiam] Bud. *Aparuerat jam in Italia*.

Ut supra mem.] 1, 70.

Melioribus incuriosos] Lego, *melioribus incuriosis*. Paratos obvio et invitanti, quum melior nemo esset, aut curam adjungendi eos susciperet. Gron. Vulgatum servandum puto. Non curabant, utra pars melior esset, caussam justiorem haberet. 14, 38. *serendis frugibus incuriosos*. Usitatius foret tamen

ribus incuriosos. Florentissimum Italiæ latus, quantum A. U. inter Padum Alpesque camporum et urbium, armis Vitellii 823. (namque et præmissæ a Cæcina cohortes advenerant) tene- A. C. batur. 70. Capta Pannoniorum cohors apud Cremonam. Intercepti centum equites ac mille classici inter Placentiam Ticinumque. quo successu Vitellianus miles non jam flumine aut ripis arcebatur. Inritabat quin etiam Batavos Transrhenanosque Padus ipse: quem repente, contra Placentiam, transgressi, raptis quibusdam exploratoribus, ita ceteros terruere, ut, *adesse omnem Cæcinæ exercitum*, trepidi ac falsi nuntiarent.

18 Certum erat Spurinnæ (is enim Placentiam obtinebat) nec dum venisse Cæcinam, et, si propinquaret, coercere intra munimenta militem, nec tris Prætorias cohortes et mille vexillarios, cum paucis equitibus, veterano exercitui objicere. Sed indomitus miles et belli ignarus, correptis signis vexillisque, ruere, et retinenti Duci tela intentare, spretis Centurionibus Tribunisque; quin *proditionem, et accitum Cæcinam,* clamitabant. Fit temeritatis alienæ comes Spurinna, primo coactus, mox velle simulans, quo plus auctoritatis inesset consiliis, si seditio mitesceret.

19 Postquam in conspectu Padus et nox adpetebat, vallari castra placuit. Is labor, urbano militi insolitus, contudit animos. Tum vetustis-

meliorum incuriosos, quod etiam Groslotio placebat. Ed. pr. (et c. Agr.) *occupationibus,* et Guelf. a manu sec. ERN.

Q. i. P. A. c. et urbium] Edd. vet. addunt *est.* Bud. non habet et Rhen. induxit.

Quem repente] Restituit *repente* Pichena, quod Rhenanus delevit, codice suo auctore, cum hic non sine vi sit. Habent MS. (Flor.) Guelf. Edd. ante Rhen. omnes. Consentiunt etiam libri pro *raptis,* ne audiamus, qui tentant *captis.* Add. ad 4, 33. ERN.

Spurinnæ] Vestricius est Spurinna, egregius Dux, et qui ad Taciti medium ævum vixit. Plinii Secundi de eo epistola capienda est, 2, 7. *Heri a Senatu, Vestricio Principe auctore, Spurinnæ triumphalis statua decreta est.* quem locum tamen emaculo: *Vestricio Spurinnæ, Principe auctore, triumphalis statua decreta.* Male enim trajecta verba. LIPS. De vita ejus carminibusque v. Bayerus Comm. Petropol. t. 11. p. 311. ERN. Cf. et Plin. ep. 3, 1.

Providentiam Ducis laudantibus] Hæc spuria esse et e sequentibus huc inculcata, ubi est: *laudare providentiam Ducis,* acute conjecit Pichena. probantque viri docti. MS. Flor. ed. pr. *laudari* (Agr. *laudare*): unde firmatur illa suspicio. ERN. Bud. *laudantibus.* non ergo a Puteolano est illa lectio. Grut. etiam præcedentia resecari vult *spretis C. Tr.que.* Contra Bip. nihil abundare videtur; de industria repeti verba censent, quo vulgi mutabilitas adpareat, leguntque: *spreto, C. Tr.que provid. laudari.* Verum eadem plane verba sic repeti, a Taciti more alienum est, neque necesse, addi, qua re spreti C. Tr.que res ipsa docet. Itaque cum Broterio locum repurgavi.

Qui pro Othone] Mercerus ingeniose: *quin proditione accitum:* quasi id crimen Spurinnæ objecerint, ut est in Plutarcho. LIPS. Pichena conjecit, quod jam est in contextum receptum a Freinshemio, nisi quod *quin* dedit pro *qui* e Merceri conjectura. Nos *qui* restituimus. ERN. Perperam, si quid video. Milites enim, non Centuriones, non Tribuni, proditionis incusabant Spurinnam, teste Plut. in Oth. c. 5. Reposui *quin.*

Contudit animos] MS. Flor. ed. pr. *contundit.* Non spernam. Juvat Bud. *contundit.* Nam sæpe in tali narratione post perfectum est præsens. Sed nihil interest. ERN. Imo Bud. clare habet *contundit.* Agr. *contudit.*

Tum vetustissimus quisque] Vulgata ante lectio, *tum mæstissimus quisque.*

A. U. 823. A. C. 70. simus quisque castigare *credulitatem suam, metum ac discrimen* ostendere, *si cum exercitu Cæcina, patentibus campis, tam paucas cohortes circumfudisset.* Jamque totis castris modesti sermones, et, inserentibus se Centurionibus Tribunisque, laudari *providentia Ducis, quod coloniam, virium et opum validam, robur ac sedem bello legisset.* Ipse postremo Spurinna, non tam culpam exprobrans, quam ratione ostendens, relictis exploratoribus, ceteros Placentiam reduxit, minus turbidos et imperia accipientes. Solidati muri, propugnacula addita, auctæ turres, provisa parataque non arma modo, sed obsequium et parendi amor; quod solum illis partibus

20 defuit, cum virtutis haud pœniteret. At Cæcina, velut relicta post Alpes sævitia ac licentia, modesto agmine per Italiam incessit. Ornatum ipsius municipia et coloniæ in superbiam trahebant: quod versicolore sagulo, braccas, tegmen barbarum, indutus, togatos adloqueretur. Uxorem quoque ejus, Saloninam, quamquam in nullius injuriam insigni equo ostroque veheretur, tamquam læsi gravabantur: insita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem

ex quo Rhenanus illud *vetustissimus* extrudit: ego malim *modestissimus.* Lips. Freinshemius *inertissimus* sine libris dedit. Id Ryckius negat cum Gronovio hujus loci sententiæ convenire. Quod ego non video. Omnes isti milites inertes erant, quos castrorum illa munitio statim fregit. Et, cum laboris intolerantia homines sapere doceret, non credibile, ignavissimum quemque maxime sententias illas de prudentia Ducis locutum esse? Ergo verbum illud satis aptum. Adde infra c. 23. med. Nec illud neget quis, ex *inertiss.* facile fieri potuisse *mestissimus.* nam sic scribitur in MSS. cum sæpissime *in* in literam *m* convertatur. Igitur præferam Freinsh. correctionem ceteris, etiam J. Gronovii *vecordissimus,* donec e libris scriptis melius quid proferatur. MS. Flor. Agr. (Reg. Lall.) ed. pr. Rhen. sqq. *vetustissimus:* quod alienum esse, quivis videt. Secutus tamen est Broterius. Ern. Ex Rhenani cerebro esse *vetustissimus,* falsum. clare sic Bud. Recte Rhen. intelligit diu meritos. Sic H. 1, 23. *vetustissimum militum* vocat. Bene Brot. Bip. Lall. eam lectionem servant. Sic et Grut. et Ryckius. Acidalius omnia turbat.

Laudari providentiam Ducis] Ego sermonis rationem exigere τὸ *laudare* non censeo, ut vult Freinshem. nisi fiat: *et inserentes se Centuriones Tribunique laudare.* Sed mitior in promptu cura est: nec parvi momenti, quod et hic et supra Flor. *laudari.* Assentior autem omnino Pichenæ, priori loco eas voces male inculcatas: non quod ineptum ibi sensum faciant: cur enim non et retinere simul militem et paucis consilium Ducis probare possent? sed quia non tam inops verborum Tacitus. Hic autem scripsisse auctorem certum habeo: *et inserentibus se Centurionibus Tribunisque laudari providentia Ducis* quod est, laudabatur, nempe ab utroque genere. Gron. Recte. *Laudari* etiam Guelf. (Bud.) ed. pr. ceteræque ante Rhenanum, qui correxit ex ingenio *laudare:* quia accusativus sequitur. Ergo nobis licebit etiam, propter passivum mutare substantivi casum. Ern. Sequuntur Lall. et Bip. In c. Agr. est *Principis* loco *Ducis,* glossema.

Quam ratione ostendens] h. e. arte sua et factis ostendens militibus stultitiam et convincens culpæ. Ern. Bud. *ratione attendens.*

Braccas, tegmen barb.] Jan. Gulielmus Verosim. 2, 7. glossemata esse reputat verba ista *braccas tegmen barbarum,* quod ævo Taciti satis notæ fuerint braccæ, legit ergo, *braccatus togatos.*

Insita mortalibus natura etc.] Vere hic morbus in nostris animis: nec nescivit Æmilius Probus, sive Nepos, in Chabria 3. *Est hoc commune vitium,* inquit, *magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriæ comes sit.* Lips. In fine capitis ed. pr. *pr venissent* pro *provenissent,* vitiose. Ern.

ægris oculis introspicere, modumque fortunæ a nullis magis A. U.
exigere, quam quos in æquo videre. Cæcina, Padum 823.
transgressus, tentata Othonianorum fide per conloquium et A. C. 70.
promissa, iisdem petitus, postquam pax et concordia speciosis et inritis nominibus jactata sunt, consilia curasque in oppugnationem Placentiæ magno terrore vertit: gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cetera fore.
Sed pri- 21
mus dies inpetu magis, quam veterani exercitus artibus, transactus: aperti incautique muros subiere, cibo vinoque prægraves. In eo certamine, pulcherrimum amphitheatri opus, situm extra muros, conflagravit: sive ab oppugnatoribus incensum, dum faces et glandes ac missilem ignem in obsessos jaculantur; sive ab obsessis, dum retorta ingerunt. Municipale vulgus, pronum ad suspiciones, fraude inlata ignis alimenta credidit a quibusdam e vicinis coloniis, invidia et æmulatione, quod nulla in Italia moles tam capax foret. quocunque casu accidit, dum atrociora metuebantur, in levi habitum: reddita securitate, tamquam nihil gravius pati potuissent, mœrebant. Ceterum multo suorum cruore pulsus Cæcina: et nox parandis operibus adsumpta. Vitelliani pluteos cratesque et vineas suffodiendis muris, protegendisque oppugnatoribus; Othoniani sudes et inmensas lapidum ac plumbi ærisque moles, perfringendis

Gnarus ut in. b. pr.] Cf. Agr. c. 18.

Dum regerunt] MSS. Flor. Bud. (Reg. Lall.) ed. pr. *dum reportans gerunt.* Unde J. Gron. *dum retorta ingerunt.* Guelf. Ox. *dum per portas egerunt.* quod favet conjecturæ Heinsii ep. ad Græv. t. 4. coll. Burm. p. 163. *dum per tormenta ingerunt*, quam probat Grævius ib. p. 175. Ann. 2, 81. *tormentis hastas, saxa, faces ingerere.* Putat corruptionem natam a compendio *torta.* Placet. Sed malim tamen *regerunt*, quam *ingerunt.* Puteol. edidit primus *dum regerunt.* Ern. Rhen. e vestigiis cod. Bud. conjicit *dum reperta transgerunt.* Agr. *dum in hostes ingerunt.* Ed. Rom. jam habet dum *regerunt.* J. Gron. verum vidisse puto, eumque sequor cum Bip. Paullo ante Flor. et Bud. *ac miss. ignem.* vulgo *et.*

A quibusdam e vic. coloniis] Hæc est scriptura MS. Guelf. (Agr.) edd. Puteol. Beroald. sqq. quam cum Ryckio secutus sum. Consonant MS. Flor. ed. pr. in quis *a quibusdam et v. c.* quod recepit J. Gronovius, et accipit per hendiadys. Immo *et* pro *e* vel *ex* scriptum, ut alibi, etiam libro superiori bis vel ter. Rhenanus edidit *et quib. v. c.* e MS. Bud. Lips. *a quib. v. c.* Pichena *e quibusd. v. c.* Ern.

Invidiæ æmulatione] Muretus, *invidia et æmulatione.* Lips. Probat Pichena (et Acid.): atque ita noster alibi (ut c. 101. et 1, 65.) a quo ad ceteras edd. pervenit. Ern. Bud. Flor. Agr. Oxon. et edd. ad Pich. usque *invidiæ æmulatione.*

Quocunque casu accidit] *Acciderat* Rhen. edidit, quod in Bud. erat *accidat.* Cur non *acciderit* potius, quando ceteri scripti et ante Rhen. editi *accidit.* Sed hoc quoque probum. Quamquam Gronovius in Flor. quoque *accidat* esse dicit, dissentiens ab oculis Pichenæ. Ern.

Nox p. o. absumta] Sic in ed. J. F. Gronov. primum, e conjectura Mureti, multis probata, editum. Scripti et edd. ante *assumta*, quod etiam restituit Ryckius ac defendit. Non bene, ut opinor. Nam nox tantum illo labore consumta, dies oppugnatione transactus fuerat, ut ab initio capitis dictum. Assumta autem nox, est, adjecta labori diurno. Cicero in ep. 7, 25. *atque etiam aliquantum noctis adsumo* sc. ad laborem diurnum. de confusione hac v. ad 5, 20. Ern. Bud. *assumta.* bono sensu, quare reposui. sic et Bip.

Perfringendis operibus] Dativus *ope-*

A. U. 823. A. C. 70. obruendisque hostibus, expediunt. Utrimque pudor, utrimque gloria, et diversæ exhortationes, hinc *legionum et Germanici exercitus robur*, inde *urbanæ militiæ et Prætoriarum cohortium decus* adtollentium: illi *ut segnem ac desidem et circo ac theatris conruptum militem*: hi *peregrinum et externum* increpabant. simul Othonem ac Vitellium, celebrantes culpantesve, uberioribus inter se probris quam laudibus stimu-

22 labantur. Vixdum orto die, plena propugnatoribus mœnia: fulgentes armis virisque campi, densum legionum agmen, sparsa auxiliorum manus, altiora murorum sagittis aut saxis incessere: neglecta, aut ævo fluxa cominus adgredi. ingerunt desuper Othoniani pila, librato magis et certo ictu, adversus temere subeuntes cohortes Germanorum, cantu truci, et more patrio nudis corporibus, super humeros scuta quatientium. Legionarius, pluteis et cratibus tectus, subruit muros, instruit aggerem, molitur portas. Contra Prætoriani dispositos ad id ipsum molares ingenti pondere ac fragore provolvunt. pars subeuntium obruti; pars confixi et exsangues, aut laceri, cum augeret stragem trepidatio, eoque acrius e mœnibus vulnerarentur, rediere, infracta partium fama. Et Cæcina, pudore cœptæ temere oppugnationis, ne inrisus ac vanus iisdem castris adsideret, trajecto rursus Pado, Cremonam petere intendit. Tradidere sese abeunti Turulius Cerialis cum compluribus classicis;

ribus non erat in codice Bud. nec est in Flor. Agr. Guelf. (Reg. Lall.) ed. pr. unde Jac. Gronovius delevit. Ern. Omitti posse subauditum judicat Rhen. servat tamen; in omnibus quoque editionibus, ante Gronovii legitur.

Utrimque pudor, utrimque gloria] Gloria est h. l. gloriæ cupido, ut apud Ciceronem non uno loco: quod vidi Savilium non animadvertisse. Ern.

Culpantesve] Sic Flor. et ed. Ven. Vulgo, ut in Bud. *culpantesque.*

Densum legionum agmen] Unicam tantum legionem habuit Cæcina, ut monet Savilius. V. ad 1, 11. Ern.

Librato magis et c. i.] Loco *magis* Bud. *magna.*

Aut laceri] MS. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. *ac.* Mox *fama et* exciderunt in MS. Oxon. Alieno sc. loco omisit librarius. Vid. not. prox. Ern. Bud. *ut laceri*, pro quo male in ed. Rhen. in variis lectionibus legitur *ait laceri*, quod sic in ed. Gronovii repetitur. Rhenanus autem recte agnorat vitium librarii pro *aut.*

Fama et pudore] Lego, *fame.* Duplex enim caussa abscessus, fames et pudor irriti cœpti. Lips. Forte: *Et Cæcina damno et pudore cœptæ temere oppugnationis.* Justinus 2, 5. *amissis octoginta millibus hominum trepidus refugit, quæ jactura inter damna numerata non est.* Gron. Imo *fama et* delendum, auctoritate cod. Guelf. idque etiam sine libris intelligi poterat. Clarum enim est, esse librarii repetitionem eorundem verborum ante *Cæcina*, ut vidit J. Gron. Ern. *Fama et* a Reg. Lall. quoque abest. Frustra tuentur Ryckius, Boxhorn. Bip. Delendum, sine libris sensit Acidalius. Broterius quoque omisit. Bud. pessime, *fama pudoris cepta et.* Freinsh. volebat *jam ira et pudore.*

Petere intendit] Alterum tolli posse putat Gruterus. Imo *intendit*, int. animum, instituit, decernit. Ante *irrisus* eleganter de iis, qui nil efficiunt, frustra oppugnant, petunt. Mox *sese* e Flor. Pichena. Consentit Guelf. (Bud.) ed. pr. etc. alii *se.* Nomen *Turullii* ap. Cicer. ad Div. 12, 13. in libris scr. et edd. est *Turulius*, ut etiam alibi et in inscriptionibus (ut ap. Grut. p. 735.) occurrit, idque melius puto. Ern. Bud. *Turrulius.*

et Julius Briganticus cum paucis equitum: hic Præfectus alæ, in Batavis genitus; ille Primipilaris et Cæcinæ haud alienus, quod ordines in Germania duxerat. Spurinna, comperto itinere hostium, defensam Placentiam, quæque acta, et quid Cæcina pararet, Annium Gallum per litteras docet. Gallus legionem primam in auxilium Placentiæ ducebat, diffisus paucitate cohortium, ne longius obsidium et vim Germanici exercitus parum tolerarent: ubi pulsum Cæcinam pergere Cremonam accepit, ægre coercitam legionem, et pugnandi ardore usque ad seditionem progressam, Bedriaci sistit. Inter Veronam Cremonamque situs est vicus, duabus jam Romanis cladibus notus infaustusque. Iisdem diebus a Martio Macro haud procul Cremona prospere pugnatum. namque promptus animi Martius transvectos navibus gladiatores in adversam Padi ripam repente effudit. Turbata ibi Vitellianorum auxilia, et, ceteris Cremonam fugientibus, cæsi, qui restiterant. sed repressus vincentium inpetus, ne, novis subsidiis firmati, hostes fortunam prælii mutarent. Suspectum id Othonianis fuit, omnia Ducum

A. U. 823. A. C. 70. 23

Julius Briganticus] Sic Rhen. e Bud. Sed Put. Alc. alii *Breganticus*.

Diffisus paucitati] Sic ed. pr. At MS. Oxon. Guelf. (Bud.) edd. Puteol. ceteræque omnes ante Lips. *paucitate*, quod restitui, tacite a Lipsio mutatum, ut alibi ab aliis factum. Hodie quidem satis constat, *diffidere* etiam cum ablativo dici. V. Burm. ad Suet. Cæs. c. 3. et quos ibi laudat: item Oudend. ad Sueton. l. c. Ern.

Bedriaci] Vicus parvus, sed duabus Romanis cladibus insignis, nec indignior, cujus verum nomen norimus, quam Cannæ aut Philippi. Vulgo *Bebriacum* appellant, atque ita Juvenalis libri 2, 106. *Bebriaci in campo spolium adfectare PalatI.* At sincerus ille Vatic. *Bedriacum* semper; quomodo et in Sambuci scripto codice exstare cognovi, cum strictim cum Viennæ vidissem. In vetustis Suetonii libris *Betriacum* dicitur: sicut et in Plutarcho c. 8. Βητρίακον, πολίχνη πλησίον Κρεμώνης. Juvenalis interpres quam nugatur, qui vicum hunc Campaniæ facit! in Sat. 3. *Othonem*, inquit, *bello civili Vitellius vicit apud Bebriacum Campaniæ.* Atqui noster clare: *Inter Cremonam Veronamque situs est is vicus.* et ipse scholiastes mox fatetur. Corrupta ea verba igitur, et scripsit: *apud Bedriaci campum.* Manifesto enim adlusit Juvenalis sui versum, *Bedriaci campo spolium adfectare PalatI.* Quod autem adtexitur: *Horum bellum Cornelius scripsit et Pompeius Planta, qui ait, Bebriacum vicum esse a Cremona vicesimo lapide,* sane Cornelium hunc nostrum intellegit: Pompeius ille quis sit, nondum repperi. Lips. Add. intt. ad Suet. Oth. 9. Broterius defendit *Bebr.* Ern. Hieron. in chron. *Vetriacum.* Plin. 10, 49. (69.) *Bebriacum.* Sic nec apud alios nominis ratio sibi constat. Bud. *Bedriaci.* Agr. Put. Alc. *Bebriaci.* Pompeius Reinesio ep. 27. videtur esse is, de quo Plin. ep. 10. 5.

Duabus i. R. cladibus] Altera Othonis, victore Vitellio: altera Vitellii, vincente Vespasiano, de qua noster 3, 15. sq. Ea vulgo dicitur ad Cremonam facta: sed inter Cremonam et Bedriacum pugnatum est, eaque de caussa utrique loco prælium, more scriptorum, adsignari potest. Vid. dicta ad Xenoph. Mem. S. 3. 5. Ern. A binis illis prœliis Bedriaco hæsisse nomen *la Bina*, sunt qui velint. In eam rem Broterius citat Campo in hist. di Cremona. Contra Cluverium, qui It. ant. 1, 26. *Caneto* hodie dici perhibet, disputat Ryckius.

Sed repressus v. i.] Ed. pr. *reprehensi*, pro *repressi*. Mox eadem *subsidiis*, quod e Flor. pro *præsidiis* dedit Pichena. Ern. Bud. *subsidiis.* ad quod non adtendit Rhen.

Omnia quæcunque facta] Freinsh. corrigit, *omnia Ducum facta.* Eodem modo correctum in MS. Agr. et favet

A. U. C. facta prave æstimantibus. Certatim, ut quisque animo ignavus, procax ore, Annium Gallum et Suetonium Paullinum et Marium Celsum (nam eos Otho quoque præfecerat) A. C. 70. variis criminibus incessebant. Acerrima seditionum ac discordiæ incitamenta, interfectores Galbæ. scelere et metu vecordes, miscere cuncta, modo palam turbidis vocibus, modo occultis ad Othonem litteris: qui humillimo cuique credulus, bonos metuens, trepidabat; rebus prosperis incertus, et inter adversa melior. Igitur Titianum, fratrem, accitum bello præposuit. Interea Paullini et Celsi ductu

24 res egregiæ gestæ. Augebant Cæcinam nequidquam omnia cœpta, et senescens exercitus sui fama. pulsus Placentia, cæsis nuper auxiliis, etiam per concursum exploratorum, crebra magis quam digna memoratu prœlia, inferior; propinquante Fabio Valente, ne omne belli decus illuc concederet, reciperare gloriam, avidius quam consultius, properabat. Ad duodecimum a Cremona, locus Castorum vocatur, ferocissimos auxiliarium, imminentibus viæ lucis occultos, componit. equites *procedere longius* jussi, *et, inritato prœlio sponte refugi, festinationem sequentium elicere, donec insidiæ coorirentur.* Proditum id Othonianis Ducibus. et curam peditum Paullinus, equitum Celsus, sumsere. Tertiædecimæ legionis vexillum, quatuor auxiliorum cohortes et quingenti equites in sinistro locantur; aggerem viæ tres

scriptura MS. Flor. *quocum.* et ed. pr. *omniaque vocum facta.* Certe *omnia quæcunque* durum est. Post Guelf. *extimantibus:* quod h. l. recte exprimitur *æstimantibus:* Sed ed pr. *existimantibus.* Ern. Vulg. habent edd. plures vet. et c. Bud. quod respondet Gr. πάνθ' ὅσα. Cum ed. prima conspirat Reg. Lall. Sed c. Agr. habet *omniaque Ducum facta.* Firmatur hinc emendatio Freinshemii, quam recipio cum Bip. Dein Bud. *prava extimantibus,* et mox *incesserant.*

Criminibus incesserant] Ryckius e cod. Agr rescripsit *incessebant:* quod, quia Latinitas id tempus postulat, imitatus sum. Ern.

Et Celsi ductu] Sic Bud. Ast Flor. *et consilii ductu.* Agr. *Paullini consiliis et ductu.* Plut. etiam c. 7. Paullinum et Celsum jungit.

Locus Castorum] Recte, non *castrorum.* Suetonius c 9. eumpse locum *ad Castoris* dixit: Orosius 7, 8. *circa locum, quem Castores vocant.* Lips. Bud. ut reliqui, *locus castrorum.* Rhen. tacite sed præclare emendavit *locus Castorum.*

Imminentib. viæ lucis imponit] Rhenanus (e Bud.) corrigit *eminentibus viæ lucis componit. Imminentibus* verum est et libris ceteris firmatur. *Componit* etiam Flor. Guelf. recepitque Pichena. Sed edd. ante omnes *imponit:* quod sane est usitatum in insidiis verbum. Neque tam compositorum militum, quam in lucis et insidiis positorum commemoratio h. l. requiritur. Post *jussit* MSS. Flor. (Bud. Agr.) Guelf. edd. pr. Puteol. Ber. *Jussi* edidit Rhen. (ex ingenio) a quo etiam *refugi* pro *refugere* editum, quod tamen et Flor. (et Bud.) et Guelf. habent, haud paullo elegantius, quam *refugere.* Ern. Hoc est in c. Agr.

Aggerem viæ] Intelligi viam Postumiam patet e 3, 21. ut jam monuit Ryckius. Viæ autem altæ et aggeratæ. Aggerem de via etiam Virgilius dixit 5, 273. Vide copiose de hoc verbo Heinsium ad Virgil. 9, 375. Mox *altis ordinibus* Flor. Bud. (Agr. Reg. Lall.) Guelf. ed. pr. i. e. plurimis deinceps, propter angustias viæ. Recepit jam Ryckius. Puteolanus primus *arctis* edidit. Ern. Sic et Alc. et Rhen. Sed *ordinibus altis* i. e. confertis. Cf. Veget. 3, 15.

Prætoriæ cohortes altis ordinibus obtinuere: dextra fronte A. U. prima legio incessit, cum duabus auxiliaribus cohortibus et 823. quingentis equitibus. Super hos e Prætorio auxiliisque A. C. 70. mille equites, cumulus prosperis, aut subsidium laborantibus, ducebantur. Antequam miscerentur acies, terga vertentibus Vitellianis, Celsus, doli prudens, repressit suos. Vitelliani temere exsurgentes, cedente sensim Celso, longius secuti, ultro in insidias præcipitantur. nam a lateribus cohortes, legionum adversa fronte, et subito discursu terga cinxerant equites. Signum pugnæ non statim a Suetonio Paullino pediti datum. cunctator natura, et cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu, placerent, *compleri fossas, aperiri campum, pandi aciem* jubebat; *satis cito incipi victoriam, ubi provisum foret, ne vincerentur.* Ea cunctatione spatium Vitellianis datum, in vineas, nexu traducum inpeditas, refugiendi. et modica silva adhaerebat: unde rursus ausi promptissimos Prætorianorum equitum

Dextra fronte] Quæ hic frons dextra? haud satis capio, et rescribo: *Aggerem viæ tres Prætoriæ cohortes obtinuere dextra. A fronte, prima legio incessit.* Lips. *Dextra frons* est dextrum cornu. *Frontem lævam* e Claudiano in Ruf. 2, 174. laudat Salinerius. Ern. Bipontinis arridet emendatio a Lipsio proposita; non mihi. Statim enim, quod illi negant; *dextra frons* pro *dextro cornu* dici omnino potest. Claudiano sic aperte l. c. *Armeniis frons læva datur; per cornua Gallos dexteriora locat*, opponitur *frons læva dextro cornu.* Sic et ap. Curtium 4, 13. *frons lævi cornu* occurrit. Dein auxiliares Romanæ militiæ more, ut in sinistro, sic et in dextro cornu, locati hic comparent; frons ipsa aciei densis ordinibus a Prætoriis cohortibus obtinetur.

Cum duabus vexillaribus cohortibus] Sic scr. et edd. vett. omnes. Mercerus eam lectionem vitii arguit, quod vexillariorum cohortes non sint, nec *vexillares* dicantur, sed *vexillarii*, denique auxilia debuerint latus legionis claudere, non vexillarii. Itaque legi vult *auxiliaribus*, quod Pichena recepit. Prima ratio firma et tertia, non secunda. Nam *vexillares* non contra analogiam dicuntur, et MSS. Oxon. Agr. habent *vexillariis.* J. Gronovius putat legendum *cum duobus vexillis, tribus cohortibus.* Non placet. Quorsum duo vexilla, ubi integra legio? Et quæ aut quorum ista vexilla? Ern. Bud. *vexiliaribus*, quod proxime ad emendatam lectionem accedit.

A lateribus cohortes legionum] Nihil ambigimus, quin Tacitus scripserit, *a lateribus cohortes, legio adversa fronte.* Ita superior aciei dispositio postulat: et, ad circumveniendum hostes, invasionem tripertitam esse oportuit. Lips. Freinshemius malebat *legionarii adversa fronte.* Flor. Oxon. (Reg. Lall.) et Guelf. a man. pr. (et Put.) *frons:* quod probat J. Gron. Tacitus vult dicere, ab omnibus partibus circumventos Vitellianos. Cohortes latera circumfudere, equites terga, legio frontem. Itaque vulgatum servem. *Legionum adversa.* i. e. legiones adversæ, a fronte s. frontem cinxere. Ern. Bud. et ed. Alc. et Rhen. *legionum adversa fronte.* Paullo ante Bud. male *cedunt.*

Compleri fossas] Nempe, quæ ibi forte factæ ab rusticis, recipiendis aquis, aut alia de caussa, ut bene monet Pichena. Ern.

Jubebat] Lall. e cod. suo Regio se dedisse profitetur *jubet;* sed operæ, ut adparet, non paruere.

Incipi victoriam ratus] Freinsh. *ratus* spurium putat. Jac. Gronovius corrigit *iratis*, quia sequitur *vincerentur*, non *vinceretur.* At quorsum iræ hic mentio fiat? Ego vero *ratus* delevi, auctore ed. pr. a qua hæc vox abest. item a MS. Reg. ut Broterius notat, qui nos imitatus est. Inculcari talia verba in tali textu, ut *inquiens, dicens*, supra vidimus. Ern. Heins. conjicit *insisti victoriæ.* Sed ex citato Jureti loco in Symm. ep. 1, 84. patet, cum potius voluisse *insisti victoriam.*

A. U. interfecere. vulneratur Rex Epiphanes, inpigre pro Othone
823. pugnam ciens. Tum Othonianus pedes erupit. protrita
A. C. hostium acie, versi in fugam, etiam qui subveniebant. nam
70.
26 Cæcina non simul cohortes, sed singulas acciverat: quæ res in prœlio trepidationem auxit, cum dispersos, nec usquam validos, pavor fugientium abriperet. Orta et in castris seditio, quod non universi ducerentur. vinctus Præfectus castrorum, Julius Gratus, *tamquam fratri, apud Othonem militanti, proditionem ageret:* cum fratrem ejus, Julium Frontonem, Tribunum, Othoniani sub eodem crimine vinxissent. Ceterum ea ubique formido fuit apud fugientes, occursantes, in acie, pro vallo, ut *deleri cum universo exercitu Cæcinam potuisse, ni Suetonius Paullinus receptui cecinisset*, utrisque in partibus percrebuerit. *Timuisse se*, Paullinus ferebat, *tantum insuper laboris ac itineris, ne Vitellianus miles, recens e castris, fessos adgrederetur, et perculsis nullum retro subsidium foret.* apud paucos ea Ducis ratio probata, in vulgus adverso rumore fuit.

27 Haud perinde id damnum Vitellianos in metum compulit, quam ad modestiam composuit: nec solum apud Cæcinam, qui culpam *in militem* conferebat, *seditioni magis quam prœlio paratum*; Fabii quoque Valentis copiæ (jam enim Ticinum venerat) posito hostium contemptu, et recuperandi decoris cupidine, reverentius et æqualius Duci parebant.

Rex Epiphanes] Filius Antiochi, Regis Commageni, cujus in rebus Vespasiani et apud nostrum mentio. Is tum Romæ fuit, sive obses, regnante adhuc patre, sive alia qua de caussa, Othonemque comitatus est. De ejus parentisque fatis v. Josephus B. J. 7, 7. *Rex* vocatur vetere more, quo etiam Regum filii, et quicunque Regiæ stirpis sunt, Reges vocantur, ut ap. Græcos *βασιλεῖς*. Ern. Cum fratre Callinico exhibetur Epiphanes in numo Commagenorum apud Pellerin méd. de Rois. p. 124. Cf. Eckhel D. NN. vet. vol. 3. p. 258.

Othonianus pedes erupit] Puto *irrupit.* nempe in silvam et vineas impeditas, quibus defendebantur Vitelliani. Gron. At *prorumpere* et *erumpere* etiam dicuntur milites in acie constituti, cum impetum facere incipiunt. Prioris verbi permulta apud nostrum exempla, A. 1, 65. 4, 71. etc. Virgil. Æn. 11, 608. *Jamque intra jactum teli progressus uterque substiterat: subito erumpunt clamore.* Ern.

Apud fugientes occursantesque] Conjunctionem *que* bene delevit Rhenanus (duce Bud.) Abest et ab ed. pr. et MS. Reg. Ern.

Tantum insuper laboris] Videtur legendum *super*, syllaba *in* nata, ut sæpe alibi, e finali præcedentis. Præter laborem atque iter se timuisse, ne recens Vitellianus miles erumperet e castris, et fessos aggrederetur. Sic et infra c. 34. pro *super* editum vulgo *insuper*. Mox copulam *et*, a Rhenano (duce Bud.) sublatam, restituit Pichena, quam Guelf. et ed. pr. habent. Sed eadem habet *periculosis* pro *perculsis*, item MS. Reg. Ern. *Recens castris* in Put. etiam et Alc. edit. Paullo ante Bud. *ac itineris*. Mox Muretus volebat *fore*, non probante Acidalio.

Haud perinde id damnum] Pronomen agnoscunt Flor. Guelf. edd. ante Rhen. omnes. Deletum a Rhen. (duce Bud.) restituit Pichena. Mox *sed* ante *Fabii* abest a Flor. (Bud.) et aliis MSS. et ed. pr. quod cum J. Gronovio elegantius puto. *Æqualius* porro omnes scr. et edd. præter MS. Agr. qui habet *æquabilius:* quod frustra præfert Ryckius, cum illud idem sit, ut supra jam ostensum. Ern.

Recuperandi decoris] Bud. *dedecoris*. librarii vitio.

Gravis alioquin seditio exarserat, quam altiore initio (neque A. U.
enim rerum a Cæcina gestarum ordinem interrumpi opor- 823.
tuerat) repetam. Cohortes Batavorum, quas bello Neronis A. C.
a quartadecima legione digressas, cum Britanniam peterent, 70.
audito Vitellii motu, in civitate Lingonum Fabio Valenti
adjunctas retulimus, superbe agebant; ut cujusque legionis
tentoria accessissent, *coercitos a se quartadecimanos, ablatam
Neroni Italiam, atque omnem belli fortunam in ipsorum manu
sitam,* jactantes. Contumeliosum id militibus, acerbum
Duci: conrupta jurgiis aut rixis disciplina: ad post-
remum Valens e petulantia etiam perfidiam suspecta-
bat. Igitur nuntio adlato, *pulsam Treverorum alam Tun-* 28
grosque a classe Othonis et Narbonensem Galliam circumiri;
simul cura socios tuendi et militari astu cohortes turbidas,
ac, si una forent, prævalidas, dispergendi. partem Batavo-
rum *ire in subsidium* jubet. quod ubi auditum vulgatumque,
mærere socii, fremere legiones: *orbari se fortissimorum viro-
rum auxilio: veteres illos et tot bellorum victores, postquam in
conspectu sit hostis, velut ex acie abduci: si provincia urbe et
salute Imperii potior sit, omnes illuc sequerentur: sin victoriæ
sanitas, sustentaculum, columen in Italia verteretur, non ab-
rumpendos, ut corpori, validissimos artus.* Hæcférociter ja- 29
ctando, postquam, inmissis lictoribus, Valens coercere se-
ditionem cœptabat, ipsum invadunt, saxa jaciunt, fugien-
tem sequuntur, *spolia Galliarum et Viennensium aurum et
pretia laborum suorum occultare,* clamitantes, direptis sarci-
nis, tabernacula Ducis, ipsamque humum pilis et lanceis ri-
mabantur. nam Valens servili veste apud Decurionem equi-
tum tegebatur. Tum Alphenus Varus, Præfectus castro-
rum, deflagrante paullatim seditione, addit consilium, veti-
tis obire vigilias Centurionibus, omisso tubæ sono, quo mi-
les ad belli munia cietur. Igitur torpere cuncti, circum-
spectare inter se adtoniti: et id ipsum, quod nemo regeret,
paventes: silentio, patientia, postremo precibus ac lacry-
mis veniam quærebant. Ut vero deformis et flens et præ-
ter spem incolumis Valens processit, gaudium, miseratio,

Retulimus] V. H. 1, 59. 64. Mox *cujus legionis* Flor. Bud. Agr.

E petulantia] Sic Rhen. e Bud. sic et Puteol. sed Alciatus præpositionem omiserat.

Sin victoriæ sanitas] Sic MSS. Flor. Bud. Reg. ed. pr. Rhen. seqq. At Guelf. Harl. Bodl. edd. Puteol. Ber. Alc. *victoria, sanitas.* illud verum. Mox Heinsius pro *ut corpori,* acute *suo corpori,* ad Vellei. 2, 109. Sed vulgatum quoque ferri potest, et consuetudini scriptorum elegantiorum consentiens est. Non esse a se divellendos Batavos, quod si fiat, nihil aliud agi, quam si artus a corpore abrumpantur. Ern.

Obire vigilias] De hoc ritu ego in Militia Dial. 5, 9. Lips.

Silentio, patientia] Malim, *silentio, pænitentia.* Lips. *Patientia* omnes scr. et edd. Patienter ac tacite ferebant istam omissionem solitorum, non frementes, non irascentes. Ern. Mox *precibus ac lacr.* Rhen. e Bud. Prius legebatur *et*

A. U. favor: versi in lætitiam, (ut est vulgus utroque immodicum)
823. laudantes gratantesque, circumdatum aquilis signisque in
A. C. tribunal ferunt. Ille utili moderatione non supplicium cu-
70. jusquam poposcit: ac ne dissimulans suspectior foret, paucos incusavit: gnarus civilibus bellis plus militibus, quam

30 Ducibus, licere. Munientibus castra apud Ticinum, de adversa Cæcinæ pugna adlatum, et prope renovata seditio, *tamquam fraude et cunctationibus Valentis prælio defuissent*. Nolle requiem, non exspectare Ducem, anteire signa, urgere signiferos. rapido agmine Cæcinæ junguntur. Inprospera Valentis fama apud exercitum Cæcinæ erat: *expositos se tanto pauciores integris hostium viribus*, querebantur, simul in suam excusationem, et adventantium robur per adulationem adtollentes, ne ut victi et ignavi despectarentur. Et quamquam plus virium, prope duplicatus legionum auxiliorumque numerus erat Valenti, studia tamen militum in Cæcinam inclinabant; super benignitatem animi, qua promptior habebatur, etiam vigore ætatis, proceritate corporis et quodam inani favore. Hinc æmulatio Ducibus. Cæcina *ut fœdum et maculosum*, ille *ut vanum ac tumidum*,

Paucos incusavit] Lego *paucis*. ad brevitatem enim orationis refertur, non ad eos qui peccarant. et sane omnes in hac culpa, nec excerpi pauci potuere. LIPS. Sensus: non totius exercitus istum furorem, sed paucorum fuisse, qui exercitum concitassent. Eadem ratione usus Otho 1, 84. *Paucorum culpa fuit, duorum pœna erit.* Atqui omnes seditiosi fuerant. Igitur *paucos* non tentandum contra libros. ERN.

Rapido agmine Cæcina jungitur] MSS. Flor. (Bud.) Guelf. etc. ed. pr. *junguntur*, ut Rhenanus edidit. Ceteræ vett. edd. ante Rhen. *jungitur*. (Puteol. tamen habet *junguntur*.) Paullo post *ac prope dupl.* Guelf. Harl. Bodl. edd. Puteol. Beroald. Alc. ERN. Rhen. delevit duce Bud. præp. *ac*.

Et quodam inani favore] Censuerim legendum *inanium*. Quæ illa? Superiori libro habes: *Cæcina corpore ingens, animi immodicus, cito sermone, erecto incessu studia militum allexerat.* Prorsus ut de Corbulone 13, 8. *omnium in se ora verterat, corpore ingens, verbis magnificus, et super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus.* GRON. Idem Heinsio placebat ap. Ryckium (et Lallemandio). Sed idem significat *inanis favor* h. e. a caussis inanibus ortus, ut *gloria inanis*, et similia. Nam et gloria inanis est, quæ a rebus inanibus, nulla gloria dignis, nascitur. Ceterum, si libri faverent, *inanium* sane præferrem. ERN.

Fœdum et maculosum] Valet in omne animi vitium et labem *maculosi* vox: tamen vereor, ut hic proprie in ignaviam ac timorem. Ex antithesi, quæ sequitur, suspiceris: et magis ex hoc Ammiani loco 30, 8. *Arguebat hic idem Princeps* (Valentinianus) *timidos sæpius, maculosos tales appellans et sordidos.* LIPS. Non ignaviam et timorem interpretor, sed libidinem et rapacitatem: quæ in homine arguit et 1, 66. *Valentem magna pecunia emptum.* Et, *ipsa itinerum spatia et stativorum mutationes venditante Duce, fœdis pactionibus adversus possessores agrorum et Magistratus civitatum, adeo minaciter, ut Luco faces admoverit, donec pecunia mitigaretur: quoties pecuniæ materia deesset, stupris et adulteriis exorabatur.* Sic A. 13, 33. *Cossutianum Capitonem Cilices detulerant maculosum fœdumque, et idem jus audaciæ in provincia ratum, quod in urbe exercuerat.* H. 1, 7. *ut avaritia et libidine fœdum ac maculosum.* Cicero, ad Attic. 1, 16. *Maculosi Senatores, nudi Equites.* Plinius ep. 3, 9. *homo fœdus et aperte malus Proconsulatum non minus violenter quam sordide gesserat.* GRON.

inridebant. Sed condito odio, eandem utilitatem fovere, A. U. crebris epistolis, sine respectu veniæ, probra Othoni ob- 823. jectantes: cum Duces partium Othonis, quamvis uber- A. C. 70. rima conviciorum in Vitellium materia, abstinerent. Sane 31 ante utriusque exitum, quo egregiam Otho famam, Vitellius flagitiosissimam, meruere, minus Vitellii ignavæ voluptates, quam Othonis flagrantissimæ libidines timebantur. Addiderat huic terrorem atque odium cædes Galbæ; contra illi initium belli nemo inputabat. Vitellius ventre et gula sibi ipse hostis; Otho luxu, sævitia, audacia, Reipublicæ exitiosior ducebatur. Conjunctis Cæcinæ ac Valentis copiis, nulla ultra penes Vitellianos mora, quin totis viribus certarent. Otho consultavit, trahi bellum, an fortunam experiri placeret. Tum Suetonius

Nemo imputabat] Sciebant, a suis pæne coactum; ipsum ignavum, nunquam ausurum quid fuisse. Ideoque excusabant potius, quam oderant. Ern.

Gula sibi ipsi hostis] Codex Bud. habuit *sibim:* unde legendum, *sibimet hostis*, Rhenanus putabat. Flor. ed. pr. *sibi inhostus*, quod interpretandum, *sibi inhonestus*, post Victorium ad Caton. R. R. (c. 80. (81). putabat Pichena. Putem esse manifestum, Tacitum voluisse antithetis uti. Vitellius sibi, Otho reipublicæ perniciosus. At cod. Guelf. *sibi ipsi*, ut ceteræ edd. idque oppositionis ratio videtur desiderare: *sibi ipsi Vitellius—Otho Reip.* Itaque servavi, dum melius quid reperiatur. Neque enim est de nihilo, quod Flor. Bud. ed. pr. habent. J. Gronovius recepit Rhenani conjecturam *sibimet hostis.* Venit aliquando in mentem *sibi met*, vel *sibi modo noxius;* ut vitium ortum sit e compendio *m̃.* et litera *x* in *s* mutata, quod sæpe factum a librariis constat. Ern. In Bud. est *sibi in hostiis.* manifestum est, librarium ante oculos habuisse istud Flor. et ed. pr. *sibi inhostus*, quod quid sibi vellet, hæsisse dubium. Rhen. rei ignarus, pro *sibi in* legit *sibim*, et conjectavit legendum *sibimet hostis*, in textu tamen servavit *sibi ipsi hostis.* Ex *sibi inhostus* Heins. exsculpsit *sibi infestus.* Salmasius ad Solin. p. 24. τὸ *inhostus* explicat iniquus, ductum ab *hostus*, quod mensuræ genus apud Varronem R. R. 1, 24. Victorii conjecturam *sibi inhonestus* laudat quidem, sed duriusculam judicat Pichena, et servat Puteol. *sibi ipsi hostis*, quod recte opponitur sequenti *Reipublicæ exitiosior.* Id equidem recipio, nisi quod pro *ipsi* reponam *ipse.* Bip. malunt *sibi inhonestus*, similique exemplo ex A. 15, 25. lectionem tuentur, ubi *pax inhosta* pro *inhonesta.* Sed in nostro loco *inhonestus exitioso* male respondet.

Suetonius Paullinus] Et hic et alibi effuse laudat hunc Suetonium, *vetustissimum Consularium*, ut infra vocat, et non una militia clarum. Præfuit Britanniæ, ut habes A. 14, 29. et in Agricola 5 et 14. sed et in Africa bellum gessit, e Plinio 5, 1. *Suetonius*, inquit, *Paullinus quem Consulem vidimus, primus Romanorum Ducum transgressus Atlantem*, etc. Ubi autem mens sive judicium fuit viro magno et celebri (Mureto) qui in Variis suis (15, 11.) nuper hunc Suetonium, patrem fecit Suetonii nostri Tranquilli? Ita enim locum eum corrigit, Suetonii Othone 10. *Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, tertiædecimæ legionis Tribunus angusticlavius.* Et liber, inquit, qui tineas et cariem senserat, habet *Linus.* Omnino autem legendum *Paullinus.* Testem in eam rem laudabo Tacitum, qui fortis viri neque nomen neque virtutem tacitam esse sivit. ejus enim sæpe et in Annalibus et in Agricolæ vita honorificam mentionem facit. Hæc ille. Quid dicam? Non insector te, vir elegantissime, sed bona fide hæc scribis? Erras nimis. Suetonius ille Lenis Tribunus fuit; noster belli dux: ille angusticlavius, id est nondum Senator, sed inter Equites; iste Consularis. nec tenue usquam vestigium confusionis ejus, quam facis. Hoc mihi in transcursu monitum, non ut carpam (Fidem testor:) sed ut claro sub exemplo doceam, quam fallax hæc critica, et ignoscendum etiam nobis esse, si labimur interdum in proclivi ista via. Lips.

A. U. 823. A. C. 70. Paullinus, dignum fama sua ratus, qua nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur, de toto genere belli censere, *festinationem hostibus, moram ipsis utilem* disseruit: *Ex-*
32 *ercitum Vitellii universum advenisse: nec multum virium a tergo, quoniam Galliæ tumeant, et deserere Rheni ripam, inrupturis tam infestis nationibus, non conducat: Britannicum militem hoste et mari distineri: Hispanias armis non ita redundare: provinciam Narbonensem incursu classis et adverso prælio contremuisse: clausam Alpibus, et nullo maris subsidio, Transpadanam Italiam atque ipso transitu exercitus vastam: non frumentum usquam exercitui nec exercitum sine copiis retineri posse. Jam Germanos, quod genus militum apud hostes atrocissimum sit, tracto in æstatem bello, fluxis corporibus, mutationem soli cælique haud toleraturos. Multa bella, inpetu valida, per tædia et moras evanuisse. Contra ipsis omnia opulenta et fida: Pannoniam, Mæsiam, Dalmatiam, Orientem, cum integris exercitibus; Italiam et caput rerum urbem: Senatumque et Populum numquam obscura nomina, etsi aliquando obumbrentur; publicas privatasque opes et inmensam pecuniam, inter civiles discordias ferro validiorem; corpora militum aut Italiæ sueta, aut æstibus: objacere flumen Padum, tutas viris murisque urbes; e quibus nullam hosti cessuram, Placentiæ defensione exploratum. Proinde duceret bellum. paucis diebus quartamdecimam legionem, magna ipsam fama, cum Mæsiacis copiis adfore: tum rursus deliberaturum, et, si*
33 *prælium placuisset, auctis viribus certaturos.* Accedebat sententiæ Paullini Marius Celsus: *idem placere Annio Gallo,* paucos ante dies lapsu equi adflicto, missi, qui consilium ejus sciscitarentur, retulerant. Otho pronus ad decertandum: frater ejus Titianus, et Præfectus Prætorii Proculus, inpe-

Galliæ tumeant, et] Copulam apte inserui, ex Vatic. *Tumere* autem eleganti metaphora dicuntur, quæ eruptura videntur. usurpavit Cicero bis in Epistolis ad Atticum 14, 4 et 5. Lips. Adde Clav. Cic. in h. v. Ern. Et Plin. paneg. 28. *tumentibus plebis animis.* Danesius pro *quoniam* legit *quamquam;* ita scil. Rhen. interpretatur compendium scripturæ, quod ibi est in Bud. ipse tamen *quoniam* retinet. Mox Agr. habet *detineri,* quod mari convenientius putat Ryckius. Idem cod. *maritimis Alpibus,* glossa.

Transitu exerc. vastam] Sic e Flor. edidit J. Gronovius, probatque etiam Ryckius, qui et in MS. Agr. repererat. Consentit ed. pr. MS. Reg. Vulgo (et Bud.) *vastatam.* Possis dicere, ex hoc factum *vastam,* ut supra *jactus* e *jactatus,* et similia in his et aliis libris. At contra satis constat, librarios valde pronos fuisse in hanc partem, ut e *vastus* facerent *vastatus.* Vid. viros doctos ad Liv. 23, 30. Add. infra ad 4, 50. Itaque *vastam* merito prætuli: secutus est Broterius. Ern. et Lall.

Sine copiis] Sine commeatu. Sic infra 3, 60. 4, 22. Cf. Symmach. ep. 1, 55. et ibi Juretus.

Obscura nomina] Bud. *obscurari.* Idem *Senatum et Pop.* Agr. addit *Rom.*

Etsi aliquando obumbrentur] Flor. Reg. ed. pr. *etiam.* forte *etiamsi* fuit. Et sic in MS. Harl. reperit Broterius. de verbo *obumbrare* supra diximus. Ern. Bud. *et si.* Sic et Put. Alc. Rhen.

Paucis diebus quartamdecimam] Hæc restitui, in vulgatis qua a verbis, qua ab interpunctis mendosa. Lips. Nempe vulgo interpungebatur post *diebus,* et aberat *cum.* Ern. Deest et in Bud.

Ad decertandum] Bud. *ad certandum.*

ritia properantes, *Fortunam et Deos et Numen Othonis adesse* A. U.
consiliis, adfore conatibus, testabantur. neu quis obviam ire sen- 823.
tentiæ auderet, in adulationem concesserant. Postquam pu- A. C.
gnari placitum, *interesse pugnæ Imperatorem, an seponi melius* 70.
foret, dubitavere. Paullino et Celso jam non adversantibus, ne Principem objectare periculis viderentur, iidem illi deterioris consilii auctores perpulere, *ut Brixellum concederet, ac, dubiis prœliorum exemptus, summæ rerum et Imperii se ipsum reservaret.* Is primus dies Othonianas partes adflixit. namque et cum ipso Prætoriarum cohortium et speculatorum equitumque valida manus discessit, et remanentium fractus animus: quando suspecti Duces, et ut Othoni uni apud militem fides, dum et ipse non nisi militibus credit,
imperia Ducum in incerto reliquerat. Nihil eorum Vitel- 34
lianos fallebat, crebris, ut in civili bello, transfugiis: et exploratores, cura diversa sciscitandi, sua non occultabant. Quieti intentique Cæcina ac Valens, quando hostis inprudentia rueret, quod loco sapientiæ est, alienam stultitiam opperiebantur, inchoato ponte transitum Padi simulantes, adversus oppositam gladiatorum manum, ac ne ipsorum miles segne otium tereret. Naves, pari inter se spatio, validis utrimque trabibus connexæ, adversum in flumen dirigebantur, jactis super ancoris, quæ firmitatem pontis continerent. Sed ancorarum funes non extenti fluitabant, ut, augescente flumine, inoffensus ordo navium adtolleretur. Claudebat pontem inposita turris et in extremam navem educta: unde tormentis ac machinis hostes propul-

Et numen Othonis] Freinsh. ad A. 1, 73. malebat *nomen*. Ern.

Objectare periculis] E poeta sumtum Æn. 2, 751. mox pro *iidem* Guelf. Harl. Bodl. et ed. pr. contracte *idem*. Ern.

Brixellum concederet] Ita factum, ibique se occidit. Elue mendam igitur, quæ in Egesippo (scriptore mihi quidem haud spernendo) 4, 24. *Cum Otho comperisset, Valenti ac Cæcinæ, Vitellii comitibus, victoriam cessisse . . . Brixiæ positus, voluntaria morte eripuit se ludibrio.* Facito *Brixelli*. Lips.

Summæ rerum et Imperii seipsum reservaret] MSS. Bud. Agr. (et Reg. Lall.) ed. pr. *summam*, velut sit appositive dictum. *Ipsum* hic frigere, facile quivis, ut opinor, sentiat. Ern.

Et Otho, cui] MSS. Flor. Bud. Agr. ed. pr. *et ut Otho.* Unde Rhenanus faciebat, *et Otho, ut cui:* J. Gron. *et sic Otho.* Ern. Bip. ne particula *ut* pereat, ita locum refingunt, ut jam exhibeo. Sensus a prius vulgato nihil differt.

Imperia Ducum in incerto reliquerat] Effecerat, ut imperia Ducum sine vi essent, quando milites iis non satis fiderent, adeoque nec promte parerent. Ern.

Cura diversa sciscitandi] Dum quisque, in hostium partibus et castris quid ageretur, explorare tentant. Ern.

Naves] Recte Pichena et Acid. sensere, novam periodum inchoandam a voce *Naves.* Duplex enim consilium inchoandi pontis describitur. tum sequitur de pontis forma.

Jactis super ancoris] Sic e Flor. edidere Ryckius et J. Gronovius, idemque erat in Budensi et Agr. Consentit et ed. pr. Ex eo non intellecto librarii fecere *insuper*, quod est in MS. Guelf. edd. Puteol. Beroaldi (Alc. Rhen.) sqq. unde patet non esse ab ingenio Beroaldi, ut J. Gronovius putat. Naves fundantur ancoris, ut Virgilius loquitur Æn. 6, 4. Ergo etiam super jactis ancoris dirigebantur contra impetum fluminis. Ern. Rhen. conjectabat *superne*.

A. U. sarentur. Othoniani in ripa turrim struxerant, saxaque et
823. faces jaculabantur. Et erat insula amne medio, in quam
A. C. gladiatores navibus molientes, Germani nando prælabeban-
70. 35 tur. Ac forte plures transgressos, completis Liburnicis,
per promptissimos gladiatorum Macer adgreditur. Sed
neque ea constantia gladiatoribus ad prœlia, quæ militi-
bus; nec perinde nutantes e navibus, quam stabili gradu
e ripa, vulnera dirigebant. Et, cum variis trepidantium
inclinationibus, mixti remiges propugnatoresque turbaren-
tur, desilire in vada ultro Germani, retentare puppes, scan-
dere foros, aut cominus mergere. quæ cuncta, in oculis
utriusque exercitus, quanto lætiora Vitellianis, tanto acrius
36 Othoniani caussam auctoremque cladis detestabantur. Et
prœlium quidem, abruptis quæ supererant navibus, fuga di-
remptum: Macer ad exitium poscebatur. Jamque vulne-
ratum eminus lancea strictis gladiis invaserant, cum inter-
cursu Tribunorum Centurionumque protegitur. Nec multo
post Vestricius Spurinna, jussu Othonis, relicto Placentiæ
modico præsidio, cum cohortibus subvenit. Dein Flavium
Sabinum, Consulem designatum, Otho rectorem copiis mi-
sit, quibus Macer præfuerat; læto milite ad mutationem
Ducum, et Ducibus ob crebras seditiones tam infestam mi-
37 litiam adspernantibus. Invenio apud quosdam auctores,
*pavore belli, seu fastidio utriusque Principis, quorum flagitia
ac dedecus apertiore in dies fama noscebantur, dubitasse exerci-
tus, num, posito certamine, vel ipsi in medium consultarent, vel
Senatui permitterent legere Imperatorem. Atque eo Duces
Othonianos spatium ac moras suasisse, præcipua spe Paullini:*

Nec perinde] Bud. *proinde*. Frequenti errore.

Mixti remiges] Sic e Flor. iidem edidere. firmant iidem libri (Bud. Agr.). ceteri *immixti*. Ern.

Abruptis quæ superfuerant navibus] Forte: *abreptis*, id est, raptim abductis, quæ ab hostibus raptæ aut mersæ non erant. Gron. *Abruptis* MSS. (Bud.) Reg. edd. Puteol. sqq. Contra Flor. *arruptis*, ut et ed. pr. unde J. Gron. corrigit *arreptis*. Neutrum convenire arbitror. Nam Othoniani non egressi erant navibus, ut e præcedentibus clarum est. *Abripere* autem et *arripere* est extrinsecus agentis. Hoc tamen melius. *Supererant* e Flor. edidere Ryckius, Gron. consentit (Bud. Agr.) ed. pr. Mox *intercursu* e Bud. bene Rhen. ut est et in Flor. Reg. ed. pr. Alii *incursu*, quod e compendio ortum est. Ern. Brot. præfert *abreptis*. Lall. *arreptis*, Bip. *absumptis*. Sensus ubique claudicat. Malim *abreptis* i. e. raptim abductis.

Ad mutationem Ducum] Copulam *et* addunt Flor. (Bud.) Agr. Guelf. Harl. Bodl. *et ad mut*. quod recepere Ryckius et J. Gronovius: Id non imiter. Nulla copula hic locum habet. Nam dictum esse, pro *et læto milite*, ut vult J. Gronovius, nunquam credam. Ern. Copulam istam non habent Put. Alc. Rhen.

Præcipue Paullinum] Flor. ed. pr. *præcipuus Paullini:* quod J. Gron. putat factum e *præcipue Suetonium Paullinum*. Imo librarius ad *moras* retulit: hinc natum vitium. Ern. Bud. *precipue*. Si Flor. haberet *præcipuas Paullinum*, cum Ernestio sentirem. Nunc gignendi casus aliquid habet in recessu. Forsan Bip. rem acu tetigere, qui ex eo quod mox legitur, *neque P. sperasse reor*, conjectant, hic legendum, *præcipua spe Paullini*, similemque locum firmandæ sententiæ ex Sallustii Fragm. l. 3. n. 20. ed. Cortii adlegant. Recipio emendationem, licet timidiuscule, nam in vulgato idem sensus latet.

quod vetustissimus Consularium, et militia clarus, gloriam no- A. U.
menque Britannicis expeditionibus meruisset. Ego, ut con- 823.
cesserim, apud paucos tacito voto quietem pro discordia, A. C.
bonum et innocentem Principem pro pessimis ac flagitio- 70.
sissimis expetitum: ita neque Paullinum, qua prudentia
fuit, sperasse, corruptissimo sæculo tantam vulgi modera-
tionem, reor, ut, qui pacem belli amore turbaverant, bellum
pacis caritate deponerent: neque aut exercitus linguis mo-
ribusque dissonos in hunc consensum potuisse coalescere,
aut Legatos ac Duces, magna ex parte luxus, egestatis,
scelerum sibi conscios, nisi pollutum obstrictumque meritis
suis Principem passuros. Vetus ac jam pridem insita mor- 38
talibus potentiæ cupido cum Imperii magnitudine adolevit
erupitque. Nam rebus modicis, æqualitas facile habeba-
tur: sed ubi, subacto orbe et æmulis urbibus Regibusque
excisis, securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter
Patres plebemque certamina exarsere. modo turbulenti
Tribuni, modo Consules prævalidi, et in urbe ac foro ten-
tamenta civilium bellorum. Mox e plebe infima C. Ma-
rius, et nobilium sævissimus L. Sulla, victam armis liberta-
tem in dominationem verterunt. Post quos Cn. Pompeius
occultior, non melior. Et numquam postea, nisi de Princi-
patu quæsitum. Non discessere ab armis in Pharsalia ac
Philippis civium legiones: nedum Othonis ac Vitellii exer-
citus sponte posituri bellum fuerint. eadem illos Deum ira,
eadem hominum rabies, eædem scelerum caussæ in discor-
diam egere. Quod singulis velut ictibus transacta sunt
bella, ignavia Principum factum est. Sed me veterum no-
vorumque morum reputatio longius tulit: nunc ad rerum
ordinem venio. Profecto Brixellum Othone, honor Imperii 39
penes Titianum fratrem, vis ac potestas penes Proculum
Præfectum. Celsus et Paullinus, cum prudentia eorum
nemo uteretur, inani nomine Ducum, alienæ culpæ præten-
debantur. Tribuni Centurionesque ambigui, quod, spretis

Ut concesserim] Agr. *ut consenserim.*

Obstrictumque meritis suis Principem] Ego fere τὸ *moribus* præferam: ut sit, qui non venisset ad Imperium, nisi Legatorum et Ducum hi mores fuissent, nisi eum, cui malos mores et improbitatem suam imputare possent. Gron. Verum vidisse Gronovium puto. Idque habent Guelf. edd. Puteol. Beroald. Alc. *Meritis* Flor. Bud. Agr. edd. pr. Rhen. seqq. omnes. Verbum *obstrictum*, quod solenne est in beneficiis ac meritis, videtur hanc lectionem peperisse. Utrumque verbum bonam sententiam facit, sed *moribus* venustiorem. Ern.

Urbibus Regibusque] MSS. quidam, Harl. (Bud.) Bodl. et edd. quædam *regibusve.* male. nam et urbes æmulæ fuere, ut Carthago, et Reges, ut Macedonici: prætulit tamen Broterius. Ern.

Vacuum fuit] i. e. satis otii fuit ab externa vi, ut possent cogitare de potentia augenda. Imitatus est Sallust. fr. Hist. init. *postquam remoto metu Punico, simultates exercere vacuum fuit.* ubi vid. Cort. Vett. Gloss. *vacuum*, εὔκαιρον. Ern. Sic 13, 3. *quibus otiosum est.*

Othonis ac Vit.] Ryck. e cod. Agr. *Oth. aut Vit.*

Eadem illos Deum ira] Facessant ergo, qui Tacitum inpietatis incusant

A. U. 823. A. C. 70. melioribus, deterrimi valebant. miles alacer; qui tamen jussa Ducum interpretari, quam exsequi, mallet. Promoveri ad quartum a Bedriaco castra placuit; adeo imperite, ut quamquam verno tempore anni, et tot circum amnibus, penuria aquæ fatigarentur. Ibi de prœlio dubitatum: Othone per litteras flagitante, ut maturarent; militibus, ut Imperator pugnæ adesset, poscentibus; plerique copias trans Padum agentes acciri postulabant. Nec perinde dijudicari potest, quid optimum factu fuerit, quam pessimum fuisse, quod factum est. Non ut ad pugnam, sed ad bellandum, profecti, confluentes Padi et Adduæ fluminum, XVI. inde millium spatio distantes, petebant. Celso et Paullino abnuentibus, *militem itinere fessum, sarcinis gravem, objicere hosti, non admissuro, quo minus expeditus, et vix quatuor millia passuum progressus, aut incompositos in agmine, aut dispersos et vallum molientes adgrederetur.* Titianus et Proculus, ubi consiliis vincerentur, ad jus Imperii transibant. Aderat sane citus equo Numida cum atrocibus mandatis,

Jussa Ducum interpretari] Id est, inquirere in caussas jussionis, et explorare ac ponderare, quam simplici obedientia patrare. Tale in Agricola 40. *Adeo ut plerique, viso aspectoque Agricola, quærerent famam, pauci interpretarentur.* Significat, multos ex specie tantum externa judicasse, paucos inquisisse aut explorasse. Lips.

Promoveri ad quartum] E Plutarcho c. 11. scriberes, *ad sextum.* Nam ille quinquaginta stadia numerat. Sed et paullo post, ubi noster XVI. milliaria numerat, Græci ejusdem computatione XII. saltem efficiuntur. Nihil tamen ego mutem. Lips.

Adeo imperite] Totum hunc locum verbatim Plutarchus expressit, ut pleraque alia: etsi haud multum ætate nostro inferior. Lips. Mox pro *perinde* ed. pr. (et c. Bud.) *proinde*, solenni confusione. Ern.

Sed ad bellandum profecti] *Ad debellandum* corrigit Grotius. Ibant non quasi ad incertum certamen, sed ut finem impositurі bello una victoria. Sed *bellare* pro *debellare* dixit etiam Livius 6, 31. *ne quis, quoad bellatum esset, tributum daret.* etc. ubi consentiunt libri: nisi *bellatum esset* pro *bellaret* dixit: quod tamen vix rectum foret. Alioqui non ignoro, hæc verba subinde a librariis confundi, ut passim ad Livium notavit Drakenborchius. Ern.

Padi et Adduæ] In Vatic. locus hic in litura, sic tamen, ut aperte esset eruere scriptum antiquitus, *Padi et Agelæ:* aliena deinde manu factum *Adduæ.* Sed Agela ignotum mihi flumen, et censeam vulgatam esse veram. De Addua, Plinius 2, 103 (106.) Strabo 3. p. 192. 209. itemque Sidonius ep. 1, 5. *Vidimus ulvosum Lambrum, cæruleum Adduam, velocem Athesin, pigrum Mincium.* Lips.

Non admissuro] Pro non *commissuro:* quæ duo verba promiscue dicuntur. Vid. Drakenb. ad Liv. 2, 37. Atque ita edidit Rhenanus (e Bud.). At edd. ante Rhen. Guelf. et MSS. alii *amissuro:* quod et ipsum bonum et aptum verbum est, intellecto *occasionem:* quamquam ejus ellipseos exemplum non memini me alibi reperire. Ern. *Amissuro* vitium est et male defenditur. Bip. subaudiunt *culpam.*

Citus equo Numida] Quis hic Numida? num inter auxilia Othonis ea gens? minime, sed inter obsequia. Ne fugiat enim te latens hic ex antiquo mos: quo receptum, ut viris lautioribus ditioribusque Afri aut Numidæ equites essent ad iter. Præcurrebant illi et agmen ducebant heri sequentis. Seneca epist. 88. (87.) *O quam cuperem Catoni nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via divitibus, cursores et Numidas et multum ante se pulveris agentem!* Idem expressius epist. 124. (123.) *Omnes sic jam peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat.* Martialis 10, 13. *Cum cathedralicios portet tibi rheda ministros, Et Libys in longo pulvere sudet eques.*

quibus Otho, increpita *Ducum segnitia, rem in discrimen* A. U. 823. A. C. 70.
mitti jubebat; æger mora et spei inpatiens. Eadem die, ad Cæcinam, operi pontis intentum, duo Prætoriarum cohortium Tribuni, conloquium ejus postulantes, venerunt. 41
Audire conditiones ac reddere parabat, cum præcipites exploratores, adesse hostem, nuntiavere. Interruptus Tribunorum sermo: eoque incertum fuit, insidias an proditionem, vel aliquod honestum consilium cœptaverint. Cæcina, dimissis Tribunis, revectus in castra, datum jussu Fabii Valentis pugnæ signum et militem in armis invenit. Dum legiones de ordine agminis sortiuntur, equites prorupere: et, mirum dictu, a paucioribus Othonianis quo minus in vallum inpingerentur, Italicæ legionis virtute deterriti sunt. ea strictis mucronibus, redire pulsos et pugnam resumere coegit. Disposita Vitellianarum legionum acies sine trepidatione: etenim, quamquam vicino hoste, adspectus armorum densis arbustis prohibebatur: apud Othonianos, pavidi Duces, miles Ducibus infensus, mixta vehicula et lixæ, et, præruptis utrimque fossis, via quieto quoque agmini angusta. Circumsistere alii signa sua, quærere alii: incertus undique clamor adcurrentium, vocitantium: et, ut

De tali igitur hic capies: quando et Principibus illi in usu. Ex Martiali, in adventum Domitiani 10, 6. *Quando eques et picti tunica Nilotide Mauri Ibitis? et populi vox erit una, venit?* Nec Suetonium aliter interpretemur (viderat sagacissimus Turnebus Adv. 24, 6. 30, 3.) in Nerone cap. 30. *Iter fecisse traditur phalerata cum Mazacum turba atque cursorum.* Nam Mazaces, Afri. LIPS.

Æger mora et spei impatiens] Talis in Homerico illo Hectore affectus Il. 22, 129.

Βέλτερον αὖτ' ἔριδι ξυνελαυνέμεν· ὄττι τάχιστα
Εἴδομεν, ὁπποτέρῳ κεν Ὀλύμπιος εὖχος ὀρέξῃ.

Et Polybii verissima gnome 3, 112. Βαρύτατος δὴ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁ τοῦ μέλλοντος γίνεται χρόνος. LIPS.

In vall. impingerentur] E Virgilio sumtum Æn. 5, 804: *cum Troia Achilles exanimata sequens impingeret agmina muris.* ERN.

Deterriti sunt] Sic recte editum a Ryckio et J. Gron. e Flor. Consentit Guelf. (Bud. Agr.) edd. vett. omnes, etiam Rhen. pr. Unde patet in sec. *territi sunt* esse vitium operarum, quando in notis nihil monet, ut alias in minutissimis correctionibus solet: et hinc ad alios propagatum. Sed mox bene edidit Rhen. (ex ing.) *ea strictis*, pro *quæ*. Ed. pr. *et str.* quod ex *ea* factum patet. ERN. Bud. *et astrictis.*

Disposita V. l. acies] Bud. *acie.* sic Put. Alc. Rhen.

Accurrentium, clamantium] Farnes. et priscæ editiones, *accurrentium, volantium;* Vatic. *vomantium,* ut omnino aliud hic verbi fuerit; placetque Pichenæ *vocitantium.* LIPS. Idque ab omnibus servatum, præter Ryckium, qui e cod. Agr. edidit *volitantium.* Sed recte, ut opinor, monuit contra J. Gronovius, accurrentes etiam volitasse. Ipse suspicatur *morantium.* Sed formidine cunctantes non solent clamores ciere. Ego ad præcedentia potius referam, quam ad sequentia. *Accurrentes* sunt, qui circumsistunt signa: alii quærunt signa, quod fit voce, clamore. Ei rei *vocitantium* sane aptum. Flor. habet *currentium. clamantium,* ut Guelf. edd. vett. usque ad Pichen. præter primam, quæ habet *volentium.* Copulam *que* (etenim erat *clamantiumque*) delevit bene Rhenanus: qui mox (e Bud.) malebat *postremamque.* ERN. Bud. *adcurrentium clamantium ut cuique.* Rhen. inseruit *et*, quod et priores edd. habent. J. Fr. Gron. Obs. 2, 4. voluerat *vocantium.* Boxh. *vitantium* scil. signa, quod nihili. Rhen. tamen servavit *postremamve.*

A. U. 823. A. C. 70. cuique audacia vel formido, in primam postremamve aciem prorumpebant, vel revehebantur. Adtonitas subito terrore mentes falsum gaudium in languorem vertit, repertis, qui

42 *descivisse a Vitellio exercitum* ementirentur. Is rumor, ab exploratoribus Vitellii dispersus, an in ipsa Othonis parte, seu dolo, seu forte surrexerit, parum compertum. Omisso pugnæ ardore, Othoniani ultro salutavere : et hostili murmure excepti, plerisque suorum ignaris, quæ caussa salutandi, metum proditionis fecere. tum incubuit hostium acies, integris ordinibus, robore et numero præstantior : Othoniani, quamquam dispersi, pauciores, fessi, prœlium tamen acriter sumpsere. et per locos, arboribus ac vineis inpeditos, non una pugnæ facies. cominus eminusque catervis et cuneis concurrebant : in aggere viæ conlato gradu corporibus et umbonibus niti, omisso pilorum jactu, gladiis et securibus galeas loricasque perrumpere : noscentes inter se, ceteris conspicui, in eventum totius belli certabant.

43 Forte inter Padum viamque, patenti campo, duæ legiones congressæ sunt : pro Vitellio unaetvicesima, cui cognomen *Rapaci*, vetere gloria insignis : e parte Othonis, prima Ad-

Revehebantur] Flor. *aut relabebantur.* Vitiose. Mox Flor. Agr. Guelf. edd. Put. Ber. *in ipsa o. p.* MS. Reg. Edd. pr. Rhen. sqq. sine *in* (ut in Bud.) Restituit Ryckius. Ern. *Revehebantur* Bud. Agr. et edd. vet. Præstat Flor. *relabebantur,* metaphora ducta, ut bene Bip. a mari tumultuoso.

Seu dolo] Ita Suet. Oth. 9.

Cominus eminusque] Sic ante Rhen. ed. pr. Flor. (Bud.) Agr. At Guelf. Harl. Put. Ber. *eminus.* Ern.

Umbonibus niti] Vocem, *niti,* ex Farnes. et Vatic. addidi : et vero abesse sine sententiæ incommodo non potest. Lips. Est et in (Flor. et) ed. pr. Mox *perrumpere* recte Rhen. (e Bud.) dedit, præcedit enim *niti.* Consentit Guelf. At edd. ante Rhen. omnes *perrupere.* Ern. Bud. et ex eo Rhen. omisere *niti,* habent tamen *perrumpere.*

Cæteris conspicui] MS. Bud. Agr. (Reg. Lall.) ed. pr. *ceteri.* Non sanum locum puto. Ern. Sensus : sibi invicem noti, in conspectu ceterorum pugnabant. Contra paullo supra *adspectus armorum densis arbustis erat prohibitus.* Put. Alc. Rhen. *ceteris,* recte.

Cui cognomen Rapaci] Non abs re arbitror, quoniam cognomina legionum sæpe Tacitus commemorat, veterem a me lapidem proponi, in quo ea ordine desculpta. Conspicitur autem Romæ in capitolio, forma columellæ :

NOMINA LEG.

II. AVGusta.	II. ADIVTRix.	IIII. SCYTHica.
VI. VICTRix.	IIII. FLAvia.	XVI. FLAvia.
XX. VICTRix.	VII. CLAVDia.	VI. FERRATensis.
VIII. AVGVsta.	I. ITALica.	X. FRETEnsis.
XXII. PRIMIgenia.	V. MACEDonica.	III. CYRENensis.
I. MINERVia.	XI. CLAVDia.	II. TRAIANA.
XXX. ULPia.	XIII. GEMina.	III. AVGusta.
I. ADIVTRix.	XII. FVLMinatrix.	VII. GEMina.
X. GEMina.	XV. APOLlinea.	II. ITALica.
XIIII. GEMina.	III. GALLicana.	III. PARTHica.
I. PARTHica.	II. PARTHica.	

Velim Dionis recensum legionum qui est 55, 23. cum hoc lapide conferri. a quo adjuti interpretes, paullo felicius sane eum vertissent. Lips. Legionum seriem explicat Brot. ad c. 6.

jutrix, non ante in aciem deducta, sed ferox et novi decoris A. U.
avida. Primani, stratis unaetvicesimanorum principiis, 823.
aquilam abstulere. quo dolore accensa legio, et inpulit rur- A. C.
sus primanos, interfecto Orphidio Benigno Legato, et plu- 70.
rima signa vexillaque ex hostibus rapuit. A parte alia, pro-
pulsa quintanorum inpetu tertiadecima legio: circumventi
plurium adcursu quartadecimani. Et, Ducibus Othonis
jam pridem profugis, Cæcina ac Valens subsidiis suos fir-
mabant. Accessit recens auxilium, Varus Alphenus cum
Batavis, fusa gladiatorum manu, quam, navibus transve-
ctam, oppositæ cohortes in ipso flumine trucidaverant. ita
victores latus hostium invecti. Et, media acie perrupta, 44
fugere passim Othoniani, Bedriacum petentes. Inmensum
id spatium: obstructæ strage corporum viæ. quo plus cæ-
dis fuit. neque enim, civilibus bellis, capti in prædam ver-
tuntur. Suetonius Paullinus et Licinius Proculus diversis iti-
neribus, castra vitavere. Vedium Aquilam, tertiædecimæ le-
gionis Legatum, iræ militum inconsultus pavor obtulit. mul-
to adhuc die vallum ingressus, clamore seditiosorum et fuga-
cium circumstrepitur: non probris, non manibus abstinent:
desertorem proditoremque increpant: nullo proprio crimine
ejus, sed more vulgi, suum quisque flagitium aliis objectan-
tes. Titianum et Celsum nox juvit, dispositis jam excubiis,
compressisque militibus, quos Annius Gallus precibus, con-
silio, auctoritate flexerat, *ne super cladem adversæ pugnæ
suismet ipsi cædibus sævirent. sive finis bello venisset, seu resu-
mere arma mallent, unicum victis in consensu levamentum.*
Ceteris fractus animus. Prætorianus miles, *non virtute se, sed
proditione victum,* fremebat. *Ne Vitellianis quidem incruen-
tam fuisse victoriam, pulso equite, rapta legionis aquila: su-
peresse cum ipso Othone militum quod trans Padum fuerit:
venire Mœsicas legiones: magnam exercitus partem Bedriaci
remansisse: hos certe nondum victos: et, si ita ferret, honestius*

Unaetvicesimanorum principiis] Aliquot libri, *principibus*, placet. Lips. Ut edd. Puteol. Beroald. (Alc.) Male. At Flor. Bud. Agr. Guelf. Reg. ed. pr. *principiis*, quod recte restituit Rhenanus (e Bud. *principis*). *Principia* intell. primam aciem: προμάχους Plutarchus (in Pyrrho 7.) vocat: quæ et alibi apud nostrum aliosque sic dicitur. V. Gron. obs. 4, 10. p. 156. Ern. Lipsius ipse errorem suum agnovit et emendavit de Mil. R. Dial. 4, 3. Mox *rursus* significat viceversa.

A parte alia] Sic Rhen. e Bud. prius legebatur *aperte*.

Trucidaverant] Moses du Soul ad Plutarchi Vit. (Oth. 12.) t. 5. p. 467. corrigit *trucidaverunt*. male. Ern.

Civilibus bellis] Sic Flor. (Bud.) ed. pr. Ryckius. J. Gron. Alii scr. et edd. (etiam Rhen.) *prœliis*. Contra 3, 19. *bellum* pro *prœlio* irrepsit. Ern.

Castra vitavere] Farnes. *castra petivere*. falso. Nam Plutarchus aperte Oth. 13. Τῶν δὲ στρατηγῶν οὔτε Πρόκλος, οὔτε Παυλῖνος, συνεισελθεῖν ἐτόλμησαν, ἀλλ' ἐξέκλιναν, φοβούμενοι τοὺς στρατιώτας. Lips. Bud. *vitavere*.

Et si ita ferret] Acidalius addi volebat *fors*. Frustra, intelligi potest vel hoc vel *res*. et sic jam vidimus A. 3, 15. Guelf. vitiose *fieret*, item ed. pr. *ferrent*. Ern.

A. U. *in acie perituros.* His cogitationibus truces aut pavidi, ex-
823. trema desperatione ad iram sæpius, quam in formidinem,
A. C. stimulabantur. At Vitellianus exercitus, ad quintum a Be-
70.
45 driaco lapidem consedit, non ausis Ducibus eadem die oppugnationem castrorum. simul voluntaria deditio sperabatur. Sed expeditis, et tantum ad prœlium egressis, munimentum fuere arma et victoria. Postera die, haud ambigua Othoniani exercitus voluntate, et, qui ferociores fuerant, ad pœnitentiam inclinantibus, missa legatio: nec apud Duces Vitellianos dubitatum, quo minus pacem concederent. Legati paullisper retenti. ea res hæsitationem adtulit, ignaris adhuc, an inpetrassent. Mox remissa legatione, patuit vallum. Tum victi victoresque in lacrimas effusi, sortem civilium armorum misera lætitia detestantes. Iisdem tentoriis alii fratrum, alii propinquorum, vulnera fovebant. Spes et præmia in ambiguo: certa, funera et luctus. nec quisquam adeo mali expers, ut non aliquam mortem mæreret. Requisitum Orphidii Legati corpus, honore solito crematur: paucos necessarii ipsorum sepelivere: ceterum
46 vulgus super humum relictum. Opperiebatur Otho nuntium pugnæ, nequaquam trepidus, et consilii certus. mæsta primum fama, dein profugi e prœlio perditas res patefaciunt. Non exspectavit militum ardor vocem Imperatoris. *bonum habere animum* jubebant. *superesse adhuc novas vires, et ipsos extrema passuros ausurosque.* neque erat adulatio. Ire in aciem, excitare partium fortunam, furore quodam et instinctu flagrabant. qui procul adstiterant, tendere manus, et proximi prensare genua; promptissimo Plotio Firmo. Is Prætorii Præfectus identidem orabat, *ne fidissimum ex-*

Munimentum fuere arma et victoria] Schelius ad Hyginum p. 128. inclinat eo, ut de genere munitionis capiat, extremi Imperii Romani temporibus usitati, qua armorum ordinibus circumdatis castra muniebant, de quo ibi vide. Sed additum *victoriæ* verbum aliud suadet: item antecedentia, e quibus patet, instrumenta ad muniendum necessaria defuisse. Tum loca ex antiquioribus prolata nil aliud indicant, quam in periculi metu, etiam si castra munita essent, noctu sub armis manere jussos. Ern.

Apud Duces Vitellianos dubitatum] Imo vero, *non dubitatum.* idque res et Plutarchus 13. suadent. Ideo optima lectio, quam ex Flor. adstruit Pichena: *missa legatio: nec apud Duces.* Lips. Ante erat in edd. omnibus, ut et in scr. (in his Bud.) *missa legatione apud d.* quod vitium e sequentibus natum, ubi *remissa legatione.* Ern. Flor. scil. habet *legatione. capud,* unde Pichena scite locum emendavit.

Et consilii certus] Rhen. malit *sed.* Sic in suo Mirandulano se reperisse venditat Lampugnanus, tacente Lipsio.

Furore quodam et instinctu flagrabant] Accipe dictum per hendiadys: *instinctu furoris,* furore quodam instincti. Cicer. Verr. 5, 72. *quodam furore instinctus.* Adde pro domo c. 55. In ed. pr. est *furoreque amenti instinctu*: unde facta videtur lectio cod. Agr. *furore quodam et amenti instinctu.* Eadem ed. (et Bud.) *prensare genua,* quod recepi. Ceteri (et Rhen.) *prehensare*; et deinde *promtissimus Plotius Firmus,* ut MS. Agr. Ern. Hendiadyn non agnoscunt Bip. sed *furorem* ad iram et vindictæ cupidinem, *instinctum* ad incredibilem amorem exercitus in Othonem, referunt. Dein *promtissimo Plotio Firmo* Bud. et editi.

Is Prætorii Præfectus] Duo Præfecti Prætorio sub Othone, Licinius Proculus

ercitum, ne optime meritos milites desereret: majore animo to- A. U.
lerari adversa, quam relinqui: fortes et strenuos etiam contra 823.
fortunam insistere spei; timidos et ignavos ad desperationem A. C.
formidine properare. Quas inter voces, ut flexerat vultum 70.
aut induraverat Otho, clamor et gemitus. Nec Prætoriani tantum, proprius Othonis miles, sed præmissi e Mœsia, *eandem obstinationem adventantis exercitus, legiones Aquileiam ingressas,* nuntiabant. ut nemo dubitet, potuisse renovari bellum atrox, lugubre, incertum victis et victoribus. Ipse 47
aversus a consiliis belli, *hunc,* inquit, *animum, hanc virtutem vestram ultro periculis objicere, nimis grande vitæ meæ pretium puto. Quanto plus spei ostenditis, si vivere placeret, tanto pul-*

et Plotius Firmus. Tacitus 1, 46. *Prætorii Præfectos sibi ipsi legere, Plotium Firmum e manipularibus quondam et Licinium Proculum.* Nec alios usquam nominat. Ut jure mirer, in hac Othonis morte Plutarchum commemorare Pollionem Prætorii Præfectum. Quod vix est ut sit sine mendo, verba ejus 18. Οἱ δὲ στρατιῶται, Πολλίωνος τοῦ ἑτέρου τῶν ἐπάρχων, ὀμνύειν εὐθὺς εἰς τὸν Οὐιτέλλιον κελεύσαντος, *etc.* malimque Πλωτίου. nisi huic Plotio etiam Pollionis cognomen, quod unum dici superest. Lips. Edd. ante Rhen. omnes præter Puteol. addunt *erat.* Beroaldus hæc verba in parenthesi exhibet. Unde suspicio est, Tacitum scripsisse: *et proximi prensare genua. Promtissimus Plotius Firmus (is Præt. Præfectus erat) identidem orabat.* Ern. Id *erat* Rhen. Bud. auctoritate delevit.

Majore animo tolerari] Hæc illa sunt, quibus jugulare Stoicos adversa omnis manus solet: pro quibus scutum habeo equidem, quod opponam, nisi Religio me vetet. In hanc mentem igitur et Lucanus 7, 105.—*fortissimus ille est, Qui promtus metuenda pati, si cominus instent, Et differre potest.* Illa virgo apud egregium vatem (intellego, qui Thebaida scripsit)—*non est, ut putas, virtus, pater, Timere vitam: sed malis ingentibus Obstare, nec se vertere, ac retro dare.* Sic et Cæsar 7, 77. et Q. Curtius 5, 9. Biberunt omnes e patera Aristotelis, cujus hoc scitum in Ethicis 3, 7. (11). Τὸ δ' ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἤ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ. Heu taceo! Lips.

Fortes et strenuos] Itaque Florus 4, 8. *Magnæ indolis signum est, sperare semper.* Lips.

Clamor et gemitus] *Clamorem* intellige lætantium, ubi flexerat vultum, tanquam obsecuturus militum studiis; *gemitum,* dolentium, ubi induraverat, tanquam mansurus in proposito tristi. Ed. pr. vitiose *induerat.* MS. Agr. *induruerat.* Ern. Ut 3, 61. Sed Bud. *induraverat.*

Præmissi e Mœsia] Præpositionem servant Flor. Guelf. edd. ante Rhen. restituitque Pichena. Ern. Omisit Rhen. auctore Budensi.

Legiones Aquileiam ingressas] De Mœsiæ legionibus tribus loquitur, de quibus hoc ipsum infra 85. *Aquileiam jam progressæ, rapta pecunia et inter se divisa, hostiliter egerunt.* Hoc eo noto, quod in Suetonio aliter legas, et dumtaxat *bina ex his legionibus millia præmissa,* Aquileiam venisse. in Vespas. 6. *Mœsiaci exercitus bina e tribus legionibus millia, missa auxilio Othoni, postquam iter ingressis nuntiatum est, victum eum ac vim vitæ suæ attulisse, nihilo secius Aquileiam usque perseveraverunt, quasi rumori minus crederent.* Et addit, metuentes ultionem de alio Imperatore cogitasse. Sed vereor, ut Suetonius alucinetur in *duobus millibus:* qui non e Mœsiacis, sed Pannonicis Dalmaticisque fuere. Ita enim idem Tacitus supra dixerat 11. *Læta Othoni principia belli, motis ad imperium ejus e Dalmatia Pannoniaque exercitibus. Fuere quatuor legiones, e quibus bina millia præmissa.* Nec apud Tacitum leges, de præmissis illis e legionibus Mœsiacis. Sane, si et rem vides, probabilius, tres ipsas legiones illa violenta et hostilia Aquileiæ ausas, et de Imperatore deliberasse, quam sola ex iis duo millia electa. Lips.

Ipse aversus] Ita Flor. Ven. Put. Alc. Contra *versus* Rhen. e Bud.

Tanto pulchrior mors erit] *Tanto,* auctore MS. Budensi, delevit Rhenanus; abestque et ab aliis: Harl. Bodl. Guelf.

A. U. 823. A. C. 70. *chrior mors erit. Experti invicem sumus, ego ac Fortuna. nec tempus computaveritis. difficilius est temperare felicitati, qua te non putes diu usurum. Civile bellum a Vitellio capit, et, ut de Principatu certaremus armis, initium illic fuit: ne plusquam semel certemus, penes me exemplum erit. hinc Othonem posteritas æstimet. Fruetur Vitellius fratre, conjuge, liberis: mihi non ultione, neque solatiis opus est. Alii diutius Imperium tenuerint: nemo tam fortiter reliquerit. An ego tantum Romanæ pubis, tot egregios exercitus, sterni rursus, et Reipublicæ eripi patiar? Eat hic mecum animus, tamquam perituri pro me fueritis. sed este superstites. nec diu moremur, ego incolumitatem vestram, vos constantiam meam. Plura de extremis loqui, pars ignaviæ est. præcipuum destinationis meæ documentum habete, quod de nemine queror. nam incusare Deos*

48 *vel homines, ejus est, qui vivere velit.* Talia locutus, ut cuique ætas aut dignitas, comiter adpellatos, *irent propere, neu remanendo iram victoris asperarent.* juvenes auctoritate, senes precibus movebat: placidus ore, intrepidus verbis, intempestivas suorum lacrimas coercens. *Dari naves ac vehicula*

nec est sane necessarium. subauditur enim etiam alibi. (Vide indicem.) Sed, quia est in Fl. Reg. edd. ante Rhen. omnibus cum Pichena et sequentibus servavi. Ern. Pichena tamen omissionem probat.

Experti invicem sumus, ego et fortuna] Fortunam Otho expertus erat, cum Imperium tam brevi duraturum accepisset: Othonem autem Fortuna, cum is recte modesteque imperasset, fortiterque abdicaret. Sic bene Pichena. Mox *nec* Flor. Guelf. edd. ante Rhen. Hic (e Bud.) edidit *ne*. Illud melius, beneque restitutum a Pichena. Ern.

Difficilius est temperare] Acute, ut solet, Statius hoc expressit Theb. 2, 446. *Non parcit populis Regnum breve.* Et est humanum ingenium scilicet avidum tunc et præceps. Lips. *Felicitati* aberat a MS. Bud. Mox pro *illic* Rhenanus (ex ingenio) malebat *illinc*. Bene, si libri juvarent. At etiam mox *penes me exemplum erit*, non *a me*. Ern. Frustra Rhen. *temperare* refert ad *Fortunam* vel subaudit *rei;* librarii incuria dativus deest. Bud. *illic* et *penes me*.

Mihi non ultione etc.] Refer ad præcedentia. nolo ulcisci Vitellium interficiendis fratre, conjuge, liberis, et ex hac ultione solatia mali petere. Ern.

Alii diutius Imperium tenuerint] Sic Flor. bene. nam sequitur, *reliquerit*. Consentit ed. pr. recepitque Pichena. Ceteri scr. (etiam Bud.) et edd. *tenuerunt*. *Reliquerit*, quod deleri vult Rhen. (duce Bud.) omnes scr. et edd. tuentur. nec abesse potest salva sententiæ elegantia. Ern. Ipse quoque Rhen. servavit in textu.

Plura de extremis loqui] Quem non capiunt hæc alia, ex intimo animorum et affectuum penetrali deprompta? et sunt assidua in nostro scriptore. Quinctilianus simile, Declam. 344. *Jam mihi narras moras. ipsum illud secretum quærere, et putare interesse, ubi pereas, non est ardentis in mortem impetus. Non fiunt ista, nisi subito, nec quisquam (præsertim nulla gravi præcedente caussa) spiritum ratione deposuit.* Etiam Ajax apud Sophoclem jam se interfecturus v. 852.

Ἀλλ' οὐδὲν ἔργον ταῦτα θρηνεῖσθαι μάτην·
Ἀλλ' ἀρκτέον τὸ πρᾶγμα σὺν τάχει τινί.
Ὦ Θάνατε, Θάνατε, νῦν μ' ἐπίσκεψαι μολών.

Lips.

Neu remanendo iram victoris asperarent] *Remanendo* Flor. Agr. Guelf. edd. ante Rhen. Hic (e Bud.) dedit *remorando*. Illud bene restituit Pichena. *Movebat* porro idem Flor. (Bud.) Guelf. idque auctoritati et precibus convenit, non *monebat*, quod (c. Agr. et) edd. ante Pichenam omnes habent. Ern.

abeuntibus jubet: libellos epistolasque, studio erga se aut in Vitellium contumeliis insignes, abolet: pecunias distribuit, parce, nec ut periturus. Mox Salvium Cocceianum, fratris filium, prima juventa, trepidum et mærentem, ultro solatus est, laudando *pietatem* ejus, castigando *formidinem: an Vitellium tam immitis animi fore, ut, pro incolumi tota domo, ne hanc quidem sibi gratiam redderet? mereri se festinato exitu clementiam victoris. Non enim ultima desperatione, sed poscente prœlium exercitu, remisisse Reipublicæ novissimum casum. Satis sibi nominis, satis posteris suis nobilitatis quæsitum. post Julios, Claudios, Servios, se primum in familiam novam Imperium intulisse. proinde erecto animo capesseret vitam, neu, patruum sibi Othonem fuisse, aut oblivisceretur unquam, aut nimium meminisset.* Post quæ, dimotis omnibus, paullum requievit. atque illum, supremas jam curas animo volutantem, repens tumultus avertit, nuntiata consternatione ac licentia militum. namque abeuntibus exitium minitabantur; atrocissima in Verginium vi, quem, clausa domo, obsidebant. increpitis seditionis auctoribus, regressus, vacavit abeuntium adloquiis, donec omnes inviolati digrederentur. Vesperascente die, sitim haustu gelidæ aquæ sedavit. tum adlatis pugionibus

A. U. 823. A. C. 70.

49

Aut in Vitellium] *In* est in Flor. (et Agr.) edd. ante Rhen. omnibus. Restituit Ryckius, quem cum Jac. Gron. secuti sumus. Ern. Male Rhen. sustulerat, auctore Bud. Hic error ex simili prima syllaba vocis seq. ortus.

Salvium Cocceianum fratris filium] Melius ita, quam *Cocceium*, quod Plutarchus præfert c. 16. Nam et Tranquillus ita appellat in Domit. 10. ubi narrat hunc interfectum. At Suetonius non fratris solum filium, sed ipsum hic fratrem præsentem facere videtur: contra Taciti et Plutarchi narrationem aperte. Nam ille in castra evaserat e pugna, seque cum aliis dediderit. Suetonii tamen verba Oth. 10. *Fratrem igitur, fratrisque filium et singulos amicorum cohortatus.* quæ profecto non vera, si verus Tacitus. Lips.

Laudando—formidinem] Hæc delenda putat Mendoza ep. ad Lips. t. 2. Coll. Burm. p. 59. Ern.

Servios] Sic Bud. sic et Put. sed Alc. et alii *Sergios*, quod falsum esse ostendit Spanhem. de Usu et Pr. NN. diss. 10. c. 1. p. 29.

Neu patruum sibi Othonem] Plut. l. c. μήτ' ἐπιλαθέσθαι παντάπασι, μήτ' ἄγαν μνημονεύειν, ὅτι Καίσαρα θεῖον ἔσχες. Non audiemus Beatum, qui verbum, *nimium*, auctore Budensi codice delet, et una sententiæ acumen. Totum id enim in eo, sicut et in Plinii loco fuerat epist. 3, 14. quem depravarunt: *Largius Macedo, superbus alioqui et sævus dominus, et qui, servisse patrem suum, parum imo minimum meminisset.* Tu scribe: *nimium meminisset.* Lips. Habent omnes scr. et edd. *nimium.* Ern. Rhen. etiam in textu reliquit.

Post quæ] MS. Reg. (Bud.) Guelf. ed. pr. Put. Ber. (Alc.) *Postquam.* ed. pr. *postque.* Mox Rhenanus edidit, *jam supremas curas agentem*, e Budensi MS. Vulgatum omnes reliqui scr. (etiam Flor.) et edd. ante. Restituit Pichena. Contra bene Rhenanus mox *exitium* dedit (e Bud.) pro *exitum:* quæ verba sæpe confunduntur. *Exitium* Flor. Guelf. ed. pr. Ern. De initio periodi contraria ex ed. pr. adfert Ern. Doleo, mihi non esse istam ad manus. Videant, quibus id contigerit. Forsan dare volebat *ed. Rh. post quæ*, nam sic illa.

Vesperascente die] Farnesiano est, *vesperante.* quod verum arbitramur. Agellius 17, 8. *Ubi jam vesperaverat.* Lips.

Allatis pugionibus] Vocem addunt aliquot libri, *pugionibus duobus.* atque ita Plutarchus 17. δυοῖν ὄντων αὐτῷ ξιφῶν. Lips. Recte. Sic Flor. Guelf. ed. Puteol. (et Alc.) unde bene editum a Pichena,

A. U. 823. A. C. 70. duobus, cum utrumque pertentasset, alterum capiti subdidit. et explorato, jam profectos amicos, noctem quietam, utque adfirmatur, non insomnem egit. Luce prima, in ferrum pectore incubuit. ad gemitum morientis ingressi liberti servique et Plotius Firmus, Prætorii Præfectus, unum vulnus invenere. Funus maturatum. ambitiosis id precibus petierat, *ne amputaretur caput, ludibrio futurum*. Tulere corpus Prætoriæ cohortes, cum laudibus et lacrimis, vulnus manusque ejus exosculantes. Quidam militum, juxta rogum interfecere se; non noxa, neque ob metum, sed æmulatione decoris et caritate Principis. ac postea promiscue Bedriaci, Placentiæ aliisque in castris, celebratum id genus mortis. Othoni sepulcrum exstructum est modicum et mansurum.

50 Hunc vitæ finem habuit septimo et tricesimo ætatis anno. Origo illi e municipio Ferentino. Pater Consularis: avus Prætorius: maternum genus inpar, nec tamen indecorum. pueritia ac juventa, qualem monstravimus. duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio, tantundem apud posteros meruit bonæ famæ, quantum malæ. Ut conquirere fabulosa, et fictis oblectare legentium animos, procul gravitate cœpti operis crediderim: ita vulgatis traditisque

ut mox *utrumque*, pro *utrinque*, quod est etiam in ed. pr. Voluit etiam Rhenanus in textum inseri, sed operæ non paruere: neque id vitium editores posteri animadvertere. Ern. In Bud. deest *duobus*, nec Rhen. expressit, sed dedit *utrumque*.

Pertentasset] Edd. quædam *prætentasset*, e conjectura non absurda, sed non necessaria. Ern. Bud. *temptasset*.

Ambitiosis precibus] h. e. summis, accuratissimis. Ambitio est maxime in commemoratione accurata eorum, quibus movere possumus in precando, in primis meritorum ac beneficiorum, item submissione quadam petentis. Sic Cicero ep. 3, 7. *ambitiosius facere soleo, quam dignitas mea postulat*: h. e. demissius, studiosius. Aliter *ambitiosæ rogationes* dictæ Cicer. l. c. 6, 12. Hæc tironibus dicta. Ern.

Non noxa] Bip. legunt *non nexu*, ingeniose, hoc sensu: non quod beneficio *nexi* vel obligati fuissent Principi, quales beneficiarii milites. Sic Cic. ad Fam. 7, 30. *cujus proprium te esse scribis mancipio et nexu*. In vulgato consentiunt codices. Intellige: non quod *noxæ* sive culpæ, admissæ in Othonem, sibi essent conscii.

Aliisque in castris] Bud. et inde Rhen. *aliis*. Ex Flor. Pichena copulam restituit.

Tricesimo ætatis anno] Suetonius anno XXXVIII. interfectum dicit. Pro Tacito pugnant Savilius et Ryckius, qui apud Suetonium vult rescribi XXXVII. Rationes utriusque veræ. Sed, cum pauci admodum dies defuerint anno 37mo, facile potuit Suetonius annum pro pleno sumere, et anno 38. mortuum dicere. Ern.

E municipio Ferentino] In Flor. est *Ferentio*, quod ipsum quoque rectum est. Ceteri scr. (in his Bud.) et edd. (non demum Beroaldus) *Ferentino*. In MS. Guelf. plane non est a manu pr. sed sec. addidit in marg. Porro ed. pr. *a municipio*. Ceterum intelligenda origo familiæ, non natales Othonis. Ern.

Maternum genus impar] Quomodo? si splendidissima ea fæmina fuit, Suetonio testante? Scribit enim de patre Othonis: *Ex Albia Terentia splendidissima femina duos tulit filios*. Sed melior ibi scriptura, *splendida femina*: quam ex opt. libro Torrentius adnotavit, idque non aliud quam ordinem Equestrem proprie notat. Lips. Quasi non et Equites *splendidissimi* dici possent, si qui ditiores, antiquis familiis Equestribus nati. Atticum quis dubitet splendidissimum vocare? Ern.

Qualem monstravimus] Vide 1, 13.

demere fidem non ausim. *Die, quo Bedriaci certabatur, avem* A. U.
invisitata specie apud Regium Lepidum celebri loco consedisse, 823.
incolæ memorant, *nec deinde cœtu hominum, aut circum-* A. C.
volitantium alitum, territam pulsamve, donec Otho se ipse 70.
interficeret: tum ablatam ex oculis: et tempora reputantibus, initium finemque miraculi cum Othonis exitu competisse.

In funere ejus, novata luctu ac dolore militum seditio. 51
nec erat, qui coerceret. Ad Verginium versi, modo, *ut reciperet Imperium,* nunc, *ut legatione apud Cæcinam ac Valentem fungeretur,* minitantes orabant. Verginius, per aversam domus partem furtim degressus, inrumpentes frustratus est. Earum, quæ Brixelli egerant, cohortium preces Rubrius Gallus tulit. Et venia statim inpetrata, concedentibus ad victorem, per Flavium Sabinum, iis copiis, quibus præfu-
erat. Posito ubique bello, magna pars Senatus extremum 52
discrimen adiit, profecta cum Othone ab urbe, dein Mutinæ relicta. illuc adverso de prælio adlatum. sed milites, ut falsum rumorem adspernantes, quod infensum Othoni Senatum arbitrabantur, custodire sermones, vultum habitumque trahere in deterius: conviciis postremo ac probris caussam

Avem invisitata specie] Sic bene e Flor. edidere Ryckius, et Gronovius. Ceteri libri omnes *inusitata:* solenni aberratione librariorum et editorum, de qua sæpe viri docti, dum id verbum restituunt veteribus scriptoribus, egere. Græv. ad Sueton. Aug. 43. et quos ibi laudat Burm. Drakenb. ad Livium sæpe (ut 27, 39.). Pro *specie* ed. pr. habet *facie.* ERN. Bud. *specie.* Sic et Put. Alc. Rhen.

Apud Regium Lepidum celebri luco consedisse] Sic Flor. Bud. Guelf. ed. pr. Rhen. seqq. At Puteol. Ber. Alc. et margo MS. Harl. *vico.* quod verum puto. *Celeber lucus* non aliter dicitur, nisi ab arboribus, ut ap. Ovidium Am. 3, 5, 3. *celeberrimus ilice lucus:* de quo ad Sueton. Nam hominibus luci neque sacri neque profani celebres sunt: nec ibi cœtus fiunt. At *vici celebres* recte dicuntur. Sueton. Aug. c. 1. *Vicus celeberrima parte oppidi.* Nec profecto *vico* est a librariis. *Loco* fecissent citius, quod Colero placebat, quam *vico.* Ut e *vis* subinde factum est *jus*, ita e *vico* factum primum *juco,* hinc *luco.* Secutus est exemplum nostrum Broterius. Mox MSS. quidam et ed. Puteol. *alituum.* ERN. Cum Bip. reposui *loco,* quod ad cod. scriptos propius accedit.

Nec deinde cœtu hom.] Rhen. e Bud. sic: *nec deinde cœtu hominum circumvolitantem alitem.*

Per aversam domus partem furtim degressus] Sic edidit J. Gron. et ex parte Ryckius. *Partem* MSS. Flor. Reg. Guelf. Harl. Agr. ed. pr. et sic alibi loquitur Tacitus, ut docuit jam Acidalius. et sic voluerat Muretus (ut 3, 70.). *Portam* edidit Puteol. (Alc. Rhen.) non minus bonum, et quod sola Florentini auctoritate superatur. Est et in MS. (Bud.) Bodl. et margine Harl. Mox *degressus* non *digressus.* recte idem Flor. sed vitiose cum Guelf. Agr. ed. pr. *adversam,* ut supra *adversari* pro *aversari* scribi vidimus a librariis H. 1, 38. ERN. Bud. Put. Alc. *digressus.* sed iidem *aversam,* ut Flor. etiam infra 3, 85.

Concedentibus ad victorem] Freinsh. aut excidisse aliquid putat, aut interpunctionem mutandam, puncto post *impetrata* posito, et copula *et* ante *posito.* Non putem. Etiam hoc voluit ad veniam impetrandam, quod etiam eæ copiæ ad victorem transirent, quibus Sabinus præfuerat. Nam in *posito* haud dubie initium novæ narrationis de periculo Senatus. Mox *adverso de prælio* Flor. Guelf. Agr. edd. primæ, haud dubie mollius, quam *de adv. pr.* ut (e Bud.) edidit Rhen. cum seqq. usque ad Ryckium. ERN. Æque impetrata venia per Flavium Sab. suis copiis ac per Rubrium G. agentibus Brixelli. Sic bene Bip. Mox Bud. male *profecto tum.* Dein idem *postremo.*

A. U. et initium cædis quærebant: cum alius insuper metus Se-
823. natoribus instaret, ne, prævalidis jam Vitellii partibus, cun-
A. C. ctanter excepisse victoriam crederentur. ita trepidi et
70. utrimque anxii coeunt: nemo privatim expedito consilio,
inter multos societate culpæ tutior. Onerabat paventium
curas Ordo Mutinensis, *arma et pecuniam* offerendo, adpel-
53 labatque *Patres Conscriptos*, intempestivo honore. Notabile
jurgium inde fuit, quo Licinius Cæcina Marcellum Eprium,
ut ambigua disserentem, invasit. Nec ceteri sententias ape-
riebant: sed invisum memoria delationum, expositumque
ad invidiam, Marcelli nomen inritaverat Cæcinam, ut
novus adhuc, et in Senatum nuper adscitus, magnis inimi-
citiis claresceret. Moderatione meliorum dirempti. Et
rediere omnes Bononiam, rursus consiliaturi: simul, medio
temporis, plures nuntii sperabantur. Bononiæ, divisis per
itinera, qui recentissimum quemque percunctarentur, inter-
rogatus Othonis libertus *caussam digressus*, *habere se suprema
ejus mandata* respondit: *ipsum viventem quidem relictum, sed
sola posteritatis cura et abruptis vitæ blandimentis.* Hinc
admiratio et plura interrogandi pudor: atque omnium ani-
54 mi in Vitellium inclinavere. Intererat consiliis frater ejus
L. Vitellius, seque jam adulantibus offerebat, cum repente
Cœnus, libertus Neronis, atroci mendacio universos per-

Societate culpæ tutior] Puto, *tutiores*. Lips. MS. Agr. *tutiore* sc. societate: idque edidit Ryckius. Sed ita friget *inter multos*. Intell. *quisque* e *nemo*. Ern. Bud. *tutior*. sic et Put. Alc. Rhen.

Ordo Mutinensis] Id est, Decuriones Mutinensium, sive Senatus, qui in municipiis et coloniis simpliciter *ordo* vocabatur. Mox pro *conscriptos* MS. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. male *consultos*, quod e compendio scribendi natum est. Ern. Bud. et inde Rhen. *conscriptos*.

Notabile inde jurgium fuit] Ryckius e cod. Agr. edidit, *Notabile in Verginium fuit, quod.* estque sic et in MS. Reg. male. nec commodus inde sensus nascitur. Vulgatum verum. *Cæcina* autem qui sit, propterea quod plures memorantur, definire difficile est. A C. quidem Cæcina Largo Consule, et P. Cæcina Largo A. 11, 33. diversus est. Ern. Cum cod. Agr. fere facit cod. Flor. Bud. vulgatum tenet, quod servant bene editores recentiores.

Inritaverat C.] Lallem. cum Acidalio mallet *invitaverat*.

Rursus consiliaturi] Non muto. Horatius eo verbo usus Ode 3, 3, 17. *Gratum elocuta consiliantibus Junone Divis*, et alii. Lips. Ryckius e cod. suo edidit *consulturi*. Præferrem scripturam Guelf. *consultaturi*, quæ propius ad vulgatum accedit, estque et in MS. Harl. Bodl. etc. In hoc verbo alteram syllabam subinde *si* scribi in MSS. supra jam vidimus ad Ann. 3, 46. inde reliqua depravatio nasci potuit. Sed *consiliaturi* verum puto. idque verbum male negat probum esse Ryckius. V. Davies ad Cæs. B. C. 1, 19. ubi, ut et c. 73. eadem variatio librorum: sed *consiliandi* et *consiliantibus* recte retinetur. Ceterum verbum *consiliare* subinde a librariis Longobardicis illatum libris docent MSS. Livii, in quibus non uno loco nonnulli id verbum exhibent. V. Drakenb. ad Epit. 125. Ern. *Consiliaturi* firmatur cod. Flor. Bud. Reg. Lall. Sed Rhen. volebat *consiliaturi*, ut A. 3, 46. 6, 36. in textu autem posuit *consultaturi*, ex ingenio, ut videtur. Pro vulgato facit et Hor. art. Poet. 196.

Sola posteritatis cura] Non, quomodo vitam Imperiumque conservaret, sed quomodo posteris laudaretur, curantem, h. e. mori fortirer meditantem. Ern.

Se. j. adul. offerebat] i. parabat, ostendebat, se paratum, audire et accipere adulationes. Ern.

Cœnus lib. Ner.] Sic Flor. aliique MSS. *Cænus* Guelf. *Comenus* ed. pr.

culit, adfirmans, *superventu XIV. legionis, junctis a Brixello* A.U.
viribus, cæsos victores, versam partium fortunam. Caussa fin- 823.
gendi fuit, ut diplomata Othonis, quæ negligebantur, lætiore A. C.
nuntio revalescerent. Et Cœnus quidem rapide in urbem 70.
vectus, paucos post dies jussu Vitellii pœnas luit. Senatorum periculum auctum, credentibus Othonianis militibus vera esse, quæ adferebantur. Intendebat formidinem, quod publici consilii facie discessum Mutina, desertæque partes forent. Nec ultra in commune congressi, sibi quisque consuluere: donec missæ a Fabio Valente epistolæ demerent metum. Et mors Othonis, quo laudabilior, eo velocius
audita. At Romæ nihil trepidationis: Cereales ludi ex 55
more spectabantur. *Ut cessisse vita Othonem, et a Flavio Sabino, Præfecto urbis, quod erat in urbe militum sacramento Vitellii adactum,* certi auctores in theatrum adtulerunt, *Vitellio* plausere: populus cum lauru ac floribus Galbæ imagines circum templa tulit, congestis in modum tumuli coronis, juxta lacum Curtii, quem locum Galba moriens sanguine infecerat. In Senatu cuncta, longis aliorum Principatibus composita, statim decernuntur. Additæ *erga*

Ceteræ *Cenus* usque ad Pichenam (sic et Bud.) Mox pro *perculit* legendum *pertulit* vel *percussit.* Mendacium non percellit, sed percutit; ut hodie sciunt omnes. Sed sæpe verba hæc permutata sunt. V. infra 3, 36. Ern. Bud. *pertulit.* male.

Cæsos victores] Desunt hæc in Bud.

Diplomata Othonis] Ad cursum publicum ea spectant et a Principe dabantur. Si ergo ille mortuus, quis pareret? Sed de diplomatis plene alibi: nunc Suetonii locum *παρέργως* emendemus Calig. 38. *Prolata Divorum Julii et Augusti diplomata, ut vetera et obsoleta deflebat.* Cur deflebat? aut qui id convenit? vidi qui *delebat*, vellet. Ego, *deflabat*, vel *difflabat*, verum contendo. non enim alio gestu melius expresseris superbum habitum illum contemnentis et respuentis. Eaque difflatio etiam in nostris hodie moribus, ubi elevamus quid aut aspernamur. Lips. De diplomatum usu v. Plin. ep. 10, 14, 54, 121.

Rapide in urbem vectus] MSS. Flor. Bud. Agr. ed. pr. *rapidum urbem:* unde Rhenanus conjiciebat, *rapide in urbem vectus.* Id cum MSS. Guelf. Bodl. et alii ap. Broterium, clare exhibeant, recepi: non, quod id Taciti esse pro certo audeam dicere: sed quod malim edere, quod in libris scr. esset, quam meram Puteolani conjecturam *rapidus*, quæ vulgo (et a Rhen.) editur. Nec displicet J. Gron. correctio, *raptim in urbem vectus* (ut H. 3, 18.) aut Ryckii *rapidius* ex H. 4, 71. *rapide* pro festinanter, raptim: et *rapidus cursus* dicitur. Ern.

Jussu Vitellii] Hæc verba delebat Muretus, forsan ob suspicionem glossematis.

Publ. consilii facie] h. e. ita, ut non terrore subito, aut, dum sibi quisque privatim consulit, sed publico consilio decretus discessus videretur. Ern.

Cereales ludi] Mors Othonis incidit in XII. Kal. Maias, computatione satis certa, imperavitque XCV. dies. Atqui supra notavi (15, 53. in conjuratione Pisoniana.) *Cereris ludos* pridie Idus Apriles datos in circo. Quod verum est, sed in plures nempe dies, et ad hoc fere tempus productos, ex hoc loco constet. Adde, quæ supra scripsi. Lips.

Sacramento Vitellii] MSS. et edd. ante Rhen. *in sacr.* Latinitate postulante Rhenanus delevit *in.* Recte. Natum est e finali præcedentis verbi, ut alibi apud nostrum et alios. J. Gronovius mirificus est, ut divinitatem MS. Flor. tueatur, qui, ut ait, nil molitur inepte. Ern. Rhen. emendavit ex ingenio, ut infra legitur c. 79. Bud. *in sacramento.* Agr. *in sacramenta,* quod verum putat Ryckius. J. Gron. dabat *iri sacr. V. adactum.*

Quem locum] Cf. H. 1, 41.

A. U. 823. A. C. 70. *Germanicos exercitus laudes gratesque*, et missa legatio, quæ gaudio fungeretur. Recitatæ Fabii Valentis epistolæ, ad Consules scriptæ haud inmoderate: gratior Cæcinæ mode-
56 stia fuit, quod non scripsisset. Ceterum Italia gravius atque atrocius, quam bello, adflictabatur. dispersi per municipia et colonias Vitelliani, spoliare, rapere, vi et stupris polluere: in omne fas nefasque avidi aut venales, non sacro, non profano abstinebant. Et fuere, qui inimicos suos, specie militum, interficerent. Ipsique milites, regionum gnari, refertos agros, dites dominos, in prædam, aut, si repugnatum foret, ad excidium destinabant: obnoxiis Ducibus et prohibere non ausis. minus avaritiæ in Cæcina, plus ambitionis: Valens, ob lucra et quæstus infamis, eoque alienæ etiam culpæ dissimulator. Jam pridem adtritis Italiæ rebus, tantum peditum equitumque, vis damnaque et
57 injuriæ, ægre tolerabantur. Interim Vitellius, victoriæ suæ nescius, ut ad integrum bellum, reliquas Germanici exercitus vires trahebat. Pauci veterum militum in hibernis relicti, festinatis per Gallias delectibus, ut remanentium legionum nomina supplerentur. Cura ripæ Hordeonio Flacco permissa: ipse e Britannico delectu octo millia sibi adjunxit. et, paucorum dierum iter progressus, *prosperas*

Quæ gaudio fung.] Heins. conjicit, *quæ laude defungeretur.*

Haud inmoderate] Sic edidi e MS. Guelf. edd. pr. Puteol. Ber. Prima (et 2da) Rhen. editio exhibet *immoderatæ:* utrum e correctione Rhen. an vitio operarum, non satis scio. hoc tamen credo, quia nil in notis admonuit. Et tamen id omnes sequentes edd. servarunt. Ern. Bud. *inmoderate*, sed frequens ibi *e* simplex pro *e* caudato sive diphthongo ponitur. Rhen. ergo ex ingenio mutavit. Alc. *immoderatæ*. Adverbium ex ed. Veneta laudat Freinsh.

Gratior Cæcinæ modestia] Quid ita? quia invaluerat jam illo ævo, ut publice nemo, id est, ad Consules aut Senatum scriberet, præter Principem: alii autem omnes, ad istum. Itaque superbe se gessisse Valens visus, qui id fecit: modeste Cæcina, qui omisit. Tale illud H. 4, 4. de Muciano: *Miserat et epistolas ad Senatum, quæ materiem sermonibus præbuere. Si enim privatus esset, cur publice loqueretur?* Lips.

In omne fas nefasque] In quodnam fas avidi? aut quod genus dicendi, in fas avidi? Debebat esse *in omne nefas avidi*. Et omnia, quæ sequuntur, sunt nefaria. Sed videtur *fas nefasque* velut e formula dictum esse in tali sententia, nec verbum *fas* ad vivum resecandum. Ern.

Plus ambitionis] i. e. avaritiæ et rapinarum quidem nulla conscientia erat, quæ debilitaret prohibere conantem, sed cupiebat tamen apud milites gratiosus esse, eorumque gratiam captabat. Ern.

Tantum peditum equitumque, vis] Si attendis, haud difficulter mecum fatebere, illud *tantum* a glossographo esse, legesque: *peditum equitumque vis, damnaque*, etc. *Vis* pro multitudine et copia, tritum. Lips. Licet intelligere, *eorum vim*, i. e. sævitiam, aviditatem. Acidalius *tanta p. e. vis*, malebat Lipsiano: cui favet MS. Guelf. *tamen peditum equitumque vis*, sed in vulgato acquiescebat. Bene. Ern. Sic et Pich.

Reliquas G. ex. vires] Bud. *reliquias G. exercitus trahebat.*

Remanentium legionum nomina] Acidalius suspicatur *numeri* legendum. Ern.

Cura belli Hordeonio] Verissime e Flor. corrigunt *cura ripæ*. Nempe Rheni, et ne Germani transirent. Lips. Sic primus edidit Pichena. Ceteri scr. et edd. *belli*. Ern. Bud. *Phordeonio.* num *P. Hordeonio?* Sed illud *p* indicat aliam lectionem. nam et in Flor. est *curari pe Hord.* unde Pichenæ emendatio scita.

apud Bedriacum res, ac morte Othonis concidisse bellum, accepit. Vocata concione, virtutem militum laudibus cumulat. Postulante exercitu, *ut libertum suum, Asiaticum, Equestri dignitate donaret,* inhonestam adulationem compescuit. Dein, mobilitate ingenii, quod palam abnuerat, inter secreta convivii largitur; honoravitque Asiaticum anulis, fœdum mancipium et malis artibus ambitiosum. Iisdem 58 diebus, *accessisse partibus utramque Mauretaniam, interfecto Procuratore Albino,* nuntii venere. Luceius Albinus, a Nerone Mauretaniæ Cæsariensi præpositus, addita per Galbam Tingitanæ provinciæ administratione, haud spernendis viribus agebat. XVIIII. cohortes, quinque alæ, ingens Maurorum numerus aderat, per latrocinia et raptus apta bello manus. Cæso Galba, in Othonem pronus, nec Africa contentus, Hispaniæ, angusto freto diremptæ, inminebat. Inde Cluvio Rufo metus: *et decimam legionem propinquare litori,* ut transmissurus, jussit: præmissi Centuriones, qui Maurorum animos Vitellio conciliarent. neque arduum fuit, magna per provincias Germanici exercitus fama. Spargebatur insuper, *spreto* Procuratoris *vocabulo, Albinum insigne Regis,* et Jubæ *nomen usurpare.* Ita mutatis animis, Asinius Pollio, 59 alæ Præfectus, e fidissimis Albino, et Festus ac Scipio, cohortium Præfecti, opprimuntur. Ipse Albinus, dum e Tingitana provincia Cæsariensem Mauretaniam petit, adpulsus litori, trucidatur. uxor ejus, cum se percussoribus obtulisset, simul interfecta est: nihil eorum, quæ fierent, Vitellio anquirente. brevi auditu quamvis magna transibat, inpar curis

A. U. 823. A. C. 70.

Inhonestam adulationem compescit] Rhenanus (e Bud.) reposuit *compescuit.* Male. Istud MSS. Flor. Guelf. (Reg. Lall.) Agr. edd. ante Rhen. omnes. Et sequitur *largitur.* Quamquam et alibi præsens, perfectum, imperfectum apud nostrum eodem loco se excipiunt; tamen ista varietas non inferenda sine consensu bonorum et veterum librorum. Ern. Sed et hic mox occurrit *honoravitque.* Pro *adulationem* Agr. *petitionem.* Ceterum exemplum simile in Icelo habes H. 1, 13. Cf. Cannegieter de mut. nom. Rom. rat. sub Princip. c. 13. Mox Bud. *Isdem,* ut solet. Dein idem male *abscessisse.*

XVIIII cohortes, quinque alæ] In Flor. (Bud. Agr.) ed. pr. legitur, *decemnovem cohortes:* unde Ryckius edidit *XIX.* J. Gronovius *novendecim* inversis syllabis. MS. Guelf. *XIIII.* excidit *V.* Puteol. *XVIIII.* At in ed. Beroaldi aberratum, et editum *XVIII,* quod ad omnes propagatum. Librarius Florentini, dum vult numerum verbis exprimere, ab elegantiori ratione aberravit. Ern.

In Othonem pronus] Sic bene Rhenanus edidit. MSS. et edd. ante *in Othone.* Ern. Sic et Bud.

Albinum ins. R. etc.] Agr. *Albinus.* Mox Bud. *et fidissimus.*

Appulsus littori trucidatur] Sic MSS. Flor. Guelf. edd. Puteol. Ber. At edd. pr. Rhen. (e Bud.) sqq. *trucidatus.* Illud restituit Lipsius. Ern. Flor. et Agr. *appulsu litoris.*

Nihil Vitellio anquirente] Merito id verbum reposui, cum in MSS. repperissem, *acquirente. Anquiro* enim pro inquiro, sive potius valde quæro, veteri et proba nota signatum verbum est, Ciceroni, Varroni, aliisque crebro usurpatum, crebro corruptum. Lips. *Anquirente* plane MS. Flor. At ed. pr. *acquirente.* Ante erat *inquirente,* ut est in MS. Guelf. (Bud.) et aliis ap. Broterium. Ern. Sic et Put. Alc. Rh.

Quamvis magna transibat] Flor. *breve auditu vi quamvis magna transibant.* Sic et ed. pr. *Transibant* etiam MS. Guelf. Vulgatum verum est. Acidalius conjiciebat *transmittebat.* Si quid tentandum foret, mallem *transigebat,* quod

A. U. 823. A. C. 70. gravioribus. *Exercitum itinere terrestri pergere* jubet: ipse Arare flumine devehitur, nullo Principali paratu, sed vetere egestate conspicuus: donec Junius Blæsus, Lugdunensis Galliæ Rector, genere inlustri, largus animo et par opibus, circumdaret Principi ministeria, comitaretur liberaliter; eo ipso ingratus, quamvis odium Vitellius vernilibus blanditiis velaret. Præsto fuere Lugduni victricium victarumque partium Duces. Valentem et Cæcinam, pro concione laudatos, curuli suæ circumposuit. Mox *universum exercitum occurrere infanti filio* jubet: perlatumque et paludamento opertum sinu retinens, *Germanicum* adpellavit, cinxitque cunctis fortunæ Principalis insignibus. nimius honos inter

60 secunda, rebus adversis in solatium cessit. Tum interfecti Centuriones promptissimi Othonianorum: unde præcipua in Vitellium alienatio per Illyricos exercitus. Simul ceteræ legiones contactu, et adversus Germanicos milites invidia, bellum meditabantur. Suetonium Paullinum ac Licinium Proculum, tristi mora squalidos tenuit, donec auditi, necessariis magis defensionibus quam honestis uterentur. Proditionem ultro inputabant: *spatium longi ante prœlium itineris, fatigationem Othonianorum, permixtum vehiculis agmen, ac pleraque fortuita, fraudi suæ* adsignantes, et Vitellius credidit de perfidia, et fidem absolvit. Salvius Titianus, Othonis frater, nullum discrimen adiit, pietate et ignavia excusatus. Mario Celso Consulatus servatur. sed creditum fama, objectumque mox in Senatu Cæcilio Simplici, *quod*

eleganter dicitur in hac sententia. Sed *transire* quoque bonum est, et pro *transigere* dicitur. V. Cort. ad Sallust. Cat. c. 1. init. Mox *paratu*, quod Rhen. (e Bud.) pro *apparatu* edidit, est etiam in ed. pr. Ern. Bud. cum Flor. conspirat, sed pro *vi* habet *in*. Sic et Agr. nisi quod hic *transibat*. Bip. ex *auditu* et particula ista superflua fecere *auditione* et recepere *transibant*. Tum *impar curis* ad sequentem periodum rejiciunt. Mihi vulg. placet.

Circumdaret Principi ministeria] Ego, priusquam scirem, ab interpolatione Rhenani sic legi, corrigebam *Principis*. Sic enim omnino legendum. *Circumdaret* puta Vitellio *ministeria Principis*, qualia scilicet Princeps Romanus habere circa consuevit. Sic H. 1, 58. *ministeria Principatus per libertos agi solita*. Gron. Restitui *Principis*, quod etiam Guelf. habet. *Principi* est in Flor. (Bud.) edd. pr. Rhen. seqq. omnibus præter Ryckianam. Ern. Equidem cum Bip. restituo *Principi*. Gronovium sequuntur Brot. et Lall.

Humilibus blanditiis] In Flor. *vernilibus*: quod germanissimum. Lips. Recepit Pichena bene. MSS. Bud. Guelf. *juvenilibus*: quod e *vernilibus* natum esse facile patet; unde et *vernilibus* fieri volebat Rhen. (ut 3, 32.) Edd. pr. et cett. omnes *humilibus*, usque ad Pichenam. Ern. Bud. a 1. m. *juvenibus*, unde 2. m. *juvenilibus*. Rhen. servavit in textu *humilibus*.

Perlatumque] Copulam hanc e Flor. addidit Pichena.

Tum interfecti Centuriones promptissimi] Editio pr.: *Tum interfectis Centurionibus*, etc. Unde Gruterus conjicit fuisse *interfecti ex Centurionibus*. Frustra. Non patitur vox *Othonianorum*, i. e. ex Othonianis. Ern. In vulg. consentiunt Bud. et editi.

Credidit de perfidia et fidem absolvit] i. e. Perfidos fuisse in illo discrimine credidit fingentibus, eaque de caussa fidei in Othonem pristinæ veniam dedit: *Fidem absolvit* sc. criminis. Nam tali tempore fides in hostem crimen est. Ern.

Sed creditum fama] Rectumne? an scribendum, *deditum fama?* Lips. Non intelligo *deditum fama*. An voluit scribere *diditum fama? Famæ* conjicit Freinsh. Ern.

eum honorem pecunia mercari, nec sine exitio Celsi, voluisset. A. U.
restitit Vitellius; deditque postea Consulatum Simplici in- 823.
noxium et inemptum. Trachalum adversus criminantes A. C.
Galeria, uxor Vitellii, protexit. Inter magnorum virorum 70. 61
discrimina (pudendum dictu) Mariccus quidam, e plebe
Boiorum, inserere sese Fortunæ et provocare arma Romana,
simulatione Numinum ausus est. Jamque *adsertor Gallia-
rum et Deus* (nomen id sibi indiderat) concitis octo millibus
hominum, proximos Æduorum pagos trahebat; cum gra-
vissima civitas, electa juventute, adjectis a Vitellio cohor-
tibus, fanaticam multitudinem disjecit. Captus in eo prœ-
lio Mariccus ac mox feris objectus, quia non laniabatur,
stolidum vulgus inviolabilem credebat, donec, spectante
Vitellio, interfectus est. Nec ultra in defectores, aut 62
bona cujusquam, sævitum: rata fuere eorum, qui acie
Othoniana ceciderant, testamenta, aut lex intestatis.
prorsus, si luxuriæ temperaret, avaritiam non timeres.
Epularum fœda et inexplebilis libido: ex urbe atque
Italia inritamenta gulæ gestabantur, strepentibus ab utro-
que mari itineribus: exhausti conviviorum adparatibus prin-
cipes civitatum: vastabantur ipsæ civitates: degenerabat
a labore ac virtute miles, adsuetudine voluptatum et con-
temptu Ducis. Præmisit in urbem edictum, quo vocabu-
lum *Augusti* differret, *Cæsaris* non reciperet, cum de pot-

Galeria] Galerio Trachalo, de quo H. 1, 90. ut videtur, propinqua.

Mariccus quidam] Sic scribitur nomen in MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. ante Rhen. Is edidit *Maricus*. Ern. E Bud. scil. Sed idem cod. mox habet *Maricens*, aperte pro *Mariccus*. Apud Grut. quoque p. 879, 10. legitur MARICCÆ. Pro *Boiorum* Agr. habet *Heduorum*, e seq. huc inlatum.

Nomen id sibi indiderat] MSS. edd. pr. Put. *nam id sibi ind.* Primus Beroaldus ex ingenio, ut apparet, edidit *nomen:* quod omnes deinceps secuti sunt. Mallem Beroaldus correxisset *nam id sibi indiderat nomen* aut *nominis:* teneremus jam sine dubio. Credo id verbum excidisse. Ern.

Gravissima civitas] i. e. potens, valida: quo sensu etiam Livius dixit 34, 49. ubi v. Duker. et ad Flor. 1, 3. Aliter paullo *graves civitates* dixit Cicero Verr. 2, 5. et alibi, pro iis, quæ propter nobilitatem sunt fide dignæ, quarum testimonium audiendum: aliter denique *gravem civitatem* Ovid. Am. 1, 9, 19. pro hostili. Hujus loci sensus est e Græco, ubi βαρεῖς divites, nobiles, potentes. Sic βάρος τῆς πόλεως Diodor. Sic. 4, 61. ubi v. Wesselingius ὁ πάνυ, laudans etiam, βαρεῖα πόλις, hoc sensu e Plutarch. t. 2. in Erotico. pag. 749. Sæpe sic apud Josephum hanc vocem observavi. Ern. *Gravitatem* de prudentia accipiunt Bip. qua sibi a fraude cavebant Ædui.

Feris objectus] Ea pœna seditiosorum. l. 38. D. de pœnis tit. 19. Quo modo licuerit adversus feras se munire e persuasione vulgi, docet Vertranius ad h. l. Cf. et de Pauw Rech. sur les Americains t. 1. p. 234.

Si luxuriæ temperaret] *Luxuriæ* MS. Flor. ed. pr. (Put. Alc.) quod bene recepit Pichena. Ceteri (Bud. Rhen.) *luxuriam.* Mox pro *inexplebilis* MSS. Guelf. Harl. *inexpiabilis*. Sic Cicer. Prov. Cons. c. 1. *expiare suas cupiditates:* ubi tamen Grævius præfert *explere*. Atque etiam Phil. 14, 4. *expiare egestates* quidam habent pro *explere;* quod rectius. Itaque nec hic mutem aliquid. Ern. Ed. Put. Alc. *temperares . . timeres.* Emendavit Rhen. e Bud.

Inritamenta gulæ] Similia v. 15, 37.

Ipsæ civitates] *Ipsæ* deest in Bud. et Put.

A. U. estate nihil detraheret. Pulsi Italia mathematici. Cautum
822. severe, *ne Equites Rom. ludo et arena polluerentur.* priores
A. C. id Principes pecunia et sæpius vi perpulerant: ac pleraque
70. municipia et coloniæ æmulabantur, conruptissimum quem-
63 que adolescentium pretio inlicere. Sed Vitellius, adventu
fratris, et inrepentibus dominationis magistris, superbior et
atrocior, occidi Dolabellam jussit, quem in coloniam Aquinatem sepositum ab Othone, retulimus. Dolabella, audita morte Othonis, urbem introierat. id ei Plancius Varus, Prætura functus, ex intimis Dolabellæ amicis, apud Flavium Sabinum, Præfectum urbis, objecit, *tamquam rupta custodia, Ducem se victis partibus ostentasset.* addidit, *tentatam cohortem, quæ Ostiæ ageret:* nec ullis tantorum criminum probationibus. in pœnitentiam versus seram, veniam post scelus quærebat. Cunctantem super tanta re Flavium Sabinum, Triaria, L. Vitellii uxor, ultra feminam ferox, terruit, ne *periculo Principis famam clementiæ adfectaret.* Sabinus, suopte ingenio mitis, ubi formido incessisset, facilis mutatu, et in alieno discrimine sibi pavens, ne adlevasse
64 videretur, inpulit ruentem. Igitur Vitellius, metu et odio,
quod Petroniam, uxorem ejus, mox Dolabella in matrimonium accepisset, vocatum per epistolas, *vitata Flaminiæ viæ celebritate, devertere Interamnium atque ibi interfici* jussit.

Ludo et arena] Facile intelligitur, ludum gladiatorium intelligi et amphitheatrum. Tamen in MS. Guelf. man. sec. inepte e *ludo* fecit *luto*, quod est in ed. pr. Ern.

Retulimus] H. 1, 88.

Plancius Varus] Sic scribendum esse monuerat Spanhemius de V. et Pr. Num. t. 2. p. 593. e numis Græcis. Atque ita esse in Flor. testatur J. Gronovius, iniquus et hic Spanhemio, addens ceterum alium numum e Sponio (Voy. t. 3. p. 199.). Consentit ed. pr. in qua est *Plantius.* MS. Guelf. *Plancius.* Edd. Put. Ber. Alc. *Platius.* Rhen. (e Bud.) *Plautius. Plancius* recepit Gron. Ern.

Seram veniam] Sic Flor. edd. pr. et ceteræ ante Rhen. qui *secundam* e Bud. edidit, quod et Guelf. et alii habent. Vellem explicasset, quid esset *secunda venia post scelus.* Acidalius conjiciebat: *veniam secundam scelus quærebat.* Sed locum tamen vitiosum puto: nec intelligo. An quæri venia ante scelus potest? et an sero petit, qui post facinus petit? Ern. Præclaram Bip. medelam ambabus amplector, restituta interpunctione post *probationibus,* et voce *seram* præcedenti reddita.

Terruit—affectaret] *Affectaret* MSS. Flor. Bud. Agr. (Reg. Lall.) edd. pr. Puteol. At Beroaldus *affectare,* quod omnes secuti sunt. Ego edidi ex ed. pr. *ne—affectaret,* quæ est vera lectio, quam et secutus est Broterius. Nam *affectaret* verum esse, consensus bonorum librorum docet. Id stare sine *ne* non potest. Nec *ut* intelligi potest, ut vult Rhenanus, per Latinitatem. *Ne* omitti et intelligi, nullis exemplis doceri potest. Horat. Carm. 1, 2. *terruit gentes, grave ne rediret seculum Pyrrhæ.* Ern. Gronovius servat vulg. *e p. P. f. cl. affectare.* Bud. *e—affectaret,* ubi *e* profecto per errorem pro *ne.* Palmerius in spicil. p. 849. putat *terruit affectare* dici ut c. 10. *incubuerat pervertere.* Sed cf. H. 3, 42.

Inpulit ruentem] Sic Cic. pro Cluentio 26. *præcipitantem impellamus.*

Devertere Interamnium] Sic scribendum, non *divertere Interamnam,* ut et vulgo, vel Latinitas doceat. Sed sic Flor. Agr. (Reg. Lall.) ed. pr. Recepit Ryckius *devertere: Interamnium* etiam J. Gron. Hoc et Guelf. At ed. pr. *intra Annium* corrupte. Nempe utroque modo urbs appellata. Itaque MSS. audiendi. Intelligitur Interamna in Umbria, ad viam

Longum interfectori visum: in itinere ac taberna proje- A. U.
ctum humi jugulavit: magna cum invidia novi Principatus, 823.
cujus hoc primum specimen noscebatur. Et Triariæ licen- A. C.
tiam modestum e proximo exemplum onerabat, Galeria 70.
Imperatoris uxor, non inmixta tristibus: et pari probitate mater Vitelliorum, Sextilia, antiqui moris. Dixisse quin etiam, ad primas filii sui epistolas, ferebatur, *non Germanicum a se, sed Vitellium genitum.* Nec ullis postea fortunæ inlecebris, aut ambitu civitatis, in gaudium evicta, domus suæ tantum adversa sensit.
65 Digressum a Lugduno Vitellium M. Cluvius Rufus adsequitur, omissa Hispania; lætitiam et gratulationem vultu ferens, animo anxius et petitum se criminationibus gnarus. Hilarius, Cæsaris libertus, detulerat, *tamquam, audito Vitellii et Othonis Principatu, propriam ipse potentiam et possessionem Hispaniarum tentasset: eoque diplomatibus nullum Principem præscripsisset.* Interpretabatur quædam ex orationibus ejus, contumeliosa in Vitellium, et pro se ipso popularia. Auctoritas Cluvii prævaluit, ut puniri ultro libertum suum Vitellius juberet. Cluvius comitatui Principis adjectus, non adempta Hispa-

Flaminiam. Ern. Bud. *devertere iter ariminum.*

Longum interfectori] Hic ordo verborum in meis libris: et sententia liquet. Alii trajiciunt, quid nisi libidine quadam omnia mutandi? Lips. Nempe Rhen. (e Bud.) *In itinere visum* etc. Ern.

Non inmitis tristibus] Forte: *non immixta tristibus.* i. non particeps ullius crudelis aut acerbi consilii. Gron. Probat Heins. Ep. ad Græv. t. 4. Coll. Burm. p. 135. Ducta est correctio e MS. Flor. in quo *non immix tristibus*, ut in ed. pr. *non inmixtricibus:* unde nil aliud commode extricari potest. Consentitque consuetudini Taciti, qui etiam *permixtus consiliis*, pro particeps, et similia dixit. Itaque sic in textu scripsi, pro *immitis*, quod e conjectura Pichenæ in textum venit. MS. Guelf. edd. a Puteol. usque ad Pich. *minax:* pro quo Rhen. (e Bud.) malebat *minis.* Triariæ licentia fuit, quod se immiscuit caussæ Dolabellæ, et Sabinum impulit terroribus ad perdendum hominem. Modestia ergo Galeriæ, quod tam tristium rerum particeps non fuit, sed potius protexit eos, qui in periculo essent, ut supra Trachalum. Ern. Agr. *non immanis.* J. Gron. dabat *non juncta.*

Ambitu civitatis in gaudium evicta] *Ambitum civitatis* vocat effusum gratulandæ felicitatis, adulandique studium. *Evinci* autem *in gaudium* est, vel invitum redigi et cogi ad lætandum: eoque verbo in primis delectatur Tacitus. Sic A. 11, 37. *evinci ad miserationem.* 15, 64. *blandimentis vitæ evicta* sc. ad vivendum. Atque *evicta* est in Flor. teste Gronovio, non *evecta*, ut Ryckius prodidit, et in Guelf. a man. pr. Sic edidit primus Rhen. (e Bud.) idemque exhibent omnes post editi, præter Pich. Ryck. Edd. ante Rhen. omnes *evecta*, et MSS. nonnulli apud Pichenam. *Evehi gaudio*, sive potius *efferri gaudio* dici posse scio, non *evehi in gaudium.* Ern. Cf. et A. 4, 57.

Interpretabatur quædam] Vereor, ne hic *et* absorptum sit a præcedente verbo, sive *que* a sequente. *Orationibus* bene Rhen. (ex ingenio) pro *exhortationibus*, quod est in edd. ante omnibus, MS. Guelf. (Bud.) etc. *Popularia pro se* sunt, quibus se venditaret populo, quæ grata et ad commendandum apta apud populum. Ern.

Cluvius comitatu etc.] Sic MSS. et edd. ante Rhen. qui correxit *comitatui:* cum etiam *luxu* pro *luxui* sit in Annal. et alia. Sed videtur MS. Bud. sic habuisse, (omnino sic habet) quod et de Flor. testatur J. Gron. Mei omnes *comitatu.* Vetus restituit Lipsius. At bene mox Pichena *cum* pro *quem*, e vestigiis Flor.

A. U. 823. A. C. 70. nia, quam rexit absens, exemplo L. Arruntii. cum Tiberius Cæsar ob metum, Vitellius Cluvium nulla formidine retinebat. Non idem Trebellio Maximo honos. profugerat Britannia, ob iracundiam militum: missus est in locum ejus
66 Vettius Bolanus e præsentibus. Angebat Vitellium victarum legionum haudquaquam fractus animus. sparsæ per Italiam et victoribus permixtæ, hostilia loquebantur: præcipua quartadecimanorum ferocia, qui *se victos* abnuebant: *quippe Bedriacensi acie, vexillariis tantum pulsis, vires legionis non adfuisse.* Remitti eos in Britanniam, unde a Nerone exciti erant, placuit; atque interim Batavorum cohortes una tendere, ob veterem adversus quartadecimanos discordiam. Nec diu, in tantis armatorum odiis, quies fuit. Augustæ Taurinorum, dum opificem quendam Batavus ut fraudatorem insectatur, legionarius ut hospitem tuetur, sui cuique commilitones adgregati, a conviciis ad cædem transiere. et prœlium atrox exarsisset, ni duæ Prætoriæ cohortes, caussam quartadecimanorum secutæ, his fiduciam et metum Batavis fecissent. *quos* Vitellius *agmini suo jungi*, ut fidos; *legionem, Graiis Alpibus traductam, eo flexu itineris ire* jubet, *quo Viennam vitarent.* namque et Viennenses timebantur. Nocte, qua proficiscebatur legio, relictis passim ignibus, pars Taurinæ Coloniæ ambusta: quod damnum, ut pleraque belli mala, majoribus aliarum urbium cladibus oblitteratum. Quartadecimani postquam Alpibus degressi sunt, seditiosissimus quisque signa Viennam ferebant. consensu meliorum
67 compressi et legio in Britanniam transvecta. Proximus Vitellio e Prætoriis cohortibus metus erat. separati primum, deinde, addito honestæ missionis lenimento, arma ad Tribunos suos deferebant: donec motum a Vespasiano bellum crebresceret: tum, resumpta militia, robur Flavianarum

ed. pr. *Aruntium:* ut facile quivis sentiet. Ern. Flor. in voce *comitatui* sequor. Dein Bud. *Arutium p. Cesar.*

Vectius Bolanus. E præsentibus] Distingui malim, *Bolanus e præsentibus. Angebat,* etc. ut significet, Bolanum e comitatu Principis in Britanniam missum. Lips. Sic plane distinguitur in Flor. et ed. pr. *Præsentes* opponuntur iis, qui sunt in provinciis. *Vettius* porro vera scriptura nominis, non *Vectius.* Vid. ad A. 15, 3. Ern. Bud. *Betius.* Alc. Rhen. *Vectius.* Put. *Bectius.* De eo v. Agr. 8 et 16.

Vexillariis] Ex hoc loco Salmas. de mil. R. c. 19. probare nititur, vexillarios sub Impp. fuisse levis armaturæ milites. Refutatur a Schelio ad Hygin. p. 35.

Atrox arsisset] Non displicet quod e MS. Agr. Ryckius profert *exarsisset.* Ern. Recipio cum Bip.

Cladibus obliteratum] *Est* additur edd. ante Rhen. abest ab MS. (Bud. et) Guelf. Mox *degressi* verum, e Flor. editum a Pichena, pro descenderunt: de quo diximus ad A. 4, 49. et alibi. Ern. Bud. *digressi.*

Separati primum] Sic MSS. Flor. Bud. Guelf. edd. Rhen. sqq. omnes. At edd. antiquiores *separatæ,* ut genere conveniret cohortibus. *Separati* int. milites Prætoriani. Mox *deferebant:* quod e Flor. edidit Pichena. Sic etiam Guelf. ed. pr. Ceteræ (et Bud.) *ferebant.* Illud sane proprium in hac re verbum. Ern.

partium fuere. Prima classicorum legio in Hispaniam missa, A. U. ut pace et otio mitesceret: Undecima ac septima suis hi- 823. bernis redditæ: Tertiadecimani struere amphitheatra jussi. A. C. 70. nam Cæcina Cremonæ, Valens Bononiæ, spectaculum gladiatorum edere parabant: numquam ita ad curas intento Vitellio, ut voluptatum oblivisceretur. Et quidem partes 68 modeste distraxerat: apud victores orta seditio, ludicro initio, nisi numerus cæsorum invidiam bello auxisset. Discubuerat Vitellius Ticini, adhibito ad epulas Verginio. Legati Tribunique, ex moribus Imperatorum, severitatem æmulantur, vel tempestivis conviviis gaudent: perinde miles intentus, aut licenter agit. Apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, pervigiliis ac Bacchanalibus, quam disciplinæ et castris, propiora. Igitur duobus militibus, altero legionis quintæ, altero e Gallis auxiliaribus, per lasciviam, ad certamen luctandi accensis, postquam legionarius prociderat, insultante Gallo, et iis, qui ad spe-

Tertiadecimani—jussi] Sic Flor. idemque Rhenanus ex ingenio ediderat. Ceteri scr. et edd. ante Rhen. *tertiam decimam—jussit:* quod variandæ constructionis studioso Tacito aptius videatur. Mox *voluptatum*, quod e Flor. edidit Pichena pro *voluptates*. sic etiam (Bud.) Guelf. ed. pr. Ern. Bud. *tertia decima—jussit*, ubi forsan lineola accusativi index omissa, ut passim.

Apud victores orta seditio] Vix tandem emersi me ex hac salebra, et vidi errorem. Transpositi enim per negligentiam versus sunt, iique in hunc ordinem cogendi: *Et quidem partes modeste distraxerat, nisi numerus cæsorum invidiam bello auxisset. Apud victores orta seditio, ludicro initio. Discubuerat Vitellius*, etc. Si tamen locus integer est, de quo ambigo. Scripsi *distraxerat*, non, *distinxerat*, ex Vatic. et videtur ad sententiam aptius, quia intellegit Vitellium satis clementer et modeste legiones adversæ partis disparasse, et per varias provincias distraxisse, ne coirent. Lips. De verbo *distraxerat* consentiunt MSS. Flor. Guelf. De transpositione nec libri, nec viri docti, nec res. Sensus est: ludicra res fuisset, initio suo, quod a re ludicra natum: sed numerus per eam occasionem cæsorum tantus fuit (duæ cohortes fuere,) ut invidia augeretur, quam jam satis gravem bellum contraxerat. *Ludicro* (Bud.) edd. pr. Rhen. seqq. At Puteol. Ber. (Alc.) *ludicrorum*. Porro *auxisset* est in MSS. Flor. Bud. (Reg. Lall.) ed. pr. Rhenanus addidit *nisi:* recte. Compendium fuit in libris *ñ* aut *ñ. n'*. id absorpsit prima litera in *numerus*. Dehinc *auxit* factum ex *auxisset*. Ryckius *numerus auxit* restituit. Ceterum locus est scaber, et fortasse nondum persanatus. Ern. Bud. *distinxerat*. Dein idem male *nũs nus*, unde bene Rhen. *nisi numerus*. Bip. legunt *at apud v. o. sed.* ut sit, quod respondeat τῷ *quidem*.

Tempestivis conv.] V. Lipsii exc. ad A. 14, 2.

Aut licentior] Antea, *licentiosus*, legebatur: quod sane eligam præ isto (*licentior*) quod supposuit Rhenanus. Lips. Imo *licenter* debebat edere Rhen. quod erat in ejus MS. ut est in Flor. Guelf. ed. pr. ediditque Pichena. Ern. *Agit* e Flor. edidit Pichena. Agr. *agere*. in Bud. et edd. vet. deest. Bud. *proinde*.

Castris propiora] i. e. similiora, eleganter, ut sæpe Livius in primis. MSS. Bud. Agr. ed. pr. *promptiora*, quod non spernit Rhenanus (habet tamen *propiora*). At clarum est, Tacitum dicere voluisse, eam speciem in castris fuisse, ut quis facilius crederet, Bacchanalia agi, quam militarem disciplinam exerceri. Ern.

Per lasciviam et certamen] Verius, *ad certamen:* quod in Flor. (et Bud.) item exstat. Lips. Atqui ita præter scriptos omnes edd. quas vidi, pr. Puteol. Ber. Alc. Rhen. Ald. S. Gryph. etc. Errorem igitur operarum corrigunt Lipsius et Pichena, qui in editionem secundam Rhenani irrepserat. Ern.

A. U. [illegible] A. C. 70. ctandum convenerant, in studia diductis, erupere legionarii in perniciem auxiliorum, ac duæ cohortes interfectæ. Remedium tumultus fuit alius tumultus. pulvis procul et arma adspiciebantur; conclamatum repente, *XIV. legionem, verso itinere, ad prœlium venire.* sed erant agminis coactores. agniti dempsere sollicitudinem. Interim Verginii servus forte obvius, ut *percussor Vitellii* insimulatur. et ruebat ad convivium miles, *mortem Verginii* exposcens. Ne Vitellius quidem, quamquam ad omnes suspiciones pavidus, de innocentia ejus dubitavit. ægre tamen cohibiti, qui exitium viri Consularis, et quondam Ducis sui, flagitabant. Nec quemquam sæpius, quam Verginium, omnis seditio infestavit. manebat admiratio viri et fama: sed oderant, ut fastiditi.

69 Postero die, Vitellius, Senatus legatione, quam ibi opperiri jusserat, audita, transgressus in castra, ultro *pietatem militum* conlaudavit: frementibus auxiliis, *tantum inpunitatis atque adrogantiæ legionariis accessisse.* Cohortes Batavorum, ne quid truculentius auderent, in Germaniam remissæ; principium interno simul externoque bello parantibus fatis. Reddita civitatibus Gallorum auxilia, ingens numerus, et prima statim defectione inter inania belli adsumptus. Ceterum, ut largitionibus adfectæ jam Imperii opes sufficerent, *amputari legionum auxiliorumque numeros* jubet, vetitis supplementis: et promiscuæ missiones offerebantur. exitiabile id Reipublicæ, ingratum militi, cui eadem munia inter paucos, periculaque ac labor crebrius redibant. et vires luxu conrumpebantur, contra veterem disciplinam, et instituta majorum; apud quos virtute, quam

70 pecunia, res Romana melius stetit. Inde Vitellius Cremonam flexit, et, spectato munere Cæcinæ, insistere Bedria-

In studia diductis] Sic bene ed. pr. Lips. sqq. At Guelf. (Bud.) edd. Puteol. ceteræque usque ad Lipsium *deductis*. male. Ante, *convenerant* mihi videtur h. l. languidius esse. In publicis et indictis spectaculis homines ad spectandum *conveniunt;* in re tali et subita fit *concursus* hominum. Ern.

Viri Consularis] *Viri* non est in Bud. nec Agr. Delevit et J. Gron. qui nimis prope iterari vocem notat.

Ut fastiditi] Quibus noluerit imperare, oblato quamvis Imperio. Ern. Cf. 1, 52. 2, 51.

Inter inania belli] h. e. quæ speciem magis terribilem haberent, quam vim. Ea species est etiam in multitudine copiarum: et hac caussa illa auxilia assumta. *Inania* sic dici Tacito, supra quoque vidimus. Firmatur lectio MSS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. vett. Nam in ed. pr. *munia* vitiose factum ex *inania*. Frustra viri docti tentarunt alii (Danes.) *initia*, ut est in MS. Agr. cum jam sit *prima defectione*, quæ sunt ipsa initia belli: alii *immania*, ut Lipsius: alii *minas* etc. Ern. Acid. fluctuat inter *munia, minas, initia.*

Affectæ jam Imp. opes] i. e. diminutæ et fractæ. Ed. pr. *tam* et mox *emissiones:* quorum illud e *jam* natum, hoc e geminatione præcedentis finalis. Ceterum MSS. Flor. Agr. *jam*. Ceteri (Put. Alc. Rhen.) male *tamen*, quod e *tam* natum. ordo est, *ut opes i. i. affectæ suff. largitionibus.* Ern. Bud. *tam.* Idem et ed. Put. Alc. Rhen. *missiones.*

Exitiabile id Reip.] Sic Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. Pich. seqq. *Exitiale* edidit Puteol. et cet. ante Pich. et id quoque verbum probum. Ern.

censibus campis, ac vestigia recentis victoriæ lustrare oculis concupivit. Fœdum atque atrox spectaculum. intra quadragesimum pugnæ diem lacera corpora, trunci artus, putres virorum equorumque formæ, infecta tabo humus, protritis arboribus ac frugibus dira vastitas. nec minus inhumana pars viæ, quam Cremonenses lauro rosisque constraverant, exstructis altaribus cæsisque victimis, Regium in morem: quæ, læta in præsens, mox perniciem ipsis fecere. Aderant Valens et Cæcina, monstrabantque pugnæ locos: *hinc inrupisse legionum agmen, hinc equites coortos: inde circumfusas auxiliorum manus.* Jam Tribuni Præfectique, sua quisque facta extollentes, falsa, vera, aut majora vero miscebant. Vulgus quoque militum, clamore et gaudio deflectere via, spatia certaminum recognoscere, aggerem armorum, strues corporum intueri, mirari. Et erant, quos varia fors rerum, lacrimæque et misericordia subiret. at non Vitellius flexit oculos, nec tot millia

A. U. 823. A. C. 70.

Intra quadrag. p. diem] Si non plane insititia sunt hæc verba, vereor, ne legendum sit *ultra*, non *intra*. Ipsa diuturnitas temporis facit intelligi fœditatem spectaculi. Ea exprimitur si *ultra* XL. dies insepulta cadavera jacuere; non, si *intra*. Probat Mullerus (et expressit Bahrdt in vers.). Veteres porro libri interpungunt post *diem*, non ante *intra*. Mox *ac frug*. Flor. (Agr.) ed. pr. alii (Bud. Put. Alc. Rhen.) *atque*. Ern.

Infecta tabo hum.] Hæc est vera lectio. *Infesta* in edd. Gron. operarum vitio venit: inde me invito in nostram primam. Ern.

Inhumana pars viæ] i. e. insolens apparatu et tyrannica specie. Frustra Rhen. *inamœna* conjicit. MS. Agr. ed. pr. *minus humana*. Mox *lauru* MSS. et edd. vett. Rhenanus (e Bud.) cum sequacibus dedit *lauro*. ed. pr. *laurus rosasque*. Ern. Frustra hic succenset Budensi J. Gron. quasi ex eo hausisset *inamœna* Rhenanus, quod ex ingenio dedit.

Exstructis altaribus, cæsisque victimis] Aræ istæ et victimæ, Vitellii Genio et Victoriæ. Fœda, sed vetus adulatio: quam in adventu Regum aut Principum usurparunt Græci Latinique. Justinus 24, 3. *Arsinoe, prægressa virum, festum diem urbi indicit, domos, templa ceteraque omnia exornari jubet: aras ubique hostiasque disponi.* Sic de Metello Pio Valerius 9, 5. Factum et Cæsari e Gallia reduci. Hirtius B. G. 8, 51. Et passim deinde Principibus. In Caligula Sueton. c. 13. In Galba idem c. 18. Plinius Paneg. de adventu Trajani 23. *Ut plena altaribus, augusta victimis cuncta!* Alius Panegyristes (Mamertinus) ad Maximianum c. 6. *Totamque hanc urbem repentina tua in hostes eruptione solicitam, lætitia et exultatione et aris flagrantibus et sacrificiis et odoribus, accensis Numini tuo, implesti.* Lips.

Inrupisse legionum agmen] Sic e Flor. edidit Pich. Idem erat in Bud. ed. pr. At Guelf. edd. cett. *erupisse*. quod mihi melius videtur; est enim usitatum in hac re verbum, ut supra vidimus hoc ipso libro. et convenit melius primum τῷ *hinc*, et τῷ *coortos*. *Huc irrupisse* dici potest, non *hinc*, sed *erupisse*. Mox bene editum a Pichena *falsa, vera*, e Flor. Bud. pro *falso vera*. Consentit ed. pr. Ern. Ernestium in *erupisse* sequuntur Brot. Lall. Dotteville; mihi cum Bip. alterum placet. idem Pichena sentiebat, Vitellianos *inrupisse* in Othonianos.

Intueri, mirari] Sic Flor. (Bud.) ed. pr. quod melius vulgato *mirarique*. Itaque sic cum J. Gronovio edidi. Mox dedi *sors* ex ed. pr. pro *fors*. Ern. *Sors* quoque cod. Agr. Sed *fors* Bud. quod præferunt Bip. eo, quod hic de fortuna sit sermo mutabili, quum in *sorte* etiam ratio locum inveniat. Sequor, etsi parum referre putem.

Non V. flexit oculos] E Virgilio sumtum Æn. 4, 369. *num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?* Paullo post Guelf. *quanto* sine *que*: quæ a manu sec. addita est. melius videtur. Ern.

A. U. insepultorum civium exhorruit. lætus ultro, et tam propin-
823. quæ sortis ignarus, instaurabat sacrum Diis loci. Exin
A. C. Bononiæ a Fabio Valente gladiatorum spectaculum editur,
70.
71 advecto ex urbe cultu. Quantoque magis propinquabat,
tanto conruptius iter, immixtis histrionibus et spadonum
gregibus et cetero Neronianæ aulæ ingenio. namque et Ne-
ronem ipsum Vitellius admiratione celebrabat, sectari cantan-
tem solitus, non necessitate, qua honestissimus quisque, sed
luxu et saginæ mancipatus emptusque. Ut Valenti et Cæ-
cinæ vacuos honoris menses aperiret, coartati aliorum Con-
sulatus, dissimulatus Martii Macri, tamquam Othonianarum
partium Ducis: et Valerium Marinum, destinatum a Galba
Consulem, distulit, nulla offensa, sed mitem et injuriam se-
gniter laturum. Pedanius Costa omittitur, ingratus Prin-
cipi, ut adversus Neronem ausus, et Verginii exstimulator:
sed alias protulit caussas. actæque insuper Vitellio gratiæ,
72 consuetudine servitii. Non ultra paucos dies, quamquam
acribus initiis cœptum, mendacium valuit. Exstiterat qui-
dam, *Scribonianum se Camerinum ferens, Neronianorum tem-
porum metu in Istria occultatum, quod illic clientelæ et agri
veterum Crassorum ac nominis favor manebat.* Igitur deter-
rimo quoque in argumentum fabulæ adsumpto, vulgus cre-
dulum et quidam militum, errore veri, seu turbarum studio,
certatim adgregabantur: cum pertractus ad Vitellium inter-
rogatusque, *quisnam mortalium esset*, postquam nulla dictis
fides, et a domino noscebatur, conditione fugitivus, nomine
Geta, sumptum de eo supplicium servilem in modum.
73 Vix credibile memoratu est, quantum superbiæ socordiæ-
que Vitellio adoleverit, postquam speculatores e Syria Judæa-
que, *adactum in verba ejus Orientem*, nuntiavere. Nam, etsi
vagis adhuc et incertis auctoribus, erat tamen in ore fama-
que Vespasianus, ac plerumque ad nomen ejus Vitellius ex-
citabatur. Tum ipse, exercitusque, ut nullo æmulo, sævi-
74 tia, libidine, raptu, in externos mores proruperant. At
Vespasianus bellum armaque, et procul vel juxta sitas vires,
circumspectabat. Miles ipsi adeo paratus, ut præeuntem

Quantoque magis] Refer ad *inhumanum iter* supra c. 70. Ern.

Coartati] Sic Rhen. e Bud. Puteol. *cohartati*. Alc. *cohortati*. De re ipsa v. Ryckius.

Dissimulatus M. Macri] Scribendum videtur *Martii Macri*. Nam ita eum supra crebro nominat, qui Præfectus gladiatoribus fuit. Lips. Et sic edidit Pichena. MSS. et edd. omnes *Marci*. Ern. Cf. supra c. 23.

Scribon. se Camer. ferens] Rupertus ad Reines. ep. 48. p. 432. unum esse putat e duobus illis Scribonianis fratribus, de quibus H. 4, 41.

Interrogatusque] Copula bene addita a Rhenano (e Bud.) consentit Guelf. ed. pr. Mox *e Syria* MSS. edd. ante Rhen. omnes. Deletam ab ipso (duce Bud.) præpositionem, quæ sane abesse posset, si libri consentirent, restituit Pichena (e Flor.). Ern.

Servilem in modum] Sic Ryckius e c. Agr.

Et procul] Copulam, a Rhen. duce Bud. omissam, restituit Pich. e Flor.

sacramentum, et fausta Vitellio omnia precantem, per silentium audierint. Muciani animus nec Vespasiano alienus, et in Titum pronior. Præfectus Ægypti, Ti. Alexander, consilia sociaverat. Tertiam legionem, quod e Syria in Mœsiam transisset, suam numerabat. ceteræ Illyrici legiones secuturæ sperabantur. Namque omnes exercitus flammaverat adrogantia venientium a Vitellio militum; quod truces corpore, horridi sermone, ceteros, ut inpares, inridebant. Sed in tanta mole belli plerumque cunctatio: et Vespasianus, modo in spem erectus, aliquando adversa reputabat: *Quis ille dies foret, quo LX. ætatis annos et duos filios juvenes bello permitteret? Esse privatis cogitationibus progressum, et, prout velint, plus minusve sumi ex Fortuna: Imperium cupientibus nihil medium inter summa et præcipitia.* Versabatur 75
ante oculos Germanici exercitus robur, notum viro militari: *Suas legiones civili bello inexpertas; Vitellii, victrices: et apud victos plus querimoniarum, quam virium. fluxam per discordias militum fidem, et periculum ex singulis. Quid enim profuturas cohortes alasque, si unus alterque præsenti facinori paratum ex*

A. U. 823. A. C. 70.

Fausta Vitellio omnia pr.] Freinsh. corrigit *omina*. Verbum *precari* me impedit, quo minus satis probem. Precando bene ominamur, et omina facimus: sed non precamur omina, ut opinor. Ern.

Alexander] Muretus, Ursinus, Acidalius verisimili conjectura putant, scriptum a Tacito *Ti. Alex.* ut ap. Suetonium Vesp. 6. eamque siglam prænominis indicem ob ultimam præcedentis vocis syllabam esse omissam. Cf. mox c. 79.

Omnes exercitus flammaverat arrogantia] MS. Bud. *omnis exercitus flammaverat ad arrogantiam*, ut volebat Muretus. Ern. Rhen. non recepit. Paullo ante Bud. Put. Alc. Rh. *de Syria.*

Sed inerat a mole belli] In Flor. *sed iniant a mole:* ex quo Pichena, *sed in tanta mole.* Lips. Idemque in alio MS. clare reperit. Sic et MS. Guelf. sed a manu sec. ed. pr. At Puteol. edidit *sed inerat a mole belli*, quod usque ad Pichenam editi præferunt: fuitque in Guelf. a manu pr. Ern. Bud. *sed inerat amor belli*, unde Rhen. conjiciebat *sed inerat timor belli.*

Quo LX. ætatis annos et duos filios juvenes] Pichena suspicatur legendum, *quo sexagesimo ætatis anno se et duos.* Vulgatum recte defendit Gruterus. Ern.

Esse privatis cogitationibus regressum] Sic correxit Lipsius, eamque correctionem recepit Freinsh. cum seqq. edd. Bene. Sensus est: privati, cum aliquid in rebus privatis suscipiunt, possunt progredi quoad volunt: ubi incipit displicere consilium, regredi possunt, pœnitentiæ locus est. At, qui imperium affectant, cum semel cœperunt agere, non licet subsistere aut regredi. Nam, si desinant persequi cœpta, pereundum est. Hic sensus ita clare desiderat *regressum*, ut mirer, etiam Pichenam ei emendationi oblocutum esse. Bene Freinsh. laudat ex A. 4, 11. *nullo ad pœnitendum regressu.* Ceterum MSS. et edd. ante Freinsh. omnes *progressum.* Mox MS. Reg. ed. pr. *et præcipitia* pro vulgato *aut pr.* quod probant Rhen. et Gruterus; idque sequendum putavi. Ern. A codicum lectione nolim recedere, restitui ergo *progressum.* Pichena bene: in hac privatorum Principumque comparatione nihil de *regressu* agitur. Sensus: privatos homines, cum cogitationem suscipiunt, eatenus *progredi* posse, quatenus ipsis videatur. Quod Bip. addunt, si *regressum* ponas, scribendum fuisse *a cogitat.* mihi secus videtur; dandi casus hic scite locaretur. Mox Bud. *ac præcipitia.*

Præsenti facinore] Sic Rhenanus e Bud. edidit, idque omnes secuti sunt. Sed altera vetus lectio *facinori* non

A. V. *diverso præmium petat? Sic Scribonianum sub Claudio inter-*
823. *fectum: sic percussorem ejus, Volaginium, e gregario ad summa*
A. C. *militiæ provectum. Facilius universos inpelli, quam singulos*
70.
76 *vitari.* His pavoribus nutantem, et alii Legati amicique firmabant, et Mucianus, post multos secretosque sermones, jam et coram ita locutus: *Omnes qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an, quod inchoatur, Reipublicæ utile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certe non arduum sit. Simul ipse, qui suadet, considerandus est, adjiciatne consilio periculum suum: et, si Fortuna cœptis adfuerit, cui summum decus adquiratur. Ego te, Vespasiane, ad Imperium voco, tam salutare Reipublicæ, quam tibi magnificum. Juxta Deos, in tua manu positum est. Nec speciem adulantis expaveris. a contumelia, quam a laude propius fuerit, post Vitellium eligi. Non adversus D. Augusti acerrimam mentem, nec adversus cautissimam Tiberii senectutem, ne contra Caii quidem, aut Claudii, vel Neronis, fundatam longo Imperio domum exsurgimus. cessisti etiam Galbæ imaginibus. torpere ultra, et polluendam perdendamque Rempublicam relinquere, sopor et ignavia videretur, etiam si tibi, quam inhonesta, tam tuta servitus esset. Abiit jam et transvectum est tempus,*

minus bona est, hoc sensu: si quis præmium petat ab adversa parte, quod præsenti facinori semper paratum est. Etiam in altera lectione *paratum* tamen sic intelligendum; quod semper sperare potest talia ausus, quod ei semper paratum est. *Præsens facinus* est audax atrox. Ern. Cum Bip. repono *facinori.*

Volaginium] Quidam libri *Volaginum*, ut Agr. ed. pr. Indictum aliis nomen. Vid. J. Gronov. Ern. Bud. *Volaginium.*

Post multos secretosque sermones jam et coram] Multi illi et secreti sermones, partim coram habiti, partim per Titum facti, v. c. 79. extr. *Multis sermonibus* qui ab absentibus per Titum facti, opponitur maxime *coram. Secretis* porro sermonibus opponitur, quia præsentibus Legatis et amicis factus, ut patet e c. 78. init. Non igitur erat, quare hic Freinsh. hæreret, et aliquid excidisse putaret. Ceterum MS. Flor. habet *et ioronam*, unde J. Gron. conjicit *et ad coronam.* At *corona* de tali conventu non dicitur. Nam et Cicero dicit de tali conventu *sibi coronam defuisse*, cum pro Deiotaro diceret, quia judicium in cubiculo Cæsaris habitum fuerat. Ern. Bud. *jam et coram.*

Æstimare] MS. Guelf. (Bud.) ed. pr. *extimare*, i. e. *existimare*, ut est in MS. Reg. quod melius puto. Ern.

Aut certe non] In MS. Flor. *aut non certe non a.* J. Gron. putat verum esse *aut non, certe non arduum:* non ego. Oppositi *aut non* nulla nec elegantia, nec necessitas. Ern. Bud. *aut certe non arduum.*

Magnificum. Juxta Deos etc.] Sic interpungendum, si sensus constare debet, ut est in MS. Guelf. edd. Puteol. Beroaldi etc. Possis suspicari, *quam salutare Reip. quam tibi magnificum, juxta Deos, i. t. m. p. e.* Sed sententia illud potius desiderat. In ejus manu esse, dicit, an velit imperium illud habere. Ern. Bud. pessime *vixit Deos*, ubi Rhen. conjectando operam ludit. nec melior conjectura Ernesti.

Juxta Deos] Cf. c. 78.

A contumelia et laude propius fuerit] Ed. pr. *tam a—fueris.* quod est etiam in Guelf. a m. s. Male. Paullo insolentius dictum est, pro *contumeliæ propius quam laudi fuerit.* Mox *ne c. C. quidem* edidi cum Ryck. et Gron. e Flor. pro *nec—quidem.* V. ad 4, 35. Ern. Bud. etiam *ne c. C. q.* prius, *tam—fuerit.*

Abiit jam et transvectum] Obscura est sententia, et ergo acuta. An hoc vult, jam senem esse Vespasianum, et in hac

quo posses videri concupisse. confugiendum est ad Imperium. A. U.
An excidit trucidatus Corbulo? splendidior origine, quam nos 823.
sumus, fateor: sed et Nero, nobilitate natalium, Vitellium A. C.
anteibat. Satis clarus est apud timentem, quisquis timetur. Et 70.
posse ab exercitu Principem fieri, sibi ipse Vitellius documento; nullis stipendiis, nulla militari fama, Galbæ odio provectus. Nec Othonem quidem Ducis arte, aut exercitus vi, sed præpropera ipsius desperatione victum, jam desiderabilem et magnum Principem fecit. Cum interim spargit legiones, exarmat cohortes, nova quotidie bello semina ministrat. si quid ardoris ac ferociæ miles habuit, popinis et comissationibus et Principis imitatione, deteritur. Tibi e Judæa et Syria et Ægypto novem legiones integræ, nulla acie exhaustæ, non discordia conruptæ: sed firmatus usu miles, et belli domitor externi: classium, alarum, cohortium robora; et fidissimi Reges: et tua ante omnes experientia.
Nobis nihil ultra adrogabo, quam ne post Valen- 77
tem ac Cæcinam numeremur. Ne tamen Mucianum socium spreveris, quia æmulum non experiris. me Vitellio antepono, te mihi. Tuæ domui triumphale nomen, duo juvenes, capax jam Imperii alter, et primis militiæ annis apud Germanicos quoque exercitus clarus. Absurdum fuerit, non cedere Imperio ei, cujus filium adoptaturus essem, si ipse imperarem. Ceterum inter nos non idem prosperarum adversarumque rerum ordo erit. Nam, si vincimus, honorem, quem dederis, habebo: discrimen ac pericula ex æquo patiemur. immo, ut melius est, tu hos exercitus rege; mihi bellum et præliorum incerta trade. Acriore

modesta ætate nihil juveniliter, aut cupide atque ambitiose visum iri agere, sed omnia studio et amore Reipublicæ? An potius alio telo, et proprio periculo excitat? Abiit jam tempus, nec in tua manu est, dissimulare aut tegere cupidinem Imperii. Jam innotuit multis signis, et, ut salvus sis, *confugiendum est ad Imperium.* LIPS. MS. Budensis *concepisse*: ed. pr. *concupiscere.* Ceterum prior Lipsii interpretatio vera est. Non videbere cupiditate aliqua elatus Imperium appetere, ut eo nomine reprehendi possis, sed necessitate publica privataque coactus. ERN.

Documento est] Sic edd. omnes. At *est* a Flor. (Bud.) et Guelf. abest: meliusque abest. Itaque delevi. ERN. Rhen. servat.

Ne Othonem quidem Ducis arte, aut exercitus vi, sed] Brevitatis et sententiarum in arctum compingendarum studium duriorem hic orationem fecit, ut non grammatice structa sit. Insunt duo argumenta: primum, victus Otho non est argumentum, Vitellium esse bonum Ducem, aut Vitellianos fortes milites. Alterum: Vitellii fœditas facit, ut etiam Otho magnus et desiderabilis Princeps fuisse videatur. Ante Rhen. erat vitiose *exercitus sui.* ERN. Sic et Bud. Scita emendatio Rhenani. Cod. Agr. *nec Oth. q.* quod recepere Bip. sequor. Mox Bud. et edd. vet. *comessationibus.* Idem *ante omnis.*

Ac pericula ex æquo patiemur] *Pericula* e Flor. edidit Pich. pro *periculum.* Sic et ed. pr. *Patiemur* Flor. Guelf. (Bud. Agr. Reg. Lall.) edd. pr. Puteol. idque bene restitutum a J. Gronovio. In Beroaldi ed. irrepsit *partiemur*, dubium, an de consilio Beroaldi: inde ad omnes edd. propagatum. Pericula non partimur ex æquo, sed subimus. ERN. Bud. *periculum.* Agr. *pericula.* Bip. rursus reponunt *partiemur*, nec dubium, licere dicere *partiri pericula*, ut *curas* apud Liv. 21, 21. Sed obstat consensus codicum.

A. U. 823. A. C. 70. *hodie disciplina victi, quam victores agunt. hos ira, odium, ultionis cupiditas ad virtutem accendit: illi, per fastidium et contumaciam, hebescunt. Aperiet et recludet contecta et tumescentia victricium partium vulnera bellum ipsum. Nec mihi major in tua vigilantia, parsimonia, sapientia, fiducia est, quam in Vitellii torpore, inscitia, sævitia. Sed et meliorem in bello caussam, quam in pace habemus. nam qui deliberant, desciverunt.*

78 Post Muciani orationem ceteri audentius circumsistere, hortari, *responsa vatum et siderum motus* referre. Nec erat intactus tali superstitione, ut qui mox, rerum dominus, Seleucum quendam, mathematicum, rectorem et præscium palam habuerit. Recursabant animo vetera

Hos—illi] *Hos* ad remotius, *illi* ad propius hic refertur. Cf. Sanctii Min. 2, 9. Pro *tu hos* Bud. male *tuos*.

Aperiet et recludet] Vix abest, quin ad hæc Demosthenis sit adspectum: et certe paria sunt, in Olynthiaca: Ὥσπερ ἐν τοῖς σώμασιν ἡμῶν, ἕως μὲν ἐῤῥωμένος ᾖ τις, οὐδὲν ἐπαισθάνεται τῶν καθ' ἕκαστα σαθρῶν. ἐπὰν δὲ ἀῤῥώστημά τι συμβῇ, πάντα κινεῖται, κἂν ῥῆγμα, κἂν στρέμμα, κἂν ἄλλο τι τῶν ὑπαρχόντων σαθρὸν ᾖ. οὕτω καὶ τῶν πόλεων, καὶ τῶν τυράννων. ἕως μὲν ἂν ἔξω πολεμῶσιν, ἀφανῆ τὰ κακὰ τοῖς πολλοῖς ἐστίν· ἐπειδὰν δὲ ὅμορος πόλεμος συμπλακῇ, πάντα ἐποίησεν ἔκδηλα. Lips. Demosthenes prima in Philippum: Οὐκ ἐπὶ τὴν ἐκείνου πλευσούμεθα; Ποῖ δὴ προσορμούμεθα, ἤρετό τις, εὑρήσει τὰ σαθρὰ τῶν ἐκείνου πραγμάτων αὐτὸς ὁ πόλεμος. Gron. *Tumor* eleganter et proprie de vulneribus nondum sanatis et erupturis mox dicitur apud Ciceronem et alios. Ern.

Con. et tum v. p. v.] Hunc verborum ordinem e Flor. dedit Pich. habet et Bud.

Parsimonia, sapientia] Ambigo de voce *parcimoniæ*. Convenit in Vespasianum, scio: quem sordidum avarumque omnes faciunt, non solum parcum. sed, cur inter principes et illustres virtutes hanc domesticam privatamque nominet? aut cur in ea fiduciam boni eventus collocet? Non digna videtur, quæ ad Imperium adjuvet, aut ad id gradum struat: nisi fortasse comparatione Vitellii dictum, qui natus ad prodigendum. Utcumque, liceat dubitare, an non reponendum, *acrimonia*: sed, ut dixi, dubitare. Lips. Ut opponatur *inscitiæ*, sapientia sævitiæ, ut apud Cic. pro Marcello c. 3 et 6. Nam clementia a magnitudine animi ducitur, quæ centies apud Ciceronem sapientia. *Parsimoniæ* quidem verbum sanum non puto. Nam quod Acidalius pro clementia dici putat, usus loquendi repugnat. Nimis nota de Vespasiani avaritia opinio parsimoniam hic Tacito obtrusit. Ern.

Qui deliberant, desciverunt] Acute et vere dictum. Fidem enim jam fregit, qui deliberat, an servet. Plutarchus exprimere in Galba voluit (magni fecit ille vir hunc nostrum, et quamquam ævo compar, multa verbatim ex hac historia convertit:) ubi Vinnium facit Galbam excitare et alloqui c. 4. Ὦ Γάλβα, τίνα τρόπον βουλεύεσθε; τὸ γὰρ ζητεῖν, Νέρωνι εἰ πιστοὶ μένοιμεν, ἤδη μενόντων ἐστί. Vocula negans excidit, et legendum ἤδη οὐ μενόντων. Verto: *O Galba, quomodo deliberas? Nam quærere, an Neroni fidi maneamus, jam non manentium est.* Alludit et hoc Taciti, in Agricola 15. *Jam ipsos, quod difficillimum est, deliberare. Porro in ejusmodi consiliis, periculosius esse deprehendi, quam audere.* Lips.

Siderum motus] V. ad A. 4, 58. Ern. Pro *audentius* Bud. *audientium*.

Recursabant animo vetera omina] Sic Flor. recte. idque editum a Pichena. Ceteri libri omnes (et Bud.) *omnia*, solita confusione. Mox pro *latior virebat* Trillerus *lætior virebat* legendum putat Obs. 1, 8. Juvat Sueton. Vesp. 5. *viridior resurrexit*. Sed, quia omnes libri in vulgata consentiunt, et latitudo quoque in arboribus omen magni Imperii et magnæ felicitatis, nihil tentandum puto. Idem Sueton. l. c. de arbore in suburbano Flaviorum per tres Vespasiæ partus singulos ramos edente: *secundum prævalidum ac prolixum, et qui magnam felicitatem portenderet.* Quod ibi *prolixus* id h. l. est *latus*. Add. Justin. 1, 4. Ern. Ante Pichenam Rhen. jam ex ingenio dedit *omina*.

omina. cupressus arbor in agris ejus, conspicua altitudine, A. U.
repente prociderat; ac postera die, eodem vestigio resur- 823.
gens, procera et latior virebat. grande id prosperumque, A. C.
consensu Haruspicum: et summa claritudo juveni admo- 70.
dum Vespasiano promissa. Sed primo triumphalia et Consulatus et Judaicæ victoriæ decus, inplesse fidem ominis videbantur: ut hæc adeptus est, portendi sibi Imperium credebat. Est Judæam inter Syriamque Carmelus, ita vocant montem Deumque. nec simulacrum Deo aut templum situm tradidere majores; aram tantum et reverentiam. Illic sacrificanti Vespasiano, cum spes occultas versaret animo, Basilides Sacerdos, inspectis identidem extis, *Quidquid est,* inquit, *Vespasiane, quod paras, seu domum exstruere, seu prolatare agros, sive ampliare servitia, datur tibi magna sedes, ingentes termini, multum hominum.* Has ambages et statim exceperat fama, et tunc aperiebat. nec quidquam magis in ore vulgi. crebriores apud ipsum sermones: quanto sperantibus plura dicuntur. Haud dubia destinatione disces- 79
sere: Mucianus Antiochiam, Vespasianus Cæsaream: illa Syriæ, hæc Judææ caput est. Initium ferendi ad Vespasianum Imperii Alexandriæ cœptum, festinante Tiberio Alexandro, qui Kal. Jul. sacramento ejus legiones adegit.

Cupressus] In hoc portento fama non sibi constat. Cf. Dio 66, 1. et Suet. Vesp. 5.

Videbantur] Flor. Agr. Bud. ed. pr. *videbatur*, impersonaliter (judice Rhenano). nam, ut ad *decus* referatur verbum numero potius, quam ad præcedentia simul, quod alibi in Tacito vidimus, non sinit, ut opinor, mox sequens *hæc*. Ern.

Carmelus] De hoc monte et aliis duobus ejusdem nominis in Palæstina, non confundendis cum hoc v. ad Sueton. Vesp. c. 5. Ern. Cf. et Orosius 7, 9. ubi *sortium* meminit.

Nec simulacrum] Parissimum illud, quod de Herculeo fano ad Gades tradit Silius 3, 30. *Sed nulla effigies simulacraque nota Deorum Majestate locum et sacro implevere timore.* Lips.

Aram tantum et reverentiam] Sic scr. et edd. omnes, præter Ryck. qui edidit e MS. Agr. *ara et reverentia*, ut Rhenano et Grotio placuit. Defenditur vulgatum a Grutero ad 3, 61. sed non similibus satis exemplis, item a J. Gronovio. Et potest sane pendere a *tradidere. aram tantum et reverentiam tradidere.* Sed illud mallem, si libri boni faverent. Guelf. a manu pr. *sed tradidere majores aram t. e. r.* Quod placeret, si plures libri haberent. Nunc correctio librarii videtur vulgatum non concoquentis. Ern. Bene Bip. ex vulg. *templum. sic* fecere *templum situm*, ut A. 2, 7. *aram Druso sitam.* Addo aram *et reverentiam* i. e. aram reverenter habitam, cultam.

Hæc Judææ caput] Hinc in NN. prima, item paullo post metropolis, salutatur. Vid. Vaill. in NN. Col. t. 2. p. 116. sub Alex. Sev. et p. 195. sub Decio. Cf. Spanhem. de Præst. NN. t. 1. p. 595. Diss. 9. c. 4. et Eckhel Doctr. NN. vet. vol. 3. p. 433.

Initium ferendi] Vereor, ne Tacitus dederit *deferendi Imperii;* quod est legitimum verbum. *Ferre ad aliquem Imperium* nunquam reperi. Et substitui simplicia compositis errore librariorum, supra vidimus c. 67. Nec valde placet *initium cœptum.* An *captum* scribendum? *Cœpi* quidem et *cepi* et alibi confusa, c. 97. add. dicta ad A. 6, 15. Mox *in sacramento* MS. Flor. vid. ad c. 55. Ern. Bud. *sacramento* absque *in*. Sic et Put. Alc. Rhen.

Festinante Tiberio] Contra Jos. 4, 10, 6. Tib. Alexandrum prius per epistolam a Vespasiano jam Principe salutato esse admonitum scribit.

A. U. 823. A. C. 70. Isque primus Principatus dies in posterum celebratus, quamvis Judaicus exercitus V. Non. Jul. apud ipsum jurasset, eo ardore, ut ne Titus quidem filius exspectaretur, Syria remeans, et consiliorum inter Mucianum ac patrem nuntius. cuncta inpetu militum acta: non parata concione, non conjunctis legionibus.

80 Dum quæritur tempus locusque, quodque in re tali difficillimum, prima vox, dum animo spes, timor, ratio, casus obversantur: egressum cubiculo Vespasianum pauci milites, solito adsistentes ordine, ut Legatum salutaturi, *Imperatorem* salutavere. Tum ceteri adcurrere, *Cæsarem* et *Augustum*, et omnia Principatus vocabula cumulare. mens a metu ad fortunam transierat. In ipso nihil tumidum, adrogans, aut in rebus novis novum fuit. ut primum tantæ vicissitudinis obfusam oculis caligi-

Isque primus Principatus dies] Dies ille natalis Imperii decore dictus. Spartianus Hadriano 4. *Tertio iduum earundem natalem Imperii statuit celebrandum.* Lips.

Quinto Nonas Julias] Suetonio c. 6. scriptum, *quinto Idus.* sed eum ad exemplar Taciti emendandum videri, non vane pronuntiat Torrentius. Lips. Itaque fecimus nos. Nam Taciti traditio verissima, ut demonstrat Pagius: nec in tali re errare potuit Suetonius. Vid. ibi dicta. Ern.

Eo ardore, ut, ne] Rhenanus (duce Bud.) delevit *eo ardore,* et initium novæ sententiæ fecit in verbis *Ut ne* etc. Sed omnes libri agnoscunt, nec commode abesse possunt. Ed. pr. aliæque hic quoque vitiose *nec quidem.* Ern. Bud. *ne q.*

Cuncta inpetu m. acta] Jos. 4, 36. minis militum adactum Vespasianum tradit.

Non parata cognitione] Cui rei hic cognitio? quam vocem Taciti mens planissime spernit. Emendo vero, *non paratu ac concione.* Lips. Pichena non *parata concione,* quod in MS. Agr. repertum recepit Ryckius, quem imitati sumus, non tam fiducia libri illius, quam rei necessitate. Nam in tali re semper oratio ad milites habita, si non impetu et festinanter nimis acta, ut docent exempla Galbæ, Othonis, Sueton. Galb. 10. supra 1, 36. aliorumque alibi. Similis corruptio apud Sueton. Tit. c. 6. ubi Titus traditur A. Cæcinam interfecisse: *sane urgente discrimine, cum etiam chirographum ejus præparatæ apud milites concionis deprehendisset.* ubi vulgo *conjurationis:* nos *concionis* rescripsimus, idque imitatus est Oudendorpius. Add. ad A. 4, 42. Ern. Bud. et edd. ante Ryckium *cognitione.* Bip. dant *consensione.*

Tempus locusque] J. Gron. delevit *que* e Flor. (nec habet Bud.) In Guelf. quoque omissum, sed supra adscriptum est, eadem, ut videtur, manu. semper sic ista jungunt scriptores, etiam noster: unde nil mutavi. Adde ad A. 4, 10. Ern. Mox Bud. *quodque in t. re difficillimum* sine *est.* bene.

Solito adsistentes] Sic e Flor. edidit Pichena. Alii omnes (etiam Bud.) *adsistunt.* Unde Ryckius putat verum esse: *S. adsistunt ordine et Legatum salutaturi* etc. quod placet. Ed. pr. (et Put.) vitiose *salutari.* Ern.

Mens a metu ad fortunam transierat] i. e. ad fiduciam, qualis esse solet a fortuna, ut sequentia indicant. Ern.

In ipso nihil tumidum] Ita decuit per se magnum animum, non attolli per fortunam. Claudiani illud pulchrum, et huc aptum de Fl. Mallii Theod. Cos. v. 245 *Frons privata manet. non se meruisse fatetur, Qui crevisse putat.* Attamen non leviter innovavit Vespasianus, si vera quæ Sulpicius Severus scribit lib. 2. Sac. Hist. *Vespasianus, cum Hierosolymam obsideret, sumit Imperium: et, ut mos est, diademate capiti imposito, ab exercitu Imperator consalutatus, Titum filium Cæsarem facit.* Sed palam illa falsa. Nec mos ejus ævi diadema tulit, nec Flavius per somnium usurpavit. Lips.

Tantæ multitudinis] Quantæ igitur? et quæ inde offusa caligo? Forsan: *tantæ mutationis.* Lib. 3, 49. *Dum hac totius orbis mutatione fortuna Imperii transit.* Josephus δ. ἁλώσ. λς. Συνιόντες δὲ οἵτε ἡγεμόνες καὶ οἱ στρατιῶται καθ᾽ ἑται-

nem disjecit, militariter locutus, læta omnia et adfluentia excepit. namque id ipsum opperiens Mucianus, alacrem militem in verba Vespasiani adegit. Tum Antiochensium theatrum ingressus, ubi illis consultare mos est, concurrentes et in adulationem effusos adloquitur: satis decorus etiam Græca facundia, omniumque, quæ diceret atque ageret, arte quadam ostentator. Nihil æque provinciam exercitumque accendit, quam quod adseverabat Mucianus, *statuisse Vitellium, ut Germanicas legiones in Syriam, ad militiam opulentam quietamque, transferret; contra Syriacis legionibus Germanica hiberna, cœlo ac laboribus dura, mutarentur.* Quippe et provinciales sueto militum contubernio gaudebant, plerique necessitudinibus et propinquitatibus mixti;

A. U. 823. A. C. 70.

ῥίαν φανερῶς ἤδη μεταβολὴν ἐβουλεύοντο. Gron. Non minus elegans est conjectura Trilleri Obs. 3, 22. *tantæ altitudinis*, e Livio inprimis 26, 45. *cum altitudo caliginem oculis offudisset etc.* Ei tamen Gronoviana forte præferenda propterea, quod antecedentia magis indicare videntur, caliginem ei offusam fuisse ex eo, quod repente et impetu militari tanta mutatio facta, ut colligere se et verba facere non posset statim. Lector eligat. Ern. Gronovii conjectura placet Ryckio, Broterio, Lallemandio. Dotteville dedit *vicissitudinis*, quod facile potuit a librario in *multitudinis* verti. Reddi meretur Tacito.

Militariter locutus] Rectissime. atque ita libri. Significat, orationem ejus castrensem horridamque fuisse, non cultam forensi aut urbano more. Qui (Rhenanus) *militariter lautus*, castigant, ineptiunt. Lips. Add. A. 15, 67. *Lautus* a Rhenano receptum mansit in edd. usque ad Lipsium. Ern. Rhen. intelligebat, Vesp. non fuisse urbana elegantia excultum.

Læta omnia et affluentia excepit] Frustra viri quidam docti corrigunt *omina*. Nam sequentia docent, non sermonem esse de ominibus, quibus milites concionantem prosecuti sunt, sed de iis, quæ postea ipsi secunda evenere. Nec *affluentia* tentandum. Undique copiæ legionum auxilia sociorum adfluebant ei et partibus ejus c. 81. Mox *namque* e Flor. bene edidit Pichena. Etiam ed. pr. (et Bud.) *namque*. Guelf. edd. Puteol. Ber. (Alc.) Rhen. etc. *nam*. Unde τὸ *jam*, quod est in Lips. edd. et sequacibus, errore operarum irrepsisse puto. Ern.

Consultare mos est] Qui mos scilicet plerisque Græcorum, et qui oriundi a Græcis. Frontinus Stratag. 3, 2, 6. *Alcibiades in theatro disseruit, ubi ex more Græcorum locus consultationi præbebatur.* Justinus 22, 2. *Agathocles velut Reip. statum formaturus, populum in theatrum ad concionem vocari jubet.* Inde illud Satyrici (Juvenalis) de principe oratore 10, 128. *et pleni moderantem fræna theatri.* Meminit ejusce ritus Cicero pro Flacco et alii. Lips.

Germanica hiberna] Sic edidit primus Rhenanus e MS. ut opinor, Budensi. Nam, ubi simpliciter corrigit, id indicio fere est, e MS. sumtam correctionem. Ea correctio servata usque ad J. Gronovium, qui veterem MSS. et edd. lectionem reduxit, *hiberno*: miro argumento: quod vanissimum et provinciis calamitosissimum foret, si tantum in hiberna mitterentur, post hiemem statim inde revocarentur. Ergo etiam ita ridicule sensit Suetonius in eadem re, in Vesp. 6. *destinasse Vitellium, victorem, permutare hiberna legionum, et Germanicas transferre in Orientem.* Mirum est, tali viro talia excidere potuisse. *Hiberna* centies dicuntur castra illa fixa et perpetua, quæ a militibus, in modum oppidorum, habitabantur in provinciis, nullo bello. Sic 3, 46. *expugnantur hiberna cohortium alarumque.* Unde *hiberna* v. c. *Germaniæ* pro militia in Germania dicuntur. Itaque lectionem Rhenani servavi, veramque credam, dum exempla proferantur, ubi *Germanica* aut *Syriaca* simpliciter pro castris in Germania aut Syria fixis et perpetuis dicuntur. Ern. Rhen. *hyberna*, nec indicat ex Bud. an ex ingenio. Illud hariolatur Ern. hoc Gron. qui rem acu tangit; jure ceterum reprehensus ab Ernestio.

A. U. 823. A. C. 70. et militibus vetustate stipendiorum nota et familiaria castra in modum Penatium diligebantur. Ante Idus Jul. Syria omnis in eodem sacramento fuit. Accessere cum Regno
81 Sohemus, haud spernendis viribus; Antiochus, vetustis opibus ingens et inservientium Regum ditissimus. mox per occultos suorum nuntios excitus ab urbe Agrippa, ignaro adhuc Vitellio, celeri navigatione properaverat. nec minore animo Regina Berenice partes juvabat, florens ætate formaque, et seni quoque Vespasiano magnificentia munerum grata. Quidquid provinciarum adluitur mari, Asia atque Achaia tenus, quantumque introrsus in Pontum et Armenios patescit, juravere. sed inermes Legati regebant, nondum additis Cappadociæ legionibus. Consilium de summa rerum Beryti habitum. illuc Mucianus, cum Legatis Tribunisque et splendidissimo quoque Centurionum ac militum, venit: et e Judaico exercitu lecta decora. Tantum simul peditum equitumque, et æmulantium inter se Regum
82 paratus, speciem fortunæ Principalis effecerant. Prima belli cura, agere delectus: revocare veteranos. destinantur validæ civitates exercendis armorum officinis: apud Antiochenses aurum argentumque signatur: eaque cuncta per idoneos ministros, suis quæque locis, festinabantur. Ipse Vespasianus adire, hortari, bonos laude, segnes exemplo,

Diligebantur] Id est, amabant vetera et nota castra, juxta ac suas ædes. Clarum, nec monitione dignum: nisi correctores, *dirigebantur*, maluissent. Lips. Rhenanum innuit, qui sic e Bud. putabatque de struendis castris esse sermonem. In textu tamen vulgatum servat.

Syria omnis] Huc Vaillant in NN. Col. t. 1. trahit numum Vespasiani Antiochiæ cusum, de quo videsis, quæ monet Eckhel in Doctr. NN. vet. vol. 3. p. 302. Prius Bud. *ante Kal. Julii.*

Sohemus] Rex Sophenes A. 13, 7. cujus iterum mentio infra 5, 1. Mox *cum viribus* Guelf. edd. Puteol. sqq. (et Rhen.) usque ad Lips. Edd. pr. Lipsii sqq. (et cod. Bud.) sine *cum.* alius MS. ap. Broterium *haud spernendus.* Ern. Sic volebat Acid.

Opibus ingens] Adtextam censeo vocem *ingens:* certe obnubilat sententiam et phrasem, quæ alias Tacito crebra. Lips. In numis quoque dicitur ΜΕΓΑΣ. Vid. Noris. in Ep. Syro-Mac. Diss. 2, 4. Eckhel l. c. vol. 3. p. 255. ubi fata ejus Regis recensentur.

Excitus ab urbe] Quomodo, aut quando ergo illuc venerat? Ex Egesippo disce 4, 21, *Sententiam novi Principis de bello Judæorum sciscitari, Vespasiano consilium fuit: misitque Titum filium, et Regem Agrippam. Titus de Achaia revertit: Agrippa Romam contendit, ut apud novum Principem locaret gratiam.* Lips. Mox *adhuc* Rhen. e Bud. prius erat *ad hoc.*

Berenice] Soror Agrippæ, Julia compellata et Tito amata, nupta primum Herodi Chalcidis, dein Polemoni II, Ponti et partis Chalcidis Regibus.

Introrsus in Pontum] Præpositionem addunt MSS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. edd. pr. Put. Ber. Alc. Rhen. pr. Ald. Gryph. In Rhen. secunda casu omissa, hinc a seqq. editoribus neglecta, a Ryckio restituta est. Ern.

Nondum additis] Vespasianus ipse addidit. Vide Tranquillum cap. 8. in Vespas. Lips.

Revocare veteranos] In quibusdam *evocare:* et recte. Isti enim sunt vere Evocati: de quibus in Milit. nostra dial. 1, 8. Lips. Mei omnes (et Bud.) *revocare.* Quod non tentandum. Idem verbum de hac re in inscr. ap. Grut. p. 524, 7. unde vulgatam lectionem defendit Fabrettus ad Col. Traj. p. 198. Mox MS. Agr. a 1. m. *festinantur.* Ern. Bud. *festinabantur.*

incitare sæpius, quam coercere; vitia magis amicorum, A. U.
quam virtutes dissimulans. Multos præfecturis et procura- 823.
tionibus; plerosque Senatorii ordinis honore percoluit, A. C. 70.
egregios viros et mox summa adeptos; quibusdam fortuna
pro virtutibus fuit. Donativum militi neque Mucianus
prima concione, nisi modice, ostenderat; ne Vespasianus
quidem plus civili bello obtulit, quam alii in pace: egregie
firmus adversus militarem largitionem, eoque exercitu me-
liore. Missi ad Parthum Armeniumque legati, provisum-
que, ne, versis ad civile bellum legionibus, terga nudaren-
tur. Titum instare Judææ, Vespasianum obtinere claustra
Ægypti placuit. sufficere videbantur adversus Vitellium
pars copiarum et Dux Mucianus et Vespasiani nomen, ac
nihil arduum fatis. Ad omnes exercitus Legatosque scriptæ
epistolæ, præceptumque, *ut Prætorianos Vitellio infensos, reci-
perandæ militiæ præmio invitarent.* Mucianus cum expedita 83
manu, socium magis Imperii, quam ministrum agens, non
lento itinere, ne cunctari videretur, neque tamen properans,
gliscere famam ipso spatio sinebat: gnarus, modicas vires sibi,
et majora credi de absentibus. Sed legio sexta et tredecim
vexillariorum millia ingenti agmine sequebantur. Classem
e Ponto Byzantium adigi jusserat: ambiguus consilii, num,
omissa Mœsia, Dyrrhachium pedite atque equite, simul
longis navibus versum in Italiam mare clauderet, tuta pone
tergum Achaia Asiaque: quas inermes exponi Vitellio, ni
præsidiis firmarentur: atque ipsum Vitellium in incerto
fore, quam partem Italiæ protegeret, si sibi Brundisium
Tarentumque et Lucaniæ Calabriæque litora infestis classi-
bus peterentur. Igitur navium, militum, armorum, paratu 84
strepere provinciæ. Sed nihil æque fatigabat, quam pecu-
niarum conquisitio: *eos esse belli civilis nervos,* dictitans

Donativum militi] Sic bene e Flor. dedit Pichena: sic et Guelf. Ante edd. omnes (et Rhen.) *donativa* (Bud. *donativo*). Et mox Rhenanus (e Bud.) *ne quidem* pro *nec quidem*. Ern.

Modicas vires sibi] Guelf. Harl. edd. Put. Ber. (Alc.) addunt *esse*. non bene. Mox eædem edd. *VIII.* pro *XIII.* Ern. Utraque emendatio debetur Rhenano e Bud.

Classem e Ponto] Intellege classem, quæ Romanis etiam illic ordinaria, ad tuendum Ponti oram. Quanta ea fuit? hauries e solo Egesippo 2, 9. in oratione (cui pulchra placent, eam legat) Agrippæ, *Mæotia Regna Bosporanique omnes Romano subjiciuntur Imperio. et illud ante innavigabile pelagus quadraginta naves ad pacem exercent.* Lips.

Dyrrhachium p. a. e. peteret] Sic edd. omnes præter primam, a qua abest *peteret*, quod etiam auctoritate MS. Flor. delevere Ryckius et J. Gronovius. *Claudere* voluit Dyrrhachium, et una Græciam omnem, præsidiis terrestribus, ne Vitellio aditus eo pateret, non *petere*, ut sequentia docent. Ern. Verbum *peteret* deest et in Agr. Regio Lall. Bud.

Si sibi Brundusium] Sic MSS. omnes et edd. ante Rhenanum; qui de conjectura edidit *si simul:* quod omnes usque ad Ryckium imitati sunt. Si vel unus bonus liber scriptus addiceret, sequerer et ipse. Sed et vetus lectio bona, atque etiam elegans est. Ern. Eamque bene tuetur Ryckius.

A. U. 823. A. C. 70. Mucianus, non jus aut verum in cognitionibus, sed solam magnitudinem opum spectabat. passim delationes: et locupletissimus quisque in prædam conrepti. quæ gravia atque intoleranda, sed necessitate armorum excusata, etiam in pace mansere: ipso Vespasiano, inter initia Imperii, ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinante: donec indulgentia fortunæ et pravis magistris didicit aususque est. Propriis quoque opibus Mucianus bellum juvit, largus privatim, quod avidius de Republica sumeret. Ceteri conferendarum pecuniarum exemplum secuti: rarissimus quisque eandem in reciperando licentiam habuerunt.

85 Accelerata interim Vespasiani cœpta, Illyrici exercitus studio, transgressi in partes. Tertia legio exemplum ceteris Mœsiæ legionibus præbuit. Octava erat ac septima Claudiana, inbutæ favore Othonis, quamvis prœlio non interfuissent. Aquileiam progressæ, proturbatis, qui de Othone nuntiabant, laceratisque vexillis, nomen *Vitellii* præferentibus, rapta postremo pecunia et inter se divisa, hostiliter egerant. Unde metus, et ex metu consilium: *posse inpu-*

Ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinato] Placet satis Florentinum *obstinante.* Sic enim Plautus Aulul. 2, 2, 89. *Id inhiat, ea affinitatem hanc obstinavit gratia.* Cæterum *obtinere iniquitatem,* ut Ciceroni pro Quinctio 23, *non ad obtinendum mendacium, sed ad verum probandum, auctoritatem adjuvare.* Et Philipp. secunda, 2. *contra injuriam, quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit.* Gron. *Obstinante* etiam MS. Reg. Agr. (Reg. Lall.) et ed. pr. intell. *se.* Recepere Ryckius et J. Gron. quos imitatus sum. Vulgg. et MSS. Harl. Bodl. et alius *obstinato,* quod sane usitatius, eamque ob caussam servatum Broterio. Ern. Et Pichenæ. Bud. *aut per vim obstinate.*

Largitus privatim, quod avidius de Rep. sumeret] Pro *largitus* Flor. Agr. (Bud. Reg. Lall.) Guelf. edd. omnes ante Rhenani secundam, *largus:* nec scio, unde *largitus* ductum sit. Vereor, ne sit operarum depravatio: quam tamen omnes postea secuti sunt. Itaque *largus* cum J. Gronovio restitui. Heinsius putabat legendum *largus privati:* quod placet Ryckio. Vir doctus in ed. Gryph. (item Muretus) corrigit *quo:* quod mihi magis placet. *Privatim* est de suo: cui bene opponitur *e Rep.* Sed illud ipsum, quod de suo dederat, non sumsit avidius de Rep. Immo post de publico ita avide sumsit, ut hac de caussa de suo largus fuisse videretur, quo posset, cum specie aliqua, tanto avidius de Rep. sumere. Ern. Mallem etiam *quo* cum Lallem.

Rarissimus quisque] Male MSS. Harl. Bodl. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. *carissimus.* Ern. Emendavit Rhen. e Bud.

Transgressi in partes] Rhenanus (duce Bud.) delevit *transgressi.* Abesse posse credo. sed quia omnes scr. et edd. ante habent, retinendum puto: restituitque Pichena. Ern. Et jure quidem meritoque. Ast Freinsh. volebat *studio. Transgressa in p. tertia* etc. Atque sic in cod. Agr. se invenisse testatur Ryckius et comprobat.

Tertia legio] Bud. *tertiadecima legio.*

Proturbatis, qui de Othone] Id est, spretis rejectisque, qui victum eum et vixisse dicebant. quod Suetonius dixit c. 6. *rumori eos non credidisse:* ut solent homines, in spem suam proni. Lips. Ante *jam* post *Aquileiam* cum Ryckio et J. Gron. auctoribus Flor. Agr. ed. pr. delevi. Ern. Bud. et Rhen. habent *jam.* Sic et Put. Alc.

Vexillis, nomen Vitellii præf.] V. Lips. ad 3, 31. Ern. Ex h. l. patet, jam tum Romanos habuisse vexilla textilia, quod et Dio firmat 40, 18. ubi velorum similia esse tradit. Cf. Cuperi ep. ad Sperling. in mutuis n. 42.

tari Vespasiano, quæ apud Vitellium excusanda erant. Ita tres Mœsicæ legiones per epistolas adliciebant Pannonicum exercitum, aut abnuenti vim parabant. In eo motu Aponius Saturninus, Mœsiæ rector, pessimum facinus audet, misso Centurione ad interficiendum Tertium Julianum, septimæ legionis Legatum, ob simultates, quibus caussam partium prætendebat. Julianus, comperto discrimine, et gnaris locorum adscitis, per avia Mœsiæ, ultra montem Hæmum profugit. nec deinde civili bello interfuit, per varias moras susceptum ad Vespasianum iter trahens, et ex nuntiis cunctabundus, aut properans. At in Pannonia XIII. legio ac VII. Galbina, dolorem iramque Bedriacensis pugnæ retinentes, haud cunctanter Vespasiano accessere, vi præcipua Primi Antonii. Is legibus nocens et tempore Neronis falsi damnatus, inter alia belli mala, Senatorium ordinem reciperaverat. Præpositus a Galba septimæ legioni, scriptitasse Othoni credebatur, Ducem se partibus offerens: a quo neglectus, in nullo Othoniani belli usu fuit. labantibus Vitellii rebus, Vespasianum secutus, grande momentum addidit; strenuus manu, sermone promptus, serendæ in alios invidiæ artifex, discordiis et seditionibus potens, raptor, largitor, pace pessimus, bello non spernendus. Juncti inde Mœsici ac Pannonici exercitus, Dalmaticum militem traxere, quamquam Consularibus Legatis nihil turbantibus. Titus Ampius Flavianus Pannoniam, Poppæus Silvanus Dalmatiam tenebant, divites senes. Sed Procu-

A. U. 823.
A. C. 70.

86

Ita tres M. legiones] Acidalius corrigit *jam:* quod non necessarium puto. *Ita* est, hoc facto, his de caussis, ut alibi, pro his dictis, dicitur. Mox verba *Pannonicum exercitum a. a. v. parabant* (duce Bud.) delevit Rhenanus et sic interpunxit: *ita tres Mœsicæ legiones p. ep. alliciebant.* Vetus restituit Lipsius. Ern.

In eo motu Aponius] Sic Flor. Guelf. (Bud.) ed. pr. quod restituit Pichena, et in margine scripserat Lipsius. *Metu* primus edidit Puteol. nisi operarum vitium est, ortum e mox præcedentibus. Ern. Secuti Alc. Rhen.

Primi Antonii] Egesippi super hoc nobili Duce errorem non celo, sive errores potius. Is enim 4, 29. facit eum *Præfectum tertio ordini militari:* id est, legioni tertiæ. Atqui septimæ præponit eum statim noster. Item in Mysia eum collocat: noster clare in Pannonia. Quis autem præponderare fidem Cornelianam nesciat? Lips. Cf. de Antonio 14, 40.

Reciperaverat] Bene sic distinxit Pich. probante Acidalio.

Flavianus] Malui quam *Fabianus.* Farnesianum codicem audio et Tacitum ipsum, qui non aliter seq. libro (c. 4. et 10.) appellat. Lips. Sic et Flor. ed. pr. Ex eodem Flor. Pichena insuper addidit *Ampius,* quomodo et 3, 4. vocatur. Ern. Bud. *Titus Fabianus.*

Pompeius Sullanus] Imo *Silvanus.* Ita enim 3, 50. *Sex millia Dalmatarum ducebat Pompeius Silvanus, Consularis senex.* Lips. Recte *Silvanus,* quod est et in Flor. Reg. ed. pr. sed insuper etiam *Poppæus* e Flor. edidit Pichena. Omnes alii libri *Pompeius,* quod verum videtur Ryckio, quem vide ad 3, 50. 1, 77. 4, 47. idque recepit Broterius. Ern. Bud. *Pompeius Silianus.*

Sed Procurator aderat] Rhenanus frustra tentat *et.* Legati illi nil pro Vespasiano, sed Procurator. Quia simpliciter Procurator vocatur, utriusque provinciæ Procuratorem fuisse putat Pichena. Ern. Rhen. ex ingenio emendare parabat; nam Bud. habet *sed,* sic et Agr.

A. U. 823. A. C. 70. rator aderat Cornelius Fuscus, vigens ætate, claris natalibus. prima juventa, quietis cupidine, Senatorium ordinem exuerat. idem pro Galba Dux coloniæ suæ, eaque opera Procurationem adeptus, susceptis Vespasiani partibus, acerrimam bello facem prætulit: non tam præmiis periculorum, quam ipsis periculis lætus: pro certis et olim partis nova, ambigua, ancipitia malebat. Igitur movere et quatere, quidquid usquam ægrum foret, adgrediuntur. Scriptæ in Britanniam ad quartadecimanos, in Hispaniam ad primanos epistolæ; quod utraque legio pro Othone, adversa Vitellio fuerat. sparguntur per Gallias litteræ: momentoque temporis flagrabat ingens bellum, Illyricis exercitibus palam desciscentibus, ceteris fortunam secuturis.

87 Dum hæc per provincias a Vespasiano Ducibusque partium geruntur, Vitellius contemptior in dies segniorque, ad omnis municipiorum villarumque amœnitates resistens, gravi urbem agmine petebat. Sexaginta millia armatorum sequebantur, licentia conrupta: calonum numerus amplior; procacissimis etiam inter servos lixarum ingeniis: tot Legatorum amicorumque comitatus, inhabilis ad parendum, etiam si summa modestia regeretur. Onerabant multitudinem obvii ex urbe Senatores Equitesque: quidam metu, multi per adulationem, ceteri ac paullatim omnes, ne, aliis proficiscentibus, ipsi remanerent. Adgregabantur e plebe, flagitiosa per obsequia Vitellio cogniti, scurræ, histriones, aurigæ, quibus ille amicitiarum dehonestamentis mire gau-

Prima inventa quietis cupidine] Non sane quieti hominem ingenii fuisse, sequentia ostendunt. Itaque Grotius volebat legi *quæstus cupidine*, collato A. 16, 17. *Mela, quibus Gallio et Seneca parentibus natus, petitione honorum abstinuerat per ambitionem præposteram: ut Eques Romanus Consularibus potentia æquaretur, simul acquirendæ pecuniæ brevius iter credebat per Procurationes, administrandis Principis negotiis.* Simili de caussa alii in ordine Equestri permansere, ut Atticus. Sed tamen *quietis* non tentandum puto. Nam iste Fuscus nec negotiator, nec Procurator factus, cum Senatu abisset, nec petiit: sed in colonia sua vixit quietus, dum motus adversus Neronem ortus est. Bella civilia hominem mutavere. Mox *idemque* Guelf. edd. Puteol. Beroald. Alc. Iidem *et ancipitia* cum ed. pr. Ern. Rhen. duce Bud. sustulit utramque copulam. Bip. τὸ *quæstus* recipiunt et indubium putant exemplo Mellæ, a Grotio prolato. Verum codices obstant, et vulgatum stare potest. A prima ætate ad provectiorem mutasse mentem Fuscus videtur, postquam aliquamdiu in colonia vitam egerat.

Dux coloniæ suæ] Ryckius ex Plut. Galba 6. *Coloniam* oppidum Hispaniæ huc traxit; sed ibi rectius Xylander *Cluniam* reposuit: Hanc ipsam hic intelligi arbitratur Broterius. Pronomen *suæ* suspectum est Bipontinis.

Igitur movere etc.] Hæc non pertinent ad solum Fuscum, sed ad Duces Vespasiani. quod cum non animadverteretur, editum *aggreditur* a Beroaldo et seqq. (Alc. Rhen.) usque ad Pichenam. *Aggrediuntur* etiam MSS. Guelf. Reg. Bodl. Harl. edd. pr. Puteol. Ern. Sic Flor. Bud. Regius Lall.

Procacissimis etiam inter servos lixarum ingeniis] Freinshemium tentantem *inter severos*, bene refellit Ryckius. *Lixæ et calones* centies junguntur. Calones sunt servi, cum his procacissimi lixæ erant. Ern.

debat. Nec coloniæ modo, aut municipia, congestu copia- A. U.
rum, sed ipsi cultores arvaque, maturis jam frugibus, ut ho- 823.
stile solum vastabantur. Multæ et atroces inter se militum A. C. 70.
cædes, post seditionem Ticini cœptam manente legionum 88
auxiliorumque discordia; ubi adversus paganos certandum
foret, consensu. Sed plurima strages ad septimum ab urbe
lapidem. singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos, ut
gladiatoriam saginam, dividebat: et effusa plebes totis se
castris miscuerat. Incuriosos milites, vernacula utebantur
urbanitate, quidam spoliavere, abscisis furtim balteis, *an
accincti forent*, rogitantes. Non tulit ludibrium insolens
contumeliæ animus: inermem populum gladiis invasere.
cæsus inter alios pater militis, cum filium comitaretur;
deinde agnitus: et, vulgata cæde, temperatum ab innoxiis.
In urbe tamen trepidatum, præcurrentibus passim militibus.
Forum maxime petebant, cupidine visendi locum, in quo
Galba jacuisset. Nec minus sævum spectaculum erant
ipsi, tergis ferarum et ingentibus telis horrentes, cum tur-
bam populi per inscitiam parum vitarent, aut, ubi lubrico
viæ vel occursu alicujus procidissent, ad jurgium, mox ad
manus et ferrum transirent. Quin et Tribuni Præfectique
cum terrore et armatorum catervis volitabant. Ipse Vitel- 89
lius, a ponte Milvio, insigni equo, paludatus accinctusque,

Cœptam: manente etc.] Sic vulgo interpungunt. At ego interpunctionem sustuli. nam cohærent ista: manebat discordia post cœptam Ticini seditionem, de qua supra narratum est. Ern.

Ut gladiatoriam saginam] Cod. Agr. *ad gl. sag.* Cyprianus ep. ad Donatum: *Impletur in succum cibis fortioribus corpus, et arvina assidui nidoris moles membrorum robusta pinguescit, ut saginatus in pœnam carius pereat.* Plura dabit And. Schottus Obs. hum. 5, 9.

Vernacula urbanitate] Libri aliquot veteres, *vernacula utebantur urbanitate.* Fuit omnino, *ut rebantur.* Illi jocari se urbanatim censebant: at milites rusticatim tetigerunt. Lips. *Utebantur* est etiam in Flor. Guelf. (Bud.) Agr. edd. ante Rhenanum omnibus. Lipsii conjecturam recepit J. Fr. Gronovius. (Sic et Brot. Lall. Ern.) *Utebantur* quoque tolerari posse putabat J. Gronovius. Ern. Cur Rhen. vocem sustulerit, non adparet; nihil monet. Sequor codices. *Vernula urbanitas* occurrit apud Petron. c. 24. ubi cf. Burm.

Abscissis s. balteis] MS. Flor. (et Bud.) ed. pr. *abscisis:* quod recepit Jac. Gronovius. quem imitati sumus. Sæpe hæc forma a librariis in alteram conversa, et a viris doctis apud Livium et alios restituta. Vid. viros doctos ad Liv. 4, 19. 31, 34. adde infra 3, 74. ubi similiter ed. pr. (et cod. Bud.) *absciso.* Ern.

Cum filium comitaretur] Pater undecumque filium prosecutus, non a filio, sed ab alio milite hominem ignorante, irato autem omnibus paganis, quod alicujus illorum fraude zonam perdidisset, et in obvios sæviente, cæsus est: deinde intellectum, non hunc in ea culpa, neque e scurris istis fuisse, sed filio comitem hæsisse. Gron. Hæc contra Reinesium dicta, qui ep. 51. tentabat *conviciaretur:* existimans patrem a filio cæsum. Ern.

Sævum spectaculum] Flor. *scævum:* quod recepit J. Gronovius. Mihi id verbum lenius quam pro re videtur. Et satis hodie constat, librarios pronissimos fuisse in hanc scripturam, *scævus* et *scævire* pro *sævus* et *sævire:* quod interdum nimis cupide viri docti arripuerunt, ut bene monet Drakenb. ad Liv. 2, 27. Ern.

Ipsi] Deest in Bud. sic et mox *ubi.*

Paludatus accinctusque] Sueton. tamen tradit sic fecisse cap. 11. *Urbem ad classicum introiit paludatus ferroque*

A. U. 822. A. C. 70. Senatum et Populum ante se agens, quo minus, ut captam, urbem ingrederetur, amicorum consilio deterritus, sumpta prætexta et composito agmine, incessit. Quatuor legionum aquilæ per frontem, totidemque circa e legionibus aliis vexilla, mox XII alarum signa, et post peditum ordines, eques: dein quatuor et XXX cohortes, ut nomina gentium, aut species armorum forent, discretæ. Ante aquilam Præfecti castrorum Tribunique et primi Centurionum, candida veste: ceteri juxta suam quisque centuriam, armis donisque fulgentes. Et militum phaleræ torquesque splendebant. decora facies, et non Vitellio Principe dignus exercitus. Sic Capitolium ingressus, atque ibi
90 matrem complexus, Augustæ nomine honoravit. Postera die, tamquam apud alterius civitatis Senatum Populumque, magnificam orationem de semetipso prompsit, industriam temperantiamque suam laudibus adtollens: consciis flagitiorum ipsis, qui aderant, omnique Italia, per quam somno et luxu pudendus incesserat. Vulgus tamen, vacuum curis, et sine falsi verique discrimine solitas adulationes edoctum, clamore et vocibus adstrepebat: abnuentique nomen *Augusti*, expressere, ut adsumeret: tam frustra, quam recusave-
91 rat. Apud civitatem, cuncta interpretantem, funesti ominis loco acceptum est, quod, maximum Pontificatum adeptus, Vitellius de cæremoniis publicis XV. Kal. Aug. edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi Alliensique cladibus. adeo omnis humani divinique juris expers, pari libertorum amicorumque socordia, velut inter temulentos agebat. Sed comitia Consulum cum candidatis civiliter celebrans, om-

succinctus inter signa atque vexilla, sagulatis comitibus, ac detectis commilitonum armis. Sed Tacitus audiendus. Ern. Huc facit numus Vitellii, in quo togatus a Roma galeata excipitur, adscripto ADVENTUS AUGUSTI. Eandem epigraphen alius habet, qui paludatum Imperatorem et equo vectum sistit. Vide Oiselii thes. sel. XX. tab. 90. Uterque ex Taciti hoc loco egregie explicatur, nec opus erat, ut a Grainvillio in Mém. pour l'hist des sciences et des beaux arts a. 1703. posterior adversus Tacitum adlegaretur. Cf. Broterius.

Ante Aquilam] Accipe, ante suam quemque aquilam. Alioqui verius *aquilas:* quatuor nam erant simul. Lips. Ryckius putat *aquilas* firmari MS. Flor. in quo *aquila*. Sed in illo libro sæpe omittitur litera *m*, omissa sc. virgula supra ultimam literam. Sic mox c. 92. *ad præfectura:* quod similiter frustra Pichena putat firmare Lipsii conjecturam. Virgula omissa est per negligentiam H. 3, 2. *reserata* pro *reseratam*. Ern.

Decora facies et non Vitellio Principe dignus exercitus] Hæc tota clausula non erat in MS. Bud. Suspicabatur Rhen. e margine in contextum relatam (servat tamen). *Et* accipe dictum pro *sed*, ut centies alibi. *Honoravit*, quod Rhen. (e Bud.) edidit, etiam Flor. Guelf. et alii. At edd. ante Rhen. omnes *decoravit*. Ern.

Comitia Consulum cum candidatis civiliter celebrans] Nusquam jejunius et infelicius ὁ πάνυ Savilius, qui interpretatur, munera a candidatis Consulatus edita civiliter celebrans. Imo cum suis candidatis circumiens et prensans Patres, penes quos tum erant comitia. Livius 39, 32. *Claudius Consul sine lictoribus cum fratre toto foro volitando, clamantibus adversariis et majore parte*

nem infimæ plebis rumorem, in theatro ut spectator, in A. U.
circo ut fautor, adfectavit. quæ, grata sane et popularia, si 823.
a virtutibus proficiscerentur, memoria vitæ prioris, indecora A. C.
et vilia accipiebantur. Ventitabat in Senatum; etiam cum 70.
parvis de rebus Patres consulerentur. Ac forte Priscus
Helvidius, Prætor designatus, contra studium ejus censue-
rat. Commotus primo Vitellius, non tamen ultra, quam
Tribunos plebis in auxilium spretæ potestatis advocavit. Mox,
mitigantibus amicis, qui altiorem iracundiam ejus vereban-
tur, *nihil novi accidisse,* respondit, *quod duo Senatores in
Republica dissentirent: solitum se etiam Thraseæ contradicere.*
Inrisere plerique inpudentiam æmulationis: aliis id ipsum
placebat, quod neminem ex præpotentibus, sed Thra-
seam, ad exemplar veræ gloriæ legisset. Præposuerat 92
Prætorianis P. Sabinum, a Præfectura cohortis; Julium

Senatus, meminisse eum debere prius, se Consulem Populi Rom. quam fratrem P. Claudii esse: quin ille sedens pro tribunali aut arbitrum aut tacitum spectatorem comitiorum se præberet, coerceri tamen ab effuso studio nequiit. Val. Maximus 5, 2. *Metellus non dubitavit Consul pro Q. Calidio Præturæ candidato supplicare populo, quod Tribunus pl. legem, quo pater ejus in civitatem restitueretur, tulerat.* Cicero pro Plancio c. 6. *Si, quotiescumque præteritus erit is, qui non debuit præteriri, toties oportebit eum, qui factus erit, condemnari, nihil jam est, quod populo supplicetur; nihil quod diribitio, nihil quod suffragatio magistratuum, renuntiatio suffragiorum exspectetur.* Sic enim legendum. Et in eadem c. 10. *precibus aliquid attulimus etiam nos, appellavi populum, tribubus submisi me et supplicavi; ultro mehercules se mihi etiam offerentes, ultro pollicentes rogari.* Sueton. Aug. 56. *Quoties Magistratuum comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circumibat, supplicabatque more solenni.* Prorsus sic postea civiliores Principum agebant inter Patres. Plinius ep. 320. *Excesseramus sane manifestis illis apertisque suffragiis licentiam concionum. non tempus loquendi, non tacendi modestia, non denique sedendi dignitas custodiebatur. Magni undique dissonique clamores: procurrebant omnes cum suis candidatis: multa agmina in medio, multique circuli et indecora confusio.* Ex his immodicis studiis homini prudenti facile colligere est, simile quid, licet non tam vehemens, etiam severos fecisse. Idem Plinius Paneg. 69. *Nec ideo segnius juvenes nostros exhortatus es, Senatum circumirent, Senatui supplicarent: atque ita a Principe sperarent honores, si a Senatu petissent. Quo quidem in loco, si quibus opus exemplo, adjecisti, ut te imitarentur.* cap. 71. *Quo gaudio exceptum est, cum candidatis, ut quemque nominaveras, osculo occurreres? devexus quidem in planum, et quasi unus ex gratulantibus.* Et mox: *Contigit ergo oculis nostris insolita facies, Princeps et candidatus, æquales et simul stantes: intuerique parem accipientibus honorem, qui dabat.* Denique: *Cum orationi oculos, vocem, manum commodares: ut si alius eadem ista mandasset, omnes comitatis numeros obibas: atque etiam, cum suffragatores nomina, honore quo solent, exciperent: tu quoque inter excipientes eras, et ex ore Principis ille Senatorius assensus audiebatur.* Hoc est, *civiliter cum candidatis comitia celebrare.* Et sic gratiam quærebat in Senatu. Quod sequitur, delinimentum ad plebem est, et a præcedenti differt toto genere. Gron.

Thraseæ contrad.] Cf. 16, 21. ubi plura de Thrasea. Mox Ferrettus malebat *inprudentiam.*

Quod neminem ex præpotentibus] Sic e Flor. Pich. pro *quod non. Neminem* etiam ed. pr. MS. Guelf. in marg. sed antiqua manu, eraso τῷ *non* in textu. Ern. Bud. *non.*

P. Sabinum, ac Præfecturæ cohortis] Bene Mercerus, *P. Sabinum a Præfectura cohortis, et Julium:* id est, qui dumtaxat cohorti præfuerat, et docet, alium hunc Sabinum a fratre Vespasiani esse. Lips. Verum puto, et bene rece-

A. U. 823. A. C. 70. Priscum, tum Centurionem: Priscus Valentis, Sabinus Cæcinæ gratia pollebant. Inter discordes Vitellio nihil auctoritatis. munia Imperii Cæcina ac Valens obibant: olim anxii odiis, quæ, bello et castris male dissimulata, pravitas amicorum, et fecunda gignendis inimicitiis civitas auxerat, dum ambitu, comitatu, et inmensis salutantium agminibus contendunt comparanturque; variis in hunc aut illum Vitellii inclinationibus. Nec unquam satis fida potentia, ubi nimia est. Simul ipsum Vitellium, subitis offensis aut intempestivis blanditiis mutabilem, contemnebant metuebantque. Nec eo segnius invaserant domos, hortos, opesque Imperii: cum flebilis et egens nobilium turba, quos ipsos liberosque patriæ Galba reddiderat, nulla Principis misericordia juvarentur. Gratum primoribus civitatis, etiam plebes adprobavit, quod reversis ab exilio jura libertorum concessisset: quamquam id omni modo servilia ingenia conrumpebant, abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos

ptum a Pichena. Sed Florentinus nil juvat, ut illi videtur. Vid. ad c. 89. Ern. Bud. ut vulgo, *ad prefecturam.* Flor. *ad prefectura,* omissa lineola.

Dum Centurio esset] In Farnesiano non erat vocula *esset.* itaque ex facili et vero emendavi, *tum Centurionem.* Significat utrumque ex parvo aut modico ad primam dignitatem promotum. Lips. Recepit Pichena, quod etiam in Flor. *Centurionem* scriptum est. Ed. pr. (et Agr. cod.) *dum Centurio est.* J. Gronovius *dum Centurionem* defendit recipitque. Exemplum quidem ex argumento Asconiano or. pro Mil. alienum est: *et ob id mense Januar. nulli dum Consules nec Prætores essent.* Ern. Bud. *dum C. esset.*

Reversis ab exilio jura libertorum concessit] Interpretor. Cum Galba exsules restituisset: non tamen etiam bona. credo, quia in fiscum illata, et pleraque jam per prodigentiam Neronis consumpta. Sed nec pars, quæ accusatoribus sententia judicum semel donata, temere eripienda videbatur. Itaque egebant. Vitellius eos miseratus, huc decurrit, ut largiretur jura libertorum, dupliciter quidem: redderet, inquam, jura libertorum veterum, daret et eorum, qui postea manumissi. non aliter, quam si ab illo justo domino manumissi fuissent. In speciem igitur ingens hoc donum. Nam operas liberti domino debebant, alimenta, si egeret, denique testamento bonorum semissem. quæ omnia prompta et obvia tibi apud ICtos. Hoc vulgo etiam appellant jus patronatus et jus patronorum. Plinius ep. 10, 12. (6.) Ejusdem sententiæ versus illos Martialis censeo (Princeps ICtorum hodie varie eos tamen traxit) ad Trajanum 10, 34. *Qui sua restituis spoliato jura patrono, Libertis exsul non erit ille suis.* Nec dissimilis, imo major benignitas Augusti in Iulum Antonii hostis sui filium. de quo Dio 51, 15. Τῷ Ἰούλῳ, τῷ τοῦ Ἀντωνίου τῆς τε Φουλουΐας υἱεῖ, τοὺς ἐξελευθέρους αὐτοῦ πάνθ᾽ ὅσα τελευτῶντας σφᾶς καταλιπεῖν αὐτῷ κατὰ τοὺς νόμους ἔδει, παραχρῆμα δοῦναι ἐκέλευσε. Lips.

Quamquam id omni modo] Vocem *omni modo* ex Fl. Pichena edidit. Est etiam sic in (Bud. et) Guelf. Edd. omnes *omnino.* Ern.

Ambitiosos sinus] Argui olim de mendo, ipse fortasse arguendus. Sententiam nunc expedio: Vitellium quidem exsulibus reversis jura reddidisse vetera in libertos: sed non cum magno fructu. quia pecunias suas occultabant per varias artes et recessus. ita in alimentis aliisque patronos fraudabant, ut modici ipsi et inopes. Voci *sinus* ea vis subest fraudandi, subtrahendi, occulendi. Tacitus 4, 14. *Tradi se Præfectis Centurionibusque, quos, ubi spoliis expleverunt, mutari: exquirique noves sinus et varia prædandi vocabula.* Plinius 36, 15. (24.) *Unde M. Scaurus pater, toties princeps civitatis, et Marianis sodaliciis rapinarum provincialium sinus?* Sinum vocat hominem ipsum, in quem rapinæ omnes collatæ velut in sinum. Plura exempla huic rei vide, si

sinus. et quidam in domum Cæsaris transgressi, atque ipsis A. U.
dominis potentiores. Sed miles, plenis castris et, redun- 823.
dante multitudine, in porticibus aut delubris et urbe tota A. C.
vagus, non principia noscere, non servare vigilias, neque 70.
93
labore firmari: per inlecebras urbis et inhonesta dictu, corpus otio, animum libidinibus inminuebant. Postremo, ne salutis quidem cura, infamibus Vaticani locis magna pars tetendit: unde crebræ in vulgus mortes. Et, adjacente Tiberi, Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora fluminis aviditas et æstus inpatientia labefecit. Insuper confusus, pravitate vel ambitu, ordo militiæ. Sedecim Prætoriæ, quatuor urbanæ cohortes scribebantur, quis singula millia inessent. Plus in eo delectu Valens audebat, tamquam ipsum Cæcinam periculo exemisset. sane adventu ejus partes convaluerant, et sinistrum lenti itineris rumorem prospero prœlio verterat: omnisque inferioris Germaniæ miles Valentem adsectabatur. unde primum creditur Cæci-
næ fides fluitasse. Ceterum non ita Ducibus indulsit Vitel- 94
lius, ut non plus militi liceret. sibi quisque militiam sumpsere, quamvis indignus, si ita maluerat, urbanæ militiæ adscribebatur: rursus bonis, remanere inter legionarios aut alares volentibus, permissum. nec deerant, qui vellent, fessi morbis et intemperiem cæli incusantes. Robora tamen legionibus alisque subtracta: convulsum castrorum decus, XX millibus, e toto exercitu, permixtis magis quam electis. Concionante Vitellio, postulantur *ad supplicium Asiaticus et Flavius et Rufinus, Duces Galliarum, quod pro Vindice bellassent.* Nec coercebat ejusmodi voces Vitellius; super insitam inerti animo ignaviam, conscius, sibi instare

lubet, apud Barn. Brissonium in lexico: et lumen ab eo fænerare, qui vere Europæ lumen. Lips. *Ambitiosos sinus* Pichena dici putat, quod depositæ pecuniæ apud potentiores. Ern. Bud. *ambitiosissimos.*

Imminuebant] Sic Flor. Agr. (Bud. Reg. Lall.) ed. pr. Ceteri scr. et edd. (etiam Rhen.) *imminuebat.* Primus recepit Ryckius. Librarios turbavit singularis numerus in *miles*, ut sæpe. Ern.

Infamibus Vaticani locis] Ob ærem parum purum: quod etiam hodie experiuntur. Frontinus l. 2. de Aquæd. vult id emendatum in tota urbe. suo ævo, idque ablutione aquarum: *Ne pereuntes quidem aquæ otiosæ sunt. Nam immunditiarum facies et impurior spiritus et caussæ gravioris cœli, quibus apud veteres urbis infamis aer fuit, sunt remotæ.* Lips. Mox e Flor. (et Agr.) a Ryckio et J. Gronov. editum *adjacente Tiberi* pro *adjacentia.* Consentit (Reg. Lall.) ed. pr. Vellem, docuissent *jacere* et *adjacere* de fluminibus dici: quod dum fiat, (nam mihi nullus locus occurrit) vulgatum servabo. Locus Plinii H. N. 6, 17 (21). *gens adjacens mari* plane est alienus. Duo epitheta sine copula locum habent, si alterum sit participium ut h. l. Ern. Bud. *adjacenti*, Bip. *adjacente* scil. Vaticano campo. eo quod is adjacet Tiberi. Sic salva lectio Flor.

Germanorum Gallorumque] MS. Bud. ed. pr. *Gadavorum.* Unde Rhen. putabat legendum *Batavorum* (non tamen recepit). Sed contra monet Vertranius, Batavorum cohortes domum remissas fuisse. Ern. Cf. c. 69.

Super insitam animo ignaviam] Flor. inserit vocem, *insitam morte animo.* Putarem, *insitam forte:* etsi hoc ad caus-

A. U. 823. A. C. 70. donativum et deesse pecuniam, omnia alia militi largiebatur. Liberti Principum, *conferre pro numero mancipiorum*, ut tributum, jussi. Ipse, sola perdendi cura, stabula aurigis exstruere: circum gladiatorum ferarumque spectaculis opplere: tanquam in summa abundantia, pecuniæ inludere.

95 Quin et natalem Vitellii diem Cæcina ac Valens, editis tota urbe vicatim gladiatoribus celebravere: ingenti paratu et ante illum diem insolito. Lætum fœdissimo cuique, apud bonos invidiæ fuit, quod exstructis in campo Martio aris, inferias Neroni fecisset. cæsæ publice victimæ crematæque: facem Augustales subdidere: quod sacerdotium, ut Romulus Tatio Regi, ita Cæsar Tiberius Juliæ genti sacravit. Nondum quartus a victoria mensis, et libertus Vitellii, Asiaticus, Polycletos, Patrobios et vetera odiorum nomina æquabat. Nemo in illa aula probitate aut industria certavit: unum ad potentiam iter, prodigis epulis et sumptu ganeaque satiare inexplebiles Vitellii libidines.

sam sequentem traho. Lips. Pichena suspicatur *morte* natum ex *inerti*. Ern. Bip. recepere *inerte animo*. Malim cum Pichena *inerti*. Sic Cic. ep. ad Fam. 12, 20. et alibi passim *inertiam* et *ignaviam* jungit.

Omnia alia militi] Hunc quoque locum liberare inusta nota possumus. Ait enim hoc: Vitellium, quia pecuniam dare militi non poterat, impunitatem et licentiam omnis culpæ dedisse: ut hac saltem blanditia eum retineret. Nec aliter sane fit in paupere militia. Lips.

Liberti Principum] Non muto: et scio multos Romæ, eosque prædivites, priorum Principum libertos. Videatur tamen et lectio et rapina proclivior, si libertos *Patrum* substituas: aut de iis *principes* hic capias. Lips. Hoc verum. *Conferre* non erat in MS. Budensi. Ed. pr. vitiose *conferri*. Ern. *Principum* intellige *priorum Cæsarum*.

Cæcina ac Valens] Sic Rhen. e Bud.

Exstructis in campo] Scriptor incertus apud Suidam in voce Βιτέλλιος, hanc rem sic narat: Καὶ τὸν νεκρὸν τοῦ Νέρωνος ἐς κοιλόν τινα καὶ ἀφανῆ τάφον καταχείμενον ἀπεσέμνυνε. Lips.

Neroni fecisset] Reposui pro *jecisset*. Lips. Vel *jecissent*, ut edd. Puteol. Ber. (Alc.) habent. Mox *facem* Flor. ut voluerat Muretus, et vir doctus in ed. Gryph. Ita tollitur ambiguitas levis, ne *Augustales* ad *faces* ut adjectivum referatur. *Facem*, intellige, suam quisque, suæ quisque aræ. MS. Harl. Arund. *subditæ*. Ern. Bud. *jecisset*. Dein *faces*. Contra *facem* Agr. et Reg. Lall. Put. Alc. *subditæ*. Bud. Agr. *subdere*, Rhen. bene *subdidere*.

Vetera odiorum nomina æquabat] Nempe ut insolentia, rapacitate, divitiis etiam, ita invidia et odio. Ern.

Probitate aut ind.] Bud. *prob. et ind.*

Sumtu Caianæ aquæ] De Caiana aqua, id est, ut (Lupanus et Vertranius) volunt, aquæductu illo sumptuoso, nugæ magnæ. Nec Ferretti quidem emendatio ad genium meum aut librorum, *Caianæ aulæ*. Nobis suboluit mendum et ejus causa, e deductione copulæ: quam reddimus legimusque, *sumptu saginaque*. Saginæ vox apta, quoties de helluone Vitellio: et Tacito velut de industria usurpata. Ut c. 71. *luxu et saginæ mancipatus emptusque*. Iterum 1, 62. *medio die temulentus et sagina gravis*. Nec aliter Cicero pro Flacco 7. *Qui multitudinem illam non auctoritate, sed sagina tenebat*. Hæc apta et bona. Palmerii tamen conjectura (in Spicil. ap. Grut. in lamp. t. 4.) non minus recta, *sumptu ganeaque*. Lips. Hoc recepit primus Pichena. Flor. (et Reg. Lall.) *gaianeaque*; quod voluit exprimere Spirensis in ed. pr. *galane aquæ*. In Guelf. man. sec. fecit *baianæ aquæ*; inepte. Ern. *Ganeæ* voce aliquoties utitur noster, ut A. 3, 52. 6, 4. Glossema habet Agr. *sumtu luxuriaque*. Malherbius ap. Gevartium in electis 3, 3. legit *sumtu ganeæ aleæque*, quod Gevartio res ipsa, non conjectura, esse videtur.

Ipse abunde ratus, si præsentibus frueretur, nec in longius A. U.
consultans, novies millies sestertium, paucissimis mensibus, 823.
intervertisse creditur. Magna et misera civitas, eodem A. C.
anno Othonem Vitelliumque passa, inter Vinios, Fabios, 70.
Icelos, Asiaticos, varia et pudenda sorte agebat; donec successere Mucianus et Marcellus et magis alii homines, quam
alii mores. Prima Vitellio *tertiæ legionis defectio* nuntiatur, 96
missis ab Aponio Saturnino epistolis, antequam is quoque Vespasiani partibus adgregaretur. Sed neque Aponius cuncta, ut trepidans re subita, perscripserat, et amici adulantes mollius interpretabantur: *unius legionis eam seditionem, ceteris exercitibus constare fidem.* In hunc modum etiam Vitellius apud milites disseruit, Prætorianos nuper exauctoratos insectatus, *a quibus falsos rumores dispergi, nec ullum civilis belli metum,* adseverabat, suppresso Vespasiani nomine, et vagis per urbem militibus, qui sermones populi
coercerent. id præcipuum alimentum famæ erat. Auxi- 97
lia tamen e Germania Britanniaque et Hispaniis excivit, seguiter, et necessitatem dissimulans. Perinde Legati provinciæque cunctabantur: Hordeonius Flaccus, suspectis jam Batavis, anxius proprio bello, Vectius Bolanus, nunquam satis quieta Britannia: et uterque ambigui. neque ex Hispaniis properabatur, nullo tum ibi Consulari. trium legionum Legati, pares jure et, prosperis Vitellii rebus, certaturi ad obsequium, adversam ejus fortunam ex æquo detrectabant. In Africa legio cohortesque, delectæ a Clodio Macro, mox a Galba dimissæ, rursus jussu Vitellii militiam cepere. simul cetera juventus dabat impigre nomina. quippe

Novies millies sestertium] Sidonius in Paneg. ad Majorianum, abire ab hac summa videtur, ubi vitia singulorum Principum recensens, de isto ait v. 325. —*post quinta VitellI Millia, famosi ventris donata barathro.* Valde, inquam, abit, si de tota ejus sagina et luxu accipis: quod non debes, sed magis de singularibus epulis, et quod tantum in paucis aliquot cœnis. Xiphilinus quidem ex Dione 65, 4. ὀλίγων ἡμερῶν διελθουσῶν, ἑκατὸν εἰς τὸ δεῖπνον μυριάδας ἀναλῶσαι, conscripsit, quæ sunt Latine *quadragies* HS; nobis *centum millia* Philippicorum. Tale et Suetonius indicat c. 13. cum *singulos apparatus dominis, sive convivatoribus, constitisse non minus quadringenis* HS. asserit: id est, *decies mille* Philippicis: sed observa, *singulos.* Sidonius igitur in singulis illis millibus, dum *quina* ea numerat, intelligit *millena* HS. neutro (ut cum Grammaticis dicam) genere: atque ita juste efficit *quinquagies* HS. sive *centum vigintiquinquè millia* Philippicum, prope ad Xiphilinum. Quod si in eo, pro more et communi sermone, *quina millia* dumtaxat capias, id est *quina* HS. quantulum sint? *centum vigintiquinque Philippæi:* ridiculum. LIPS. Vide Pecuniæ Veteris 3, 6. et 4, 6. GRON. *Novies millies* HS. respondent 180,000,000, libr. Franc.

Marcellus] *Eprius.* Cf. A. 16, 22. H. 4, 6 et 43.

Mollius interpretabantur] Sic de conjectura edidit Rhenanus, idque omnes secuti sunt. firmatur a solo Flor. si Ryckio fides: in cujus MS. erat *melius* solita confusione, de qua supra vidimus. Edd. ante Rhen. (et Bud.) *mitius.* ERN.

Militiam cepere] Sic e Flor. rectissime restituit J. Gronovius. Consentit Guelf. Omnes antea edd. *cœpere* servant, nimis patienter; cum vel sine libris corrigendum esset. Omnino sæpe hæc duo verba

A. U. 823. A. C. 70. integrum illic ac favorabilem Proconsulatum Vitellius, famosum invisumque, Vespasianus egerat: perinde socii de Imperio utriusque conjectabant. sed experimentum contra fuit.

98 Ac primo Valerius Festus, Legatus, studia provincialium cum fide juvit. mox nutabat, palam epistolis edictisque Vitellium, occultis nuntiis Vespasianum, fovens, et hæc illave defensurus, prout invaluissent. Deprehensi cum litteris edictisque Vespasiani, per Rhætiam et Gallias, militum et Centurionum quidam, ad Vitellium missi, necantur: plures fefellere, fide amicorum, aut suomet astu occultati. Ita Vitellii paratus noscebantur, Vespasiani consiliorum pleraque ignota: primum socordia Vitellii; deinde Pannonicæ Alpes, præsidiis insessæ, nuntios retinebant. mare quoque Etesiarum flatu in Orientem navigantibus secundum, inde adversum erat.

confunduntur; inprimisque in ed. pr. perpetua prope hæc confusio est. Ern. Bud. *cepere*. Sed is raro utitur diphthongo.

Integrum illic] De Vitellio eadem Suetonius in vita ejus cap. 5. At de Vespasiano mutat c. 4. et *Africam integerrime*, inquit, *nec sine magna dignatione administravit*. Qui concilientur, non video. Lips. Possis forte sic, si integritatem dicas etiam fuisse in severitate: cum nihil ambitioni daret, summum jus in omnibus exigeret, acerbe coerceret improbos: quod et e verbis *magna dignatione* colligas. Vid. viros doctos ad Sueton. Cæs. 4. Tales qui sunt, vulgo sunt invisi. Mox bene Rhenanus *perinde* fecit e *proinde*. Ern. Ex ingenio.

Prout invaluissent] Non male, *prout ii valuissent*. Temporum enim hominem describit, qui, nunc in suspenso, inclinaturus erat ad partes valentioris. Multi ejusmodi vulpiones præsertim per bella civica. Talis Rex Juliates, A. 12, 13. qui *societatem Meherdatis palam induerat, in Gotarzem per occulta et magis fida inclinabat*. Et depingit in uno Claudianus de bello Gild. 250. *Libravit geminas, eventu judice, vires, Ad rerum momenta cliens; seseque daturus Victori*. Lips.

Suomet astu] A Ferretto est, male antea, *statu*. Lips. Immo sic et Flor. Agr. Ern. Bud. *statu*.

Mare quoque Etesiæ] Intricata valde lectio in scriptis. Vaticanus: *mare quoque et Blæsi flabra aquilonis, harum flatu*. nec aliter Farnes. At Budensis, *mare quoque et esi flabra Aquilonis verum flatur*. Nos legimus, *mare quoque etesii flabant Aquilones. Horum flatu*. Plinius 2, 47. *Post biduum iidem Aquilones constantius perflant, per dies XL. quos Etesias vocant*. Et clarum certe est, Aquilones propitios optabilesque iis, qui ex Italia Orientem adnavigant: qui ex eo Italiam, contra. Cæsar B. C. 3, 107. *Ipse enim necessario Etesiis tenebatur, qui Alexandria navigantibus sunt adversissimi venti*. Lips. Vid. not. seq. Ern. Lectionem Budensis male reddidit Rhen. Ibi scil. non legitur *verum*, sed *Aerum*, quod nil aliud est quam Flor. *arum*, inserta litterula corruptum. De Etesiis præter notata ad A. 6, 33. vide Manutii Quæs. per epist. 2, 6. et Kircherum in mundo subterr. 4, 3.

Inde adversum erat] Sensum velle, *inde adversum iter*, Freinshemius putat. Crederem, si reliqua vulgata constarent. Sed nihil certius, quam ὑποβολιμαῖα et expungenda in vulgatis esse τὰ *ac flabant h.* in MSS. *flabra aquilonis* (quod Rhenano, Mercero, Acidalio, mihi denique, omnibus, opinor, alios ignorantibus in mentem venit) scribendum, *Mare quoque etesiarum flatu*. ita τὸ *erat* necessarium, τῷ *iter* locus nullus est. Gron. Add. Obs. 4, 2. p. 29. 30. Recepta in textum hæc correctio a J. F. Gronovio: quæ plane confirmatur scriptura MS. Flor. *mare quoque et Esi flabra aquilonis arum flatu*. Nam clarum est, *flabra aquilonis* notam marginalem, insertam esse a librariis, quod est in medio verbi *etesiarum*. Fuit in fine versus *etesi* in principio alterius *arum*: in margine *flabra aquilonis*. Bene autem monet Ryckius, *flabra aquilonis* esse e Lucretio 6, 730. quamquam etiam sunt 5, 741. De notis talibus insertis textui adde ad A. 16, 2. Ante Gronovium in editis erat: *Mare quoque etesiæ flabant. Harum flatu*, ut est etiam in Guelf.

Tandem, inruptione hostium, atrocibus undique nuntiis ex- A. U.
territus, Cæcinam et Valentem expedire ad bellum jubet. 823.
præmissus Cæcina: Valentem, e gravi corporis morbo tum A. C.
primum adsurgentem, infirmitas tardabat. Longe alia pro- 70. 99
ficiscentis ex urbe Germanici exercitus species: non vigor
corporibus, non ardor animis: lentum et rarum agmen,
fluxa arma, segnes equi: inpatiens solis, pulveris, tempesta-
tum: quantumque hebes ad sustinendum laborem miles,
tanto ad discordias promptior. Accedebat huc Cæcinæ
ambitio vetus, torpor recens, nimia fortunæ indulgentia so-
luti in luxum: seu perfidiam meditantis infringere exerci-
tus virtutem, inter artes erat. Credidere plerique, Flavii
Sabini consiliis concussam Cæcinæ mentem, ministro ser-
monum Rubrio Gallo, *rata apud Vespasianum fore pacta
transitionis.* simul odiorum invidiæque erga Fabium Va-
lentem admonebatur, *ut inpar apud Vitellium, gratiam vires-
que apud novum Principem pararet.* Cæcina complexu Vi- 100
tellii multo cum honore digressus, partem equitum ad oc-
cupandam Cremonam præmisit. mox vexilla quartæ, deci-

Flabant intelligebant, perflabant. Ed. pr. consentit Vaticano. Ern. Emendationis gloria acuto debetur Rhenani ingenio, etsi in textum recipere non sustinuerit. Ceterum ex h. l. probare nititur J. Fr. Gron. Obs. 4, 2. p. 30. omnes MS. Taciti codices ex eodem fluxisse. Cf. et Ern. in præf.

Expedire] Sic bene Acid. ut H. 1, 10 et 88. Recepere et Bip. pro vulgari *expediri*. Hoc tamen occurrit A. 14, 10.

Et fluxa arma] Copulam delevi cum Ryckio et Gronovio, quæ abest a Flor. (Bud.) Guelf. Agr. edd. pr. Puteol. Ber. ceterisque veteribus ante Lips. quas vidi. Mox edidi *perfidiam meditato*, ut placebat J. Gronovio. Nam *meditanti* est ex ingenio Rhenani. MSS. (Bud. etiam) et edd. vett. ante Rhenanum omnes *meditatio*. Ern. Agr. *meditantis*, quod bene respondet *τῷ inter artes erat*. Sic visum quoque Bip. Rhenani secunda habet *et fluxa*.

Apud Vit.] Sic Pich. e Flor. sic et Bud. et edd. vet. at Rhen. Lips. *ad Vitell.*

Mox vexillarii quartædecimæ et sextædecimæ] Libri scripti, *vexilla XIIII.* et *XIII. legionum.* Sed verius est, *XV* (sic Savilius) aut, quod Mercero (et Brot.) placet, *quartæ*: nam de Britannicis mox sequitur, inter quas hæc *XIV.* fuit. Ceterum, semel sciendum est, duplicia vexilla videri illo ævo fuisse. Prius, e veteranis: qui stipendiis peractis, id est vigesimo militiæ anno absoluto, sub vexillis habebantur, donec præmium et emerita acciperent: de quibus A. 1, 26. et alibi dixi. Alterum, ex electione, in necessitate aliqua aut bello: cum ipsæ legiones et aquilæ in castris aut provinciis relinquebantur, certa manu decerpta, qui sub vexillo mittebantur. Hi tales, vexillarii et e tali legione, dicuntur: ac nimisquam crebrum est in his libris. Testimoniis hæc firmare liceret: alias, aut ab alio fiet: nunc satis indicasse. Lips. Falso, ut docebimus. Sed MS. Flor. *vexilla in quatuordecim XIII. legionum.* Sicque et ed. pr. unde J. Gron. corrigit *vexilla tertiæ, quartæ decimæ* et *s. legionum.* tertiam latuisse in præpositione *in*, et terminatione in *vexillarii.* sed ita tamen non eximitur scrupulus, de quartadecima, quæ fuit Othoniana. MS. Guelf. pro XVI. habet XVIII. Ern. Bip. e Flor. eruunt hanc: *vexilla quartæ, decimæ et sextædecimæ leg.* scil. sub *in* latere putant IV, quod notarius interpolando expresserit per *quatuor*, et sub XIII latere XVI, quod in vulgata extat. Bud. habet *vexilla in* XIIII *et* XVIII. *leg.* Hanc XVIII legionem non admiserit Broterius, qui Variana clade periisse, neque deinceps memorari amplius docet, unde et apud nostrum H. 1, 18 et 55. et 4, 24. *duo et vicesimam* reponit. Ast, pace viri docti dictum sit, *duodevicesima* restituta vide-

A. U. 823. A. C. 70. mæ et sextædecimæ legionum; dein quinta et duoetvicesima secutæ: postremo agmine unaetvicesima Rapax et prima Italica incessere, cum vexillariis trium Britannicarum legionum et electis auxiliis. Profecto Cæcina, scripsit Fabius Valens exercitui, quem ipse ductaverat, *ut in itinere opperiretur; sic sibi cum Cæcina convenisse:* qui præsens, eoque validior, *inmutatum id consilium* finxit, *ut ingruenti bello tota mole occurreretur. Ita accelerare* legiones *Cremonam*, pars *Hostiliam petere* jussæ: ipse Ravennam devertit, prætexto classem adloquendi. mox Patavii secretum componendæ proditionis quæsitum. Namque Lucilius Bassus, post præfecturam alæ, Ravennati simul ac Misenensi classibus a Vitellio præpositus, quod non statim Præfecturam Prætorii adeptus foret, iniquam iracundiam flagitiosa perfidia ulciscebatur. nec sciri potest, traxeritne Cæcinam, an (quod evenit inter malos, ut et similes sunt) eadem illos

101 pravitas inpulerit. Scriptores temporum, qui potiente rerum Flavia domo, monumenta belli hujusce composuerunt, *curam pacis et amorem Reipublicæ* conruptas in adulatio-

tur postea. Saltem apud Grut. p. 1096, 6. *C. Marius Centurio leg. XVIII. a Trajano donis donatus occurrit*, et H. 1, 55. *duodevicesimam* omnino admittendam evincit Pichena. In loco nostro XVI omnino præferenda, quippe in vulgata totidem litteris expressa legitur. Scrupulum de *quartadecima* bene forsan solvunt Bip sed sub *in* vel terminatione *rii* latere III. potius arbitrarer, ni c. 96. a Vitellio defecisse narraretur. Itaque, dum quid melius. in Bip. emendatione adquiesco.

Et duodevicesima] Vatic. et ipsa res poscunt, *duoetvicesima.* Lips. Sic e Flor. rescripsit Pichena. Ed. pr. (et cod. Agr.) *duodecima et vicesima.* Ern. Bud. *duo et vicesima.*

Cum vexillariis trium Britannicarum leg.] Sic recte correxit Rhen. pro *hystris.* Ed. pr. *Istrium:* patet, *is* temere repetitum. Ern. Bud. *cum vexilliano hystrium.* Britannicæ quænam fuerint, videsis infra 3, 22.

Quem i. ductaverat] Vide de hac forma loquendi Cortium ad Sall. Jug. 70. Ern.

Ipse Ravennam devertit] Ita in MS. Flor. Bud. legitur: quod verum est, non *divertit*, ut putabat Rhenanus (et habent edd. vett.). Recepere Ryckius et J. Gron. Ern.

Prætexto] Sic Flor. Bud. unde edidit jam Rhenanus. Priores *prætextu*, ut est in Guelf. Agr. Mox *proditionis* omnes scr. et edd. Ern. Bud. *pretesto.* sed *x* et *s* sæpe in illo alternant. Mox Rhen. volebat *id secretum componendæ proditioni.* Bud. *ad s. c. proditionis.*

Lucilius Bassus] Frustra solicitant libri. Nam Vaticano est *Blæsus:* Farnesiano *Blexus* (Bud. *Lucius Blesus*). At Bassi cognomen firmat omnino priscum monumentum, quod Aquileiæ, cujus exemplar a Fulvio Ursino mihi traditum subjeci. IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. PONT. MAX. TR. POT. II. IMP. VI. P. P. COS. III. DES. IIII. VETERANIS. QVI. MILITAVERVNT. IN. CLASSE. RAVENATE. SVB. SEX. LVCILIO. BASSO. QVI. SENA. ET. VICENA. STIPENDIA. AVT. PLVRA. MERVERVNT. ET. SVNT. DEDVCTI. IN. PANONIAM. QVORVM. NOMINA. SVBSCRIPTA. SVNT. IPSIS. LIBERIS. POSTERISQVE. EORVM. CIVITATEM. DEDIT. ET. CONVBIVM. CVM. VXORIBVS. QVAS. TVNC. HABVISSENT. CVM. EST. CIVITAS. IS. DATA. AVT. SI. QVI. CAELIBES. ESSENT. CVM. IIS. QVAS. POSTEA. DVXISSENT. DVMTAXAT. SINGVLI. SINGVLAS. NON. APRIL. CAESARE. AVG. F. DOMITIANO. CN. PEDIO. CASTO. COS. ILATORI. VENETI. F. CENTVRIONI. AMAEZEIO. DESCRIPTVM. ET. RECOGNITVM. EX. TABVLA. AENEA. QVAE. FIXA. EST. ROMAE. IN. CAPITOLIO. AD. ARAM. GENTIS. IVLIAE. DE. FORAS. PODIO. SINISTERIORE. TAB. T. PAG. II. LOC. XXXXIIII. Lips. Extat ap. Gruter. p. 573. Ern.

Corruptas in adulationem caussas tra-

nem *caussas*, tradidere. Nobis, super insitam levitatem, et, prodito Galba, vilem mox fidem, æmulatione etiam invidiaque, ne ab aliis apud Vitellium anteiretur, pervertisse ipsum videtur. Cæcina, legiones adsecutus. Centurionum militumque animos, obstinatos pro Vitellio, variis artibus subruebat: Basso eadem molienti minor difficultas erat, lubrica ad mutandam fidem classe, ob memoriam recentis pro Othone militiæ.

A. U. 822. A. C. 70.

didere] *Corruptas* Flor. ed. pr. quod etiam Rhen. edidit e Budensi lectione *corruptos*. Ceteri *corrupti*. Illud haud dubie exquisitius est. Mox *æmulatione etiam* Flor. Guelf. edd. omnes ante Rhen. qui nescio an consulto omiserit *etiam*. Pichena restituit. Ern. Imo deest in Bud.

Vilem mox fidem] Reponunt Bip. *mox v. f.* et provocant ad Flor. teste scil. Ryckio; ast contrarium docet J. Gron. Parum interest.

Ne a. a. a. V. anteiretur] Sic rescripsimus ex ed. pr. pro vulgato *anteirentur*: consentit manus sec. in Guelf. et deinde *videtur* pro *videntur*, ubi operæ dedere *videretur*, conformaturæ verbum hoc priori. Nempe de solo Cæcina esse sermonem, patet clare e verbis *prodito Galba*, quæ soli Cæcinæ conveniunt. Vid. Hist. 1, 53. tum e sequentibus, *æmulatione et invidia ne* etc. quod respicit dicta c. superiori in fin. et alibi. Ern. Bud. *anteirent—videntur*.

Pervertisse ipsum Vitellium] Vox Vitellii inepte repetita et inculcata, ut solet, ab interprete. Scribo, ea ejecta, *pervertisse ipsum videntur*. Lips. Ed. pr. *prævenisse*, solenni confusione. Vid. Drakenb. ad Liv. 24, 5. Ern. Bene Lipsius glossema sustulit. In cod. Agr. ei voci puncta subjecta visuntur.

C. CORNELII TACITI
HISTORIARUM
LIBER TERTIUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. *Flavianis de ratione belli deliberantibus moram alii,* 2. *festinationem Antonius primus suadet* 3. *et obtinet.* 4. *Proxima Corn. Fusci auctoritas.* 5. *Principes Sarmatarum Jazygum in commilitium adsciti. Sido et Italicus Suevorum Reges tracti in partes.* 6. 7. *Antonio, Italiam invadenti, comes est Arrius Varus. Multas urbes occupant.* 8. *Verona fit belli sedes. Moras frustra aut sero nectunt Vespasianus et Mucianus.* 9. *Interim Duces mutuis epistolis bellum gerunt.* 10. *T. Ampius Flavianus, militi suspectus, ab Antonio servatur.* 11. *Hic alteram quoque seditionem, odio Aponii Saturnini ortam, comprimit.* 12. *Lucilius Bassus et* 13. 14. *Cæcina, a Vitellio deficientes, a militibus suis conjiciuntur in vincula.* 15. *Discordes Vitellianos ad Bedriacum adgredi statuit Antonius.* 16. *Aviditate navandæ operæ Arrius Varus rem in discrimen adducit;* 17. *eam Antonius constantia et virtute restituit,* 18. *victoria potitur.* 19. *Vespasiani, ea freti, Cremonam expugnare deposcunt.* 20. *Inconsultum eorum ardorem frustra retinet Antonius.* 21. *Sed adventantis hostis terror obstructas mentes consiliis Ducis aperit.* 22—25. *Prœlium atrox, anceps. Antonius egregii Ducis munia inplet, victoriam aufert.* 26—33. *Cremona obsessa, capta, cremata.* 34. *postea restituta.* 35. *Victæ legiones dispersæ.*

36. *Vitellius luxu torpet.* 37. *In urbem revectus Cæcinam condemnat; ei Rosium Regulum in unum diem Consulem sufficit.* 38. 39. *Junius Blæsus fraude L. Vitellii veneno tollitur.* 40. 41. *Fabius Valens libidine et cunctatione Vitellianorum res subruit et,* 42. *Flavianis Italiam occupantibus,* 43. *ad Stœchadas delatus, capitur.* 44. *Hispaniæ, Galliæ Britannia, cuncta ad Vespasiani opes conversa.* 45. *Turbat tamen Britanniam Venutius. ibi varia sorte pugnatum.* 46. *Turbata quoque Germania. Mota et Dacorum gens, a Muciano ex Oriente reduce, repressa.* 47. 48. *Anicetus Polemonis libertus, Pontum infestans, capitur. Vespasianus Alexandriam pergit, ut urbem fame urgeat.* 49. *Antonius, post Cremonam superbior,* 50. *partem copiarum Veronæ relinquit, partem in Vitellianos expedit.* 51. *Nefarium facinus militis, ob occisum a se fratrem præmium petentis.* 52. *Festinationem Antonii apud Vespasianum criminatur Mucianus.* 53. *Is jactantius quam ad Principem litteras componit, Mucianum insectatus. Inde graves Ducum simultates.*

54. Vitellius stulta dissimulatione cladis ad Cremonam remedia malorum differt. Notabilis constantia Julii Agrestis. 55. Vitellius, ut e somno excitus, Apenninum obsideri jubet; honores largitur; in castra venit. 56. Prodigia. Præcipuum ipse Vitellius ostentum, ignarus militiæ, inprovidus consilii, Romam revertit, perculsus defectione Misenensis classis. 57. Puteolani Vespasiano; Capua Vitellio favet. Cl. Julianus in partes Vespasiani transit, qui Tarracinam occupat. 58. Vitellius fratrem Lucium bello per Campaniam opponit. Ipse Romæ ex plebe et servitiis exercitum conradit, qui brevi dilabitur. 59. Flaviani Apenninum transeunt; ad eos Cerialis, Vitellii custodias elapsus, venit et inter Duces adsumitur. 60. Pugnæ avidos milites ægre cohibet Antonius. 61. Jam crebra fiunt ad Vespasianum transfugia. Priscus et Alphenus castra deserunt, ad Vitellium regressi. 62. 63 Cæso Valente, desperabundus miles sub signis vexillisque ad Vespasianum transit. Pax et salus offeruntur Vitellio, si se dedat.

64. Flavius Sabinus, urbis Præfectus, frustra incitatur ad arma; 65. pacis amans, de pace agit cum Vitellio, 66. cedere parato, ni sui reniterentur. 67. 68. Hi, pullo amictu palatio degressum, et pro concione cedere se Imperio testantem, eo redire cogunt. 69. Interim Sabinus Rempublicam susceperat, eique aderant Romani omnis ordinis, frementibus Germanicis cohortibus. Modicum prælium, Vespasianis prosperum. Sabinus capitolium occupat, quod, 70. Corn. Martiale frustra ad Vitellium misso, 71. Vitelliani oppugnant, incendunt. 72. De prioribus capitolii fatis digressio. 73. Vitelliani cuncta sanguine, ferro, flammis miscent. Flavium Sabinum et Atticum Consulem capiunt. 74. Domitianus Sacricolæ habitu delitescit. Sabinus, invito Vitellio, trucidatur. 75. Sabini laudes. Atticus servatur.

76. 77. Tarracina a L. Vitellio obsessa et capta. Julianus jugulatur. Triariæ inmodestia. 78. Flaviani, incertum Antonii, an Muciani culpa cunctantes, obsessi capitolii fama exciti, 79. ad urbem properant. Ibi equestre prœlium, Ceriali adversum. 80. 81. Vitellius legatos ad Vestales virgines pro pace aut induciis mittit, nec obtinet. 82. Flaviani tripartito agmine urbi propinquant. Varia ibi fortuna pugnatur. 83. Fœda lascivientis urbis facies, spectatore populo et plausu diversas partes fovente. 84. Castra Prætoria expugnantur. 85. Vitellius, e pudenda latebra protractus et contumeliis adfectus, ad gemonias propellitur. 86. Vita Vitellii moresque. Domitianus Cæsar consalutatur. Gesta uno eodemque anno.

1 MELIORE fato fideque partium Flavianarum Duces consilia belli tractabant. Petovionem in hiberna tertiædecimæ legionis convenerant. illic agitavere, *placeretne obstrui Pan-*

Partium Flav.] Sic Gron. ex Flor. et ed. pr. Rhen. e Bud. *Flav. p.*

Obstrui P. Alpes] Dubitationem e 2, 98. movet Pichena, ubi *præsidiis insessæ* dicuntur *retinuisse nuncios*, et quidem a Flavianis; putatque hactenus tantum insessas fuisse, ne nuncii transire possent, non ut impetum facienti exercitui clausæ essent. Recte. ERN.

noniæ Alpes, donec a tergo vires universæ consurgerent; an ire A. U.
cominus et certare pro Italia constantius foret. Quibus oppe- 823.
riri auxilia et trahere bellum videbatur, *Germanicarum legi-* A. C.
onum vim famamque extollebant, *et advenisse mox cum Vi-* 70.
tellio Britannici exercitus robora: ipsis nec numerum parem pulsarum nuper legionum: et, quamquam atrociter loquerentur, minorem esse apud victos animum. Sed, insessis interim Alpibus, venturum cum copiis Orientis Mucianum. Superesse Vespasiano mare, classes, studia provinciarum, per quas velut alterius belli molem cieret. Ita salubri mora novas vires adfore, et præsentibus nihil periturum. Ad ea Antonius Pri- 2
mus (is acerrimus belli concitator) *festinationem ipsis utilem, Vitellio exitiosam,* disseruit. *plus socordiæ, quam fiduciæ, accessisse victoribus. neque enim in procinctu et castris habitos: per omnia Italiæ municipia desides, tantum hospitibus metuendos: quanto ferocius ante se egerint, tanto cupidius insolitas voluptates hausisse. Circo quoque ac theatris et amœnitate urbis emollitos, aut valetudinibus fessos. Sed, addito spatio, rediturum et his robur meditatione belli. nec procul Germaniam, unde vires: Britanniam freto dirimi: juxta Gallias Hispaniasque; utrimque viros, equos, tributa: ipsamque Italiam et opes urbis: ac, si inferre arma ultro velint, duas classes, vacuumque Illyricum mare. Quid tum claustra montium profutura? quid tractum in æstatem aliam bellum? unde interim pecuniam et commeatus? Quin potius eo ipso uterentur, quod Pannonicæ legiones, deceptæ magis, quam victæ, resurgere in ultionem properent: Mœsici exercitus integras vires adtulerint. Si numerus militum potius, quam legionum, putetur, plus hinc roboris, nihil libidinum: et profuisse disciplinæ ipsum pudorem. Equites vero ne tum quidem victos; sed, quamquam rebus adversis, disjectam Vitellii aciem. Duæ tunc Pan-*

Vires universæ consurgerent] Int. *ad bellum*, quod addit Liv. 33, 19. Virgil. Æn. 10, 90. *Consurgere in arma Europamque Asiamque.* simpliciter etiam Florus 2, 12, 3. *multo vehementius sub hoc Macedones, quam sub patre, consurgunt.* Inesse videtur vis exquisitior, ut in *insurgere*, velut apud Virgilium 11, 697. *altior insurgens*, et nisum vehementiorem indicare ferientis. quod tamen non est in altero Flori loco, huic persimili, ibid. 17, 3. *Hispaniæ nunquam animus fuit adversus nos universæ consurgere, nunquam conferre vires suas libuit.* Ern.

Belli concitator] MS. Agr. Margo Guelf. ed. pr. *concionator*: quod non displicet Ryckio. *Concitator* verum est et Livio frequens. Etiam *concitor belli* Livius et Tacitus dixere. *Concionator belli* an Latinitate antiqua dici possit, dubito. Mox pro *ferocius* MS. Guelf. *fortius.* Item Lallemandus delevit *se.* quod placet. Ern. Bud. *concitator.*

Unde vires] Acidalius legi vult: *Germaniam, unde Brit.* etc. deleto *vires.*

Illyricum mare] Flor. Guelf. a man. pr. *Illyrici*, ut supra 3, 4. *Campus Martis*, H. 2, 55. *Lacus Curtii.* Ern. Contra A. 2, 53. *Illyrica ora.* 1, 9. *Oceanum mare.* Ita hic Bud. *Illyricum.*

Si numerus militum etc.] Nam plures legiones habebat Vitellius, sed non ita plenas, ut Flaviani. Ern.

Pannonicæ ac Mœsicæ alæ] Schelius ad Hyg. p. 298. intelligit alas legionis Pannonicæ et Mœsicæ: quod non necessarium puto, nec illud certum, eas e ci-

A. U. *nonicæ ac Mæsicæ alæ perrupere hostem: nunc XVI. alarum*
823. A. C. *conjuncta signa pulsu sonituque et nube ipsa operient ac super-*
70. *fundent oblitos præliorum equites equosque. Nisi quis retinet, idem suasor auctorque consilii ero. Vos, quibus fortuna in integro est, legiones continete: mihi expeditæ cohortes sufficient. Jam reseratam Italiam, inpulsas Vitellii res audietis. juvabit*
3 *sequi et vestigiis vincentis insistere.* Hæc atque talia, flagrans oculis, truci voce, quo latius audiretur, (etenim se Centuriones et quidam militum consilio miscuerant) ita effudit, ut cautos quoque ac providos permoveret, vulgus et ceteri, *unum virum Ducemque*, spreta *aliorum segnitia*, laudibus ferrent. Hanc sui famam ea statim concione commoverat, qua, recitatis Vespasiani epistolis, non, ut plerique, incerta disseruit, huc illuc tracturus interpretatione, prout conduxisset; aperte descendisse in caussam videbatur: eoque
4 gratior militibus erat, culpæ vel gloriæ socius. Proxima Cornelii Fusci Procuratoris auctoritas. is quoque, inclementer in Vitellium invehi solitus, nihil spei sibi inter adversa reliquerat. Titus Ampius Flavianus, natura ac senecta cunctator, suspiciones militum irritabat, tamquam

vibus Rom. lectas fuisse. Vid. ad A. 4, 73. Ern.

Idem suasor auctorque consilii ero] i. e. quæ jam suasi, facere aggrediar. Ern.

Quibus fortuna in integro est] i. e. ut post c. 4. dicit, qui spem sibi inter adversa reliquerunt. Ern.

Jam, reserata militia] Non sperno: aptius tamen fortasse, certe clarius, *reserata Italia.* Atque id Taciti sive Antonii concionantis mentem propius tangit. Lips. Pichena *reseratam Italiam*, quia in Flor. *reserata militiam* pro *reseratam* (v. H. 2, 89.) quod est in ed. pr. Id (probavit Freinsh.) recepit J. Fr. Gronovius. At J. Gronovius vult: *reseratam ibi viam:* quod vereor, ut multis placeat. Pichena verum vidit. *Reserare Italiam* etiam Cicero dixit Phil. 7, 1. Ern. Bud. *reserata militia.* Reg. Lall. *reseratam militiam*, unde Lall. forsan *reseratam militi viam.* Cum loco Cic. citato cf. H. 2, 17. Cod. Agr. *jam fractam militiam.*

Hæc atque talia] Sic Rhen. e Bud.

Huc illuc tracturus interpretationem] Acidalius malebat *interpretatione.* Verissime. Dicta huc illuc trahuntur, non interpretatio. Cicer. Acad. 4, 36. *hæc disputationibus huc et illuc trahuntur.* Et ut idem in Brut. 41. dixit *rem obscuram interpretando explanare*, sic alibi *interpretando huc illuc trahere.* Ern.

Aperte descendisse] Suspicari licet, *sed* absorptum esse syllaba finali præcedentis verbi, ut aliis locis observatum est: sed etiam alibi exempla ejus omissi consulto post *non modo* et similia. Itaque sine libris nil moveam. Ern.

Eoque gratior militibus] Sic edd. omnes et scripti (etiam Bud.) præter Flor. Agr. et ed. pr. in quibus *gravior.* Si additum esset *auctor* (ut c. 43.) probarem. Simpliciter *graviorem alicui* dici, intellecto *auctoris* verbo, non credo; sed *gratior* verum puto, quod et alibi in tali contextu scriptores de Ducibus dicunt. *Gravior* scripsit, qui id melius sequentibus, *proxima Corn. Fusci auctoritas*, convenire putabat, quasi non et grati gratiosique valeant. *Gratior et gravior* in libris scriptis confundi, notius est, quam ut aliis exemplis docere attineat. Ern. *Gravior* probat Gruterus. Bip. reponunt *auctorque gravior*, quia sequitur *proxima C. F. auctoritas*, putantque, finem vocis *videbatur* supprimendæ vocis *auctor* occasionem dedisse. Equidem in vulgata acquiesco.

T. Ampius Flavianus] Verum hoc nomen erui e libris, qui aut *Tam pius* aut *Tum pius* præferunt, cohæsu scilicet notæ. Ampia gens inter Romanos nota. Vulgo *Appium* hic legas, falso: quia non uni duplex prænomen esse potuit. Lips. Sic et Flor. non modo hic, sed et libro superiori c. 86. MS. Ar. *cunctatior.* V. Burm. Suet. Cæs. 60. Ern.

adfinitatis cum Vitellio meminisset: idemque, quod, cœ- A. U.
ptante legionum motu, profugus, dein sponte remeaverat, 823.
perfidiæ locum quæsisse credebatur. Nam Flavianum, A. C.
omissa Pannonia, ingressum Italiam, et discrimini exem- 70.
ptum, rerum novarum cupido Legati nomen resumere, et misceri civilibus armis, inpulerat: suadente Cornelio Fusco; non, quia industria Flaviani egebat, sed ut Consulare nomen surgentibus cum maxime partibus honesta specie prætenderetur. Ceterum, ut transmittere in Italiam inpune et usui foret, scriptum Aponio Saturnino, *cum exercitu Mœsico celeraret*. Ac, ne inermes provinciæ barbaris nationibus exponerentur, Principes Sarmatarum Jazygum, penes quos civitatis regimen, in commilitium adsciti. *plebem* quoque, *et vim equitum*, qua sola valent, offerebant: remissum id munus, ne inter discordias externa molirentur,

Idemque quod] MS. Flor. (Bud.) ed. pr. *idque quod.* Defendit J. Gron. Mihi non persuadetur, *rem* dici posse *perfidiæ locum quæsisse*. Hominum hoc est, non rerum. Mox pro *resumere*, Guelf. *reassumere*, quod librarius e sui seculi more scripsit. Ern. Rhen. cum Put. Alc. *idemque.*

Surgentibus cum maxime] Sic MSS. Flor. Agr. (Reg. Lall.) edd. pr. Ryck. J. Gron. Ceteri scr. (etiam Bud.) et edd. *tum maxime*, ut sæpe alibi in nostro. (Cf. 4, 27.) Mox *honesta specie* sane redundant, et salvo sensu abesse possent; neque tamen a Tacito esse negem. Ern.

Ut transmitteret] Clausula corrupta, manca, nec scio, an loco posita. Farnesianus: *ut transmitteretur in Italiam impunem eo visui foret scriptum Aponio, Satium revirescere crederetur.* Nec aliter Vatic. nisi quod, *usui:* et supra *Satium* adnotat *Sotium.* Ficulnum auxilium: certe mihi, qui sine libris non enato ex hac lacuna. Lips. Vere Lipsius conjecit, transpositionem factam, eaque fuit, ut alii, Pichena in primis, observavere, integræ paginæ. Pagina desinebat in *Satur*—proxima incipiebat a *nino cum*, unde factum *innocuum* in quibusdam libris. Sed interposita et prior descripta est altera, quæ incipiebat *revirescere* c. 7. desinebat in *ut inimici*, c. 9. Verum ordinem restituit Pichena. Ceterum, quia ea transpositio est in omnibus MSS. patet, eos omnes ex uno libro fluxisse, quod etiam conjiciebat J. Fr. Gronovius Obs. 4, 2. p. 30. Ern. Pichenæ in loco restituendo facem prætulere Savilius et Mercerus.

Et usui foret] Sic bene Pichena. Vulgo *et eo usui foret.*

Celeraret] Bud. *celebraret.* Vulgo *celebrare.* Agr. *celerare.* Pichena recte *celeraret.*

Ac ne] Sic Pich. e Flor. Sic et Bud. Vulgo *at ne.*

Inermes provinciæ] Deductis sc. legionibus versus Italiam: unde periculum, ne barbari eam occasionem putarent infestandi provincias vicinas. Ern.

Penes quos civitatis regimen] Hæc verba insititia suspicatur Gruterus. saltem commode abesse poterant, redolentque glossatorem. Mox bene a Pichena interpunctum post *asciti.* Sic jam ed. pr. Ern. Scil. Gruterus inusitatum nostro putabat, *civitatem* pro gente integra poni; sed sic etiam *civitates Galliarum* habet A. 3, 40. 41.

Plebem quoque et vim equitum] Boxhornius *peditem quoque et vim equitum.* Hist. 1, 79. *Namque mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum vis velut extra ipsos. nihil ad pedestrem pugnam tam ignavum; ubi per turmas advenere, vix ulla acies obstiterit.* Sed *plebem* ferri potest, quia opponitur *Principibus.* Pedites sumebantur e plebe: nobiles equis merebant: unde *pedites* pro plebe ap. Horat. A. P. 113. Ern.

Remissum id munus etc.] *Remissum* bene Rhenanus (e Bud.) dedit, ut est jam in ed. pr. Reliquæ ante Rhen. MS. Guelf. Reg. *omissum.* Ern.

Ne inter discordias externa molirentur] Sensus: ne adsuefierent, rerum externarum curam agere, πολυπραγμονεῖν in rebus ad suam civitatem nil pertinentibus, seque immiscere rebus Romanis, et partibus alterutris accedere, ubi discordiæ et bella civilia nascerentur. Hæc ratio ad universam rem pertinet, oppido prudens illa, et magna cum Im-

A. U. 823. A. C. 70. aut, majore ex diverso mercede, jus fasque exuerent. Trahuntur in partes Sido atque Italicus, Reges Suevorum, quis vetus obsequium erga Romanos; et gens fidei commissæ patientior. posita in latus auxilia, infesta Rætia, cui Portius Septiminus Procurator erat, incorruptæ erga Vitellium fidei. Igitur Sextilius Felix, cum ala Auriana et VIII. cohortibus ac Noricorum juventute, ad occupandam ripam Æni fluminis, quod Rhætos Noricosque interfluit, missus. nec, his aut illis prœlium tentantibus, fortuna partium alibi transacta.
6 Antonio, vexillarios e cohortibus et partem equitum ad invadendam Italiam rapienti, comes fuit Arrius Varus, strenuus bello: quam gloriam et Dux Corbulo et pro-

perii Rom. calamitate posteris temporibus aut non intellecta, aut neglecta. Sequitur alia, ad caussam præsentem proprie pertinens: *ne, majore ex diversa mercede, jus fasque exuerent.* h. e. si vel maxime utile videri possit, Sarmatas in partes vocari, tamen eam rem periculosam esse. Nam verendum, ne barbari desererent se, fide fracta, si a contraria, i. e. Vitelliana parte, major præmii spes ostenderetur. Solere enim barbaros venalem fidem habere, ut experientia posteri temporis docuit. *Aut*, quod Pichena (e Flor.) edidit, est et in (Bud. et) ed. pr. quæ et habet *everterent*, pro *exuerent.* Ern. Pro *aut* vulgo legitur *ac.* Bud. habet *exuerent*, sic Put. Alc. Rhen.

Quis] Flor. et Agr. sic; Bud. et vulg. *quibus.*

Et gens fidei commissæ] Mei codices *commissior, patientior.* An *fide cognitior?* an impar medicina nostra huic vulneri? Palmerius legit: *fidei commissior: patenti ora, opposita in latus auxilia.* nescio, an favente Æsculapio. Lips. *Commissior patientior posita* etiam Flor. ed. pr. Unde Pichena conjiciebat *f. commissæ patiens. opposita*, ut terminatio *or* nata sit ex *op? Commissior* autem J. Gronovius non male putat factum e *commissique.* Nam, *fidem commissam* latine dici posse, vix credo. Ceterum vulgatum est etiam in Guelf. Ern. Bud. vulgatum tenet. Boxhornius delebat *commissæ*, factum, ut putabat, ex superscripto τῷ *patientior quam ista* scil. Sarmatarum. Scheffer in Misc. Obs. vol. 8. p. 293. legi vult *quam jussorum patientior.* Bip. dant *fidei commixtione* i. e. ob fidem socialem *patientior.* Eodem sensu Salinerius *commissæ* exponit per junctæ.

Infesta Rhætia] Videtur scribendum: *opposita in latus auxilia infestæ Rhætiæ.* Ut infra: *L. Vitellium fratrem cum sex cohortibus et quingentis equitibus ingruenti per Campaniam bello opposuit.* Gron. Hæc bene dicerentur, si modo τὸ *opposita* certum esset. Nunc MSS. Flor. Guelf. edd. omnes ante Rhenanum *posita*, qui utrum e codice, an ex ingenio, dederit *opposita*, nescio. Silentium ejus facit, ut suspicer, esse ab operis, cum ne copulas quidem *ac, et, atque*, tacitus permutet. Atque hinc in omnes post editos venit. Itaque melius duxi *posita* restituere (quod et Bud. habet). Sensus est. In latere collocata sunt auxilia, quod infesta erat Rhætia, propter Procuratorem Vitellianum. quamquam etiam non absurda interpunctio Guelf. Puteol. Beroaldi *auxilia. Infesta Rhætia.* sed illa (et Rhen.) melior. Mox cum Ryckio (e Flor.) et J. Gronovio edidi *Septiminus*, quod et Guelf. et ed. pr. habent. Rhenanus induxit *Septimius* (e Bud. *Septuminus*). *Septimini* in inscriptionibus occurrunt. Ern. Pro *posita* Bip. recepere *imposita.*

Cum ala Tauriana] Itane? atqui ala Tauriana, sive Taurina, adjuncta legioni Italicæ in Vitellii partibus erat. nec de transfugio aut discessu ejus usquam didicimus. Ut justa caussa sit, cur Vaticanam et Flor. lectionem recipiam, *ala Auriana.* Nomina enim fere equitum alis a Præfectis: Taurianæ, Frontonianæ, Valeriæ, Silanæ, Aurianæ et hæc ipsa Auriana perseveravit ad labens Imperium, legasque in Notitia Imperii sub dispositione Ducis Armeniæ: *Ala Auriana, Dascusæ.* Lips. Consentit Guelf. (Bud.) Agr. ed. pr. Put. Ber. Alc. *Tauriana* primus (ex ing.) edidit Rhenanus, sive potius Frobenius et ejus operæ. At contra bene mox Rhenanus (ex ing.) edidit *Æni* pro *Rheni*, quod est in omnibus MSS. (et Bud.) et edd. ante Rhen. Male *nunc illis aut his.* Ern. Emendavit Pichena e Flor. Alterum habet Bud.

Strenuus bello, quam gloriam] Locus,

speræ in Armenia res addiderant. Idem, *secretis apud Neronem rumoribus*, ferebatur, *Corbulonis virtutes criminatus*. unde, infami gratia primum pilum adepto, læta ad præsens male parta, mox in perniciem vertere. Sed Primus ac Varus, occupantes Aquileiæ proxima quæque, et Opitergii et Altini lætis animis accipiuntur. relictum Altini præsidium adversus classem Ravennatem, nondum defectione ejus audita. inde Patavium et Ateste partibus adjunxere. illic cognitum, *tris Vitellianas cohortes et alam, cui Sebonianæ nomen, ad Forum Allieni, ponte juncto, consedisse*. placuit occasio invadendi incuriosos: nam id quoque nuntiabatur. luce prima inermos plerosque oppressere. Prædictum, *ut*,

A. U. 823. A. C. 70.

quem fœdatum arbitror non vane. Nam scripti mei *strenuus bello magis quam gloria. et Dux Corbulo.* Divinabam olim, *strenuus bello, quam gloria: ei Dux Corbulo et prosperæ in Armenia res.* omissa voce, *addiderant*, quam additam censebam a glossographo sententiæ fulciendæ. Genus quidem hoc loquendi per Tacito crebrum. A. 4, 61. *Agrippa claris majoribus, quam vetustis.* A. 1, 58. *Pacem quam bellum probabam:* et sæpius. Plautus ipse non refugit, Rudente 4, 4, 70. *Eo tacent, quia tacita bona est mulier semper, quam loquens.* Iterum Menæchmis 5, 1, 26. *Quin vidua vivam, quam tuos mores perferam.* Nec quidquam in his mutandum. intelligitur enim magis, potius: uti Græcis crebro τὸ μᾶλλον. Iterum Plautus Rud. 3, 3, 22. *Certum est moriri, quam hunc pati lenonem in me grassari.* Livius 7, 8. *Multiplex, quam pro numero, damnum est.* Laberius: *Consistes ægre, et, quam descendas, decides.* Curtius 7, 7. *Nec me ars mea, quam benivolentia perturbat.* Noto pluribus, ut illustrem genus dicendi, quod obscurum visum multis et in Tacito durum. (Cf. Perizon. ad Sanctii Min. 4, 7, 4.). At de loco hoc ipso nunc quidem hæreo. Parum aptæ sententiæ videtur, *strenuus gloria;* nec antithesis clara. Rodolphus adnotarat in suo codice, *strenuus bello magis quam bonus.* (Ryckius potius ibi esse ait: *str. b. m. q. honestus.*) Certe valde mihi placeat legi, *strenuus bello, quam bonus, gloriam ei Dux Corbulo, etc.* Et vereor, uti Rodolphus in libro aliquo reppererit, non ausus sequi. Lips. Edidi *et Dux* e Flor. Guelf. edd. vett. omnibus, cui et Lipsiani MSS. (et Bud.) consentiunt. Ed. pr. consentit in h. l. MSS. Lipsii. Ern. Lipsius, Pichena, alii *et* mutavere in *ei.* Bip. *quam* in *cui*, pro quo olim scriptum *quoi.* Mihi vulgatum, subaudito *ei*, majorem vim habere videtur.

Rumoribus] Sic Bud. ut 15, 46. Vulgo *sermonibus*, glossema. *Secreto rumori* noster opponit *clarum* 15, 48. Est et A. 2, 55. *occultus rumor.*

Varus] Bud. *Varius*, paullo ante *Varrus.* Sic et alii codices variant.

Occupantes Aquileiæ proxima quæque] Budensis codex et Romana ed. *occupata Aquileia, in proxima quæque.* Haud displicet. possit et legi, *in proximo quoque.* Lips. Verum omnino, *occupata Aquileia, in proxima.* Ea urbe in potestatem redacta, vicini portas eis aperuere. Hoc est: *accipiuntur in proxima.* Sic Virgilius Æn. 4, 214. *et dominum Æneam in Regna recepit.* Gron. Recepit Ryckius, quem cum J. Gronovio imitati sumus. Quod Lipsius et Ryckius dicunt in MS. Bud. et ed. Rom. (ita primam vocat) esse *in proxima:* falsum est. *In* ab utroque abest, ut a Flor. id absorpsit terminatio præcedentis verbi. Guelf. vulgatum habet. Ern. Unde Ern. norit, in Bud. sic esse, non video. Rhenanus tacet. Bud. sic: *occ. Aq. proxima quoque.* Priscam lectionem cum Bip. restituendam censeo.

Defectione] Cf. II. 2, 100. 101.

Scribonianæ nomen] Aliquot libri (in his Bud. Agr.) *Sebonianæ.* Lips. Sic et Flor. et primis syllabis ed. pr. In MS. Guelf. *cri* est a sec. manu. quid ante fuerit, assequi oculis non licuit. Sed spatium inter *s* et *b.* majus est, quam ut una tantum litera ibi fuerit. J. Gronovius conjiciebat *Senonianæ* i. e. e Senonibus lectæ. Post *Allieni* edidit Ryckius e MS. Agr. quæ scriptura et in antiquis monimentis occurrit. Conjiciunt esse *Ferraram.* Ern. Bud. et vulg. *Alieni.* rectius *Allieni. Scribonianæ* primus Puteolanus dedit. Præstat in re dubia codices sequi. Vide et Bip.

Inermos plerosque oppressere] Sic Pi-

A. U. 823. A. C. 70. *paucis interfectis, ceteros pavore ad mutandam fidem cogerent.* et fuere, qui se statim dederent. plures, abrupto ponte, instanti hosti viam abstulerunt. Vulgata victoria, post principia belli secundum Flavianos, duæ legiones, septima

7 Galbiana, tertiadecima Gemina, cum Vedio Aquila, Legato, Patavium alacres veniunt. ibi pauci dies ad requiem sumpti: et Minucius Justus, Præfectus castrorum legionis septimæ, quia adductius, quam civili bello, imperitabat, subtractus militum iræ, ad Vespasianum missus est. Desiderata diu res, interpretatione gloriæ, in majus accipitur, postquam *Galbæ imagines, discordia temporum subversas, in omnibus municipiis recoli* jussit Antonius: decorum pro caussa ratus, si placere Galbæ Principatus et partes

chena ex Flor. vulgo *inermes.* Ea forma et alibi apud nostrum. Ern. Cf. A. 1, 6.

Post principia belli] Abest particula *post* a Budensi: eoque Rhenanus *principio belli* rescribit, me favente. Lips. *Post* abest etiam a Flor. (sed ut vestigia illius in scriptura verbi *principia* appareant) Guelf. in quo tamen adscripsit man. sec. At est in cod. Agr. ed. pr. sqq. Sed J. Gronovius e cod. Flor. eruit *per principia.* Id sane valde arridet et intelligi potest. Vulgatum sensum commodum non habet: nec ullo modo incorruptum credere possum. Credo, in margine notatum fuisse: *Principia belli secundum Flavianos,* aut saltem *principia belli.* qualia multa esse solent in MSS. Vid. ad A. 16, 2. et mox c. 8. extr. c. 20. med. Nam illa verba *post pr. b. s. F.* commode abesse posse, immo supervacua esse, nemo negaverit. Et forte, qui adscripsit, in animo habuit locum Livii 21, 29. ubi, post primam pugnam equestrem inter Pœnos et Romanos, Livius subjicit: *Hoc principium simulque omen belli etc.* Ibidemque c. 9. in principio orationis Hannonis, in MS. Voss. in textum venere verba: *Oratio Hannonis.* ubi v. J. F. Gron. Apud Cic. pro Rosc. A. c. 11. in margine fuit: *supplicium parricidarum.* Id in textum venit. Ern. Bip. verba interpolationis suspecta non male sic exponunt: cum belli hæc initia Flavianis secunda in famam victoriæ auctiorem vulgata essent. Et ita jam interpretes alii.

Duæ legiones] Bud. male *date.* quod Rhenani ingenium frustra exercuit.

Quia audacius quam] Sperno illud *audacius:* nec protervo militi unquam ea in Duce displicuerit, sed rigor potius et severitas. Itaque bene Vaticanus *adductius:* cui verbo ea vis. Tacitus A. 14, 4. *Pluribus sermonibus, modo familiaritate juvenili Nero, et rursus adductius, quasi seria consociaret.* Idem 12, 7. *Adductum quasi et virile servitium.* ita enim ibi malo cum codice Budensi, quam *addictum.* Suetonius c. 68. sensu simili Tiberium incessisse scripsit, *vultu adducto, plerumque tacitum:* id est, gravi, serio et severo. Ita Seneca de Benef. 1, 1. *frontem adducere et tristitia* usurpat: et Capitolinus de Ælio Vero c. 10. scribit, *fuisse fronte in supercilia adducta venerabilem.* Caussa aperta huic significationi, a gestu. Qui enim alacres, comes, fronte etiam fere sunt exporrecta, et diffusa; qui tristes, severi, eadem contracta et adducta. Non alia mente Propertius subductum vultum pro gravi dixit 2, 8, 13. *Nunc volo subducto gravior procedere vultu.* Lips. Consentit Flor. unde recepit Pichena. Ceteri scr. (etiam Bud.) et edd. *audacius.* Dein *quam civili bello,* pro quam pro civili bello aut quam in civili bello solet. Ern. *Vultui adducto* opponitur *diffusus.* V. Ovid. Met. 14, 272. Ex Ponto 4, 4, 9. Seneca ep. 106. Cf. Trilleri Obs. crit. 3, 12.

Subtractus m. iræ etc.] Hic si nihil aliud vitii est, certe copula *et* post *iræ* excidit. Ern. Mihi bene abesse videtur.

Interp. gloriæ in m.] Bud. *int. gloriæque m.* Gron. forsan legendum putat *int. gloriaque in m.* ut *invidia et æmulatione* pro *invidia æmulationis.*

Si placeret Galbæ principatus] Male diducta sententia et scripta. Puto: *si, placere Galbæ principatum et partes, præsumpsissent.* Putavit, inquit, Antonius e re futurum, si homines animo præsumerent, Galbæ Principatum et optimatum partes Vespasiano placere. Lips. *Placere G. principatus—crederentur* Flor. Recte. *Placere* et *principatus* etiam Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. cete-

revirescere crederentur. Quæsitum inde, *quæ sedes bello le-* A. U.
geretur? *Verona potior* visa, *patentibus circum campis ad pu-* 823.
gnam equestrem, qua prævalebant: simul, *coloniam copiis va-* A. C.
lidam auferre Vitellio, in rem famamque videbatur. Possessa 70. 8
ipso transitu Vicetia: quod per se parum (etenim modicæ municipio vires) magni momenti locum obtinuit, reputantibus, *illic Cæcinam genitum, et patriam hostium Duci ereptam.* In Veronensibus pretium fuit: exemplo opibusque partes juvere. Et interjectus exercitus per Rætiam Juliasque Alpes; ac, ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat. quæ ignara Vespasiano, aut vetita: quippe *Aquileiæ sisti bellum exspectarique Mucianum* jubebat, adjiciebatque imperio consilium, *quando Ægyptus, claustra annonæ, vectigalia opulentissimarum provinciarum obtinerentur, posse Vitellii exercitum egestate stipendii frumentique ad deditionem subigi.* Eadem Mucianus crebris epistolis monebat, *incruentam et sine luctu victoriam*, et alia hujuscemodi prætexendo; sed gloriæ avidus atque omne belli decus sibi retinens. Ceterum ex distantibus terrarum spatiis, consilia post res adferebantur.
tur. Igitur repentino incursu Antonius stationes hostium 9
inrumpit, tentatisque levi prœlio animis, ex æquo discessum. Mox Cæcina inter Hostiliam, vicum Veronensium et

rum *placeret* usque ad Pichenam. *Crederet* omnes. Mox *reviviscere* Guelf. quod etiam An. 4, 12. pro *revirescere* irrepserat in edd. Ern. Bud. *si placeret G. Pr. et p. revirescere credebatur.* sed postrema duo verba loco alieno, de quo ad c. 5.

Quæsitum inde quæ] Varie olim peccatum in libris: sæpe etiam in transpositu foliorum aut trajectu. Quod hic factum mihi liquet. Quomodo autem id alii critici non advertere ante me? mirum. Nam historiam saltem lege non ignave: videbis, imo tanges. En, hic deliberatur de sede belli in Italia, et Verona eligitur. Atqui nondum in Italiam copiæ ullæ transmissæ. Pagina demum sequenti narratur, *Antonio rapienti partem equitum ad invadendam Italiam Arrius Varus comes fuisse, et Aquileiam et proxima quæque occupasse.* Veronamne igitur venire potuerunt, a tergo his relictis? Sed et tota narratio incomposita, dissona. cui verum veteremque ordinem dare, haud nostrum: in meliorem tamen paullo aptioremque sic redigi censeam, ut dedi in Excursu A. Lips. Omnia nunc in ordinem per Pichenam redacta. Ern.

Vicentia] Vicetiam appellant Plinii meliores libri 3, 19 (23.) et Strabo l. 5. p. 214. Οὐικέτιαν. Etiam lapis (apud Grut. p. 198.) INTER ATESTINOS ET VEICETINOS FINES. TERMINOSQ. POSUIT. Lips. Bene. Sic Flor. unde edidit Pich. Edd. ante Rhen. *Vincentia.* Ern. Bud. *Vicentia.* Ptol. Οὐΐκεντια. Strabo l. c. Οὐκέτια. unde Casaubonus Οὐϊκέτια. Cf. et Grut. p. 326, 8. 1093, 8.

Et interceptus] Vatic. et Farnes. *interjectus exercitus Retiam Juliasque.* Ego ne hæc quidem integra puto aut satis composita. Legam tamen: *interjectus exercitus Ræticas Juliasque Alpes, ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat.* Lips. *Interjectus* etiam Flor. ed. pr. Ceteri (et Bud.) *interceptus:* item *per Rhætiam.* at Flor. ed. pr. *p̄retiam:* in quo clarum est latere *per Rhætiam*, quod bene restituit Jac. Gronovius, cum Pichena *per* delevisset, referens ad *obsepserat.* Idem contra libros *ac* delevit. Ern. Agr. *interjectus —obsederat.* Bip. Pichenam sequuntur, et audacter conjecturam proponunt, quæ mihi minus adridet. *Illa* est pro *illac* ut A. 2, 17.

Consilia post res afferebantur] In MS. Budensi erat *post tres menses.* quod, clarum rursus est, e margine venisse in textum, in quo aliquis scripserat tempus, post quod nuncii fere ex oriente in illas regiones venire possent. V. ad A. 16, 2. et supra c. 7. Ern.

A. U. 823. A. C. 70. paludes Tartari fluminis, castra permuniit; tutus loco, cum terga flumine, latera objectu paludis tegerentur. quod si adfuisset fides, aut opprimi universis Vitellianorum viribus duæ legiones, nondum conjuncto Mœsico exercitu, potuere, aut retro actæ, deserta Italia, turpem fugam conscivissent. Sed Cæcina, per varias moras, prima hostibus prodidit tempora belli, dum, quos armis pellere promptum erat, epistolis increpat, donec per nuntios pacta perfidiæ firmaret. Interim Aponius Saturninus cum legione septima Claudiana advenit. legioni Tribunus Vipstanus Messalla præerat, claris majoribus, egregius ipse, et qui solus ad id bellum artes bonas adtulisset. Has ad copias, nequaquam Vitellianis pares (quippe tres adhuc legiones erant) misit epistolas Cæcina, *temeritatem victa arma tractantium* incusans. simul *virtus Germanici exercitus* laudibus adtollebatur; Vitellii modica et vulgari mentione, nulla in Vespasianum contumelia. nihil prorsus, quod aut corrumperet hostem, aut terreret. Flavianarum partium Duces, omissa prioris fortunæ defensione, pro Vespasiano magnifice, pro caussa fidenter, de exercitu securi, in Vitellium ut inimici, præsumpsere: facta Tribunis Centurionibusque *retinendi, quæ Vitellius indulsisset*, spe. atque ipsum Cæcinam non obscure ad transitionem hortabantur. Recitatæ pro concione epistolæ addidere fiduciam, quod submisse Cæcina, velut offendere Vespasianum timens, ipsorum Duces contemptim, tamquam insultantes Vitellio, scripsissent. Adventu deinde duarum legio-

Castra permuniit] In MS. Oxon. excidit *castra*. Ern.

Prima hostibus prodidit] Lipsius *vendidit* malebat. Vulgatum verum. Commisit Cæcina, ut prima tempora belli præterirent, nulla re tentata, quod hostibus utile fuit. Ern.

Vipsanius Messala] Est iste ipse, cui partes sermonis præcipuæ tribuuntur in libello De caussis corruptæ eloquentiæ. Amicum Tacito fuisse, ex elogiis his satis constat. Lips. Immo *Vipstanus* legendum, ut voluit Rupertus (ep. 48.) et jam edidere hic, ut alibi, Ryckius, J. Gron. et sic fuit in Guelf. a prima manu: sec. fecit *Vipsanus*, ut (Bud. et) vett. edd. habent, præter primam, in qua est *Vipsanius*, ut in edd. Lipsii sqq. Ern. Vide dicta ad A. 14, 1.

Tractantium] Acid. volebat *retractantium*.

De exitu securi] Manuscripti *de exercitu*. Quod edidi, magis placet. Lips. Etiam Flor. (Bud.) Agr. Guelf. et edd. vett. usque ad Lipsium. Unde defendit Ryckius, putatque respici ad *victa arma*. Mihi *exitu* verum videtur. *Exercitu* quomodo ortum sit, videtur ed. pr. indicare, in qua omissa verba *securi in V. ut inimici*, sequiturque *Mœsico celebrare*, ut verbum hoc confusioni deberi videatur, quæ hic omnes libros invasit, ut vidimus. Ern. Restituo cum Bip. lectionem codicum. Quamvis nuper victi, jam erant securi.

Præsumpsere] i. e. ausi sunt opinari, scribere de Vitellio contumeliose ante victoriam, antequam de exitu belli constaret, cujus scilicet erant securi. Non enim *præsumere* est simpliciter opinari, ut putat Ryckius, sed habet significationem fiduciæ, arrogantiæ alieno tempore, sive ante tempus. Sic ap. Quintil. 11, 1, 27. *præsumere partes judicis* est, arrogare tibi hoc, ut judices de caussa ante, quam judices sententiam dixerint: item in aliis locis. Frustra Freinsh. tentat *rescripsere*. Mox *Centurionibusque* etiam Guelf. ed. pr. ut Flor. (Agr.) Ern. Bud. ed. Put. Alc. *facta a Trib.* Illud *a* bene sustulit Rhen. Paullo ante *in Vitellium* Pich. e Flor. Vulgo præpositio deest. Bud. *ut Vit.* male.

num, e quibus tertiam Dillius Aponianus, octavam Numisius Lupus ducebant, ostentare vires, et militari vallo Veronam circumdare placuit. Forte Galbianæ legioni in adversa fronte valli opus cesserat, et visi procul sociorum equites, vanam formidinem, ut hostes, fecere. Rapiuntur arma et ut proditionis ira militum in T. Ampium Flavianum incubuit, nullo criminis argumento, sed jam pridem invisus, turbine quodam ad exitium poscebatur: *propinquum Vitellii, proditorem Othonis, interceptorem donativi* clamitabant. Nec defensioni locus, quamquam supplices manus tenderet, humi plerumque stratus, lacera veste, pectus atque ora singultu quatiens. id ipsum apud infensos incitamentum erat, tamquam nimius pavor conscientiam argueret. Obturbabatur militum vocibus Aponius, cum loqui cœptaret: fremitu et clamore ceteros adspernantur: uni Antonio apertæ militum aures. namque et facundia aderat, mulcendique vulgum artes et auctoritas. Ubi crudescere seditio, et a conviciis et probris ad tela et manus transibant, *injici catenas* Flaviano jubet. Sensit ludibrium miles, disjectisque, qui tribunal tuebantur, extrema vis parabatur. Opposuit sinum Antonius, stricto ferro, *aut militum se manibus, aut suis, moriturum* obtestans: ut quemque notum et aliquo militari decore insignem adspexerat, ad ferendam opem nomine ciens. mox conversus ad signa, et bellorum Deos, *hostium potius exercitibus illum furorem, illam discordiam injicerent,* orabat: donec fatisceret seditio, et, extremo jam die, sua quisque in ten-

A. U. 823.
A. C. 70.

Aponianus] Sic Rhen. Ast codd. Flor. Bud. Agr. et edd. vett. *Apontanus.*

Et ut proditionis ira] Videtur vox abesse legendumque: *proditionis auctorem,* vel, *compertum:* nisi tamen compendio fuit, *et ut proditione, ira militum:* id est, ut in proditione, quasi ea esset. LIPS. *Ira ut proditionis* est ira, quasi ob proditionem: ut Livio 4, 50. 5, 33. *ira quæstionis, ira corruptæ uxoris,* et similia. *Ira militum,* ut *ira Deum.* Jam *militum ira proditionis* dictum, ut Ciceroni de N. D. 2, 63. *Canum adulatio dominorum.* Ita videtur satis excusari omnium librorum scriptura. GRON. Recte. Faernus, Freinsh. Acid. malebant. *metu proditionis.* ERN. Bip. *proditionis* scil. nomine.

Aponius] Sic MSS. et edd. vett. ante Rhen. omnes. estque *Aponius Saturninus,* de quo c. 9. Male delevit Rhenanus (duce Bud.): male *Aponianus* edidit Pichena, de Dillio intelligens. Bene restituit Ryckius. Mox *namque* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. pr. Put. Ber. Alc. Rhen. pr. etc. restituit J. Gronov. ERN.

Aspernantur] Scribendum videtur *aspernabantur.* Nam et præcedit hoc tempus et sequitur. ERN.

Ubi crudescere] Sic scr. et edd. omnes præter J. Fr. Gronovii, in qua *candescere,* vitio operarum. mox *ac probris* MS. Guelf. edd. ante Rhen. omnes. ERN. Rhen. e Bud. *et probris.*

Sensit] Bud. *Sentit.*

Aliquo militari decore insignem] Vox *decore* e Flor. edita per Pichenam pro *honore.* Consentit (Bud.) Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. Rhen. sqq. *Honore* primum Spirensis, (sic et Agr.) post nescio quis iterum edidit, unde Lipsius sumsit. *Decus* intelligit facinus præclarum et præmium ob facinus. ERN.

Et bellorum Deos] Mihi verbum *bellorum* suspectum est, et a glossa natum videtur. Satis est *Deos orabat:* non opus addere *bellorum,* nec sic Latini in tali re genus Deorum exprimunt: denique, si tamen id attributum necessarium foret, intelligeretur per se. ERN.

Sua quisque in tentoria dilaberentur] Sic e Flor. edidit Pichena, pro *dilaberetur.* Consentit ed. pr. ERN. Bud. ut vulgo *dilaberetur.*

A. U. toria dilaberentur. Profectus eadem nocte Flavianus, obviis
823. Vespasiani litteris, discrimini exemptus est. Legiones, vel-
A. C. uti tabe infectæ, Aponium Saturninum, Mœsici exercitus
70.
11 Legatum, eo atrocius adgrediuntur, quod non, ut prius, la-
bore et opere fessæ, sed medio diei exarserant: vulgatis epi-
stolis, quas Saturninus ad Vitellium scripsisse credebatur.
Ut olim virtutis modestiæque, tunc procacitatis et petulan-
tiæ, certamen erat, ne minus violenter Aponium, quam Fla-
vianum, ad supplicium deposcerent. Quippe Mœsicæ le-
giones, *adjutam a se Pannonicorum ultionem*, referentes, et
Pannonici, velut absolverentur aliorum seditione, iterare
culpam gaudebant. In hortos, in quibus devertebatur Sa-
turninus, pergunt, nec tam Primus et Aponianus et Mes-
salla, quamquam omni modo nisi, eripuere Saturninum,
quam obscuritas latebrarum, quibus occulebatur, vacantium
forte balnearum fornacibus abditus. mox, omissis lictori-
bus, Patavium concessit. Digressu Consularium uni An-
tonio vis ac potestas in utrumque exercitum fuit, cedentibus
conlegis, et obversis militum studiis. nec deerant, qui cre-
derent, utramque seditionem fraude Antonii cœptam, ut so-
12 lus bello frueretur. Ne in Vitellii quidem partibus quietæ
mentes, exitiosiore discordia, non suspicionibus vulgi, sed
perfidia Ducum, turbabantur. Lucilius Bassus, classis Ra-
vennatis Præfectus, ambiguos militum animos, quod magna

Profectus eadem nocte Flavianus] Frustra Tacitum hic stolidum fingit ὁ ἐπιτιμητὴς Savilius (velut literæ ex machina, re nondum ad Vespasianum delata, venissent.) Non poterat deterreri miles, quin Flavianum proditorem crederet: nec quidquam verisimilius, quam fuisse, qui hoc nomine illum ad comitatum deferrent. Antonius Primus insontem esse non dubitabat. Ab hoc igitur furentibus ereptus dimissusque, vel eodem auctore, vel ultro, suscepit iter ad Principem, ut ei se coram purgaret. Sed homo *natura ac senecta cunctator*, ut describitur c. 4. non rapientibus veredis, sed per commodum suum in viam se dedit. Citius igitur literæ, tum quibus accusabatur, tum quibus excusabatur, ad Vespasianum pervenerunt. Et, utrisque perpensis, Princeps eum statim absolvit periculoque exemit, scriptis et ipse literis, quæ Flaviano adhuc profectionem continuante in via occurrerunt. Gron.

Eo ferocius adgred.] Acid. *adgred. eo fer.* et sic Bud.

Quippe Mœsicæ legiones] Sic e Flor. edidit Pichena. Consentit Guelf. ed. pr. ceteræque ante Rhen. qui edidit *Mœsici*. In ed. pr. est *ad vitam* pro *adjutam* solenni hujus libri aberratione in ea syllaba. Ern. Rhen. dedit *Mœsici*, quia in Bud. *Mœsice* omisso *legiones*, et mox sequitur *Pannonici*.

Primus et Apon.] Sic Pich. e Flor. In Bud. et edd. quibusdam conjunctio deficit; Puteol. habet.

Balnearum fornacibus] MS. Reg. Ed. pr. *balneorum*. MS. Harl. Bodl. etc. Puteol. Ber. Alc. *fornicibus*, ut Muretus volebat. Mox *jus et potestas* est in MS. Harl. Bodl. Vulgatum melius videtur. Ern. Bud. *balnearum fornacibus*. Ryckius de hypocausto capit, quod et fornax, unde *fornacator* et *fornacarius*. In Bud. *jus* an *vis*, dubium.

Obversis militum studiis] Flor. *militibus*. forte *militaribus* Pichena: J. Gron. *militis*. Ern. *Obversis* in Antonium ut c. 83. *Milite ad sanguinem obverso*.

Ne—quidem] Bud. *Nec—quidem*.

Bassus Præfectus] Hic quoque morosior, quam par est, Savilius, vir doctissimus. Non retinuit, quia raro hactenus proditoribus creditur, ut relinquatur eis facultas pœnitentiæ, et nocendi eisdem viribus, quibus profuere. Sed et ad securitatem ejus pertinuit discedere a

pars Dalmatæ Pannoniique erant, quæ provinciæ Vespasiano tenebantur, partibus ejus adgregaverat. Nox proditioni electa, ut, ceteris ignaris, soli in principia defectores coirent. Bassus pudore, seu metu, quisnam exitus foret, intra domum opperiebatur. Trierarchi magno tumultu Vitellii imagines invadunt, et, paucis resistentium obtruncatis, ceterum vulgus, rerum novarum studio, in Vespasianum inclinabat. Tum progressus Lucilius auctorem se palam præbet. classis Cornelium Fuscum Præfectum sibi destinat, qui propere adcucurrit. Bassus honorata custodia Liburnicis navibus Hadriam pervectus, a Præfecto alæ Mennio Rufino, præsidium illic agitante, vincitur. Sed exsoluta statim vincula, interventu Hormi, Cæsaris liberti. is quoque inter Duces habebatur. At Cæcina, defectione classis vulgata, primores 13
Centurionum et paucos militum, ceteris per militiæ munera dispersis, secretiora castrorum adfectans, in princi-

A. U. 823. A. C. 70.

classe, in qua essent, quibus invitis partes mutaverat. Ob quam caussam et præsidium est additum abeunti: quod quorum hominum, quibus nominibus fuerit, quid intererat sciri? Nam lectos fuisse e præsentibus, quibus et ipse et qui his eum commiserant, fiderent, nemo ambigit. Hadriam vero, vel quia eum ipse locum elegit, vel quia commodissimus erat e vicinis. Menius, nisi cum Vespasiano faceret, qui liberto ejus Bassum solvi jubenti paruit? Vinxit interim, quia ei diffidebat, aut diffidere se fingebat privato odio. Præerat autem præsidiariis illius oppidi, ut multi aliis aliorum; neque alia de caussa, quam ut illud ab hostium impetu tueretur: et tum utique; ne quæras, quando? Mandato cujus, nisi Ducum Flavianorum, qui præsidium ibi collocandum judicarunt? Quid actum postea de illo, tacuit, quia aut nihil in eo singularis exempli statutum est, aut id Tacitus in alium locum reservavit, ac tradere in parte historiarum amissa commodius potuit. Denique quis hanc scrutariam ab historico, et tam gravi, requirat? Gron.

Cornelium Tuscum] Lege *Fuscum*. Ille est, qui superiore libro c. 86. nominatur. *Sed Cornelius Fuscus Procurator* (Dalmatiæ) *aderat vigens ætate, claris natalibus*. Et hac in bello civili opera, nisi fallor, bene penitus in Vespasiani domum insinuavit, et a Domitiano Præfectus Prætorio factus. Periit in Dacis, infelici pugna. Suetonius Domit. c. 6. Dio 68, 9. Victor. Juvenalis de eodem 4, 111. *Et qui vulturibus servabat viscera Dacis*. Lips. *Fuscum* ed. pr. Mox *adcucurrit* Flor. edd. pr. Pichen. s. Ceteri scr. et edd. *accurrit*. Ern. Bud. *adcurrit*. Victor male citatur. Credo, Eutropium 7, 24. in animo habuisse Lipsium. Bud. *Tuscum*.

Propere] Sic Rhen. e Bud. vulgo *prope*.

Hadriam pervectus] MSS. Reg. et alius ap. Broterium: item ed. pr. habent primo *Atriam* non *Hadriam*. Quod non est de nihilo. Nempe est hæc urbs Tusciæ cum portu, quæ ap. Plinium, 3, 16 (20). *Atria* scribitur. Itaque Broterius hanc scripturam recepit: quod non reprehendam. Sed, quia tamen est idem nomen, quod tantum emollitum est paullatim, atque etiam Strabo Adriam appellat, reliqui scripturam molliorem. Post *pervectus* e MS. Flor. edidit Pichena. Consentiunt Guelf. edd. Put. Ber. Alc. ceteræ (Bud. Rhen.) *provectus*. Illud verum. de caussa totius rei vide Gronovii notam præcedentem. Ern. Bud. *Adriam*.

A Præf. alæ Mennio R.] MS. Flor. (Bud. a 1. m.) *vivennio*, unde J. Gronovius conjiciebat *M'*. (i. e. *Manio*.) *Ennio R.* Vid. ad A. 1, 38. MSS. Vatic. Agr. ed. pr. *Juveniorum:* quod nonnulli (in his Grut.) suspicantur alæ nomen fuisse: nisi inverse scriptum pro *viv.* ut sæpe in ed. pr. et aliis, atque hinc illud *juveniorum* natum. MSS. quidam habent *Memmio*. Ern.

Cæsaris liberti] Vespasiani. Cf. H. 2, 80.

Secreta castrorum] Eo refero, quod dimisisset plerosque militum, paucis istis retentis. Itaque secretum et solitudo in castris. Alioqui, si de principiis capias, obstat Romanus ritus, quia illa pars

A. U. 823. A. C. 70. pia vocat. Ibi *Vespasiani virtutem viresque partium* extollit: *transfugisse classem: in arcto commeatum: adversus Gallias Hispaniasque: nihil in urbe fidum:* atque omnia de Vitellio in deterius. Mox incipientibus, qui conscii aderant, ceteros, re nova adtonitos, in verba Vespasiani adigit. simul Vitellii imagines dereptæ, et missi, qui Antonio nuntiarent. Sed, ubi totis castris in fama proditio, recurrens in principia miles, præscriptum Vespasiani nomen, projectas Vitellii effigies adspexit, vastum primo silentium, mox cuncta simul erumpunt: *Huc cecidisse Germanici exercitus gloriam, ut sine prælio, sine vulnere, vinctas manus et capta traderent arma? (Quas enim ex diverso legiones? nempe victas. et abesse unicum Othoniani exercitus robur, primanos quartadecimanosque: quos*

frequentissima, et ibi ambulare et obversari assidue soliti. Facit etiam, quod illos reliquos in principia vocavit: non loci igitur illius secretum affectans, sed castrorum. Flor. (et Bud.) etiam *secretorum* habet: ex quo bene *secretum*. Lips. Sic Pichenæ placet et e Bud. Rhenano: sic MS. Agr. unde recepit Ryckius. Vulgatum quoque rectum est: et potest *orum* natum esse, ut alibi, e terminatione vocis sequentis. Ern. Bene Pichena et Bip. *secretiora*, scil. consilia. Bahrdt recte reddit *Lagerheimlichkeiten*. Sic e præced. *soli defectores in castra coiere.*

Arcem commeatuum] Bene emendavi jam olim in Antiquis 2, 16. Præter exempla ejus sermonis, quæ tunc adduxi, velim addi novitium a Livio 3, 57. qui castellum etiam in hac metaphora ponit: *Respicerent tribunal homines, castellum omnium scelerum.* Lips. Immo male. Nam classis illa Ravennas *arx commeatuum* dici non potest, ut bene monet J. Gron. ne Misenensis quidem. Tum MS. Flor. *in arce commeatum*, ut ed. pr. Guelf. autem, Harl. Oxon. edd. Puteol. Ber. Alc. *in arcto commeatum.* Itaque sic edidi et veterem lectionem restitui. Secutus est Broterius (et Lall.) Rhenanus (e Bud.) male edidit *inopia commeatuum* et seqq. usque ad Lips. Ern. Lipsii conjectura inde, quod Vat. et Farn. *marcem.* Sic et Agr. *in arcem.*

Imagines dereptæ] Sic edidi, Latinitate postulante, pro *direptæ.* Imagines detraxere de signis, quæ mox repositæ. Id autem est *deripere*, non *diripere.* Imitatus est Broterius. Ern.

In fama proditio] Alii libri *infamia prodita.* (sic Agr.) nec sperno. Ita narrat, ut statim movisse miles se videatur. At Egesippus (quem suadeo in tota hac historia legas) 4, 30. noctem interponit: et mane demum *surgentes evaginatis gladiis insiluisse super Cæcinam* facit. Lips. Firmatur *in fama proditio* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. Puteol. Beroald. sqq. Estque hic modus loquendi Tacito usitatus (Cf. H. 2, 73. Agr. 46.) et contextui conveniens. Fama rei exciti milites integri in principia currunt. Ed. pr. *infamia prodidit* MS. Mirandulanus *rei fama didita*, quod elegans est, sed interpolatoris manum sapit. Ceterum non negem, aliquam corruptelæ alicujus suspicionem esse ex eo, quod non satis cohærent membra. Nam structura orationis desiderat, ut aut *et* sit ante *recurrens*, aut ablativi consequentiæ ab initio. Ern. Grutero placebat *infamia prodita* vel *dita.*

Præscriptum Vesp. nomen] V. Lips. ad c. 31. Ern.

Cuncta simul erumpunt] Acidalius eleganter conjicit *cuncti*, adde c. 14. init. Mox pro *cecidisse* Heinsius malebat *recidisse*, de quo vid. ad A. 3, 59. Sed illud quoque bonum puto, estque in libris omnibus. Mox pro *vinctas* ante Rhen. editi habent *junctas*, inversis primis literis, ut sæpe. Ern. *Cuncti* probat Broterius Bip. *cuncta* quarto casu positum putant, ut apud Cic. ad Att. 16, 3. *Ne in me stomachum erumpant.* et ap. Terent. Eun. 3, 5, 2. *Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium?* Mox Brot. quoque mallet *recidisse.*

Germanici exercitus] Sic Rhen. e Bud. prius legebatur *Germani.*

Othoniani exercitus] MS. Bud. *Germanici.* Ed. pr. utramque lectionem miscet: *Othomanici.* V. ad 5, 23. Vulgatum verum est. Mox *tamen iisdem illis campis* MSS. et edd. ante Rhen. qui dedit (e Bud.) *tum iisdem campis illis.* Vetus reddidit Ryckius. Ern. Rhen. re-

tamen, iisdem illis campis, fuderint straverintque) ut armatorum millia, velut grex venalium, exsuli Antonio donum darentur. Octo nimirum legiones unius classis accessionem fore. Id Basso, id Cæcinæ visum: postquam domos, hortos, opes, Principi abstulerint, etiam Principi auferri militem. integros incruentosque, Flavianis quoque partibus viles, militibus quid dicturos, reposcentibus aut prospera, aut adversa? A. U. 823. A. C. 70.

14 Hæc singuli, hæc universi, ut quemque dolor inpulerat, vociferantes, initio a quinta legione orto, repositis Vitellii imaginibus, vincla Cæcinæ injiciunt: Fabium Fabullum, quintæ legionis Legatum, et Cassium Longum, Præfectum castrorum, Duces deligunt: forte oblatos trium Liburnicarum milites, ignaros et insontes, trucidant: relictis castris, abrupto ponte, Hostiliam rursus, inde Cremonam pergunt, ut legionibus, primæ Italicæ et unietvicesimæ Rapaci, jungerentur

stituit *Othoniani* conjicit autem legendum *Britannici*.

Ut tot armatorum millia] Primum Acidalius punctum esse vult post *straverintque*. Frustra. Nam et alibi Tacitus hac brevitate utitur. Sensus est: quos tamen vicerint, at vicisse videri hanc tantum ob caussam, ut exsuli Antonio dono darentur. Porro *tot* abest a MSS. Flor. Bud. Agr. ed. pr. unde delevere Ryckius et J. Gron. At habet MS. Guelf. edd. præter primam omnes: et quia sensus videtur desiderare, servavi. *Armatorum millia* pro permultis dici posse credo Ryckio, ut *remediorum millia* ap. Plinium 23, 10 (42). et scio: sed hic sensus satis frigidus sit in oratione, quæ augere rem invidiose conetur. Sic Propertius 1, 5, 10. *curarum millia quanta*, pro *quot*. ERN. Adstipulor plane Bipontinis, qui *Quas—straverintque* uncis includunt, quo *ut armatorum m.* respondeat priori *ut*. Jam Puteol. post *straverintque* punctum habet positum; non ergo Acidalius primus ita. Hic, deleto seq. *ut;* post *darentur* interrogandi signum locari jubebat. *Tot* primus intrusit Put. perperam. *Mille, millia* bene infinite ponitur.

Exsuli Antonio] Cur iste exsul, aut quando? Puto, sub Nerone lege Cornelia de Testamentis, falsi damnatum, cum tabulas subdititias, fraude et præmio inductus, obsignasset. Vide A. 14, 40. Actis a. 815. LIPS.

Etiam militibus] Cum Ferretto omnino lego, *etiam milites auferre*. LIPS. Et ego Ferretto subscribo, quicquid argutetur Salinerius. Sed superest in τῷ *licet* aliquid scabri, quod muto in *deditos*, ut sit: *etiam milites auferre, deditos, integros, incruentosque, Flavianis quoque partibus viles, quid dicturos* etc. qui dediti sint nullo discrimine facto, nullo sanguine aut sudore; et ob id etiam aspernabiles iis, quibus accesserint; nec habentes, quod respondeant interrogantibus, vel, ubi nunc ad Bedriacum victoria? vel, τί παθόντες, et quas ad incitas redacti ad tam deforme subsidium salutis descenderint. GRON. De priori idem Vertranio et Grotio visum. Aliter videtur J. Gronovio, qui ista ridenda judicat, et mutat *licet* in *sic et*. Videtur sane invertenda oratione acumen quæsisse Tacitus: opes Principi abstulere: jam Principem auferunt militibus. Broterius necessarium putat legere ex Agric. MS. *etiam militibus Principem auferre, Principi militem, integros* etc. eaque plane Corneliana putat. Pro *licet* Flor. (Bud.) ed. pr. *litem*. In *licet* vitium esse non dubito. ERN. *Militibus* omissum a librario e margine in alienum locum irrepsisse, et Flor. *litem* ex voce *militem* esse residuum, acute conjectant Bip. quorum emendatam lectionem meam facio. *Reposcentibus*, rationem reddere postulantibus aut prosperorum aut adversorum. Sic Liv. 39, 37. *rationem reposcere*.

Fabium Fabullum] Sic e MS. Flor edidere Ryckius et J. Gronovius: alii omnes (etiam Bud.) *Fabulum*. Deinde *uni et vicesimæ* Flor. Agr. Guelf. (nisi quod *unite vices*. vitio scripturæ) (Bud.) ed. pr. Rhen. sqq. Ceteræ vett. *unaevic*. Bernecc. Gron. patris *unætv*. vitiose. ERN. Catullus 13. *Cœnabis bene, mi Fabulle, apud me.*

Relictis castris] Cf. c. 9.

A. U. 823. A. C. 70. quas Cæcina, ad obtinendam Cremonam, cum parte equitum præmiserat. Ubi hæc comperta Antonio, discordes animis, discretos viribus hostium exercitus adgredi statuit, antequam
15 Ducibus auctoritas, militi obsequium et junctis legionibus fiducia rediret. namque Fabium Valentem, profectum ab urbe, acceleraturumque cognita Cæcinæ proditione, conjectabat. et fidus Vitellio Fabius, nec militiæ ignarus. Simul ingens Germanorum vis per Rhætiam timebatur: et Britannia, Galliaque et Hispania, auxilia Vitellius acciverat, inmensam belli luem, ni Antonius, id ipsum metuens, festinato prœlio victoriam præcepisset. Universo cum exercitu, secundis a Verona castris, Bedriacum venit. postero die, legionibus ad muniendum retentis, auxiliares cohortes in Cremonensem agrum missæ, ut, specie parandarum copiarum, civili præda miles inbueretur. Ipse, cum quatuor millibus equitum, ad octavum a Bedriaco progressus, quo licentius popularentur. exploratores (ut mos est) longius
16 curabant. Quinta ferme hora diei erat, cum citus eques, *adventare hostes, prægredi paucos, motum fremitumque late audiri*, nuntiavit. Dum Antonius, *quidnam agendum*, consultat, aviditate navandæ operæ Arrius Varus cum promptissimis equitum prorupit, inpulitque Vitellianos, modica cæde: nam, plurium adcursu versa fortuna, et acerrimus quisque sequentium fugæ ultimus erat. nec sponte Antonii properatum, et fore, quæ acciderant, rebatur. Hortatus suos, *ut magno animo capesserent pugnam*, diductis in latera turmis, vacuum medio relinquit iter, quo Varum equitesque ejus reciperet: jussæ armari legiones: datum per agros signum, ut, qua cuique proximum, omissa præda, prœlio occurrerent. Pavidus interim Varus, turbæ suorum miscetur,

Anteq. Ducibus] Bud. *Duci.*

Et Britannia] Agr. *Ex Br.*

Immensam belli luem] Tentant *luem* Rhenanus, Faernus et alii, sine necessitate, præsertim cum id omnes scr. et edd. præferant: nisi quod nonnulli *lucem* vitiosa scriptura, ut Guelf. ed. pr. Budensis plane non habet hic substantivum. *Lues belli* est pernicies, malum. V. dicta ad A. 2, 47. Ern. Rhen. volebat *vim*. Faernus, Mur. Acid. *molem*. H. 1, 89. *longa bello materia.*

Civili præda miles imbueretur] i. e. inciperet gustare dulcedinem prædæ, quamvis civilis, eaque captus fieret bellandi et vincendi cupidior. Mox *quo licentius popularentur* est, ut non modo per absentiam suam nemo esset, quem vererentur, qui impedire posset, sed etiam ne hostis populantes invaderet. Ern.

Prægredi] Bud. *progredi.*

Acerrimus q. s. fugæ ultimus erat] Ita vero decet fortes viros. An vero ea laus huic loco consentiens? Immo dicere voluit *acerrimus sequentium* paullo ante, *primus* nunc *fugæ erat:* quæ sententia et alibi occurrit. Mox *et* ante *fore* abest ed. pr. Ern. Bud. habet.

Vacuum medio relinquit iter] Sic MSS. Flor. Agr. Guelf ed. pr. *In medio* edidit Rhen. (e Bud.) et seqq. usque ad Ryckium. *Vacuo medio* Puteol. Ber. Alc. Omnium lectionum idem sensus, bona Latinitas. Sed prima vera: hæ correctorum. Adde infra c. 19. Ern. Bud *reliquit.*

Prœlio occurrerent] Sic MSS. nisi quod Flor. et Agr. (et Bud.) singularem numerum præferunt: non bene. V. paullo ante ad c. 10. extr. At edd. omnes præter pr. *occurrerent. Occurrere*

intulitque formidinem. pulsi cum sauciis integri, suomet- A. U.
ipsi metu et angustiis viarum conflictabantur. Nullum, in 823.
illa trepidatione, Antonius constantis Ducis, aut fortissimi A. C. 70.
militis, officium omisit. occursare paventibus; retinere ce- 17
dentes: ubi plurimus labor, unde aliqua spes, consilio, manu, voce insignis hosti, conspicuus suis: eo postremo ardoris provectus est, ut vexillarium fugientem hasta transverberaret. mox raptum vexillum in hostem vertit. quo pudore haud plures, quam centum equites, restitere. Juvit locus, arctiore illic via, et fracto interfluentis rivi ponte, qui incerto alveo, et præcipitibus ripis, fugam inpediebat. ea necessitas, seu fortuna, lapsas jam partes restituit. Firmati inter se, densis ordinibus excipiunt Vitellianos temere effusos. atque illi consternantur. Antonius instare perculsis, sternere obvios. Simul ceteri, ut cuique ingenium, spoliare, capere, arma equosque abripere. et exciti prospero clamore, qui modo per agros fuga palabantur, victoriæ se
miscebant. Ad quartum a Cremona lapidem fulsere legio- 18
num signa, Rapacis atque Italicæ, læto inter initia equitum suorum prœlio, illuc usque provecta. Sed, ubi Fortuna contra fuit, non laxare ordines, non recipere turbatos, non obviam ire, ultroque adgredi hostem, tantum per spatium cursu et pugnando fessum. Forte victi, haud perinde rebus prosperis Ducem desideraverant, atque in adversis deesse intelligebant. Nutantem aciem victor equitatus incursat: et Vipstanus Messalla, Tribunus, cum Mœsicis auxiliaribus adsequitur, quos militiæ legionariis, quamquam

prœlio, bene dictum. male tentat Acidalius *accurrerent*. Vid. præter J. Gronovium, dicta ad Sueton. Calig. 39. Ern. *Occurrere*, se sistere, ut *occurrere ad vadimonium*. *Occurrere prœlio* Liv. habet 10, 43.

Occursare—retinere] Sic Flor. Oxon. Guelf. edd. Puteol. Beroaldi. *Occurrere* Rhen. (e Bud.) sqq. usque ad Lipsium, qui edidit *occursat, retinet*, ut est in ed. pr. MS. Agr. edd. Lips. sqq. usque ad J. Gronovium qui *occursare, retinere* restituit. Paullo post edidi *transverberaret* quod omnes edd. ante Lipsium dedere: habetque MS. (Bud. et) Agr. In Guelf. est *transverberasset*, quod eodem vergit. Lipsius primus *transverberarit* edidit. Ern.

Atque illi consternantur] Haud scio, an sit animadversum τὸ *atque* hic poni exquisita illa significatione pro *statim*: de quo Gellius 10, 29. nos ad Livii 26, 36. Gron. MSS. Flor. Guelf. *illic*: vitiose, ut *consternuntur*, quod scr. (in his Agr.) et edd. quidam habent. Ern. Bud. *fusos* pro *effusos*. Dein *illic consternantur*. *Atque* dicto sensu est apud Virg. Georg. 1, 203.

Equosque abripere. et exciti] Copulas e MS. Flor. addidit Pichena. Primam etiam edd. ante Rhen. et Guelf. alteram et ed. pr. Ern. In Bud. utraque copula deficit. Sic et Rhen.

Forte victi] Rodolphus *victuri*. Mentem video: et tamen subvereor, ut parum plena ista, et huic narrationi quædam desint. Lips. *Victuri* est in MS. Agricolæ, placetque Acidalio et Ryckio, sed ut *forte victuri* jungatur præcedentibus. Freinshemius malebat *forte acti*, i. e. temere et sine consilio et imperio: quod non displicet. Nondum sane victi erant, sed nutabant tantum. Itaque *victi* verum esse non potest. Ern. Bud. *forte victi* i. e. Fortuna, quæ ipsis contra fuit, ut modo dictum. *Campi dominam Fortem* Cic. vocat in Pis. 2. Sic Bip. Freinshemii conjecturam probat Lall.

A. U. raptim ductos, æquabant. Ita mixtus eques pedesque rupere
823. legionum agmen. Et propinqua Cremonensium mœnia,
A. C. quanto plus spei ad effugium, tanto minorem ad resisten-
70.
19 dum animum, dabant. Nec Antonius ultra institit, memor
laboris ac vulnerum, quibus tam anceps prœlii fortuna, quamvis prospero fine, equites equosque adflictaverat. Inumbrante vespera universum Flaviani exercitus robur advenit. Utque cumulos super et recentia cæde vestigia incessere, quasi debellatum foret, *pergere Cremonam, et victos in deditionem accipere, aut expugnare*, deposcunt. Hæc in medio, pulchra dictu. Illa sibi quisque, *Posse coloniam plano sitam impetu capi. Idem audaciæ per tenebras irrumpenti us, et majorem rapiendi licentiam. quod si lucem opperiantur, jam pacem, jam preces et, pro labore ac vulneribus, clementiam et gloriam, inania, laturos: sed opes Cremonensium in sinu Præfectorum Legatorumque fore.* Ex-

Raptim ductos] An ideo miratur æquari, quia raptim et celeriter ducti? non eo facit, nisi si forte absque justis, ut in festinatione, armis. An verius scribi, *raptim dilectos?* et quod subitarius fuerit hic miles, sed sub bono Duce mox bonus. Lips. Nihil huc opus dilectus mentione. Cur enim raptim delecti essent? Et, si nunc demum raptim dilecti, unde iis gloria, aut quomodo legionarios æquare dicuntur. Immo jam raptim in prœlium ducti sunt, et nihilominus paria legionariis fecere. Caussa, quod jam exerciti militiis. Et quia hic quæritur, non qua gloria fuerint, sed quid jam egerint; multi porro libri boni, ut Flor. Bud. Oxon. Agr. ed. pr. *æquabant;* non dubitavi cum J. Gronovio edere lectionem Flor. et Bud. a quibus *gloria* aberat, quod a glossatore parum acuto natum videtur. *Militiæ* accipe numero plurali. Pichena male *militibus* ex ingenio dedit. Vulgata est et in Guelf. edd. Puteol. Beroald. Rhen. sqq. usque ad Pichenam. Sed Broterius ex aliis libris dedit *militiæ gloria — æquabat.* atque defendit. Ern. Bud. *militiæ.* Plur. numero accipiendum, nullus dubito. Sic Tibullus 1, 3, 82. *lentas militias* dixit. Suet. etiam Claud. 25. *equestres militias* habet. Bernegg. recepit *militibus*, Freinsh. vulgatum probat. Bip. quoque Pichenam sequuntur, attamen *militiæ* ad *ductos* referri posse autumant, quasi *in militiam.* Ernesti verum vidit. Rhenanus *militiæ* adverbialiter dictum credebat pro *in militia.*

Eques pedesque] Sic Bud. mollius. vulgo *pedes equesque.* Mox Agr. *irrupere.*

Tanto minorem] Omnes edd. vett. habent *tanto.* In ed. Lipsii excidit *tanto*, casu, an quia Tacitus alibi omittit hæc comparationis verba. Ern. *Tanto* deest in Bud. Omisit et Rhen. Mox Bud. *insistit.*

Anceps prœlii fortuna] Ita Flor. (Bud.) et alii veteres (in his Farnes.) ut Lipsius testatur. velut ed. pr. Alii *belli.* Etiam supra hæc verba confusa vidimus. Ern.

Hæc in medio, p. d.] Sic interpungendum. *In medio* pro in medium, palam. Palam ista dicebant: quippe fortitudinis speciem habebant: sed animis agitabant turpia, fœda. Mox *plano sitam* MSS. (Bud. etiam) edd. pr. Rhen. sqq. ut supra c. 16. *vacuum medio relinquit iter*, et infra bis c. 38. 48. *situs* occurrit cum ablativo sine *in:* quod hic addunt edd. Puteol. Ber. Alc. Deinde *sed majorem* frustra corrigunt Rhen. (ex ing.) Danesius, Ursinus, ut jam alibi monitum. V. ad 5, 3. Ern. *In plano* occurrit infra 5, 23. Mox Bud. *opperiatur.*

Clementiam et gloriam, inania, laturos] Sic interpungendus locus: ut *inania* explicent, qualem putent clementiæ gloriam. Si quid tentandum, malim *clementiæ et gloriæ inania*, qui est modus loquendi Tacito frequens, quam *clementiæ gloriam inanem* cum Ursino et Mureto. Ern. Nil mutandum. Hendiadys nostro est familiaris.

Sed opes] Sic et Bud. at Rhen. malit *et*, frustra.

pugnatæ urbis prædam ad militem, deditæ ad Duces, pertinere. Spernuntur Centuriones Tribunique, ac, ne vox cujusquam audiatur, quatiunt arma, rupturi imperium, ni ducantur. Tum Antonius, inserens se manipulis, ubi adspectu et auctoritate silentium fecerat: *non se decus, neque pretium eripere tam bene meritis*, adfirmabat; *sed divisa inter exercitum Ducesque munia: militibus cupidinem pugnandi convenire; Duces providendo, consultando, cunctatione sæpius, quam temeritate, prodesse. Ut pro virili portione, armis ac manu, victoriam juverit, ratione et consilio, propriis Ducis artibus, profuturum. Neque enim ambigua esse, quæ occurrant: noctem et ignotæ situm urbis, intus hostes et cuncta insidiis opportuna. non, si pateant portæ, nisi explorato, nisi die, intrandum. An oppugnationem inchoaturos, adempto omni prospectu, quis æquus locus, quanta altitudo mœnium? tormentisne et telis, an operibus et vineis, adgredienda urbs foret?* Mox conversus

A. U. 823. A. C. 70.

20

Deditæ ad Duces pertinere] Hoc jus militare ferebat. Bene Rhenanus comparat locum Livii, unde hæc sumta videantur, e 37, 32. *captas, non deditas, diripi urbes, et in his tamen arbitrium esse Imperatoris, non militum.* Ern.

Rupturi imperium] Sic Flor. (Bud.) Oxon. Guelf. Agr. ed. pr. quod restituit Ryckius, opportune laudans locum ex A. 13, 36. *rupto imperio congressus cum hoste funditur.* Ceteri *rapturi. Rapere imperium* est alteri ereptum sibi vindicare. At illi sine imperio ire volebant. Ern.

Neque enim ambigua etc.] Alias *nox* dicitur *ambigua*, et alia, quæ non explorata et periculosa sunt. Hic sensus est: quem enim non videre et intelligere, quæ immineant pericula ausuris oppugnationem. MSS. porro Flor. Agr. ed. pr. *nocte*, quod frustra defendit Ryckius. Add. ad c. 2. extr. Ceterum ante oculos Tacitus habuit Livii locum 5, 39. de Gallis ad urbem Romam: *noctem veriti et ignotæ situm urbis* etc. quo etiam vulgatum *noctem* firmatur. Ern.

Non si pateant] Rodolphi lectio valde mihi arridet, nescio an a libris: *non, si pateant portæ, non die, nisi explorato intrandum.* Lips. Recepit hanc lectionem Ryckius e MS. Agricolæ. Adjuvat ed. pr. in qua eadem lectio, sed mutato ordine, *nisi explorato, non die.* Contra disputat Gronovius. Breviter expediemus. Sensus hujus lectionis est: Non est ingredienda urbs, ne patentibus quidem portis, ne interdiu quidem, nisi explorato. Sensus sane commodus, et imitationi loci Liviani valde conveniens. nam ibi Galli, non patentibus portis, non die, nisi explorato, ingrediuntur. Atque ita existit etiam argumentatio a minori ad majus. Si ne die quidem, ne patentibus quidem portis ingrediendum: quanto minus noctu, non explorato, oppugnanda urbs. Vulgatæ lectionis autem hic sensus: ne intranda quidem urbs prius, quam lux orta, exploratores missi sint, etiam si paterent portæ. Quem sensum caussæ præsenti et præcedentibus aptiorem esse puto: ut verba *nisi explorato, nisi die*, respondeant verbis *noctem et ignotæ situm urbis.* Atque etiam sequentia referuntur huc, ut appareat, cur *non, nisi die*, aliquid tentandum. Itaque non ausus sum Ryckium imitari. Ern. Vulgatum habent Bud. et Reg. Lall.

An operibus et vineis aggredienda] Fœdum glossema in Flor. (et Reg. Lall.) codice insertum fuit: quod ipse librarius forte agnovit, ideoque circumscripsit. Fuit autem hujusmodi: *an operibus et vineis (machinamenti genus ad expugnandos muros, in modum turrium factum) aggredienda urbs foret.* idemque expressum in ed. pr. sed sine circumscriptione, et additum *his* post *factum.* Vid. ad c. 7. init. Mox *dolabrasque* MSS. Flor. Guelf. edd. ante Rhen. Pichena sqq. *Que* delevit Rhenanus. Ern. Duce Bud. Habet hic et spuria verba, sed Rhen. propria manu margini adlevit: *a margine relatum in textum. glossa est.* Sensere et Put. Alc. et omisere. Post *factum* Bud. habet *ubi. Dolabræ* formam exhibet columna Trajana n. 299.

A. U. 823. A. C. 70.

ad singulos, *num secures, dolabrasque et cetera expugnandis urbibus, secum adtulissent?* rogitabat. Et, cum abnuerent, *gladiisne,* inquit, *et pilis perfringere ac subruere muros ullæ manus possunt? Si aggerem struere, si pluteis cratibusve protegi necesse fuerit, ut vulgus inprovidum, inriti stabimus, altitudinem turrium, et aliena munimenta mirantes? Quin potius mora noctis unius, advectis tormentis machinisque, vim victoriamque nobiscum ferimus?* Simul lixas calonesque, cum recentissimis equitum, Bedriacum mittit, copias, cete-
21 raque usui adlaturos. Id vero ægre tolerante milite, prope seditionem ventum, cum progressi equites sub ipsa mœnia, vagos ex Cremonensibus corripiunt. quorum indicio noscitur: *sex Vitellianas legiones omnemque exercitum, qui Hostiliæ egerat, eo ipso die triginta millia passuum emensum, comperta suorum clade, in prælium accingi ac jam adfore.* Is terror obstructas mentes consiliis Ducis aperuit. Sistere tertiam decimam legionem, in ipso viæ Postumiæ aggere, jubet, cui juncta a lævo septima Galbiana, patenti campo stetit, dein septima Claudiana, agresti fossa (ita locus erat) præmunita; dextro, octava per apertum limitem, mox tertia, densis arbustis intersepta. hic aquilarum signorumque ordo: milites mixti per tenebras, ut fors tulerat: Prætorianum vexillum proximum tertianis; cohortes auxiliorum in

Expugnandis urbibus] MS. Agr. *oppugnandis,* frequenti variatione librorum. huic loco utrumque aptum. Igitur libri sequendi. Ern. Bud. *expugnandis.*

Aliena munimenta] Quæ sunt *munimenta,* quæ cum admiratione spectentur, quia *aliena* sunt? i. e. hostilia. Ern.

Advectis tormentis machinisque vim v.] MS. Bud. tantum habebat *tormentisque:* Guelf. *machinis,* sine copula: ed. pr. *inde* pro *vim,* vitiose. Ern.

Ceteraque usui] Sic ed. pr. Rhen. (e Bud.) sqq. At Guelf. edd. ceteræ ante Rhen. *ceteraque, quæ usui forent:* quod sane præ illo manum male sedulam redolet Ern.

Cum progressi] Ed. pr. *ventum. Tum progressi:* solenni mutatione τοῦ *cum* in *tum:* nam illud haud dubie h. l. elegantius. Eadem cum Beroald. Alc. *e Cremon.* Ern. Bud. *cum—ex Crem.*

Sistere tertiam decimam legionem] Hæc est scriptura MSS. Flor. Guelf. Agr. edd. ante Rhenanum omnium. Quo magis cum J. Gronovio sic edendum curavi. mox iterum mentio tertiædecimæ in vulgatis. duas tertiasdecimas fuisse in illa acie, ut placet Gronovio, non credo. Cognomine altera distingueretur ab altera. Sed alterutro in loco vitiosa scriptura. sive *tertiadecima,* sive *tertia* scribatur. *Tertiam,* quod in Rhenani ed. primum expressum, in ceteras venit, nec e libro, nec ex ingenio Rhenani esse potest, cum nihil in notis dixerit, non sane tacite talem mutationem inducturus sit. Sed, quoniam post *tertiani* commemorantur, necesse est, alterutro loco *tertiam* legionem esse. Brotcrius secundo loco dedit *tertia.* Mœsica sc. firmante c. 24. Itaque eum secutus sum. Ern. Bud. hic *tertiam decimam* et mox *tertia decima* habet. Ryckius et Lall. priori loco *tertia.* Pichenæ opinionem sequitur Ern. Sic et Bip.

Octava per apertum limitem] Intell. viæ Postumiæ. Liv. 22, 15. *ne immunito viæ Appiæ limite Pœnus pervenire in agrum Rom. posset,* et pluribus aliis locis Livius, Virgilius, de via dicunt. Tacitus ipse mox c. 25. *per limitem viæ sparguntur. Apertus limes viæ Postumiæ* opponitur *ipsi aggeri viæ.* Male Ryckius de finibus agrorum accipi vult, quos via Postumia aperuerit: quod ne quidem intelligi potest. Ed. pr. habet *militem* solenni confusione, de qua vid. Drakenb. ad Liv. 22, 12. Ern.

cornibus; latera ac terga equite circumdata: Sido atque Italicus, Suevi, cum delectis popularium, primori in acie versabantur. At Vitellianus exercitus, cui adquiescere Cremonæ et, reciperatis cibo somnoque viribus, confectum algore atque inedia hostem, postera die profligare ac proruere ratio fuit: indigus rectoris, inops consilii, tertia ferme noctis hora, paratis jam dispositisque Flavianis inpingitur. Ordinem agminis, disjecti per iram ac tenebras, adseverare non ausim: quamquam alii tradiderint, *quartam Macedonicam dextro suorum cornu: quintam, et quintamdecimam, cum vexillis nonæ secundæque et vicesimæ Britannicarum legionum, mediam aciem*; *sextadecimanos duoetvicesimanosque et primanos lævum cornu complesse.* Rapaces atque Italici omnibus se manipulis miscuerant. Eques auxiliaque sibi ipsi locum legere. Prælium tota nocte varium, anceps, atrox; his, rursus illis, exitiabile. Nihil animus, aut manus, ne oculi quidem provisu juvabant. eadem utraque acie arma: crebris interrogationibus notum pugnæ signum: permixta vexilla, ut quisque globus, capta ex hostibus, huc vel illuc raptabat. Urgebatur maxime septima legio, nuper a Galba conscripta. Occisi sex primorum ordinum Centuriones: abrepta quædam signa: ipsam aqui-

A. U. 823. A. C. 70. 22

Proruere, ratio fuit] Notavi in Antiquis 2, 16. videri inducta voce legendum *ac proruere fuit*, id est, licuit. Sed vereor, ut ego quoque interdum (cur negem aut purgem communem criticorum hanc noxam?) inter sectores, non medicos. Nunc sane vocem eam tolero. LIPS. Sensus: qui postera die profligare hostem et proruere debebat, si rationem, consilium sequi, prudenter agere vellet. Mox *inops*, quod e Flor. pro *vacuus* Pichena edidit, etiam in ed. pr. reperi. at *paratis jam dispositisque*, pro *par. jamque disp.* etiam Guelf. ERN. Noster etiam A. 3, 21. *dum ea ratio barbaro fuit.* Non ergo tantum toleranda vox. Mox Bud. *inops consilio*, ut Cic. Bruto 70. *inops verbis.* Dein idem *par. jamque disp.* alterum Pich. e Flor. dedit.

Dextro suorum cornu] Int. stetisse, si vera lectio. At Faernus *dextrum* legebat: quod placet: nam et mox est *primanos lævum cornu complesse.* nisi forte verbum latet in *suorum*; quod sane contra consuetudinem hic ponitur; nec memini uspiam in tali narratione addi. ERN. Legendum *dextrum*, admodum verisimile.

Cum vexillis] *Vexilla* pro *vexillariis* passim apud nostrum. Cf. Pich. ad A. 1, 38.

Duoetvicesimanosque] MS. Guelf. et vet. cod. Ursin. edd. ante Rhen. *duodevices.* solita confusione. ed. pr. (et cod. Agr.) *duovices.* Mox *eques* bene e Flor. et Agr. edidit Ryckius. Consentit Guelf. sed sic jam olim editum in edd. pr. Put. Ber. Rhen. (e Bud.) Ald. Gryph. Correctorum vitio irrepsit *equites* primum in ed. Rhen. sec. Dein *rursusque* Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. *rursus* consuetudini Taciti congruens magis. *his, rursus illis,* (sic Rh. e Bud.) pro modo his, modo illis. V. ad c. 83. init. ERN. Bud. *duoetvic. Rursus* Rhen. e Bud. Prœlii istius nocturni mentionem facere Curtium 10, 9. Rutgersius arbitratur Var. Lect. 1, 19.

Eadem utraque acie] Sic Flor. Agr. edd. pr. Ryck. J. Gron. In MSS. Bud. Guelf. *eademque acie.* quod et in sec. ed. Rhen. reperi. Exciderat *utra*, quod in MS. Guelf. man. sec. adscripsit. Sed addidere *utraque.* hinc lectio vulgatis *eademque utraque.* Copulam hic alienam esse, sequentia docent. ERN. Quod hic de secunda Rhenani dicitur, falsum est; vulgatum servat.

Notum pugnæ signum] i. e. tessera, ut supra dictum. Add. Lips. de M. R. 4 ult. ERN.

A. U. lam Atilius Verus, primipili Centurio, multa cum hostium
823. strage, et ad extremum moriens, servaverat. Sustinuit
A. C. labantem aciem Antonius, accitis Prætorianis. qui, ubi ex-
70.
23 cepere pugnam, pellunt hostem, dein pelluntur. Namque Vitelliani tormenta in aggerem viæ contulerant, ut tela vacuo atque aperto excuterentur, dispersa primo et arbustis, sine hostium noxa, inlisa. Magnitudine eximia quintædecimæ legionis balista, ingentibus saxis hostilem aciem proruebat, lateque cladem intulissent, ni duo milites, præclarum facinus ausi, adreptis e strage scutis ignorati, vincla ac libramenta tormentorum abscidissent. statim confossi sunt, eoque intercidere nomina: de facto haut ambigitur. Neutro inclinaverat fortuna, donec adulta nocte, luna surgens ostenderet acies falleretque. Sed Flavianis æquior a tergo: hinc majores equorum virorumque umbræ, et falso, ut in

Primipili Centurio] Nam in ejus Centurionis custodia aquila. Ego de Milit. Rom. 2, 8. Lips. Hoc quoque loco utitur Fabrettus ad Col. Traj. c. 7. p. 188. ut probabile reddat, Primipilares Centuriones fuisse eosdem Aquiliferos. Ern. Cf. Veget. 2, 8.

Labantem aciem] Sic pro *labentem* legendum conjecit Pichena. Id habet MS. (Bud.) Agric. Guelf. a man. sec. edd. pr. Beroald. Alc. Rhen. pr. sqq. usque ad Rhen. sec. Igitur cum Ryckio Tacito reddidi. *Labare* dicitur exercitus, non *labi*. V. præter Pichenam, J. Fr. Gron. et Drak. ad Liv. præf. qui et aliis locis ad Livium de his verbis, eorumque in tali contextu confusione, egere, ut alios taceam. Ern. Respice ad A. 2, 26. ubi *labare hostes*. Sic et H. 1, 26. 5, 18. et Germ. 8.

Ut tela vacuo atque aperto] Intell. *in*. V. ad c. 16. 19. *Vacuum atque apertum* opponit locis arbusto obsitis. Ern.

Quartadecimæ legionis] Qui potest? Nam quartadecima legio pro Othone steterat, et post Bedriacense prœlium statim a Vitellio in Britanniam remissa. Sed nec mentio ejus in hac pugna, immo bello. Reponam fidenter, *quintadecimæ*, quæ inter Vitellianas paullo ante censa. Lips. Recepit Pichena cum seqq. Ern. Bud. peccat cum vulgato.

Intulissent] Scil. milites. Sic bene Bip. qui et ante *late* punctum minus locant. Balista a tormentis distinguitur. Mox Bud. *ereptis*.

Libramenta tormentorum] Atqui unius tormenti, sive balistæ, mentio est. Ergo, *tormento tum abscid.* aut ante *balistæ* legendum, et *proruebant*. Lips. *Ignorati* conjungendum cum *arreptis e strage scutis*. Nam hæc fecere, ut non agnoscerentur, ut Vitelliani viderentur. Ed. pr. vitiose *ignoranti* et *confessi*. Ern.

Neutro inclinaverat fortuna] Sic Flor. (Bud.) edd. pr. Rhen. sqq. At Guelf. edd. Put. Ber. Alc. *neutro inclinata fortuna*. Ern.

Falso, ut in corpora, ictu] Ita e libris restituimus. nec sententiam difficile capi e similibus auctorum locis. Nam hæc fraus sive error alias quoque objectus hosti. Plutarchus in Pomp. 32. in pugna Pompeii cum Mithridate: Ἐπῄεσαν μὲν οἱ Ῥωμαῖοι κατὰ νώτου τὴν σελήνην ἔχοντες. Πεπιεσμένου δὲ περὶ τὰς δύσεις τοῦ φωτὸς, αἱ σκιαὶ, πολὺ τῶν σωμάτων ἔμπροσθεν προϊοῦσαι, τοῖς πολεμίοις ἐπέβαλλον, οὐ δυναμένοις τὸ διάστημα συνιδεῖν ἀκριβῶς· ἀλλ', ὡς ἐν χερσὶν ἤδη γεγονότων, τοὺς ὑσσοὺς ἀφέντες μάτην, οὐδενὸς ἐφίκοντο. Florus paullo aliter narrat, nec rem cepisse visus est, de illapsa pugna 3, 5. *Nocturna ea dimicatio fuit, et luna in partibus. quippe quasi commilitans, cum a tergo hostibus, a facie Romanis, se præbuisset, Pontici per errorem, longius cadentes umbras suas: quasi hostium corpora petebant.* Si tamen ea lectio recta, nec interpolata ab imperitis. Nam certe Orosius 6, 4. etiam et Frontinus 2, 1, 12. Romanis in hac pugna Lunam fuisse a tergo fatentur: et Dio 36, 32. clare κατόπιν. Itaque emendem in Floro: *cum a tergo Romanis, a facie hostibus se præbuisset, Pontici per errorem longius cadentes umbras* (voculam illam, *suas*, expungimus) *quasi hostium corpora petebant.* Sane ratio ipsa ita vult. nec tam bardum ego Florum umquam cen-

corpora, ictu, tela hostium citra cadebant: Vitelliani adver- A. U.
so lumine conlucentes, velut ex occulto jaculantibus, incauti 823.
offerebantur. Igitur Antonius, ubi noscere suos noscique A. C.
poterat, alios pudore et probris, multos laude et hortatu, 70.
omnes spe promissisque accendens, *cur rursum sumpsissent* 24
arma? Pannonicas legiones interrogabat: *illos esse campos,*
in quibus abolere labem prioris ignominiæ, ubi reciperare glo-
riam possent. Tum ad Mœsicos conversus, *principes aucto-*
resque belli ciebat: *frustra minis et verbis provocatos Vitellia-*
nos, si manus eorum oculosque non tolerarent. Hæc, ut quos-
que accesserat: plura ad tertianos, veterum recentiumque
admonens: ut *sub M. Antonio Parthos, sub Corbulone Arme-*
nios, nuper Sarmatas pepulissent. Mox infensius Prætoria-
nis: *Vos,* inquit, *nisi vincitis, pagani, quis alius Imperator,*
quæ castra alia excipient? Illic signa armaque vestra sunt, et
mors victis. nam ignominiam consumpsistis. Undique clamor:
et orientem solem (ita in Syria mos est) tertiani salutavere.

seam, ut hoc non ceperit. Lips. Nempe ante erat *in corpore,* ut habet (Bud.) Guelf. Acidalius etiam malebat *jactu.* Etiam de telis missilibus *ictus* dicitur, sed tum, cum jactu teli attingitur corpus: quoad mittuntur, *jactus* dicitur. Clare sic distinguit Livius 30, 10. *Ex rostratis Pœni vana pleraque, utpote supino* jactu, *tela in superiorem locum mittebant: gravior ac pondere ipso libratior superne ex onerariis* ictus *erat.* Itaque *jactu* h. l. placet. Confundi ista verba notum est. V. Drakenb. ad Liv. 26, 40. ubi pariter pro *ictus* mavult *jactus.* Ern.

Ex occulto jaculantibus incauti offerebantur] Ed. pr. non agnoscit vocem *incauti,* et, cum præcesserit *ex occulto,* satis intelligi putat Gruterus. Ern.

Cur rari sumsissent] Ex historia et sententia, *cur resumsissent.* Nam Pannonici semel victi, arma tamen iterum sumserant. Lips. Ferrettus alias: *cur rursus sums.* Hoc magis placet. Certe *rari* vitiosum est, quicquid nugetur Salinerius. MS. Agr. *cur nam.* Ern. Hoc Ryckio placet. Bip. Ferretto accedunt legentes *rursum.* finalem syllabam absumpsit initialis sequens. Verum puto.

Non tolerent] Scr. *tolerarent:* nam præcedit *provocatos* et *possent.* Ern. Bud. *tolerent.*

Parthos.. Armenios.. Sarmatas] V. Dio 49. Supra A. 15, 26. H. 1, 79.

Mox infensus Prætorianis] Puto *infensius.* hoc est verbis asperioribus. Non enim his magis quam aliis infestus erat: sed hos compellabat inclementius. Gron. Verissime. Tertianis plura, his asperiora dixit. Ern. Laudant Ryck. Lall. Recipio cum Bip.

Nam ignominiam consumsistis] Assidet acuto huic dicto illud Curtianum 6, 8. *Scit, eos qui misericordiam consumserunt, amplius sperare non posse.* Lips. Sensus: nam ignominiam jam tantam contraxistis, ut ea non amplius timenda sit, nemo in vos uti possit, qui affligere velit, sed nihil aliud nisi mors restet. Ern. Lux huic loco ex H. 2, 44 et 67.

Solem (ita in Syria mos est)] Nam hæc legio e Syria deducta, in qua sub Corbulone militaverat. At de more ipso Herodianus 4, 30. de Parthis, qui pugnam inituri orto jam sole: Ἀσπασάμενοι δὲ τὸν ἥλιον, inquit, ὡς ἔθος αὐτοῖς, οἱ βάρβαροι, μεγίστῃ κλαγγῇ βοήσαντες, ἐπέδραμον τοῖς Ῥωμαίοις. Sed observo amplius: non solum Syros aut Orientales Soli cultum hunc detulisse, sed gentium plerasque. Plato De legib. 10, p. 887. Ἀνατέλλοντός τε ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ πρὸς δυσμὰς ἰόντων, προσκυλίσεις ἅμα καὶ προσκυνήσεις Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων πάντων. Ipsis Romanis receptum, in precando verti ad Orientem. Hyginus de Limitibus: *Antiqui architecti in Occidentem templa recte spectare scripserunt. Postea placuit omnem religionem eo convertere, ex qua parte cœli terra illuminabatur.* Isidorus 15, 4. templa ita structa ait, *ut qui consuleret ac deprecaretur, rectum aspiceret Orientem.* Latinus Pacatus in Paneg. ad Theodosium c. 3. *Nam ut, divinis rebus operantes, in eam cœli plagam ora convertimus, a qua lucis exordium est.* Nec Christiani ab-

A. U. 823. A. C. 70

25 Vagus inde, an consilio Ducis subditus rumor, *advenisse Mucianum; exercitus invicem salutasse.* gradum inferunt, quasi recentibus auxiliis aucti; rariore jam Vitellianorum acie, ut quos, nullo rectore, suus quemque inpetus vel pavor contraheret diduceretve. Postquam inpulsos sensit Antonius, denso agmine obturbabat. laxati ordines abrumpuntur: nec restitui quivere, inpedientibus vehiculis tormentisque. Per limitem viæ sparguntur, consectandi festinatione, victores. Eo notabilior cædes fuit, quia filius patrem interfecit. rem nominaque, auctore Vipstano Messalla, tradam. Julius Mansuetus, ex Hispania, Rapaci legioni additus, inpubem filium domi liquerat. is mox adultus, inter septimanos a Galba conscriptus, oblatum forte patrem et vulnere stratum, dum semianimem scrutatur, agnitus agnoscensque et exanguem amplexus, voce flebili precaba-

horruerunt. Tertullianus Apolog. c. 16. *Alii plane humanius et verisimilius, Solem credunt Deum nostrum... Suspicio inde, quod innotuerit nos ad Orientis regionem precari. Sed plerique vestrum, adfectatione aliquando et cælestia adorandi, ad Solis ortum labia vibratis.* LIPS.

Tertiani salutavere] Legionem hanc Gallicam cognominatam scribit Dio 65, 14. et c. 13. ridiculas exercituum salutationes fingit. Mox Bud. *inferre.*

Vagus inde, consilio] Romanus codex *vagus inde, an consilio.* quod valde amplector. Ambigit videlicet, fortuitu natus inter milites is rumor, an arte Ducis sparsus. LIPS. Consentit MS. Flor. unde recepit Pichena. Rom. Cod. int. ed. pr. ERN. *An* deest in Bud. ed. Put. Alc. Rhen.

Contraheret, diduceretve] Sententia et ἀντίθεσις sic visa postulare. vulgo *duceretve.* LIPS. Bip. posuere *deduceretve*, i. e. averteret, subduceret.

Postquam pulsos sensit] Nondum sane *pulsos*. Legendum *perculsos*, recte judicat Acidalius. Verbum *sensit* indicat, referri hæc ad præcedentia, quæ *perculsos* desiderant, sicut verbum *sensit* ipsum. Res ita evidens est, ut recipere non dubitarim. Similiter ap. Livium 28, 33. *perculsi* pro *pulsi* e conjectura Rhenani, receptum, contra scriptos: et pluribus locis in libris vett. hæc verba confusa supra 2, 14. in simili re: *additus perculsis terror, invecta in terga pugnantium classe.* Et sic sexcenties. Mox *obturbabat* MS. Flor. (Bud.) Reg. Agr. edd. pr. J. Gron. ceteræ *obturbat.* ERN. Rectius Bip. *inpulsos.* Primam syllabam ultima præcedentis vocis littera abstulit.

Inpuberem filium] MSS. Flor. Harl. (Bud.) Oxon. Guelf. etc. *impubem.* Consensus MSS. facit, ut cum J. Gronovio sic ediderim, quem v. ad h. l. Pichenam ad 4, 14. inprimis Drakenb. ad Liv. 2, 13. ubi copiose de hac forma agit, etiam hoc loco laudato. ERN.

Precabatur placatos patris Manes] Frustra hæsere viri docti in hoc loco, eumque variis modis tentarunt. Sensus est: *precabatur Manes patris, ut sibi placati essent, neve* etc. Porro *placatos* vera lectio, quæ est in Flor. Bud. Guelf. edd. Puteol. Beroaldi sqq. ante Lipsium, qui edidit *piatos*, ex ed. superiori, nescio qua; quod omnes secuti sunt. Pichena quidem testis, in MS. se reperisse *piatos*, et id exhibet ed. pr. verum ea lectio nata est e *platos* quod et in Flor. fuit scriptum ab initio pro *placatos.* Vid. Pich. Latinitas quidem non patitur, ut dicamus *precari Manes* vel *Deos piatos:* sed *placatos* i. e. non iratos. At *piati* fiunt Manes sacrificiis et aliis, quæ religio sanxit. Itaque non dubitavi *placatos* præferre. Broterius conjicit: *v. fl. Deos pr. ne piatos p. m.* quia MSS. quidam habent, *ne piatos.* Mox bene Pichena edidit *aversarentur* e Flor. pro *adversarentur*, quod est in ceteris scr. (Bud. etiam) et ante Pichenam editis: unde firmantur supra dicta ad H. 1, 38. ERN. Adde 2, 51. Unde *piatos* sumserit Lipsius, non indicat. Pichena ad cod. MS. provocat; Ryckius ad Agr. et *piatos* explicat per *impiatos*, ut apud Nonium 4, 363. quo sensu in Virg. 6, 569. *piacula* sumuntur. Bip. *piatos* recepere; malint tamen *impiatos* et *deprecabantur* scil. culpam. Ryckii rationem

tur *piatos patris Manes, neve se ut parricidam aversarentur:* A. U.
publicum id facinus; et unum militem quotam civilium armo- 823.
rum partem? simul adtollere corpus, aperire humum, su- A. C.
premo erga parentem officio fungi. Advertere proximi, 70.
deinde plures: hinc per omnem aciem miraculum et questus et sævissimi belli exsecratio. nec eo segnius propinquos, adfines, fratres trucidatos spoliant: factum esse scelus loquuntur faciuntque. Ut Cremonam venere, novum 26
inmensumque opus occurrit. Othoniano bello, Germanicus miles mœnibus Cremonensium castra sua, castris vallum circumjecerat: eaque munimenta rursus auxerat. quorum adspectu hæsere victores, incertis Ducibus, quid juberent. incipere oppugnationem, fesso per diem noctemque exercitu, arduum, et, nullo juxta subsidio, anceps. sin Bedriacum redirent, intolerandus tam longi itineris labor, et victoria ad inritum revolvebatur. munire castra? id quoque, propinquis hostibus, formidolosum, ne dispersos, et opus molientes subita eruptione turbarent. quæ super cuncta terrebat ipsorum miles, periculi quam moræ patientior. quippe ingrata, quæ tuta, ex temeritate spes: omnisque cædes et vulnera et sanguis aviditate prædæ pensabantur. Huc inclinavit Antonius, *cingique vallum corona* jussit. 27
primo sagittis saxisque eminus certabant, majore Flavianorum pernicie, in quos tela desuper librabantur. mox vallum portasque legionibus adtribuit, ut discretus labor fortes ignavosque distingueret, atque ipsa contentione decoris accenderentur. Proxima Bedriacensi viæ tertiani septimanique sumpsere: dexteriora valli octava ac septima Claudiana: tertiadecimanos ad Brixianam portam inpetus tulit. Paullum inde moræ, dum e proximis agris ligones, dola-

amplector; explicatio Ernesti non mihi satisfacit; probant tamen Brot. et Lall.

Publicum id facinus etc.] Sensus est: ne sibi potius imputent hoc facinus, quam universis civilibus armis, universo exercitui, bellum civile auso: cujus se minimam partem esse, nec totam culpam ferre debere. Acidalius putabat hæc verba esse alieno loco, et post *belli exsecratio* ponenda. Ern.

Trucidatos spoliant] (Sic Bud.) Flor. *trucidati:* quod J. Gronovius factum putat ex *trucidant:* bene, ut opinor: quia sequitur *faciunt scelus.* Ern.

Adfinis] Ita Bud. qui frequenter sic adcusandi casum effert.

Othoniano bello] Cf. 2, 22.

Fesso p. d. n. exercitu] MS. Agr. *fessos exercitus:* quod et ipsum rectum. Sed vulgatum melius et verius: etsi Flor. etiam et ed. pr. *fessos,* sed mox *exercitum.* Mox *munire castra* per interrogationem dicta, ad variandam orationem. nam alias non convenit *id quoque,* quod est respondentis. Ern. Bud. *fessos p. d. n. exercitu.* Bip. *fessos* ad *incipere* referunt et verba *per d. n. exercitum* in parenthesi ponunt. Mox post *munire castra* interrogandi signum non probant. Paullo post Bud. *ruptione.*

Ex temeritate spes] Copula *et* ante *ex,* auctore Flor. recte deleta J. Gronovio. Nam in contrariis copulæ nullus, certe non elegans, usus. Consentit ed. pr. In MS. Guelf. (Bud.) edd. Puteol. et seqq. ante Lipsium, *et temeritate:* ubi *et* vitiose pro *ex,* ut aliis locis. hinc vulgata *et ex* nata, a Lipsio temere recepta ex libro, quem ad editionem suam accommodavit. Ern. Bud. quoque mox *et prox. agris* pro *e prox. a.*

A. U. 823. A. C. 70. bras, et alii falces, scalasque convectant. tum, elatis super capita scutis, densa testudine succedunt. Romanæ utrimque artes: pondera saxorum Vitelliani provolvunt; disjectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur: donec, soluta compage scutorum, exsangues aut lace-
28 ros prosternerent multa cum strage. Incesserat cunctatio, ni Duces fesso militi, et velut irritas exhortationes abnuenti, Cremonam monstrassent. Hormine ad ingenium, ut Messalla tradit, an potior auctor sit C. Plinius qui Antonium incusat, haud facile discreverim: nisi, quod neque Antonius, neque Hormus, a fama vitaque sua, quamvis pessimo flagitio, degeneravere. Non jam sanguis, neque vulnera morabantur, quin subruerent vallum, quaterentque portas; innixi humeris et super iteratam testudinem scandentes, prensarent hostium tela brachiaque. integri cum sauciis, semineces cum exspirantibus, volvuntur, varia per-
29 euntium forma et omni imagine mortium. Acerrimum septimæ tertiæque legionum certamen. et Dux Antonius, cum delectis auxiliaribus, eodem incubuerat. Obstinatos inter se cum sustinere Vitelliani nequirent, et superjacta tela testudine laberentur; ipsam postremo balistam in subeuntes propulere. quæ, ut ad præsens disjecit obruitque, quos inciderat, ita pinnas ac summa valli ruina sua traxit.

Multa cum strage, incesserat] Id est, quia multa strages, timidior et cunctantior jam miles. Lips. Male. Distinctio vitiosa in libris edd. ante Pichenam fuit: qui e Flor. sic, ut nunc est, interpunxit. Consentit ed. pr. Ern. Lips. loco *cunctatio* perperam conjectat *tentatio*.

Hormine id ingenium] i. e. inventum, ut ap. Plin. Pan. c. 49. *exquisita ingenio cœnarum.* ubi v. Schwarzius, et ad c. 25. Pro *semineces* (quod in Bud.) MS. Reg. Agr. et ed. pr. *semianimes.* Paullo ante edidi *prensarent* e MS. Guelf. ed. pr. pro *prehens.* Ern. Bud. quoque *prensarent.* Bip. recte *ad ingenium.* Mox c. Agr. et Reg. Lall. *ut Messaliæ traditum.*

Et omni imagine mortium] Poetas imitatus, *imaginem* pro genere dixit et exemplo. Ern. Cf. Virg. Æn. 2, 369. Mox Bud. *tertie decime septimeque.*

Superjacta tela] Sic bene Flor. et Bud. pro vulg. *superjecta.* Vide infra 5, 6. et Sall. Fr. c. 12. Cod. Agr. non male *superjactata.*

Balistam] Muretus *molem*, forsan e codice. Et cod. Agr. *molem valli*, glossema.

Disjecit obruitque, quos inciderat] Primum de balista non satis commode *obruit* dicitur: sed de majoribus molibus, velut A. 4, 62. de amphitheatro, quod dicitur *operuisse* homines ruina: valdeque vereor, ne Tacitus scripserit *obtrivitque*, quod convenit tali machinæ. Et inane erat *obruit* addere, quod ex *inciderat* intelligi potest. Vestigia ejus lectionis in corruptissima ed. pr. scriptura: *disjecta breviterque.* Atque etiam alibi librarii sic permutarunt ista verba. Sic ap. Liv. 3, 56. pro *obtrivisset*, in scr. et edd. repertum *obruisset*, ubi v. Drakenb. Certe Tacitus, si *obruit* scripsisset, non addidisset, *in quos inciderat:* nam hoc jam est in verbo *obruit:* sed *oppugnatores, subeuntes*, aut simile quid: ut adeo nullo modo de veritate correctionis nostræ dubitari queat. Porro *quos* habent Flor. (Bud.) Agr. Guelf. edd. omnes, pro *in quos:* ne quis hæreat. nam et sic alii dixerunt: quamquam non negandum, librarios sæpe in hujus verbi constructione præpositionem temere omisisse, ubi iis docti viri non paruere. Vid. Drakenb. eundem ad Liv. 2, 30. ubi hunc locum Taciti afferre non neglexit; ut, si liber bonus juvaret, libenter *quis* scriptum a Tacito statuerem; præsertim cum illum modum loquendi alibi in Tacito non observarim, et scriptores tantum inferioris ætatis pro ea ratione laudentur. Ern.

simul juncta turris ictibus saxorum cessit. qua septimani A. U.
dum nituntur cuneis, tertianus securibus gladiisque portam 823.
perfregit. Primum inrupisse C. Volusium, tertiæ legionis A. C.
militem, inter omnes auctores constat. is in vallum egres- 70.
sus, deturbatis qui restiterant, conspicuus manu ac voce
capta castra conclamavit. ceteri, trepidis jam Vitellianis,
seque e vallo præcipitantibus, perrupere. completur cæde,
quantum inter castra murosque vacui fuit. At rursus nova 30
laborum facies: ardua urbis mœnia, saxeæ turres, ferrati
portarum obices, vibrans tela miles, frequens obstrictusque
Vitellianis partibus Cremonensis populus, magna pars Ita-
liæ, stato in eosdem dies mercatu congregata: quod defen-
soribus auxilium ob multitudinem, oppugnantibus incita-
mentum ob prædam, erat. *Rapi ignes* Antonius, *inferrique
amœnissimis extra urbem ædificiis* jubet; si damno rerum
suarum Cremonenses ad mutandam fidem traherentur. pro-
pinqua muris tecta, et altitudinem mœnium egressa, for-
tissimo quoque militum complet: illi trabibus tegulisque
et facibus propugnatores deturbant. Jam legiones in testu- 31

Nituntur cuneis] Hoc est *cuneatim irrumpere*. Cf. A. 1, 51. H. 2, 42. 5, 16. 18. Mox Bud. *concessit*. et dein *rupisse*.

Securibus gladiisque portam perfregit] Non spernam ego elegantem conjecturam Heinsii, ni fallor, apud Ryckium, corrigentis *securibus dolabrisque*. Nam gladiorum in portis perfringendis nullus usus. Intelligendæ autem dolabræ, quales illæ apud Curtium 5, 6. quibus *vasa cædebant milites*, 8, 4. *sternerent arbores*. Ern.

In vallum egressus] Eodem modo usus est verbo *egrediendi* infra c. 71. *in quarum tectum egressi*. Ern.

Deturbatis, qui restiterant] *Restiterant* edd. vett. ante Rhenanum. favet Flor. in quo *resisterant*. Idque restituit Pichena. MS. (Bud.) Guelf. edd. Rhen. sqq. *resisterent*. Illud melius esse totus contextus clamat. Ern.

Capta castra conclamavit] Verbum *conclamare* de uno dictum et ab aliis, nominatim Virgilio Æn. 9, 375. *Haud temere est visum, conclamat ab agmine Volscens*. Valer. Fl. 3, 259. *Conclamat ab aggere Tiphys*: quamquam etiam in illo loco libri quidam *aggere*: quæ si vera lectio, eum locum Tacitus in mente habuisse videri potest. Ern.

Completur cæde] Quis vero numerus cæsorum in his præliis? Tacuit noster, expressit Egesippus 4, 30. *Exstincta triginta millia et ducenti viri de exercitu Vitellii. Primusque (id enim Antonio cognomentum erat) quattuor millia quingentos de Mysiacis militibus amisit*. Lips.

Ac rursus nova lab. facies] Primo haud dubie scribendum: *at rursus*: quod facile quivis attendens et comparans antecedentia, sentiet. Reperit et Brot. in MS. et recepit *at*. Deinde respexit ad illud Æneæ ap. Virgil. Æn. 6, 103. *Non ulla laborum, o virgo, nova mi facies* etc. ut jam notavit Acidalius. Ern. Bud. *ac*.

Illi trabibus etc.] Primum, etsi bene fero *illi* sc. milites: tamen aures meæ potius desiderant *hinc* vel *illinc*, inde, ex istis ædificiis, mittunt, quibus deturbent propugnatores. Deinde *trabibus* haud dubie vitiosum. nam trabes quomodo tam longe milites jaculentur sine tormentis, quæ ibi nulla fuere. Id vidit Heinsius, qui apud Ryckium corrigebat *lateribus*. Sed, quia tegulæ quoque generis lateritii, malim fere *lapidibus*, ut infra c. 71. *saxis tegulisque* e tectis obruunt Vitellianos. Probat Mullerus. Ern. *Trabibus* bene habet. Tectorum ipsorum tegulas et trabes de culmine domuum dejiciebant in hostes. Sic tormentis non erat opus, ut et Bip. monent.

In testudinem glomerabantur] Sic bene e Flor. edidit Pichena pro *glomerantur*. nam sequitur *incutiebant*. Consentiunt MSS. (Bud.) Guelf. Bodl. Mox *languescere* idem ex eodem libro pro *languere*. (Bud. *languere*) Ed. pr. *langue-*

A. U. dinem glomerabantur, et alii tela saxaque incutiebant, cum
823. languescere paullatim Vitellianorum animi. Ut quis ordine
A. C. anteibat, cedere fortunæ: ne, Cremona quoque excisa,
70. nulla ultra venia, omnisque ira victoris, non in vulgus inops, sed in Tribunos Centurionesque, ubi pretium cædis erat, reverteretur. Gregarius miles, futuri socors et ignobilitate tutior, perstabat. vagi per vias, in domibus abditi, pacem ne tum quidem orabant, cum bellum posuissent. Primores castrorum nomen atque imagines Vitellii amoliuntur. catenas Cæcinæ (nam etiam tum vinctus erat) exsolvunt, orantque, *ut caussæ suæ deprecator adsistat*. adspernantem tumentemque lacrymis fatigant (extremum malorum) tot fortissimi viri, proditoris opem invocantes. mox velamenta et infulas pro muris ostentant. Cum Antonius *inhiberi tela* jussisset, signa aquilasque extulere: mœstum inermium agmen, dejectis in terram oculis, sequebatur. Circumstiterant victores, et primo ingerebant probra, intentabant ictus: mox, ut præberi ora contumeliis, et, posita

scerent: quod non spernam. infinitivum copula *et*, sive addita temere ante *ut*, sive intellecta, peperisse videtur. Sed infinitivus quoque rectus. Dein cum Ryckio et Gronovio deleto *et*, dedi *ut quisque o. a.* et ei rei interpunctionem accommodavi. Consentiunt MS. Agr. ed. pr. nisi quod habent *quis*, pro *quisque*. Denique *reverteretur*, pro simplici *verteretur*, dictum, quod rescribi volebant Muretus et Ursinus (et Acidal.). Vid. ad Sueton. Aug. c. 77. Ern. Flor. etiam et Bud. habent *ut quis*, et sic noster passim, ut A. 2, 24. 73. 83. 4, 23. 36. Ergo restitui cum Bip. et J. Gron. Dein *reverteretur*, rectius.

Nomen atque imagines] Nomen ejus in signis. Mos enim ille, ut Imperatoris sui nomen tum vexillis inscriberent, tum scutis. Quod etiam in libera Rep. video factitatum. Dio de Crasso in Parthos movente 40, 18. *Σημεῖον δέ τι τῶν μεγάλων τοῖς ἱστίοις ἐοικότων, καὶ φοινικᾶ γράμματα ἐπ' αὐτοῦ πρὸς δήλωσιν τοῦ τε στρατοῦ καὶ τοῦ στρατηγοῦ σφῶν τοῦ αὐτοκράτορος ἐχόντων.* Thebaidis scriptor etiam Græcis attribuit, sed mentem habens in militia Romana:—*aurea clarum nota Nomen Ducum vexilla præscriptum ferunt.* facitque litteras aureas, quas Dio puniceas. Huc Suetonii illud pertinet Vespas. 6. *Nomen ejus vexillis omnibus sine mora inscripserunt.* Item Prudentii de Constantino, in Symm. 1, 488. *Christus purpureum, gemmato textus in auro. Signabat labarum. clypeorum insignia Christus Scripserat.* Qui bene addit de clypeis, sive scutis. nam et illic, ut dixi, inscribebant. Quinctilianus pro Milite c. 12. *Inscriptum in scuto C. Marii nomen.* Dio 42, 15. Marcellum ait *nomen Pompeii, cum id scutis suis milites inscriberent, delesse.* uti scilicet fautorem se Cæsari ostenderet. Idem 50, 5. notat, Romanos milites *Cleopatræ nomen scutis inscripsisse*, quasi Imperatoris. D. Ambrosius (sive quis alius ille scriptor) ad hunc ritum respexit Oratione funebri de Valentiniano §. 58. *Valentinianus habens in se imaginem Christi... Nec injuriam putaveris. charactere Domini inscribuntur et servuli, et nomine Imperatoris signantur milites.* nisi tamen ad puncturas et stigmata militum hoc refers: quod non sperno. Lips. De nominibus adde nostrum H. 2, 85. 3, 13. Ern.

Tum vinctus] Bud. *tunc vinctus.*

Extremum malorum etc.] Interpunctio hæc debetur Pichenæ, qui sic loco succurrit, adjutus MS. Flor. Pro *tot* MS. Guelf. Bud. ed. Rhen. et sqq. ante Lipsium *ac*. Ern. Priora verba intercludo cum Bip. et præcedens punctum tollo. Mox Freinsh. malebat *jussit et*. non opus.

Circumstiterant] MS. Guelf. a manu sec. ed. pr. *circumsteterant*. V. ad 4, 69. Mox eadem ed. pr. *intendebant*. Ern. Bud. et ed. Put. Alc. Rh. *circumstiterant*.

Mox, ut præberi ora c.] Non est verbum, unde pendeat *præberi*: sequitur enim *et patiebantur*. Pronum foret con-

omni ferocia, cuncta victi patiebantur, subit recordatio, illos A. U.
esse, qui nuper Bedriaci victoriæ temperassent. Sed, ubi 823.
Cæcina, prætexta lictoribusque insignis, dimota turba, A. C. 70.
Consul incessit, exarsere victores: *superbiam, sævitiamque*
(adeo invisa scelera sunt) etiam *perfidiam*, objectabant.
Obstitit Antonius, datisque defensoribus, ad Vespasianum
dimisit. Plebs interim Cremonensium inter armatos con- 32
flictabatur. nec procul cæde aberant, cum precibus Ducum mitigatus est miles. Et vocatos ad concionem Antonius adloquitur, magnifice victores, victos clementer: de Cremona in neutrum. Exercitus præter insitam prædandi cupidinem, vetere odio, ad excidium Cremonensium incubuit. juvisse partes Vitellianas, Othonis quoque bello, credebantur: mox tertiadecimanos, ad exstruendum amphitheatrum relictos, ut sunt procacia urbanæ plebis ingenia, petulantibus jurgiis inluserant. Auxit invidiam editum illic a Cæcina gladiatorum spectaculum: eademque rursus belli sedes: et præbiti in acie Vitellianis cibi: cæsæ quædam feminæ, studio partium ad prœlium progressæ. tempus quoque mercatus, ditem alioqui coloniam, majorum opum specie complebat. Ceteri Duces in obscuro: Antonium fortuna famaque omnium oculis exposuerat. is balneas, abluendo cruori, propere petit. excepta vox

jicere *præbuere*. Sed non necessarium, aliquid tentari. Similiter A. 12, 51. *post ubi quati uterus, et viscera vibrantur.* Arbitror, esse ἀνακόλουθον, constructionis, idque sic resolvendum, velut h. l. ut præberi ora c. et cuncta victos pati videbant: in illo 12, 51. ubi *quati uterum et viscera vibrari* sentit. Mox *ferocia* melius, quam *fiducia*, quod est in MS. Guelf. ed. Puteol. Ber. Alc. Ern. Bud. *ferocia*. Recepit Rhen.

Subit recordatio] *Recordatio* est in ed. pr. Rhen. sqq. omnibus, et, ut e silentio Pichenæ et J. Gron. colligere licet, in MS. Flor. In Bud. legitur *ratio*, ut in Guelf. unde Rhenanus colligebat *miseratio: subit miseratio: illos esse* etc. Sic interpungendum, ut mox *exarsere victores: superbiam* etc. Nempe conversio tanta rerum misericordiam movit, ut alibi. Mihi hoc melius placet. In his miseratio orta: in Cæcina indignatio. Omninoque melius cohærens oratio esset. Ern. Bud. *ratio* verius videtur Bipontinis.

Victoriæ temperassent] Sic in libris meis omnibus reperi: in nullo *obtemperassent*, ut ex h. l. laudat Ciaccon. ad Cæs. B. G. 1, 33. Apud Sallustium autem Cat. 11. in hac formula *victoriæ temperare* est illa confusio. V. Cort. De formula ipsa Oudend. ibi laudat Gronov. ad Liv. 1, 29. Ern.

Consul incessit] Guelf. et alii *incessisset*, male: item mox: *objectant*, quod non spernam. Sic ante: *subit recordatio*. Ern. Bud. *incessit*.

Plebs] Sic Flor. Bud. Agr. Pichena aliunde *plebes*.

De Cremona in neutrum] Id est, in neutram partem aliquid pronunciavit: neque ad salutem, neque ad perniciem. Ern.

Editum illic a Cæcina etc.] Præpositio *a* et mox copula *que* est in libris omnibus meis præter ed. Rhen. et eum secutas ad Pichenam. Paullo post *majore* MS. Bodl. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. recepit Broterius. Ern. Præpositionem se delevisse Rhen. ait, quia deest in Bud. et putabat subaudiri; verum in editione ejus sec. legitur. Contra Bud. habet *eademque*, Rhen. *eadem*. Bud. et Rhen. *majorum*. Bud. *ad bellum*; Rhen. *ad prœlium*. Bud. *alioqui*.

Is balneas abluendo cruori] Pichena e Flor. dedit *balineas* sed, quia supra c. 11. *balnearum* editum est, hic eandem scripturam servandam putavi. *Abluendo cruore* habent edd. ante Rhen. omnes.

A. U. 823. A. C. 70.

est, cum teporem incusaret, *statim futurum, ut incalescerent*. Vernile dictum omnem invidiam in eum vertit, tanquam *signum incendendæ Cremonæ dedisset*, quæ jam flagrabat.

33 Quadraginta armatorum millia irrupere, calonum lixarumque amplior numerus, et in libidinem ac sævitiam corruptior. Non dignitas, non ætas protegebat, quo minus stupra cædibus, cædes stupris, miscerentur. Grandævos senes, exacta ætate feminas, viles ad prædam, in ludibrium trahebant. Ubi adulta virgo, aut quis forma conspicuus, incidisset, vi manibusque rapientium divulsus, ipsos postremo direptores in mutuam perniciem agebat. dum pecuniam, vel gravia auro templorum dona, sibi quisque trahunt, majore aliorum vi truncabantur. Quidam obvia adspernati, verberibus tormentisque dominorum abdita scrutari, defossa eruere. Faces in manibus: quas ubi prædam egesserant, in vacuas domos et inania templa per lasciviam jaculabantur: utque exercitu, vario linguis, moribus, cui cives, socii, externi interessent, diversæ cupidines, et aliud cuique fas, nec quidquam inlicitum. Per quatriduum Cremona suffecit. Cum omnia sacra profanaque in igne con-

Idque recte dicitur, et exquisitius antiquiusque, quam *cruori*, ut jam ad Annales dictum. Itaque id secutus essem, nisi libri Florentini auctoritas obstaret, cui Guelf. consentit. Mox pro *incalescerent* MSS. Oxon. Harl. *inardescerent*. Illud verum, et melius, ut quivis sentit. Ipse tepida aqua non incalescebat, quam suppeditaverant: minatur, fore, ut illi incalescerent, sed alio modo. Ern. Rhen. e Bud. *cruori*.

Viles ad prædam] Turnebo ne accedamus rescribenti *miles ad prædam*. Taciti enimvero mens, eos ipsos, qui aut ætate aut imbecillitate non erant ullius æris, raptos tamen per sævitiam et ad illusum. Curtius non absimiliter in direptione Persepolis 5, 6. *Neque avaritia solum, sed etiam crudelitas, in capta urbe grassata est. auro argentoque onusti, vilia captivorum corpora trucidabant.* Lips.

Aut quis forma conspicuus] An *aut puer forma conspicuus*. Gron. In tali contextu non videtur necessarium substantivum poni. Genus enim et mentio facta virginis facit, ut sponte intelligatur pueri nomen. Solenne hoc Græcis inprimis. Sic apud Homer. Il. A. initio, ψυχαῖς ἰφθίμων opponuntur αὐτοὶ pro σώμασιν: et sic centies. Ern.

Ipsos postremo direptores] Talis illa in capta urbe descriptio Quinctiliani 8, 3. *Et conata retinere infantem suum mater, et, sicubi majus lucrum, pugna inter victores.* Lips.

Majore a. v. truncabantur] Abscisis manibus, ut omitterent occupata. sed, ni fallor, huic rei non satis convenit *majore aliorum vi*. forte fuit *obtruncabantur* (ut voluit Heins.) vel *trucidabantur*. Etiam supra dixit in perniciem actos milites, dum de virginibus aut pueris formosis pugnarent. Ern.

Vi tormentisque dominorum abdita scrutari] Sic 2, 13. matrem per cruciatus interrogant milites ubi filium occuleret. Frustra itaque Ursinus et Muretus corrigunt *domorum*. Ern.

Utque exercitu, vario] i. e. atque ut fit in exercitu tali etc. Præpositio omissa (v. ad c. 19.) fecit, ut quidam *exercitui* fecerint, ut est in Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. Mox melius puto *inessent*. Ern. Bud. Rhen. *exercitu*.

In igne considerent] Heinsius ex Ovidio corrigebat *ignem*. Sic etiam Virgil. Æn. 2, 624. unde scil. sumsit suum, ut alia, Ovidius: *omne mihi visum est considere in ignes Ilium*. Atqui Tacitus libenter imitatur Virgilium. etiam ap. Virgilium MS. Hamburg. *in igne* vitiose dedit. Itaque valde arridet ista correctio *in ignem* vel *in ignes*. Ern. Heinsius de Virgilio cogitabat; nam apud Ovidium tale nihil. *In igne* Bip. subaudiunt *cineribus obruta*. Sed Statius etiam Theb. 3, 184. *in cinerem consedit*.

siderent, solum Mephitis templum stetit ante mœnia, loco, seu Numine defensum. Hic exitus Cremonæ, anno CCLXXXVI. a primordio sui. Condita erat Ti. Sempronio et Cornelio Consulibus, ingruente in Italiam Hannibale, propugnaculum adversus Gallos, trans Padum agentes, et si qua alia vis per Alpes rueret. Igitur numero colonorum, opportunitate fluminum, ubere agri, annexu connubiisque gentium, adolevit floruitque, bellis externis intacta; civilibus infelix. Antonius, pudore flagitii, crebrescente invidia, edixit, *ne quis Cremonenses captivos detineret.* inritamque prædam militibus effecerat consensus Italiæ, emptionem talium mancipiorum adspernantis. Occidi cœpere: quod ubi enotuit, a propinquis adfinibusque occulte redemptabantur. mox rediit Cremonam reliquus populus. reposita fora templaque munificentia municipum: et Vespa-

A. U. 823. A. C. 70. 34

Mephitis] Dea tetri odoris, de qua Serv. ad Æn. 7, 84. Ern.

Hic exitus Cremonæ] Sic edidi ex ed. pr. cui consentit MS. Agr. quamquam *Cremonæ* a man. sec. additum. *Habuit* abest a MS. Flor. Bud. in quibus quia est *Cremonam*, addidere *habuit*, e formula Tacito solenni. *Cremonam* servari, sine *habuit*, ut vult J. Gronovius, intellecto *mansit*, duabus de caussis fieri non placet: primum, quia ista ellipsis inusitata, quod et de *habuit* dicendum: dein, quia verbum *manere* fere de futuris rebus dicitur, et, si de præteritis dicitur, *manserat* esse debet, non *mansit*. Accusativi et genitivi primæ declinationis sæpe in libris confusi. Ern. Reg. Lall. quoque habet *Hic ex. Cremonæ*. Recepere Lall. Brot. Bip. Gruterus etiam.

Ti. Sempronio] Id est, Tiberio. Male enim vulgo *Tito*: ex Livio 21, 6. et Fastis. Lips. *P.* abest ante *Cornelio* a Flor. (Bud.) Guelf. edd. ante Rhen. unde delevi. Sic A. 14, 1. *C. Vipstano, Fonteio Coss.* ut monet J. Gron. Ern.

Per Alpes rueret] A Beato hoc est (e Bud.); antea *irrueret*. Legam *ingrueret*. Lips. *Rueret* est etiam in Flor. ed. pr. quod nequaquam tentandum. Horat. C. 4, 2. *Monte decurrens velut amnis—fervit, immensusque ruit Pindarus ore.* Similiter *irruere* pro *ruere* tentabat Heins. A. 2, 17. Ern.

Annexu connubiisque gentium] *Annexu* est conjunctione quacunque, quales commercia, connubia, concilia communia: cui subjicitur species conjunctionis. Pro *gentium* Spanhem. de V. et P. N. t. 2. p. 619. malebat *adjacentium*, quod *gentium* nimis vagum et indefinitum videbatur. Neque aut satis faciunt dicta Ryckio, aut convenit exemplum ab eo prolatum e Liv. 8, 14. *ceteris Latinis populis connubia commerciaque et concilia inter se ademerunt:* nam ibi omnia definita. Sed malim tamen intelligere *aliarum;* quod verbum a Græcis sæpissime, ab imitatoribus eorum interdum, omitti, dudum observatum est. Ern. Agr. *connexu*. Rhen. malebat *adhæsu*. Bip. conjiciunt *agri annexi*. *Ubere agri* plane ut Virg. Æn. 3, 164. *ubere glebæ*. Mox Bud. *civilibusque*.

Pudore flagitii] Ita mei libri. Budensis *pistore*. vulgati pessime *post rem flagitii*. Lips. Etiam Flor. Guelf. ed. pr. *pudore*. Ern. Ex ingenio conjiciebat *pudore* Rhenanus: Pichena restituit e Flor. Acidalius e *post rem* conjectabat *postremi*.

Cremonenses captivos] Cod. Agr. et Reg. Lall. *Cremonensem captivum*.

Occidi cœpere] Sic Rhenanus dedit e vestigiis MS. Bud. in quo erat *cecidi*. At *occidi* jam editum erat in ed. pr. quod est etiam in Flor. Ceteri ante Rhen. *cædi*, ut est in Guelf. *Mox redemtabantur*, quod e Flor. edidit (Pichena et) Ryckius, etiam est in MSS. Agr. Guelf. In margine autem pro var. lect. est *redimebantur*. Gaudere Tacitum frequentativis, supra jam observatum, et lectio quemque docet. Ern. Bud. *redimebantur*. Sic Put. Alc. Rh.

Magnificentia municipum] Placet magis, quod in Rom. codice est, (i. ed. pr.) *munificentia*. Lips. Sic et MS. Reg. idque melius puto: et recepissem in contextum, nisi *magnificentia* quoque utcunque ferri posset, intellecta magnitudine

A. U. sianus hortabatur. Ceterum adsidere sepultæ urbis ruinis,
823. noxia tabo humus haud diu permisit. ad tertium lapidem
A. C. progressi, vagos paventesque Vitellianos, sua quemque apud
70. 35 signa, componunt. Et victæ legiones, ne, manente adhuc
civili bello, ambigue agerent, per Illyricum dispersæ. In Britanniam inde et Hispanias nuntios famamque, in Galliam Julium Calenum, Tribunum: in Germaniam Alpinum Montanum, Præfectum cohortis, quod hic Trevir, Calenus Æduus, uterque Vitelliani fuerant, ostentui misere. Simul transitus Alpium præsidiis occupati: suspecta Germania, tamquam in auxilium Vitellii accingeretur.

36 At Vitellius, profecto Cæcina, cum Fabium Valentem, paucis post diebus, ad bellum impulisset, curis luxum obtendebat: non parare arma, non adloquio exercitioque militem firmare, non in ore vulgi agere: sed umbraculis hortorum abditus, ut ignava animalia, quibus si cibum suggeras, jacent torpentque, præterita, instantia, futura, pari oblivione dimiserat. Atque illum, in nemore Aricino desidem

animi, quæ in munificentia vel maxime cernitur, ut mox c. 37. Verba illa permutantur et A. 12, 3. ubi *magnificentia* verum. Recepere Brot. et Allem. Ern. Hic e cod Reg. Sequor cum Bip. Bud. *magnificentia* et prius *templa quoque.*

Noxia tabo humus] MS. Agr. *tabe;* quod non displicere videtur Ryckio, laudanti A. 2, 69. Mihi quoque placeret, si libri plures consentirent. Nam non uno sane loco pro *tabe* datum *tabum* a librariis, ignorantibus, etiam *tabem* sic dici. Vid. ad l. c. sed nec infercienda ubique sine idoneis auctoribus *tabes. Tabo* h. l. defendit etiam et illustrat J. Gronov. ad Melam 3, 8. supra 2, 70. *infesta tabo humus.* Ern. Bud. *tabo.*

Trevir] Bud. lepide *triumvir.*

Ad h. impulisset] Non credo sic Tacitum dedisse. *Ad bellum impellere* est suadere bellum, auctorem alicui esse belli: quod ab h. l. alienum. Princeps imperat Ducibus suis, quod fieri velit. *Expulisset* verum credo. Invitus homo socors et voluptarius exibat, aut moras nectebat. Suet. Cal. 1. Tiberius Germanicum dicitur *expulisse ad componendum Orientis statum.* Cicero *extrudere* sic dixit in ep. 7, 6. Probat Mullerus. Ern. Bip. contra comparant A. 4, 41. *ad vitam procul Roma impelleret.*

Non in ore vulgi] Vera nostra conjectura. Nam in libris omnibus *more vulgi.* quod sane haud convenit. At *in ore agere*, est Latinis coram et in conspectu esse, sese offerre. Sallustianum est, et ab eo penu Tacito promptum. In oratione Cottæ ad Quirites: *A prima adolescentia, in ore vestro privatus et in Magistratibus egi.* Fragmento alio: *In ore agens gentibus, populo, civitati.* Tacitus iterum c. 77. *Julianus ad L. Vitellium perductus, verberibus fœdatus, in ore ejus jugulatur.* Dicendi hoc genus restituendum Plinio censeo in Paneg. 69. *Sunt in honore hominum et in honore famæ magna nomina, ex tenebris oblivionis, indulgentia Cæsaris.* Et lego: *Sunt in ore hominum et in ore famæ.* Lips. *In ore* etiam Flor. (Bud.) Agr. Ern. *In ore vulgi* etiam Cic. Verr. 1, 46. Cf. noster ad H. 2, 73. Fragmentum alterum Lipsio cit. ductum est e Donato ad Ter. Adelphos 1, 2, 13.

In nemore Aricino] Inter Lanuvium et nemus Aricinum superesse rudera villæ Vitellii arbitratur Corradinus Lat. vet. t. 2. p. 193.

Atque illum—proditio Lucilii B.—perculit] Nuncii non *percellunt*, sed *percutiunt*, ut alio loco jam docuimus. Itaque legendum *percussit. Perculit* esset *perdidit:* quod alienum est. *Repente exterruit*, desideratur: quod est *percussit.* Cicero quidem ep. 5, 7. *veteres inimicos, novos amicos, literis tuis perculsos:* sed sequitur *et de magna spe deturbatos jacere:* quod huic loco dissimile est. Infra c. 56. *ad omnes nuncios vultu quoque et incessu trepidus* dicitur fuisse. hoc est *percussi*, non *perculsi.* Contra Cicero in ep. 9, 25. *atrocissimis percussus est literis*, non *perculsus.* V. et ad 2, 54. Itaque

et marcentem, proditio Lucilii Bassi, ac defectio classis A. U.
Ravennatis perculit. Nec multo post de Cæcina adfertur 823.
mixtus gaudio dolor: et descivisse, et ab exercitu vinctum. A. C.
plus apud socordem animum lætitia, quam cura valuit. 70.
multa cum exsultatione in urbem revectus, frequenti concione, *pietatem militum* laudibus cumulat. *P. Sabinum, Prætorii Præfectum, ob amicitiam Cæcinæ, vinciri* jubet, substituto in locum ejus Alpheno Varo. Mox Senatum, com- 37
posita in magnificentiam oratione, adlocutus, exquisitis Patrum adulationibus adtollitur. Initium atrocis in Cæcinam sententiæ a L. Vitellio factum. dein ceteri, composita indignatione, *quod Consul Rempublicam, Dux Imperatorem, tantis opibus, tot honoribus cumulatus, amicum prodidisset,* velut pro Vitellio conquerentes, suum dolorem proferebant. Nulla in oratione cujusquam erga Flavianos Duces obtrectatio. *errorem inprudentiamque exercituum* culpantes, Vespasiani nomen suspensi et vitabundi circumibant. Nec defuit, qui unum Consulatus diem (is enim in locum Cæcinæ supererat) magno cum inrisu tribuentis accipientisque, eblandiretur. pridie Kal. Novembris Rosius Regulus iniit, ejuravitque. Adnotabant periti, *numquam antea, non abro-*

vix ante dubitavi, in tanta evidentia, corrigere. E Broterio post didici, MS. Reg. habere *percutit:* Quod firmat rationem nostram, et lenior correctio est, quæ et sequenti *affertur* melius consentit: id adeo recepi. Ern. Bip. bene notant, omnino homines pavore, metu, dolore, nuntiis etc. percelli. Sic ipse noster A. 1, 28. 42. Nolim ergo a vulg. recedere. restitui *perculit.* pro quo Bud. *pertulit.* Ern. receperat *percutit.*

P. Sabinum Prætorii Præfectum] Vid. Lips. ad 2, 92. Ern.

Suum dolorem proferebant] h. e. quem ex injuriis Cæcinæ privatim publiceque ceperant. Eum cum alias pressissent, nunc, sub illa specie, edebant. Igitur graviter invecti in Cæcinam: non Vitellii, sed suis injuriis incensi. Sic Livius 7, 21. *curæ privatæ in certaminibus publicis erumpebant:* quod fortasse Tacitus imitatus est. Ern. Cf. A. 15, 73.

Is enim in locum Cæcinæ supererat] Proprie dies ille non supererat in locum Cæcinæ, sed e Consulatu Cæcinæ. Unde pronum suspicari, verba *in locum Cæcinæ,* esse loco mota, et post *diem* ponenda, sive, post *supererat.* Placet Mullero. Vulgatum sic explicandum: is enim dies supererat volenti succedere in locum Cæc. s. si quis sufficiendus Cæcinæ foret. Ern.

Cum irrisu tribuentis acc.] Hoc ordine scr. et edd. ante Rhen. omnes exhibent verba: nisi quod Flor. *tradentis* habet. Rhenanus *acc. tribuentisque* tacite (e Bud.) edidit, quod omnes servarunt. Illud autem bene, quod *eblandiretur* dedit, quamquam conjectura tantum, pro *blandiretur.* Primam literam absorpsit finalis τοῦ *que,* ut sæpe in hoc et similibus verbis. Ern. Bip. e Flor. *tradentisque accipientisque.* Sed ista geminatio conjunctionis vix nostro est in usu. *tradentis, tribuentis,* perinde est. Mox Bud. *iniit, ejuravit.*

Rosius] Sic MSS. Flor. Bud. Guelf. edd. pr. Puteol. unde restitui. Primus Beroaldus edidit *Rossius,* non e libris scriptis, (nam hos libros non e MSS. edidit) sed casu ac vitio operarum, quod ab Alciato et Rhenano servatum est temere. *Rosii* et *Rossii* occurrunt in antiquis monumentis: sed libri audiendi. Illud autem nollem factum a Ryckio, ut e MS. Agr. ederet *Roscius,* quæ scriptura librario debetur, vel nomen minus notum in notius convertente, vel pronunciationem suæ ætatis sequente, ut in *scævus, scævire,* et aliis alii pro *sævus, sævire.* Glandorpius laudat ille quidem hinc *Roscius Regulus,* sed non e libris, verum e conjectura, ut in aliis. Vid. ad Ann. 11, 35. Ern.

Nunquam antea] Vertranius corrigebat *nonnunquam:* quod subjecta ratio

A. U. 823. A. C. 70. *gato Magistratu, neque lege lata, alium suffectum.* nam Consul uno die et ante fuerat Caninius Rebilus, C. Cæsare Dictatore, cum belli civilis præmia festinarentur. Nota

38 per eos dies Junii Blæsi mors et famosa fuit: de qua sic accepimus. Gravi corporis morbo æger Vitellius, Servilianis hortis, turrim vicino sitam conlucere, per noctem, crebris luminibus animadvertit. Sciscitanti caussam, *apud Cæcinam Tuscum epulari multos, præcipuum honore Junium Blæsum,* nuntiatur. cetera in majus, de *adparatu et solutis in lasciviam animis.* nec defuere, qui ipsum Tuscum et alios, sed criminosius Blæsum, incusarent, *quod, ægro Principe, lætos dies ageret.* Ubi asperatum Vitellium, et posse Blæsum perverti, satis patuit iis, qui Principum offensas acriter speculantur, datæ L. Vitellio delationis partes. Ille infensus Blæso æmulatione prava, quod eum, omni dedecore maculosum, egregia fama anteibat, cubiculum Imperatoris reserat, filium ejus sinu complexus et genibus accidens. caussam confusionis quærenti, *non se proprio metu, nec sui anxium, sed pro fratre, pro liberis fratris, preces lacrimasque adtulisse. Frustra Vespasianum timeri, quem tot Germanicæ legiones, tot provinciæ virtute ac fide, tantum denique terrarum ac maris inmensis spatiis, arceat. In urbe ac sinu cavendum hostem, Junios Antoniosque avos jactantem, qui se stirpe Imperatoria, comem ac magnificum militibus, ostentet. Versas illuc omnium mentes, dum Vitellius, amicorum inimicorumque negligens, foveat æmulum, Principis labores e convivio prospectantem. Reddendam pro intempestiva lætitia mæstam et funebrem*

desiderat. An hoc voluit dare scriptor libri Guelf. in quo est *nonquam?* sane et alibi ille *o* pro *u* scripsit, ut in *contatio*; sed nusquam in hoc verbo, si recte memini. Ern. Nil mutandum. Agitur hic de casu, qui prorsus extra ordinem fuit. Sic et Bip. sentiunt.

Caninius Rebilus] De hoc v. Dio 43, 46. Occurrit et in numo apud Occonem. Ciceronis in eum irrisio legitur in hujus ad fam. ep. 7, 30. Mox pro *festinarentur* Bud. *dictarentur,* unde Rhen. volebat *ista darentur.*

Turrim vicino sitam] De hoc genere turrium v. dicta ad Sueton. Ner. 38. ubi *turris Mæcenatiana.* Mox MS. Bud. habebat *advertit.* Ern. Probat Muretus. Rhen. vulgatum tenet.

Ubi asperatum] Sic MS. Guelf. (Bud.) ed. pr. idque restituit bene Rhenanus. Puteol. nescio an consulto, edidit *aspernatum;* vitiose: quod tamen servatum a Ber. et Alc. In iisdem edd. mox male *illic* pro *ille* (hoc Rhen. e Bud.). Paullo post interpunctionem correxi. Nam major erat post *reserat,* et minor post *accidens.* Atqui ista jungenda cum *reserat.* Post *confusio* est consternatio, pavor, qui indicatur irrumpendo in cubiculum, et reliquo L. Vitellii mimo: eoque sensu et noster alibi et alii dixere. Ern. Bud. *effusionis.* Rhen. vulg. servat.

Junios Antoniosque] Proinde stirpis suæ originem ab Octavia, Augusti sorore, repetere poterat.

Amicorum inimicorumque negligens] Hoc est, amicos et inimicos non discernens, ut bene Pichena. Deinde orationis forma videtur desiderare *foveat:* et sic antiquiores dixissent. Sed Tacito solenne est, τῷ *dum* jungere indicativum præsentis, in oratione etiam obliqua, et quocumque tempore præcedente. Sic infra c. 70. *togatum se et unum e Senatoribus, dum inter Vespasianum ac Vitellium—judicatur,* et sic pluribus locis reperies. Denique *labores Principis* intell. morbum, quo laborabat. Ern. Sic jam Rhen.

Foveat] Hoc sermonis series requirit. Vulgo *fovet.* Bip. *foveret.*

noctem, qua sciat et sentiat, vivere Vitellium et imperare A. U.
et, si quid fato accidat, filium habere. Trepidanti inter 823.
scelus metumque, ne dilata Blæsi mors maturam per- A. C. 70.
niciem, palam jussa atrocem invidiam, ferret, placuit 39
veneno grassari. Addidit facinori fidem nobili gaudio, Blæsum visendo. quin et audita est sævissima Vitellii vox, qua *se* (ipsa enim verba referam) *pavisse oculos, spectata inimici morte,* jactavit. Blæso, super claritatem natalium et elegantiam morum, fidei obstinatio fuit. Integris quoque rebus, a Cæcina et primoribus partium, jam Vitellium adspernantibus, ambitus, abnuere perseveravit: sanctus, inturbidus, nullius repentini honoris, adeo non Principatus adpetens, parum effugerat, ne dignus crede-
retur. Fabius interim Valens, multo ac molli concubi- 40
narum spadonumque agmine, segnius quam ad bellum incedens, *proditam a Lucilio Basso Ravennatem classem,* pernicibus nuntiis accepit. Et, si cœptum iter properasset, nutantem Cæcinam prævenire, aut, ante discrimen pugnæ, adsequi legiones potuisset. Nec deerant, qui monerent, *ut cum fidissimis per occultos tramites, vitata Ravenna, Hostiliam Cremonamve pergeret.* Aliis placebat,

Si quid fato accidat] Non sufficiebat Tacito, ut aliis, ut verboso scilicet Ciceroni, Livio, *si quid accidat?* An additum fingit a Vitellio, ne ambiguitas offenderet, aut malum omen faceret? Nam etiam de morte a manu hostili, *si quid accidat,* dici solet. Ita videtur. Ern.

Maturam perniciem] MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. male *pœnitentiam.* Ed. pr. post vitiose *visa,* pro *jussa.* Ern. *Perniciem* Rhen. e Bud. dedit. Sic et Flor. et Agr. Dein Bud. *jussa.*

Veneno grassari] Ego huc referam, in silentio interpretum, Suetonii hæc de Vitellio 14. *Nobiles viros, condiscipulos suos, tantum non ad societatem Imperii omnibus blanditiis allicefactos, vario genere fraudis occidit. etiam unum veneno, manu sua porrecto in aquæ frigidæ potione.* Priora Dolabellam notant; hæc de veneno, Junium Blæsum. Lips.

Nobili gaudio] Nescio, an *notabili gaudio.* Lips. Sic placebat et Faerno, Ursino. Vulgatum certe vitiosum. Nam *nimium gaudium* hic exprimendum erat, quod *nobile gaudium* non dicitur. nec tamen *notabili* satis placet. Curt. 9, 7. extr. *postquam, falso insimulatum eum, nimium invidorum gaudium ostendit. Notabilis constantia* occurrit infra c. 54. sed aliter. Broterio placet *ignobili g.* Ern. *Nobili,* noscibili, manifesto, ut apud Liv. 39, 9. *nobile scortum.* Sic fere idem quod *notabili.* hoc recepere Bip.

Qua se (ipsa enim verba referam) pavisse oculos] Sic MSS. Agr. Flor. ed. pr. quod secutus sum, ut multo mollius. Ceteri libri (in his Bud.) *se* habent post parenthesin. Ern. Paullo aliter ista apud Suet. Vit. 14.

Sanctus, inturbidus] Ed. pr. *factus:* et sic correctum in MS. Guelf. quid ante fuerit, non potui assequi. Ea verba in MSS. confundi alii docuere. Vid. Drakenb. ad Liv. 10, 9. Possis tamen conjicere *factis inturbidus,* ut alibi *ingenio, moribus turbidus.* Ern.

Adeo non pr. appetens, ut parum effugeret] Pro *effugeret* MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. *abfuerit.* MS. autem Flor. sic habet: *appetens. Parum effugerat, n. d. c.* quod merito placet J. Gronovio. Corruptela orta est ex eo, quod non intelligerent librarii, *adeo non* eleganter dici pro *nedum:* ut jam ad A. 3, 34. notavimus. In vulgata vix commodus sensus. An enim principatu non appetendo consequimur, ut digni Principatu videamur? Itaque Florentinam interpunctionem recepi. Ern. Bud. vulg. habet. Agr. *effugerit.* Gronovio accedunt Brot. Lall. Bip.

A. U. 823. A. C. 70. *accitis ex urbe Prætoriis cohortibus valida manu perrumpere.* Ipse, inutili cunctatione, agendi tempora consultando consumpsit. mox utrumque consilium adspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur, nec ausus est
41 satis, nec providit. Missis ad Vitellium litteris, auxilium postulat. Venere tres cohortes cum ala Britannica: neque ad fallendum aptus numerus, neque ad penetrandum. Sed Valens ne in tanto quidem discrimine infamia caruit, quo minus rapere inlicitas voluptates, adulteriisque ac stupris polluere hospitum domus, crederetur. aderant vis et pecunia et ruentis fortunæ novissima libido. Adventu demum peditum equitumque pravitas consilii patuit, quia nec vadere per hostes tam parva manu poterat, etiam si fidissima foret, nec integram fidem adtulerant. Pudor tamen et præsentis Ducis reverentia morabatur, haud diuturna vincula apud avidos periculorum et dedecoris securos. Eo metu, cohortes Ariminum præmittit, alam *tueri terga* jubet: ipse, paucis, quos adversa non mutaverant, comitantibus, flexit in Umbriam, atque inde Etruriam: ubi, cognito pugnæ Cremonensis eventu, non ignavum, et, si provenisset, atrox consilium iniit, ut, adreptis navibus, in quamcunque partem

Ne in tanto quidem d.] Hunc verborum ordinem, item mox *rapere illic. v.* libri antiquiores scr. et edd. Rhenanus ex uno Bud. invertit. Ern. Dedit scil. *illic. r. v.*

Ruentis fortunæ novissima libido] Videbat, finem adesse explendarum libidinum, cum rueret fortuna. Itaque utendum facultate, dum maneat. In tali tempore solet etiam incitari cupiditas et vis. (Cf. H. 2, 47.) Sic bene et Pichena et Ryckius. Post, nescio quomodo, mihi magis placet *tam parva manus* (Placet et Lallemando). Pro *morabatur* vitiose ed. pr. *hortabatur:* quod pro var. lect. est in marg. MS. Guelf. Ern.

Apud avidos periculorum] Sic omnes libri. *Avidi periculorum* sunt, qui pericula subire non verentur, bello, prœliis etc. ubi spes commodi luceat, quales nobis Tacitus milites Rom. non uno loco describit. At hic periculum ostendebatur, id quod liquido patet, si a partibus Vitellii manerent, quarum fortuna rueret, nullum, aut leve, si ad victores transirent. Itaque non male, puto, Faerno suspectam fuisse lectionem vulgatam, correctamque *pavidos periculorum.* Ern. Sic et Lall. Contra Grut. et Bip. pro vulg. stant. Cf. c. 26. qui locus hunc explicat.

Decoris securos] Bono sensu: in Flor. tamen, *dedecoris,* fortasse et meliore. Lips. *Dedecoris* etiam MS. (Agr.) Guelf. et alii ap. Broterium, ed. pr. ceteræque ante Rhenanum, qui *decoris* (e Bud.) invexit. Bene restituit Pichena. Ern. Ita Antonius c. 24. *ignominiam consumsistis.* Mur. et Acid. quoque *dedecoris* præferunt.

Eo metu et paucis etc.] *Et* habent MS. Guelf. (Bud.) ed. pr. Puteol. Post omissam (ab Alc.) restituit Rhen. non probante Mureto. Ceterum verum vidisse arbitror, cum verba *paucis, quos adversa non mutaverant, comitantibus,* post *ipse* ponenda judicavit. Sunt hic sane alieno loco. Quos enim putemus esse eos, qui comitati cohortes sint? Immo Ducis comites amici, quos secum eduxerat urbe Roma. Ab horum plerisque desertus erat. Post *in* ante *Etruriam* cum Ryckio et J. Gron. delevi, additum a Rhenano contra libros. Ern. Immo e Bud. Verba *paucis—com.* loco mota non Muretus vidit, sed Acid. qui, sæpe in transponendo nimium audax, hic rem acu tetigit meo arbitratu. Omissa scil. olim verba e margine, cui fuere adlita, in alienam sedem librarii incuria intrusit. Bahrdtius demum verbis *cognito—eventu* postponenda putabat.

Narbonensis provinciæ egressus, Gallias et exercitus et A. U.
Germaniæ gentes novumque bellum cieret. Digresso Va- 823.
lente, trepidos, qui Ariminum tenebant, Cornelius Fuscus, A. C.
admoto exercitu, et missis per proxima litorum Liburnicis, 70. 42
terra marique circumvenit. Occupantur plana Umbriæ et qua Picenus ager Adria alluitur. omnisque Italia, inter Vespasianum ac Vitellium, Apennini jugis dividebatur. Fabius Valens, e sinu Pisano, sævitia maris, aut adversante vento, Portum Herculis Monœci depellitur. haud procul inde agebat Marius Maturus, Alpium maritimarum Procurator, fidus Vitellio, cujus sacramentum, cunctis circa hostilibus, nondum exuerat. Is Valentem comiter exceptum, *ne Galliam Narbonensem temere ingrederetur*, monendo terruit: simul ceterorum fides metu infracta. namque circumjectas civitates Procurator Valerius Paullinus, strenuus militiæ, et Vespasiano ante fortunam amicus in verba ejus adegerat.
Concitisque omnibus, qui exauctorati a Vitellio bellum 43
sponte sumebant, Forojuliensem coloniam, claustra maris, præsidio tuebatur: eo gravior auctor, quod Paullino patria Forum Julii, et honos apud Prætorianos, quorum quondam Tribunus fuerat. Ipsique pagani, favore municipali et futuræ potentiæ spe, juvare partes adnitebantur. quæ ubi paratu firma, et aucta rumore, apud varios Vitellianorum

Gallias et Germaniæ gentes] Vocem apte inserit Vatic. codex: *Gallias et exercitus et Germ. gentes.* Nam in Gallia exercitus, VIII. legiones. Lips. Habent etiam Flor. Guelf. Agr. edd. ante Rhenanum: qui (duce Bud.) delevit. Restituit Pichena. Ern.

Sævitia maris] Romana editio *segnitia maris:* quod auribus meis blanditur: significatque, nullo, vel adverso vento, usum. Lips. *Segnitia* etiam MSS. Flor. Agr. recteque receptum est a Pichena. Ceteri libri (Bud. quoque) *sævitia.* Ea vero est in vento adversante: segnitia est, cum stat mare, nimiaque tranquillitate non dat facultatem navigandi. Ern. Verum malacia navem non *depellit,* sed inmotam tenet; ad quod non attendere, quorum auribus blanditur *segnitia.* Restituo proinde *sævitia.* Mox Bud. *haud adv. vento,* quod Rhen. se scribere ait, verum non scripsit. Paullo ante Bud. *Apenninis jugis.*

Portum Herculis Monœci] Hodie *Monaco.* Ern.

Alp. mar. Procurator] Bud. *speculator.*

Nondum exuerat] Sic Flor. bene, mox enim exuit. Bud. et vulgo *non.*

Metu intacta] Pichena censet *infracta:* at mihi pro sententia nunc videbatur, *intentata.* Destitit Valens ab aliis tentandis, metu, ne temere se crederet et interciperetur. Quod si eamdem sententiam e voce *intacta* elicis, haud immutem. Lips. Nempe in MS. Flor. est *inracta*: unde Pichena suum *infracta* elicuit: quod Freinsh. ceterique post eum secuti sunt. Recte. Sic plane MS. Oxon. Mox itidem bene *namque circumjectas* pro *nam* dedere e Flor. et Agr. Ryckius et J. Gronov. Consentit ed. pr. quæ post male *circumvectas* exhibet. Verba hæc et alibi confusa. Ern. Bud. *intacta.* Palmerius dabat *intuta.* Dein Bud. *nam.*

Procurator] Galliæ Narbonensis Procuratorem fuisse suspicatur Savilius: in qua Forum Julii, colonia. Mox bene a Ryckio editum *claustra* pro *claustraque,* e MSS. Flor. Bud. Agr. quibus consentit ed. pr. Additur enim ἐξηγητικῶς. Ern. *Forum Julii* dictum colonia Pacensis et classica. Plin. 3, 4 (5). Ibi navale Augusti. Strabo 4. p. 184.

Sponte sumebant] *Sponte* deest in Bud.

Eo gravior auctor] Cf. supra c. 3 et 12.

Quæ ubi paratu firma] *Paratu* libri

A. U. animos increbuere, Fabius Valens cum quatuor speculatori-
823. bus et tribus amicis, totidem Centurionibus, ad naves re-
A. C. gredit ur: Maturo ceterisque remanere, et in verba Vespa-
70. siani adigi, volentibus fuit. Ceterum, ut mare tutius Va-
lenti, quam litora, aut urbes; ita futuri ambiguus, et magis,
quid vitaret, quam cui fideret, certus, adversa tempestate
Stœchadas, Massiliensium insulas, adfertur. ibi eum missæ
44 a Paullino Liburnicæ oppressere. Capto Valente, cuncta
ad victoris opes conversa, initio per Hispaniam a prima
Adjutrice legione orto, quæ, memoria Othonis infensa Vi-
tellio, decimam quoque ac sextam traxit. Nec Galliæ cun-
ctabantur. Et Britanniam inclitus erga Vespasianum favor,
quod illic secundæ legioni a Claudio præpositus et bello
clarus egerat, non sine motu adjunxit ceterarum, in quibus
plerique Centuriones ac milites a Vitellio provecti, exper-
45 tum jam Principem anxii mutabant. Ea discordia, et cre-
bris belli civilis rumoribus, Britanni sustulere animos, au-
ctore Venutio: qui, super insitam ferociam et Romani no-

omnes præter MS. Bud. et ed. pr. in quis est *parta*. Rhenanus inde conjicit *pacta firma*, frustra. Elegantia perit, si *paratu* mutatur. Respondent enim sibi apte, ut *firma* et *aucta*, sic *paratu* et *rumore*. Mox edidi *totidem*, quod in MSS. Flor. Bud. ed. pr. Ceteri scripti et edd. ante Rhen. item Ryck. (ex Agr.) *totidemque*. Ern.

Regreditur mature: ceterisque] Priora lego: *regreditur. Maturo ceterisque.* Intellegit enim Marium Maturum Procuratorem Alpium, qui, discessu Valentis velut exsolutus, transiit in Flavianas partes. Posteriora recte olim (e Bud.) Rhenanus emendavit, (ut 1, 59. Agr. 18.) cum vulgo esset, *volentibus liberum fuit*, insititia voce: aut, ut in quibusdam, *auctor fuit.* Qui scilicet glossographi ignorarunt genus dicendi a fonte Græco: quod peritum illum sagacemque Germanum non fugit. Ingenii enim et industriæ laudem Rhenano libens do: et scio inter primores eum suæ gentis. At carpsi olim liberius. Non ego, sed ætas. (etsi revera multa in Rhenani judiciis, quæ probet nemo judex e selectis.) Nunc abiit ille fervor: et obtendere manum ad magnorum virorum culpas possim, quam diducere et explicare. Revera autem quantula hæc sunt, de quibus litigamus? litteræ, syllabæ, voculæ. Ridere mihi lubet, cum virorum gravium et grandium velitationes, immo pugnas video in his nugis. et metuo, ut excitent me ad alteram Satyram. Nunc cum Aristophane (Ran. 858.) satis mihi inclamasse:

—Λοιδορεῖσθαι δ' οὐ πρέπει
Ἄνδρας ποιητὰς, ὥσπερ ἀρτοπωλίδας.

Lips. Lipsium secutus est ejusque correctionem recepit Pichena. Consentit MS. Agr. nisi quod in fine habet *volentibus auctor fuit:* quod pro var. lect. in margine Guelf. reperi, et in ed. pr. sed *auctor* insertum est ab iis, qui modum loquendi non capiebant. Ern. Bud. *mature* et dein *adigi volentibus fuit.* Sed Put. *adigi liberum fuit.* Alc. *adigi volentibus liberum fuit.*

Stœchadas—adfertur] Legitimum verbum erat *defertur:* nec *adferri* hoc sensu dictum reperi. Broterius malit *fertur.* Ern.

Inclitus e V. favor] Gruterus valde probat lectionem ed. pr. *inditus*, quæ et in MS. Reg. est. In quo aliter sentio. si *insitus* esset, i. e. vetus, constans, præferrem: at non *inditus*, quod commode hic locum non habet, ut opinor. Eam autem vocem in libris substitui alteri *inclitus*, et alibi observatum. V. Drakenb. ad Liv. 6, 11. 42. *Inclitus favor* est insignis, multis rebus cognitus. Ern. In Bud. dubie *inditus*, an *inclitus*.

Non sine motu adjunxit cæterarum] Scil. legionum, ut bene Ferretus. Frustra Faernus *cohortium* addi volebat (et legebat *junxit*) e vet. cod. nescio quo. Ern.

Venusio] Sic codices. Sed v. A. 12, 40. ubi *Venutio* præfertur.

minis odium, propriis in Cartismanduam Reginam stimulis A. U.
accendebatur. Cartismandua Brigantibus imperitabat, pol- 823.
lens nobilitate: et auxerat potentiam, postquam, capto per A. C. 70.
dolum Rege Caractaco, instruxisse triumphum Claudii
Cæsaris videbatur. Inde opes, et rerum secundarum luxus.
spreto Venutio (is fuit maritus) armigerum ejus, Velloca-
tum, in matrimonium Regnumque accepit. Concussa sta-
tim flagitio domus. Pro marito studia civitatis; pro adul-
tero libido Reginæ et sævitia. Igitur Venutius accitis
auxiliis, simul ipsorum Brigantum defectione, in extremum
discrimen Cartismanduam adduxit. Tum petita a Romanis
præsidia. et cohortes alæque nostræ, variis prœliis, exe-
mere tamen periculo Reginam. Regnum Venutio, bellum
nobis, relictum, Turbata per eosdem dies Germania, et 46
socordia Ducum, et seditione legionum. Externa vi, per-
fidia sociali, prope adflicta Romana res. Id bellum cum
caussis et eventibus (etenim longius provectum est) mox
memorabimus. Mota et Dacorum gens, numquam fida,
tunc sine metu, abducto e Mœsia exercitu. Sed prima re-
rum quieti speculabantur: ubi flagrare Italiam bello, cun-
cta invicem hostilia, accepere, expugnatis cohortium ala-
rumque hibernis utraque Danubii ripa potiebantur. Jamque
castra legionum exscindere parabant, ni Mucianus sextam
legionem opposuisset, Cremonensis victoriæ gnarus, ac ne
externa moles utrimque ingrueret, si Dacus Germanusque
diversi inrupissent. Adfuit, ut saepe alias, Fortuna Populi
Rom. quæ Mucianum viresque Orientis illuc tulit: et quod
Cremonæ interim transegimus. Fonteius Agrippa ex Asia
(pro Consule eam provinciam annuo imperio tenuerat) Mœ-
siæ præpositus est: additis copiis e Vitelliano exercitu,
quem spargi per provincias, et externo bello inligari, pars

Auxerat potentiam] Fallor, aut Tacitus scripsit, *potentia*. Quis enim alias iste, qui auxit? At genus illud dicendi perelegans, *auxit potentia*, id est, aucta est, significatione occulta quadam patiendi. Cato in hoc ipso verbo ap. Gell. 18, 12. *Eodem nomine complures ex agris accessitavere, eo res eorum auxit.* Velleius *sedandi* verbum sic usurpat 2, 101. *Postquam tempestas sedavit, Adherbal taurum immolat.* Plautus Mil. 2, 6, 100. *leniendi: Dum hæ consilescunt turbæ atque iræ leniunt.* Et plures ejusmodi Latinæ linguæ delicias gustare tibi fas apud Agellium l. c. Non dissimile, quod in Thucydidæo charactere observat Dionysius p. 133. sæpe τὰ παθητικὰ ῥήματα, δραστήρια· τὰ δὲ δραστήρια, παθητικὰ esse. Lips. Nimis captus erat Lipsius observatione passiva, ut jam alibi vidimus. Ern. Cf. Ruhnken. ad Vell. Pat. 1, 8. p. 587.

Instruxisse triumphum C. C.] De hoc loco, qui pugnare videtur cum alio A, 12, 36. vid. ibi dicta. Ern.

Brigantum defectione] Bud. *defectio*. Probat Rhen. nec tamen recepit.

Perfidia sociali] Sine copula MSS. Flor. Agr. ed. pr. et sic edidit Ryckius. Ceteri (Bud. et vulg.) *et perfidia*. Ern. Mox Bud. *pena* (pro *pæne*) *adflicta*.

Memorabimus] Vid. H. 4, 12—37. 54—79. et 5, 14. ad finem.

Fonteius Agrippa] Post a Sarmatis cæsus. Jos. b. Jud. 7, 4, 3.

Proconsule] Sic Flor. Agr. ed. pr. Ryck. J. Gron. Ceteri (Bud. etiam) *Proconsul*. Ern.

A. U. 823. A. C. 70. consilii pacisque erat. Nec ceteræ nationes silebant. Subita per Pontum arma barbarum mancipium, Regiæ quondam classis Præfectus, moverat. is fuit Anicetus, Polemonis libertus, præpotens olim, et, postquam regnum in formam provinciæ verterat, mutationis inpatiens.

47 Igitur Vitellii nomine, adscitis gentibus, quæ Pontum adcolunt, conrupto in spem rapinarum egentissimo quoque, haud temnendæ manus ductor, Trapezuntem, vetusta fama civitatem, a Græcis, in extremo Ponticæ oræ conditam, subitus inrupit. Cæsa ibi cohors, Regium auxilium olim, mox donati civitate Romana, signa armaque in nostrum modum, desidiam licentiamque Græcorum, retinebant. Classi quoque faces intulit, vacuo mari, eludens, quia lectissimas Liburnicarum, omnemque militem Mucianus Byzantium adegerat. Quin et barbari contemptim vagabantur, fabricatis repente navibus, (*camaras* vocant) arctis lateribus,

Egentissimo] Hujus vocis loco lacunam offert Bud.

Haud temnendæ manus ductor] Edd. Put. Ber. Alc. vitiose *haud tenendæ m. auctor*. Ern. Nec melius Bud. *haud tepende manus ductor*. Paullo ante idem *accitis gentibus*.

Vetustam admodum civit.] In Flor. *vetusta mama civitatem*. Omnino leg. *vetusta fama*. Lips. Idem Freinshemio placebat. Rhenanus malebat *vetustissimam civitatem*, sed Pichena correxit *vetustam Asiæ*, quod omnes post eum secuti sunt. MS. Bud. habet *vetusta manum*, ed. pr. *manus*. Guelf. *vetustam admodum*, quod edd. ante Pichenam omnes inde a Puteol. obtinet, MS. Agr. *vetustam civitatem*. Ego Lipsianam correctionem, ut propius accedentem ad scripturam MS. Flor. prætulerim cum Freinsh. Ern. Probat et Lall. Recipio cum Bip. Sic H. 4, 83. *templum vetere fama*.

Classi quoque etc.] MSS. Flor. Guelf. edd. ante Rhen. omnes *classis*, quod J. Gron. probat, non ausus tamen restituere: intelligitque classem Aniceti, e navibus ibi relictis coactam. At, quorsum classis faces inferat urbi jam captæ, cujus combustæ nullum vestigium exstat? Itaque omnino servandum *classi*, quod inde a Rhen. omnes edidere. Intellige naves, ibi in portu sine milite relictas a Muciano. Quæ ipsa caussa est, quare addat *vacuo mari eludens*. In quo Lipsius malebat *illudens*. Nempe *eludere* quidem etiam pro *illudere* ponitur, ut ap. Liv. 7, 18. et alibi, sed cum accusativo. Verum *vacuo mari* absolute capiendum, non in dativo; nam mare vacuum erat, eamque ob causam post *mari* interpunxi. *Eludere* sæpe simpliciter ponitur sine regimine, ut Cic. de Div. 2, 70. *ars conjectoris, eludentis ingenio.* Estque fere idem, quod mox contemtim vagari, agere quæ lubet, contemtis aliis, nihil metuentem. *Vacuum mare* est, in quo nullæ naves armatæ, quæ resistant. Ern. Acid. quoque volebat *illudens*. Bip. in textu posuere, vel conjiciunt: *vacua maris eludens*, quod in Flor. sit *vacua mari*, sed apud Ryckium vitiose in var. lect. ita legi videtur pro *vacuo*.

Contemtim vagabantur] Sic edidi, quod id libris antiquis magis consentire putavi, quam quod Rhenanus, sive e Bud. MS. sive ex ingenio, dedit *contemtius* (omnino e Bud.). MS. Guelf. clare *contemtim*, edd. Put. Ber. Alc. Curt. 9, 7. *a Dioxippo contemtim militarem eludente ferociam.* At Flor. *contemti*, quod frustra defendit J. Gron. edere tamen non ausus. Non barbari tum contempti; sed cœperant contemnere vim Rom. i. e. non timere. Virgula super litera ultima omissa est a librario: nam ita expressit librarius cod. Guelf. Ed. pr. etiam *contenti*: quod verbum cum illo sæpe confunditur in libris antiquis. Similiter infra c. 58. extr. Flor. *contemti*, ed. pr. *contenti* pro *contemtim*, quod ibi recte, valdeque probante Lipsio, inde a Pichena editum. Cur ergo non et hic eadem ratione ipse alique usi sunt? Ern.

Quas cameras vocant] Nostrasne hæc vox? certe etiam hodie cubilia tecta et clausa cameras vocamus, et ab ea similitudine prisci, opinor, has naves. Strabo

lata alvo, sine vinculo æris aut ferri connexa: et tumido A. U.
mari, prout fluctus adtollitur, summa navium tabulis au- 823.
gent, donec in modum tecti claudantur. Sic inter undas A. C.
volvuntur, pari utrimque prora, et mutabili remigio, quando 70.
hinc vel illinc adpellere indiscretum et innoxium est. Ad- 48
vertit ea res Vespasiani animum, ut vexillarios e legionibus, Ducemque Virdium Geminum, spectatæ militiæ, deligeret. Ille incompositum et prædæ cupidine vagum hostem adortus, coegit in naves: effectisque raptim Liburnicis, adsequitur Anicetum in ostio fluminis Cohibi, tutum sub Sedochezorum Regis auxilio, quem pecunia donisque ad societatem perpulerat. Ac primo Rex minis armisque supplicem tueri: postquam merces proditionis aut bellum ostendebatur; fluxa, ut est barbaris, fide, pactus Aniceti exitium, perfugas tradidit, belloque servili finis inpositus.

in describenda Bosporana ora (11. p. 495.); Ἀκάτια ἔχουσι λεπτὰ, στενὰ καὶ κῦφα, ὅσον ἀνθρώπους πέντε καὶ εἴκοσι δεχόμενα. Καλοῦσι δ' αὐτὰ οἱ Ἕλληνες καμάρας. Ubi a glossula fortasse illæ voces, οἱ Ἕλληνες. Lips. Frustra Lipsius tentat locum. Nam Græcis sane sic naves tales dicuntur: quippe καμάραν vocant tectum curvatum, et quicquid tale tectum habet. Similiter Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 700. ἃ ἐκαλοῦντο καμάραι παρ' Ἕλλησιν. Adde de h. v. Hemsterhus. τὸν πάνυ ad Aristophan. Plut. p. 369. De *camaris* (sic enim melius scribas, quam *cameris*: sic saltem MS. Flor. Agr. ed. pr.) Add. Casaub. ad Strab. l. c. Schefferus addend. ad de R. Nav. 2, 2. p. 325. Ceterum *quas* cum Ryckio delevi, auctoribus iisdem libris. Relativum passim intrusum esse in libris Taciti jam supra, cum J. Gronovio, aliquot locis notavimus. Ern. Bud. *cameras.*

Lata alvo, sine vinculo æ. a. f. connexa] *Latam alvum—connexam* MSS. (Bud.) Agr. Guelf. edd. vett. omnes. Eodem tendit Flor. e quo notatum video *lata alvom*, ut est in Oxon. Sed inde efficta est lectio, quam Lipsius et Pichena tacite edidere, cum sequentibus omnibus. Ea certe grammatice recta est et explicari potest. Vitiosam esse veterem lectionem, dubitari non potest. Si *lata alvo* verum est, vereor, ne ultimum verbum spurium sit, et a glossa ortum: sufficit enim *lata alvus sine æris ac ferri vinculo.* Sin *latam alvum* Taciti scriptura est, *connexis* corrigendum puto, ut referatur ad *navibus:* sintque naves connexæ latam alvum sine vinculo æris ac ferri. Forte etiam sint, quibus placeat *contexta;* quod verbum dici solet de navibus ῥαπτοῖς, quæ non ferro aut ære, sed funibus constringuntur: de quibus videndus Scheffer l. c. p. 26. Ern.

Pari utr. prora et mutabili remigio] Similes naves memorantur in German. c. 44. et supra A. 2, 6. ubi additur, utrinque fuisse gubernacula, ut repente converso remigio hinc vel illinc appellerent. Ern.

Vespasiani animum] Scribas, *ea res Vespasianum*, voce sequenti inducta, brevius et verius. Ita loquitur A. 2, 17. *Octo aquilæ, petere silvas et intrare visæ, advertere Imperatorem.* Lips. Ed. pr. *avertit.* male. Mox MSS. Flor. Agr. ed. pr. *coegit*, quod recepere Ryckius et J. Gron. Ceteri libri (Bud. quoque) *cogit:* quod debetur librariis, hoc verbum conformare volentibus sequenti *assequitur.* Ern.

Sedochezorum Regis] Vatic. *Sedothezorum.* Rom. *Sedotosorum.* Nullum hunc populum ego natum scio. Lips. MS. Guelf. *Sodechezerum.* Colerus corrigebat locum *in ostio fluminis Chobi, sub Sedochi Lazorum Regis auxilio.* Fluminis *Chobi* mentio apud Arrianum in Per. Ponti Eux. et Plinium 6, 4. isque fuit in Lazorum ditione, ut ex Agathia l. 3. p. 75. docuit Ryckius. Ern. Plin. *Cobum*, Arrianus Χῶβον dicit.

Aniceti exitium] Recte. At MS. Agr. *excidium:* Guelf. *auxilium.* Paullo post MS. Flor. (Bud.) Agr. *urbemque*, male. Sæpe *quoque* ita corruptum est in libris. Ern. Bud. *exitium.*

A. U. Lætum ea victoria Vespasianum, cunctis super vota fluen-
823. tibus, Cremonensis prœlii nuntius in Ægypto adsequitur.
A. C. Eo properantius Alexandriam pergit, ut, fracto Vitellii ex-
70. ercitu, urbem quoque externæ opis indigam fame urgeret.
Namque et Africam, eodem latere sitam, terra marique in-
vadere parabat, clausis annonæ subsidiis, inopiam ac dis-
49 cordiam hosti facturus. Dum hac totius orbis mutatione
fortuna Imperii transit, Primus Antonius nequaquam pari
innocentia post Cremonam agebat; satisfactum bello ratus
et cetera ex facili, seu felicitas in tali ingenio avaritiam,
superbiam ceteraque occulta mala patefecit: ut captam,
Italiam persultare; ut suas, legiones colere; omnibus dictis
factisque viam sibi ad potentiam struere: utque licentia

Dum hac t. orbis etc.] In libris antiquis hæc cum superioribus conjunguntur: male. *Transit* dictum est pro *transigit:* de quo supra monitum, quamquam ibi alia loquendi forma. Eleganter alias *fortuna transigere* et *transigi*, ut supra c. 5. dicitur: et hoc verbum absolute Tacito et alibi dictum, supra c. 46. Agric. 34. *Post Cremonam* est expugnata et excisa Cremona. Flor. 3, 1. init. *quis speraret post Carthaginem aliud in Africa bellum?* i. e. Carthagine victa et deleta, ut recte in indice Freinsh. et sic idem pluribus locis. Ern. In ed. Put. Alc. Rh. Lips. etc. a verbis *Dum hac* nova periodus infit. Nescio, quas editiones veteres noster intelligat. Nec aliter Bud. *Post Cremonam*, scil. deletam.

Seu felicitas] Sic recte Rhen. e Bud. prius legebatur *ceu*.

Ut captam, Ital] Bene Bip. hæc jungenda prioribus et aptius interpungenda docent, quam Ernestius fecerat, desciscens a præcedentibus editoribus.

Viam sibi ad potentiam] Legendum esse *vim sibi*, e MSS. docuimus 1 Observ. 14. Gron. Consentiunt MSS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. edd. pr. Put. ceteræ usque ad Lips. In cujus editionem temere irrepsisse *viam*, aut ex editione ignobiliori, unde operæ describerent Tacitum, silentium ejus indicat. Sed hinc in cæteras venit usque ad Ryckium, qui vetus restituit cum J. Gron. Sensus est e mente Ryckii, potentiæ adjicere vim conabatur. Nam *struere* antiquiores pro *adjicere* dixisse, et *vim* distingui a *potentia* ab ipso Tacito A. 13, 19. ubi *potentia non sua vi nixa.* Gronovius autem *vim struere* dictum putabat, ut *opes struere* et similia, in quibus est *parare*. Pace magni Gronovii et Ryckii dictum sit, nondum mihi iis, quæ dixere, persuasum est, ut *vim ad potentiam struere* Tacitum dedisse putem. Nam ut de Ryckiana ratione primum dicam, eredam *struere* vim augendi habuisse apud veteres, et habere posse: sed non propterea potest dici *struere vim ad potentiam*, ut licet dicere *adjicere vim ad potentiam*. Non, si eandem significationem duo verba habent, eodem modo construuntur cum substantivis, sed pro verbi cujusque natura. Quod deinde ad Gronovianam rationem attinet, sæpe vir eximius in Tacito contentus fuit, sensum commodum verbis singulis adstruxisse, nullam rationem habuit totius contextus et rationis grammaticæ, idque ei accidisse puto, dum exquisite vult locutum Tacitum: idemque ei et in Statio subinde accidisse judicat Marklandus ad Stat. p. 19. Nemo negat, *vim struere* æque bene dici posse, ac *struere opes*, et alia: sed an *vim ad potentiam struere* dicatur, et qui sensus istius complexionis sit, hoc quæritur. Dicit, *vis* et *potentia* distinguuntur a Tacito ipso A. 13, 19. *fama potentiæ non sua vi nixæ.* Bene. Sed quo sensu? *Potentia sua vi nixa* nihil aliud est, quam potentia, quæ non pendeat ab alio, cujus tu ipse sis auctor et origo, qualis est in Principe. Quid id ad hunc locum? Longe alia ista vis est, quam quæ Antonio petebatur. Etenim Antonius nihil nisi potentiam quærebat. Imperator esse et Princeps nolebat: Non hoc ei in mentem venit, ut e sequentibus patet. Itaque ineptum foret dicere, *vim ad potentiam struere*. Quibus de caussis credo adhuc aut *viam ad potentiam* verum esse, aut *vim ac potentiam*, ut Lipsius conjecit. *Viam struere*, ne in eo hæreas, etiam Propertius dixit 3, 16, 4. *Viam* porro

militem inbueret, interfectorum Centurionum ordines legionibus offerebat. eo suffragio turbidissimus quisque delecti. nec miles in arbitrio Ducum, sed Duces militari violentia trahebantur. quæ seditiosa, et conrumpendæ disciplinæ, mox in prædam vertebat, nihil adventantem Mucianum veritus; quod exitiosius erat, quam Vespasianum sprevisse. A. U. 823. A. C. 70.

Ceterum propinqua hieme, et humentibus Pado campis, 50 expeditum agmen incedere. Signa aquilæque victricium legionum, milites vulneribus aut ætate graves, plerique etiam integri, Veronæ relicti: sufficere cohortes alæque, et e legionibus lecti, profligato jam bello, videbantur. Undecima legio sese adjunxerat, initio cunctata; sed, prosperis rebus, anxia, quod defuisset. Sex millia Dalmatarum, recens delectus, comitabantur. Ducebat Poppæus Silvanus, Consularis: vis consiliorum penes Annium Bassum, legionis Legatum. is Silvanum, socordem bello, et dies rerum verbis terentem, specie obsequii regebat, ad omniaque, quæ agenda forent, quieta cum industria aderat. Ad has copias, e classicis Ravennatibus, legionariam militiam poscentibus, optimus quisque adsciti: classem Dalmatæ supplevere. Exercitus Ducesque ad Fanum Fortunæ iter sistunt, de summa rerum cunctantes, quod, *motas ex urbe Prætorias cohortes*, audierant, et teneri præsidiis Apenninum rebantur. et ipsos, in regione bello adtrita, inopia et seditiosæ militum voces terrebant, *clavarium* flagitantium. nec

et *vim* in libris permutari docet Drakenb. ad Liv. 32, 9. ubi non debebat J. Fr. Gronovium audire, et *vim* potius recipere, quam *viam*. *Vim facere per castra* bene dicitur illud quidem, sed non *recto itinere vim f. p. c.* non respexere viri præstantes verba *recto itinere:* sed hoc obiter. Denique *vim ac potentiam* conjungi posse, ut alia synonyma etiam apud nostrum, dubitaturum neminem puto. Ern. Non opus erat tanta verborum ambage. Legendum *viam*, sensere quoque Lall. et Bip.

Cent. ordines legionibus offerebat] Est subobscurum, sensus autem intelligi potest e sequentibus. Non ipse Centuriones creabat, i. e. ordines dabat: sed legionibus permittebat electionem Centurionum. Ern.

Quæ seditiosa etc.] Ryckius interpunctionem receptam mutavit, novæque sententiæ initium fecit in verbis: *Mox in pr. v.* sane sic est et in ed. pr. sed vulgarem interpunctionem meliorem puto. Sensus: ista non modo seditiosa et ad corrumpendam disciplinam valentia, sed etiam hinc ille occasionem prædandi sumebat. Ern.

Propinqua hieme] Agr. *propinquante*, ut Muretus volebat.

Dalmatarum] Bud. *Sarmatarum*. Dein *comitabantur*.

Poppæus Silvanus] Sic MS. Flor. unde Pichena edidit. Ceteri scripti (Bud. Agr.) et edd. *Pompeius*. V. ad 2, 86. 1, 77. Ern.

Dies rerum] Dies rebus agendis dicatos vel aptos.

Dalmatæ supplevere] Bud. *D. supplere.*

Ad Fanum Fortunæ] Ea urbs hodie quoque dicitur *Fano*. mox *cunctantes* est deliberantes, de quo jam supra dictum. Ern.

In regione] Male enim omnibus libris (Bud. quoque) *in legione*. Lips. Sic placebat etiam Faerno. Bene recepit Pichena. Contra supra A. 12, 43. *regiones* in *legiones* mutandas conjecimus. Et confunduntur eæ voces passim in libris vett. Ern. Mox Bud. *bello attributa.*

Clavarium] Quod prætextum et originem habuit, quasi ad militares clavos,

A. U. pecuniam aut frumentum providerant: et festinatio atque
823. aviditas præpediebant, dum, quæ accipi poterant, rapiun-
A. C. tur. Celeberrimos auctores habeo, tantam victoribus ad-
70.
51 versus fas nefasque inreverentiam fuisse, ut gregarius
eques, occisum a se, proxima acie, fratrem professus, præ-
mium a Ducibus petierit. Nec illis aut honorare eam cæ-
dem jus hominum, aut ulcisci ratio belli, permittebat. Di-
stulerant, tamquam majora meritum, quam quæ statim ex-
solverentur: nec quidquam ultra traditur. Ceterum et
prioribus civium bellis par scelus inciderat. nam prœlio,
quo apud Janiculum adversus Cinnam pugnatum est, Pom-
peianus miles fratrem suum, dein, cognito facinore, seip-
sum interfecit, ut Sisenna memorat. tanto acrior apud ma-
jores, sicut virtutibus gloria, ita flagitiis pœnitentia, fuit.
Sed hæc aliaque, ex veteri memoria petita, quotiens res
locusque exempla recti, aut solatia mali, poscet, haud ab-
52 surde memorabimus. Antonio, Ducibusque partium, *præ-
mitti equites, omnemque Umbriam explorari* placuit, si *qua*

de quibus res jam nota. Simili forma *unguentarium* Plinius dixit Ep. 2, 11. *Præterea acceperat sestertium decem millia, fœdissimo quidem titulo, nomine unguentarii:* donationem scilicet, a provincialibus factam in Legatum, ad unguenta. Sic in Suetonii Vesp. 8. *Classiarii petunt, constitui aliquid sibi calcearii nomine.* Lips. Add. Torr. ad Suet. l. c. Alciati et Vertranii de *clavario* notas bene refellit Jos. Castalio Obs. Dec. 2, 5. idemque insititia putat verba *donativi nomen est*, et a glossatore orta; quod verum puto. Quorsum enim illa ætate adderetur. Ern. Recte. expungenda omnino, expunxi.

Jus hominum] Est jus naturale. Ed. pr. solita aberratione *vis.* Mox *distulerant* MS. Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. ceteræque vett. omnes, quas inspexi. Acidalius malebat *distulerunt*, quod in vulgatis esse dicit Ursinus: nescio quibus. Est tamen in MS. Reg. repertum. Item *exsolverentur* Flor. Reg. ed. pr. Pich. seqq. Ceteri (in his Bud.) *exsolverent.* Ern.

Quo apud Jan.] Bud. *cum ap. Jan.*

Apud Janiculum] Cum Tacito, aut Sisenna potius, consentit Livius epitoma 79. et alterum militem in Pompeii exercitu statuit, alterum Cinnæ. At Valerius 5, 5, 4. pro Cinna Sertorium substituit, cum quo et Orosius sentit, 5, 19. Bello Actiaco etiam idem evenisse, commemorat Epigramma vetus: quod vulgatum magno Scaligero debemus: *Mævius a castris miles melioribus ausus Hostilem saltu præcipitare ratem, In damnum felix et, victor ut impius esset, Nescius occiso fratre superbus erat. Dum legit exuvias, hostiliaque arma revellit, Fraternos vultus oraque nota videt. Ille ferox: quid lenta manus nunc denique cessas? Justius hoste tibi qui moriatur adest. Fraternam res nulla potest defendere cædem, Mors tua sola potest, morte levanda tua est. Viximus adversis, jaceamus partibus isdem. Dixit: et in dubio est, utrius ense cadat. Ense meo moriar maculato cæde nefanda? Cui moreris, ferrum quo moriare, dabit. Dixit, et in fratrem fraterno concidit ense. Victorem et victum condidit una manus.* Lips.

Tanto acrior apud majores, etc.] Sic MSS. Flor. Bud. ed. pr. Unus Oxon. *tanto ardore.* At ed. Puteol. (et Alc.) addit *quod* ante *sicut;* quod (duce Bud.) bene delevit Rhenanus. Idemque e Bud. MS. *flagitii* edere voluit, sed operæ non paruerunt. Id si pluribus libris firmaretur, præferrem. Librarii videntur præcedenti substantivo *virtutibus* conformare voluisse. Ern.

Et veteri memoria petita] Sic scr. et edd. Rhenanus ex ingenio (nequaquam, sed e Bud.) dedit *repetita*, quod omnes secuti sunt ad J. Gronov. qui et *poscet* restituit pro *poscent*, e Flor. Consentiunt Bud. Agr. Guelf. Harl. Oxon. Ern. De Agr. tacet Ryck.

Apennini juga clementius adirentur: acciri aquilas signaque et A. U.
quidquid Veronæ militum foret: Padumque et mare commeati- 823.
bus compleri. Erant inter Duces, qui necterent moras, A. C. 70.
quippe nimius jam Antonius, et certiora ex Muciano spera-
bantur. Namque Mucianus, tam celeri victoria anxius, et,
ni præsens urbe potiretur, expertem se belli gloriæque ra-
tus, ad Primum et Varum media scriptitabat, *instandum cœ-
ptis,* aut rursus *cunctandi utilitates* edisserens, atque ita com-
positus, ut ex eventu rerum adversa abnueret, vel prospera
agnosceret. Plotium Griphum, nuper ab Vespasiano in
Senatorium ordinem additum, ac legioni præpositum, cete-
rosque sibi fidos, apertius monuit. Iique omnes, de festina-
tione Primi ac Vari sinistre, et Muciano volentia, rescri-
psere. Quibus epistolis Vespasiano missis, effecerat, ut
non pro spe Antonii consilia factaque ejus æstimarentur.
Ægre id pati Antonius, et culpam in Mucianum conferre, 53
cujus criminationibus eviluissent pericula sua. nec sermoni-

Et certiora de Muciano] Magis placet Flor. scriptio, *ex Muciano.* Ambigebant Duces, quid facturi aut non facturi, ex sequentibus: Mucianus adventabat, alter pæne Flavius; ergo ab illo certiores omnium futuri. Lips. Recepit Pichena. Sed sic jam ante edd. Put. Ber. Alc. Consentit MS. Guelf. *De* edidit Rhen. (e Bud.) et sic MS. Agr. Illud haud dubie verum. Sensus: spem majorem præmiorum habebant in Muciano, majoris virtutis, dignitatis et gratiæ apud Vespasianum viro: et volebant potentiæ Antonii, jam nimis magnæ, modum ponere: quippe major futura erat, si et hoc succederet, putabantque, eum potentia sua in suum tantum commodum abusurum. Qualis potentia intelligenda, sequentia docent. Add. 4, 2. ubi videbis, quam potentiam petierit Primus, et non frustra parum ex eo sperasse Duces. Ern.

Media scriptitabat] Legitima Latinitas postulat *scriptitarat:* ut infra recte *effecerat.* Sed, quia in vulgato libri (Bud. quoque) consentiunt, et mox sequitur *monuit et rescripsere,* nihil mutavi. *Media* sunt ambigua, nihil certi in alterutram partem definientia. *Abnueret et agnosceret* (Bud.) pro quo male ed. pr. *cognosceret,* dictum, pro appareret, eum ex eventu de factis et consiliis judicaturum, probaturum, si prospere cecidissent, sin minus, contra voluntatem suam suscepta dicturum. Ern.

Plotium Gryphum] Ed. pr. *Grifum.* Eadem mox *senatorium,* ut Flor. (Bud.) Guelf. *senatorum* Puteol. et seqq. usque ad Pichenam. Ern. Bud. *Griffum.* Ad eum Statius risum Saturnalitium Silv. 4, 9. scripsit.

Muciano volentia] Ita libri. Sallustianum videtur: *Pompeius multis suspicionibus volentia plebi facturus habebatur.* Beatus tamen *volenti* (e Bud.) maluit. Lips. Quod omnes secuti sunt usque ad Lipsium. *Volentia* Flor. Guelf. edd. ante Rhen. omnes. (Agr. *volenti*). Utrumque Latinum et Tacito usitatum. Pro *rescripsere* ed. pr. *rescribere:* quod præferebat Gruterus: quamquam ille *scribere* laudat. Rhen. edidit (e Bud.) *scripsere,* ceterique usque ad Pichenam. Ern. Qui e Flor. dedit *rescripsere.* De forma dicendi *volenti* vel *volentia* vide notata ad A. 15, 36. et Cort. ad Sall. Jug. 84.

Factaque ejus] Rhenanus e Bud. MS. profert *aut facta ejus.* *Aut* copulative dicitur sæpe apud nostrum, in eoque aliquoties et criticos adhæsisse vidimus. Paullo ante *aut rursus,* pro *et rursus* dictum, et sic alibi passim. Ern. Bud. ita: *pro spe Antonii factaque ejus,* omisso *consilia.* Non potuit ergo nisi dormitans Rhen. scribere, quæ hic retulit.

Coaluissent pericula sua] Sic omnes inde a Puteolano edidere, usque ad Ryckium: idque et MS. Guelf. præfert (Bud. *coaluisset*). Freinshemius acutissime correxit *eviluissent:* idque in Flor. repertum recepere Ryckius et J. Gron. quos merito secutus sum. MS. Agr. ed. pr. habent *luissent,* unde conjicere licet, primas syllabas *coa* deberi correctoribus, a vero sensu aberrantibus. Sensus est:

A. U. 823. A. C. 70. bus temperabat, immodicus lingua, et obsequii insolens. litteras ad Vespasianum composuit, jactantius quam ad Principem, nec sine occulta in Mucianum insectatione: *se Pannonicas legiones in arma egisse: suis stimulis excitos Mæsiæ Duces: sua constantia perruptas Alpes, occupatam Italiam, intersepta Germanorum Rhætorumque auxilia. Quod discordes dispersasque Vitellii legiones equestri procella, mox peditum vi, per diem noctemque, fudisset, id pulcherrimum et sui operis. Casum Cremonæ bello inputandum. majore damno, plurium urbium excidiis, veteres civium discordias Reipublicæ stetisse. Non se nuntiis, neque epistolis, sed manu et armis Imperatori suo militare. neque officere gloriæ eorum, qui Asiam interim composuerint. illis Mœsiæ pacem, sibi salutem securitatemque Italiæ, cordi fuisse. Suis exhortationibus Gallias Hispaniasque, validissimam terrarum partem, ad Vespasianum conversas. Sed cecidisse in irritum labores, si præmia periculorum soli adsequantur, qui periculis non adfuerint.* Nec fefellere ea Mucianum. inde graves simultates: quas Antonius simplicius, Mucianus callide, eoque inplacabilius nutriebat.

54 At Vitellius, fractis apud Cremonam rebus, nuntios cladis occultans, stulta dissimulatione, remedia potius malorum, quam mala, differebat. Quippe confitenti consultantique supererant spes viresque: cum e contrario læta omnia fingeret, falsis ingravescebat. Mirum apud ipsum de bello silentium: prohibiti per civitatem sermones: eoque plures, ac, si liceret, vere narraturi; quia vetabantur, atrociora vulgaverant. Nec Duces hostium augendæ famæ deerant, captos Vitellii exploratores circumductosque, ut robora victoris exercitus noscerent, remittendo: quos omnes Vitellius, secreto percunctatus, interfici jussit. Notabili

Mucianum criminando effecisse, ut Vespasianus res, a se fortiter et cum magno periculo gestas, non perinde æstimaret, ac dignæ essent. *Coaluissent* foret *aucta essent*, quod est alienissimum. Mox *lingua* Flor. (Bud.) Guelf. Agr. ed. pr. veteresque omnes ante Lipsium quas vidi: qui *linguæ*, nescio unde, edidit. Pichena illud reddidit. Utrumque usitatum Tacito. Sed, quia genitivus sequitur, *lingua* h. l. melius. Ern. *Pericula*, intellige *exantlata*.

Id pulcherrimum et sui operis] Tentor rescribere, *id sui operis*. Est enim fortius et Antonii animo dignius: et sic non uno loco et ipse Tacitus et Livius, velut 2, 2. *id officere, id obstare libertati.* Post *Cremonensium* MS Agr. quo tendit ed. pr. *Cremonensi*. Ern. Bud. et vulg. *Cremonæ*.

Mœsiæ pacem] Respice ad c. 46.

Falsis ingravescebat] Si vera lectio hæc, intelligendum *malum*. Sed fortasse legendum *ingravescebant*, sc. mala. Nam et in *confitenti* sint intelligenda *mala*. Ern. Bud. *ingravescebat*, i. e. premebatur, deprimebatur, ut animum desponderet et vires deficerent. Sic Cic. de sen. 11. *corpora defatigatione ingravescunt*.

Vera narraturi] Sic edd. omnes inde a Puteol. At MSS. Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. *vere*. J. Gronovius putat fuisse *vera enarraturi*. Etiam *vere narr.* putem stare posse, int. quæ acciderant. sed vulgatum melius. sic c. 56. extr. *vera dicturus*. Pro *narraturi* MS. Agr. *narrare*, ed. pr. *narranti*, utrumque vitiose. Ern. Bud. *narratum*. Consensus codicum jubet, ut *vere* reponam cum Bip. Sic et Puteol. Contra *vera* Alciatus habet et Rhen.

Notabili constantia] Hæc ap. Suet.

constantia Centurio, Julius Agrestis, post multos sermones, A. U.
quibus Vitellium ad virtutem frustra accendebat, perpulit, 823.
ut ad vires hostium spectandas, quæque apud Cremonam A. C.
acta forent, ipse mitteretur. 70.
Nec exploratione occulta fallere Antonium tentavit, sed mandata Imperatoris suumque animum professus, ut cuncta viseret, postulat. Missi, qui locum prœlii, Cremonæ vestigia, captas legiones ostenderent. Agrestis ad Vitellium remeavit, abnuentique, *vera esse, quæ adferret,* atque ultro *corruptum* arguenti; *quandoquidem,* inquit, *magno documento opus est, nec alius jam tibi aut vitæ, aut mortis meæ usus, dabo, cui credas.* atque ita digressus, voluntaria morte dicta firmavit. Quidam *jussu Vitellii interfectum;* de *fide constantiaque* eadem, tradidere.
Vitellius, ut e somno excitus, *Julium Priscum et Alphenum* 55
Varum cum XIV Prætoriis cohortibus et omnibus equitum alis obsidere Apenninum jubet. Secuta e classicis legio. Tot millia armatorum, lecta equis virisque, si Dux alius foret, inferendo quoque bello satis pollebant. Ceteræ cohortes ad tuendam urbem L. Vitellio fratri datæ. Ipse, nihil e solito luxu remittens, et diffidentia properus, festinare comitia, quibus Consules in multos annos destinabat: fœdera sociis, Latium externis, dilargiri: his tributa dimittere, alios inmunitatibus juvare: denique, nulla in posterum cura, lacerare Imperium. Sed vulgus ad magnitudinem

Oth. c. 10. in priori cum Othone bello huic accidisse traduntur, ut jam notavit Savilius. Post *ut*, a Rhenano sublatum, bene restituit Pichena (e Flor.), quod in omnibus meis reperi ante Rhen. Ern. *Ut* deest in Bud. Subaudiri putat Rhen. Mox Bud. male *ostenderentur.*

Quæ adferret] Sic MSS. Fl. Agr. Guelf. edd. ante Rhen. non *referret*, ut hic (e Bud.) dedit. ceterique ad Ryckium usque. Mox *est* omnes scr. et edd. præter Puteol. Beroald. Alc. Ern. Rhen. addidit e Bud. *Adferret* etiam Lall. e Regio suo.

Secuta e classicis legio] Hæc vera lectio (quæ et in Bud.). MS. Agr. *secutæ classicæ legiones,* ut voluit Muretus. Quæ corruptela unde orta, docet scriptura ed. pr. *secutæ classicis legio.* MS. Guelf. *secuta est cl.* Legio e classicis quo modo nata, v. supra c. 50. Et alias quoque a classica militia ad pedestrem, ut honoratiorem, traducti. De classicis dixi satis et distincte ad H. 1, 36. Mox *si Dux alius,* quod libri vett. scr. et edd. ante Rhen. habent, mollius est, quam *si alius Dux.* Ern. Hoc Rhen. e Bud. De *classicis* v. ad H. 1, 31. 36.

Latium externis] Tirones monendi, ut jus Latinitatis intelligant, non partem Italiæ, quæ Latium vocata. Ern.

Tributa dimittere] Sic omnes libri: id non tentandum, docuit exemplis Gruterus in suspicion. libris. Sic et vetus N. T. interpres *dimitte nobis debita nostra.* Et Cicero quoque sæpe *dimittere* pro *remittere* dixit, in aliis etiam formis loquendi. Mox pro *cura,* ed. pr. *curare.* male. *Lacerare imperium* eleganter dicuntur, qui ejus patrimonium et bona dissipant: ut *lacerare* de dissipatione rei familiaris et pecuniæ. Cicer. Quint. 15. Verr. 3, 70. ubi *lacerata pecunia,* cujus pars aversa est. Ern.

Vulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat] In Flor. est *haberat.* Videtur significare *hiabat.* nam hoc verbum alibi quoque sic corruptum nos invenisse meminimus. Gron. *Haberat* videtur esse *aberat,* ut ed. pr. (et Bud.) exhibet. id cum *aderat* sæpe in libris confunditur. Alias *hiabat* aptum h. l. foret. Ern. Hoc in textum recepere Bip. et ex H. 1, 12. firmare nituntur. Sed vix credendum, in Flor. ex *hiabat* factum esse *haberat.* Agr. cod. clare *aderat,* scil. prono animo avidoque.

A. U. 823. A. C. 70. beneficiorum aderat: stultissimus quisque pecuniis mercebatur: apud sapientes cassa habebantur, quæ neque dari, neque accipi, salva Republica, poterant. Tandem flagitante exercitu, qui Mevaniam insederat, magno Senatorum agmine, quorum multos ambitione, plures formidine trahebat, in castra venit, incertus animi, et infidis consiliis obnoxius.

56 Concionanti (prodigiosum dictu) tantum fœdarum volucrum supervolitavit, ut nube atra diem obtenderent. Accessit dirum omen, profugus altaribus taurus, disjecto sacrificii adparatu, longe, nec, ubi feriri hostias mos est, confossus. Sed præcipuum ipse Vitellius ostentum erat, ignarus militiæ, inprovidus consilii, *quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus urgendo trahendove bello modus*, alios rogitans, et ad omnes nuntios, vultu quoque et incessu trepidus, dein temulentus. Postremo tædio castrorum, et, audita defectione Miscnensis classis, Romam revertit, re-

Qui Mevaniam insederat] Vocula *qui* addita e libris. Lips. Eam sustulerat Rhen. Est tamen in omnibus libris scr. et edd. ante. Ern. In Bud. deest. Rhenanus *Mev. ins.* in parenthesi ponenda putabat.

Diem obtenderent] Bene ita libri, non *obtunderent*, ut (e Bud.) visum Beato. Quibusdam (ut Agr.) scriptum, *nube radium obtenderent* (ed. pr.) vitiose. Lips. *Obtenderent* etiam Flor. Agr. Guelf. edd. ante Rhen. item Lips. et seqq. omnes. Simile illud Silii 10, 228. *obtendit pulvere lucem:* ut omnes ibi codd. habent. Sed, ut ibi *obtun dit* legendum censet N. Heinsius, sic h. l. Rhenanus *obtunderent* edidit, utrum e cod. Bud. an ex ingenio, non constat (non amplius hoc dubium) idque secuti sunt editores usque ad Lips. Ego facile largior *obtendere* dici pro *velare:* quis enim hoc neget? Atque id docuere exemplis Gron. ad Senec. Œd. 625. Drakenb. ad Silium l. c. Verum hoc non videtur fecisse, ut hæreret Rhenanus, sed constructio. Nam, etsi *obtendere* idem, quod *occultare*, significare potest, tamen non eodem etiam modo construi cum substantivis potest. Viri docti sæpe in hoc non satis diligentes sunt. De verbi vi simpliciter quærunt, constructionem non curant. Atqui significationem potest verbum communem cum altero habere: neque tamen statim etiam constructionem. Vid. ad c. 49. Videndum ergo, an, quemadmodum dici potest, *atra nube occultare diem*, vel *abscondere*, sic etiam *atra nube obtendere diem* vel *lucem:* quod non omnibus istis locis, quæ a Drakenborchio aliisque prolata sunt, efficitur: sed solis Statii et Senecæ locis: *pædore fœdo squalidam obtentus comam*, ut recte ibi restituit Gronovius, cum ante esset *obtectus:* unde patet, semper in hac forma hæsisse viros doctos. Quare, cum in tribus locis similibus consentiant MSS. non tentandam hanc loquendi formam, etsi duriorem et poetis digniorem, quam prosaicis scriptoribus, puto: ceterum, si libri boni faverent, facile *obtunderent* prælaturus, ut dignius tali scriptore et elegantius. Ern. Rectius *obtenderent.* ut Virg. Georg. 1, 248. *obtenta densantur nocte tenebræ.* Plura dabit J. Fr. Gron. ad Liv. 1, 57.

Longe, nec ubi feriri] Præivit ad emendationem hanc Vatic. qui refert, *longe necui feriri.* Nam alii libri hic mutili. Ominosum vero antiquitus, si hostia fugisset, nec suo loco, id est ante aram cæsa fuisset. Festus: *Piacularia appellabant, quæ sacrificantibus tristia portendebant, cum aut hostia ab ara profugisset, aut percussa mugitum dedisset, aut in alium partem corporis, quam oporteret, cecidisset.* Plinius 8, 45 (70), *Notatum est vitulos, ad aras humeris hominis allatos, non fere litare: sicut nec claudicante, nec aliena hostia Deos placari, nec trahente se ab aris.* Lips. *Ne cui* etiam Flor. ed. pr. MS. Bodl. *longe quam ubi.* Mox eadem ed. male *confessus.* Ern. Bud. *longe ubi*, omisso *quam*, quod in vulg. Rhenanus suum codicem sequitur et exponit procul ab eo loco, ubi. Cod. Agr. *longe nc cui.* Mox Bud. *consiliis.*

centissimum quodque vulnus pavens, summi discriminis A. U.
incuriosus. Nam, cum transgredi Apenninum, integro ex- 823.
ercitus sui robore, et fessos hieme atque inopia hostes ad- A. C.
gredi, in aperto foret; dum dispergit vires, acerrimum mi- 70.
litem, et usque in extrema obstinatum, trucidandum capi-
endumque tradidit, peritissimis Centurionum dissentienti-
bus, et, si consulerentur, vera dicturis. Arcuere eos intimi
amicorum Vitellii, ita formatis Principis auribus, ut aspere,
quæ utilia, nec quidquam, nisi jucundum et læsurum, acci-
peret. Sed classem Misenensem (tantum civilibus discor- 57
diis etiam singulorum audacia valet) Claudius Faventinus,
Centurio, per ignominiam a Galba dimissus, ad defectio-
nem traxit, fictis Vespasiani epistolis pretium proditionis
ostentans. Præerat classi Claudius Apollinaris, neque fidei
constans, neque strenuus in perfidia. et Apinius Tiro, Præ-
tura functus, ac tum forte Minturnis agens, Ducem se de-
fectoribus obtulit. a quibus municipia coloniæque inpulsæ,
præcipuo Puteolanorum in Vespasianum studio, contra
Capua Vitellio fida, municipalem æmulationem bellis civili-
bus miscebant. Vitellius Claudium Julianum (is nuper
classem Misenensem molli imperio rexerat) permulcendis
militum animis delegit. data in auxilium urbana cohors et
gladiatores, quibus Julianus præerat. Ut conlata utrimque
castra, haud magna cunctatione Juliano in partes Vespa-
siani transgresso, Tarracinam occupavere, mœnibus situque
magis, quam ipsorum ingenio tutam. Quæ ubi Vitellio 58
cognita, parte copiarum Narniæ cum Præfectis Prætorii
relicta, L. Vitellium fratrem, cum sex cohortibus et quin-

Summi discriminis incuriosus] *Summum discrimen* est idem fere, quod summa belli, universum bellum: periculum, quod imminebat, si bello vinceretur. Mox *in aperto foret* idem est, quod in promtu facile. Ern. A. 2, 12. H. 5, 15. *summæ rei discrimen* dicitur.

Arcuere eos] Vere, non *arguere*. Lips. *Arguere* omnes edd. ante Lips. et MS. (Bud.) Guelf. Verba illa sæpe in libris confusa sunt. V. Drakenb. ad Liv. 6, 25. omninoque litera *g*. a librariis mediæ ætatis centies obtrusa pro *c*. ut supra de verbis *vacare* et *vagare* notavimus H. 1, 44. Ern.

Læsarum acciperet] Faernus legebat *acciperent*, ad *aures* referens: placebatque Acidalio. Sed *acciperet* omnes libri: quod ad *Principem* referendum. Illud præferrem, si libri faverent. Ern. Prius Bip. *aspere*. bene ut A. 4, 31. *acceptum aspere ad præsens*.

Apinius Tiro] Sic omnes scr. et edd. hic et c. 76. nisi quod MS. Agr. et ed. pr. h. l. *Aponius* habent: at infra ille *Apinius*, hæc *Opinius*: unde aberrationem esse patet. Ern. Bud. male *aprimis* et mox *interfectoribus*. Dein *precipue*.

Julianus præerat] Mirum, ni ille ipse Julianus, qui Plinio *curasse* dicitur *munus gladiatorium Neronis*. 37, 3. Lips. Post *ut* MSS. edd. pr. Rhen. (e Bud.) seqq. At ceteræ ante Rhen. male *et*. Ern.

Quam ipsorum ingenio] i. e. fortitudine, fide Tarracinensium: quod verbum intelligendum e nomine Tarracinæ, ut jam monuit Ryckius. Ejus generis exempla supra notata sunt. Ern. Cf. c. 64. Negat, Tarracinenses intelligendos Lallemand. potius eos, ait, quos mox noster dixit in partes Vespasiani transgressos.

Quæ ubi Vitellio c.] *Ubi* deest in Bud.

A. U. 823. A. C. 70. gentis equitibus, ingruenti per Campaniam bello opposuit. Ipse æger animi, studiis militum et clamoribus populi, arma poscentis, refovebatur: dum vulgus ignavum, et nihil ultra verba ausurum, falsa specie *exercitum* et *legiones* adpellat. Hortantibus libertis (nam amicorum ejus quanto quis clarior, minus fidus) *vocari tribus* jubet. Dantes nomina sacramento adigit. superfluente multitudine, curam delectus in Consules partitur. Servorum numerum et pondus argenti Senatoribus indicit. Equites Romani obtulere operam pecuniasque, etiam libertinis idem munus ultro flagitantibus. Ea simulatio officii, a metu profecta, verterat in favorem. Et plerique haud perinde Vitellium, quam casum locumque Principatus, miserabantur. nec deerat ipse: vultu, voce, lacrimis, misericordiam elicere; largus promissis, et, quæ natura trepidantium est, inmodicus. Quin et *Cæsarem* se dici voluit, adspernatus antea: sed tunc, superstitione nominis, et quia in metu consilia prudentium et vulgi rumor juxta audiuntur. Ceterum, ut omnia inconsulti inpetus cœpta, initiis valida, spatio languescunt, dilabi paullatim Senatores Equitesque, primo cunctanter, et, ubi ipse non aderat, mox contemptim et sine discrimine; donec Vitellius pudore inriti conatus, quæ non dabantur, remisit.

59 Ut ter-

Exercitum et legiones] Sic recte e Flor. editum a Pichena. Consentit ed. pr. Ceteri scr. (Bud. etiam) et edd. usque ad Pichenam *exercitus*. ERN.

Vocari tribus jubet] Est delectus in urbe actus, quem tradit Sueton. c. 15. Unde confirmatur conjectura nostra de loco Sueton. Ner. 44. ubi in verbis, *tribus urbanas ad sacramentum citavit*, suspectam vocem *urbanas* habui. Sic etiam noster A. 14, 13. *obvias tribus habuit*, de plebe Romanæ urbis. Sed, quia tamen patet, *tribus* etiam de plebe urbana sola dici, *urbanas*, etsi supervacuum, tamen ferri posse arbitror. Mox *dantes* omnes edd. et scr. præter Bud. qui habebat *dat:* quod factum puto e *data*, quod est in Guelf. Bodl. et Oxon. bona et plana sententia, idque verum putabat J. Gronovius, a quo allatum exemplum ex A. 14, 15. non satis huic loco simile. sed *dantes* melius. Vult dicere, ab initio promiscue, quicunque darent nomina, sacramento adactos, sine delectu: post, redundante multitudine, etiam delectum haberi cœpisse. ERN. Put. *data*. Alc. Rhen. *dantes*. Mox Rhen. e Bud. *indicit*. prius legebatur *inducit*. Porro Bud. *pecuniamque*.

Ea simulatio officia metu profecta] Sic edd. omnes (et c. Bud.) N. Heinsius malebat *a metu profecta*. Mihi dudum legendum visum *ea simulatio officii a metu profecta:* neque aliter res et Latinitas patitur. Id quia et e MS. Bodl. notatum reperi, recepi. Sensus: Hæc per simulationem officii offerebant, propter metum, sed tamen inde ortus favor in Vitellium, sive pro favore accipiebatur. ERN. Probant emendationem Brot. Lall. Bip.

Nec deerat ipse etc.] Similis constructio H. 4, 1. 11. 80.

Superstitione nominis] Cod. Agr. *pro sup. nominis*.

Conterriti mæstive] E Flor. in quo est *contempti mestine*, Pichena emendat: *contemptim et sine discr.* Belle, belle. LIPS. Ad Flor. prope accedunt MS. Agr. ed. pr. *contenti mæstive.* Nam *contenti* et *contemti:* item hæc et *contemtim* confundi vidimus ad c. 47. In MS. Guelf. est *contriti mæstive:* sed duæ ultimæ syllabæ sunt a manu sec. et in litura. ERN. Bud. *conterriti mestive*. Trilleri commenta v. in ipsius Obs. crit. p. 311.

Quæ non dabantur, remisit] Sic MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. omnes ante Rhenanum, qui (e Bud.) edidit *omisit*, cum seqq. usque ad Pichenam. ERN.

rorem Italiæ possessa Mevania, ac velut renatum ex integro A. U.
bellum, intulerat: ita haud dubium erga Flavianas partes 823.
studium tam pavidus Vitellii discessus addidit. Erectus A. C.
Samnis Pelignusque et Marsi æmulatione, quod Campania 70.
prævenisset, ut in novo obsequio, ad cuncta belli munia acres erant. Sed fœda hieme, per transitum Apennini conflictatus exercitus, et vix quieto agmine nives eluctantibus, patuit, quantum discriminis adeundum foret, ni Vitellium retro Fortuna vertisset: quæ Flavianis Ducibus non minus sæpe, quam ratio, adfuit. Obvium illic Petilium Cerialem habuere, agresti cultu et notitia locorum custodias Vitellii elapsum. Propinqua adfinitas Ceriali cum Vespasiano, nec ipse inglorius militiæ: eoque inter Duces adsumptus est. Flavio quoque Sabino ac Domitiano patuisse effugium, multi tradidere. Et missi ab Antonio nuntii per varias fallendi artes penetrabant, locum ac præsidium monstrantes. Sabinus inhabilem labori et audaciæ valetudinem caussabatur: Domitiano aderat animus; sed custodes a Vitellio additi, quamquam se socios fugæ promitterent, tamquam insidiantes timebantur. Atque ipse Vitellius, respectu suarum necessitudinum, nihil in Domitianum atrox
parabat. Duces partium ut Carsulas venere, paucos ad re- 60
quiem dies sumunt, donec aquilæ signaque legionum adsequerentur. et locus ipse castrorum placebat, late prospectans: tuto copiarum adgestu: florentissimis pone tergum municipiis. simul conloquia cum Vitellianis, decem millium spatio distantibus, et proditio sperabatur. Ægre id pati miles, et victoriam malle, quam pacem. ne suas quidem legiones opperiebantur, ut prædæ, quam periculorum socias. Vocatos ad concionem Antonius docuit: *esse adhuc Vitellio vires, ambiguas, si deliberarent; acres, si desperassent. Initia*

Possessa Mevania] *Possessa* est occupata. ut c. 8. *Possessa ipso transitu Vicetia.* V. Gron. ad A. 2, 5. Frustra Muretus tentabat *obsessa.* Ern.

Ereptus Samnis] In Flor. *erectus:* sed illud placet, ereptum nempe Vitellio, qui possidebat. Aut, si *erectus*, capi licet animis erectos ob Vitellii discessum, et sic defecisse. Lips. *Erectus* recepit Pichena, idque secuti sunt omnes. Consentit ed. pr. Recte. Non sermo est de occupatis vi populis, sed de studiis populorum in partes: de quibus proprium verbum est *erectus.* Ern. Bud. *ereptus.*

Nives eluctantibus] Sic bene e MS. Bud. correxit Rhen. vulgatum *nive se eluctantibus.* Originem corruptelæ indicat ed. pr. quæ habet *minie se luctantibus:* monstrose in prima voce, quæ fuit *nive.* Ern. Sic Agr. 17. *difficultates eluctatus.* Bud. *nive se luctantibus* habet.

Flavio Sabino] Bud. *Flaviano.* Infra c. 68. *Fabius Sabinus,* sed c. seq. *Flavii.* Mox Agr. *prodidere.*

Custodes a Vitellio additi] Usitatum verbum de custodibus, ut vidimus supra ad A. 13, 18. At ed. pr. *abditi,* solita in his verbis confusione. Ern.

Pone tergum] Bud. *post tergum.*

Ut prædæ, quam p.] MS. Agr. addit *potius:* frustra. Id intelligi voluit Tacitus, ut alibi. Ern. Bip. conjiciunt *quomodo per. soc.* Sed *magis, potius,* noster frequens omittit subaudiendum. V. index.

Deliberdrent—desperassent] Acid. malit *deliberaret—desperasset* scil. Vitellius.

A. U. 823. A. C. 70. *bellorum civilium fortunæ permittenda; victoriam consiliis et ratione perfici. Jam Misenensem classem et pulcherrimam Campaniæ oram descivisse: nec plus e toto terrarum orbe reliquum Vitellio, quam quod inter Tarracinam Narniamque jaceat. Satis gloriæ prælio Cremonensi partum, et exitio Cremonæ nimium invidiæ. ne concupiscerent Romam capere potius, quam servare. majora illis præmia, et multo maximum decus, si incolumitatem Senatui Populoque Rom. sine sanguine quæ-*
61 *sissent.* His ac talibus mitigati animi. Nec multo post legiones venere. Et terrore famaque aucti exercitus Vitellianæ cohortes nutabant, nullo in bellum adhortante, multis ad transitionem, qui suas centurias turmasque tradere, donum victori, et sibi in posterum gratiam, certabant. Per eos cognitum est, *Interamnam proximis campis præsidio quadringentorum equitum teneri.* Missus extemplo Varus, cum expedita manu, paucos repugnantium interfecit: plures, abjectis armis, veniam petivere: quidam in castra refugi, cuncta formidine inplebant, augendo rumoribus virtutem copiasque hostium, quo amissi præsidii dedecus lenirent. Nec ulla apud Vitellianos flagitii pœna: et præmiis defectorum versa fides, ac reliquum perfidiæ certamen. crebra transfugia Tribunorum Centurionumque. nam gregarius miles induruerat pro Vitellio: donec Priscus et Alphenus, desertis castris, ad Vitellium regressi, pudore proditionis cunctos exsolverent. Iisdem diebus Fabius Valens Urbini in custodia interficitur. Caput ejus Vitellianis cohortibus ostentatum, ne quam ultra spem foverent. nam, *pervasisse in Germanias Valentem, et veteres illic novosque exercitus ciere,* credebant. Visa cæde in desperationem versi. et

Ratione perfici] Vulgati *proficisci;* scripti *profici.* ex quo nobis *perfici* visum facere. LIPS. *Profici* etiam ed. pr. At Guelf. (Bud.) cum edd. ceteris usque ad Lips. *proficisci.* ERN.

His ac talibus] Sic Bud. Put. Alc.

Tradere donum victori — certabant] Omnes libri in hac lectione consentiunt, præter ed. pr. quæ *tradidere* exhibet. Id placet Grutero, qui *certabant* spurium esse putat, similia adferens loca. *Tradere certabant* sane idem est. Sed illud tamen elegantius: modo libris magis firmaretur. Mox *extemplo,* quod a Rhenano editum est, habent MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Agr. ed. pr. Ber. *Exemplo* vitio operarum venit in edd. Puteol. et Alc. ERN.

Præmiis defectorum vera fides] MSS. Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. habent *verba.* Ceteræ edd. cum MS. Agr. *vera* usque ad Bernecc. qui e conjectura Freinsh. edidit *versa,* quod fluxit inde in ceteras edd. præter Ryckianam, quæ *vera* restituit; quod imitati sumus. Idem videbatur J. F. Gronovio Obs. 3, 10. Sensus est: Nihil jam reliquum erat, quam ut certatim deficerent. Caussæ duæ: prima, quod apud Vitellianos defectio impunita erat, a Flavianis autem certa præmia ostendebantur. *Vera fides præmiis def.* dicetur, ut apud Horat. Carm. 3, 16. *segetis certa fides meæ.* Ex quo tamen loco mihi suspicio exorta est, Tacitum scripsisse *certa:* nam ita appareret, unde illa litera *b.* in MSS. nata esset. ERN. Dubius sane locus. *Vera* exhibent cum Ryckio et J. Fr. Gronovio Brot. et Lall. In Bud. totidem litteris legitur *verba.* Mihi cum Bip. potior videtur conjectura Freinsh. *versa fides* est mutata fides. Mox Acid. conjicit *acre igitur p. c.*

Flavianus exercitus, inmane quantum animo exitium Va- A. U.
lentis, ut finem belli, accepit. Natus erat Valens Anagniæ, 823.
Equestri familia: procax moribus, neque absurdus ingenio, A. C.
famam urbanitatis per lasciviam petere. Ludicro juvena- 70.
lium sub Nerone, velut ex necessitate, mox sponte, mimos
actitavit, scite magis quam probe. Legatus legionis et fo-
vit Virginium et infamavit. Fonteium Capitonem conru-
ptum, seu quia conrumpere nequiverat, interfecit. Galbæ
proditor: Vitellio fidus et aliorum perfidia inlustratus. Ab- 63
rupta undique spe, Vitellianus miles, transiturus in partes,
id quoque non sine decore, sed sub signis vexillisque in
subjectos Narniæ campos descendere. Flavianus exerci-
tus, ut ad prœlium, intentus ornatusque, densis circa
viam ordinibus, adstiterat. Accepti in medium Vitellia-
ni. et circumdatos Primus Antonius clementer adloqui-

Immane quantum animo exitium Valentis] Acidalius tentabat *animo auctus*. Ern. Ut H. 2, 4. Sed *animo* intellige læto, alacri, ni tale quid omissum culpa librarii.

Absurdus ingenio] Sic Sall. Cat. 26.

Ludicro juvenalium] Hoc malui, quam quod vulgo est *juvenum*. Lips. *Juvenum* omnes scr. et edd. ante Lipsium. Male nonnulli libri addunt *in*, contra morem Latinum in hac re. Ern. Non Bud. De *juvenalibus* v. A. 14, 15.

Font. Capitonem corruptum] In *proditionem* addunt edd. Ber. et Alc. (et Rhen.) nescio unde. nam a scriptis omnibus (Bud. quoque) abest. Additum puto temere e superioribus, ubi aliquoties est *in proditionem corrumpi*. Ern. Pichena sustulit.

Id quoque non sine dedecore] Int. fecere, ut in aliis formulis. Dedecus est in eo, quod sub signis, palam, velut recte facerent, processere. Ern. *Dedecore* Rhen. e Bud. Sic et Agr. Contra Flor. et edd. vet. *sine decore*. Utraque lectio bonum sensum fundit. Turpe est militi, armatum, immo sub signis vexillisque sese tradere hosti, nec pro sua parte, dum liceat, strenue pugnare. Sic Acid. quoque Gron. Brot. Lall. Verum, quum hic *pudore proditionis exsoluti* dicantur, decus armorum signorumque iis, in societatem transeuntibus, permissum a Flavianis. Ita potior ratio cod. Flor. quem sequor cum Bip.

Intentus armatusque] Codex Regius (Budensis) *ornatusque*. quod germanum est. Loquebantur enim ita etiam in armis. unde et gladiatorum ornamenta. Tacitus 5, 22. *Pauci ornati militariter*. Livius 9. *Diemque iis, qua equis armisque instructi ornatique adessent, edicit*. Lips. Consentit Flor. unde recepit Pichena cum seqq. Ceterum loca a Lipsio, Rhenano, Pichena allata, non satis sunt similia. Nam in iis vel diserta separatim armorum mentio, ut *ornatus* significet *instructus*, non *armatus*, vel aliquid additum est aliud, velut *militariter*, *cultu*. Desiderem locum, in quo *ornatus* simpliciter dicatur is, qui gladium, tela in manibus habet pugnandi caussa. Vid. quæ dixi ad Sueton. Excurs. 27. ubi *ferramenta pugnantium* defendi contra alterius lectionis patronos, *ornamenta pugn.* consentiente Oudendorpio. Non credo, dici bene *ornatum in aciem procedere* et similia. Itaque, cum omnes, præter istos duos, scr. et edd. veteres habeant *armatusque*, id potius edidi. Librarii quidam et viri docti, capti observatiuncula de verbo *ornatus*, id alienis subinde locis intrusere. Cic. ep. 5, 13. *paratus armatusque contra f.* Et sic centies *armatus* conjungitur ap. Livium et alios cum *instructus* et similibus: ut velut rata dicendi formula fuerit. Ern. Cum Ernestio faciunt Brot. et Lall. Verum a lectione codicum Flor. et Bud. nolim temere recedere. *Armatusque*, quod habet cod. Agr. interpretamentum esse, recte judicat Ryckius; neque, si Tacitus scripsisset *armatusque*, librario unquam venisset in mentem, alterum id substituere. Itaque revoco cum Bip. lectionem Flor. Intelligenda omnia armorum signorumque decora. Put. quoque *ornatusque*.

A. U. 823 A. C. 70. tur. *pars Narniæ, pars Interamnæ subsistere* jussi. relictæ simul e victricibus legiones, neque quiescentibus graves, et adversus contumaciam validæ. Non omisere per eos dies Primus ac Varus, crebris nuntiis *salutem et pecuniam et secreta Campaniæ* offerre Vitellio, *si, positis armis, seque ac liberos suos Vespasiano permisisset.* In eundem modum et Mucianus composuit epistolas: quibus plerumque fidere Vitellius, ac *de numero servorum, electione litorum,* loqui. Tanta torpedo invaserat animum, ut, si Principem eum fuisse ceteri non meminissent, ipse oblivisceretur.

64 At primores civitatis Flavium Sabinum, Præfectum urbis, secretis sermonibus incitabant, *victoriæ famæque partem capesseret. esse illi proprium militem cohortium urbanarum: nec defuturas vigilum cohortes, servitia ipsorum, fortunam partium, et omnia prona victoribus. ne Antonio Varoque de gloria concederet. Paucas Vitellio cohortes, et mœstis undi-*

Secreta Campaniæ] i. e. locum in Campaniæ litoribus, ubi in solitudine tranquilla, remotus a turba hominum, ævum agere posset. simili sensu *secessus Campaniæ* sæpe apud Suetonium dicitur. Mox *litora* vocantur et *sinus*. ERN. Mox Bud. *se ac lib.*

Electione lictorum] Quorsum lictores? Si enim privatum serio indueret, nihil iis opus. Scribendum omnino *litorum.* Secessum videlicet aliquem amœnum et maritimum adtribui sibi Vitellius volebat, velut ad otium. Itaque in oratione adversaria mox amicorum respondetur huic parti: *Nunc pecuniam et familiam et beatos Campaniæ sinus promitti.* Suetonium ego in hac voce paullo gravius et obscurius corruptum restituo. Tiber. 72. *Nec abstinuit consuetudine, quin tunc quoque instans in medio triclinio, adstante lictore, singulos valere dicentes appellaret.* Cui enim rei lictor hic in triclinio? aut ex quo ritu? Beroaldus et priscæ editiones, *ut stans in medio.* Legam et rescribam totum locum: *aut stans in medio triclinio, aut stans in litore, singulos,* etc. sive relegata altera voce brevius, *aut stans in medio triclinio, aut e litore.* Temere enim repetita videtur a librario. Sententia autem liquida et pura, Tiberium Capreis dissimulando morbo stantem valedixisse comiter singulis, sive in triclinio, sive in ipso litore. Nam modica ea insula, et amici plerique diversabantur, ut opinor, in opposita Italiæ terra. LIPS. Recte conjecit Lipsius. Consentit MS. Fl. Guelf. ed. pr. Bene recepit Pichena. *Lictorum* primus edidit Puteol. Ea verba facile confunduntur. ERN. *Lictorum* quoque habet Bud. In Suet. loco Ern. ad eum locum τὸ *instans* tuetur. Mur. conjiciebat *locorum*, quod non ineptum judicat Acidalius.

Vigilum cohortes] Quas Principe Augusto institutas, Dio scribit 55, 26. idque refert in a. u. 759. Idem Paullus tradidit libro proprio De officio Præfecti vigilum, ut vides in Pandectis. Appiano tamen quid fiet, qui in Triumviratu vigiles repperit, et institutos vult, Pompeio in Sicilia victo? id esset, triginta pæne ante Dionis traditionem annis. Scribit Civil. 5, 132. *Sabinum Præfectum a Cæsare ad turbas et latrocinia in urbe atque Italia comprimenda:* Καὶ ἐξ ἐκείνου (addit) *φασὶ παραμεῖναι τὸ στρατείας τῶν νυκτοφυλάκων ἔθος τε καὶ εἶδος. Atque ex eo tempore aiunt mansisse nocturnorum vigilum morem et formam.* Bene, *aiunt:* nam si tu Appiane, nimis erras. Sparteolos hos milites vocare interpres Juvenalis videtur Sat. 14, 305. in illud: *Dispositis prædives hamis.* *Per translationem,* inquit, *disciplinæ militaris Sparteolorum Romæ. quorum cohortes in tutelam urbis, cum hamis et cum aqua vigilias curare consueverunt vicinis.* Corrigendum in fine hujus scholii, *curare consueverunt vicibus:* et, quod ad *Sparteolos,* ipsa vox in Tertulliani Apol. c. 39. eodem sensu. LIPS. Ubi pro *vicinis* in loco scholiastæ Havercamp. mavult *viciniis.*

que nuntiis trepidas: populi mobilem animum: et, si se Ducem A. U. *præbuisset, easdem illas adulationes pro Vespasiano fore. Ipsum* 823. *Vitellium ne prosperis quidem parem: adeo ruentibus debilita-* A. C. 70. *tum. Gratiam patrati belli penes eum, qui urbem occupasset. Id Sabino convenire, ut Imperium fratri reservaret; id Vespasiano, ut ceteri post Sabinum haberentur.* Haudquaquam 65 erecto animo eas voces accipiebat, invalidus senecta. Erant, qui occultis suspicionibus incesserent, tamquam *invidia et æmulatione fortunam fratris moraretur.* Namque Flavius Sabinus, ætate prior, privatis utriusque rebus, auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat. Et credebatur adfectam ejus fidem præjuvisse, domo agrisque pignori acceptis. Unde, quamquam manente in speciem concordia, offensarum operta metuebantur. Melior interpretatio: *mitem virum abhorrere a sanguine et cædibus: eoque crebris cum Vitellio sermonibus de pace, ponendisque per conditionem armis,*

Reservaret] Bud. *servaret.*

Invalidus senecta] Vocem Rodolphus addit *senecta sensuque.* valde apposite, modo e libris. Lips. MS. Agr. *ætate sensuque.* Ceteri libri omnes vulgatum servant. In MS. Guelf. in margine adscriptum a manu pr. *hic aliquid deficit.* Nempe hic transpositio duarum circiter paginarum facta antiquitus in MSS. Nam in Flor. Agr. (Bud. Reg. Lall.) Guelf. ed. pr. eadem reperitur: fortasse et in aliis MSS. ut supra 3, 5. Sed restitutio facta est jam a Puteol. non Beroaldo, ut putat J. Gronov. ad c. 69. et haud dubie e scripto libro. Qui supra transpositionem non animadvertit, is hanc viderit. Ern.

Suspicionibus incesserent] MS. Agr. ed. pr. *incederent,* etiam Guelf. sed a manu sec. ante fuit *incesserent:* idque placebat Ryckio: male. Haud dubie est h. l. sermo de criminationibus, de quibus *incessere* dicitur, non *incedere,* ut *maledictis, telis incessere,* non *incedere.* sed hæc verba et alibi a librariis confusa sunt. Post MS. Bud. habebat *fortunæ:* quod Rhenano placebat. Nec mihi displicet. *Moraretur* esset *cunctaretur.* Sed vulgatum quoque bene habet. Denique MS. Guelf. male *matris* pro *fratris.* Ern. Humani quid hic patitur Ernestius. Andabatarum more pugnat. Ryckius ex Agr. laudat *incenderent,* non *incederent.* Atqui istud verbi de inpulsu bene hic stare posset. Bud. *incesserent.*

Affectam ejus fidem præjuvisse] i. e. pro eo solvisse, cum solvere creditoribus non posset. *Affecta fides* eleganter dicitur laborans ex inopia pecuniæ, qua creditoribus satisfiat. Sic *affecta res familiaris* sæpe apud Livium (ut 2, 43.) de eo dicitur, qui ære alieno laborat, qui, ut Cicero loqui solet, *male de re domestica est constitutus,* pro Sext. 45. *cujus res fam. fortunæ male constitutæ.* pro Rab. Post. 1. *Præjuvisse* autem est ante, olim juvisse: quam vim præpositio hæc in compositione hac ætate in pluribus, quam olim, verbis obtinuit. Ryckius autem probat N. Heinsii conjecturam *præs juvisse,* propterea, quod *præjuvare* alibi non occurrat, item Græv. in Coll. ep. Burm. t. 4. p. 173. 174. Quod mihi displicet. Si prædiis cavendum fuit, ea non deerant Vespasiano; quibus quippe fratri cavebat. Ergo pecunia adjutus est. Idque indicat *pignoris* verbum: quod datur, securitatis caussa, ei, qui pecuniam pro nobis solvit, aut nobis dedit. Obiter observent tirones, *pignus* antiqua Latinitate dici etiam de *hypothecis,* ut hæ de pignoribus, ut ad Ciceronis epp. ad Div. 18, 56. monuit Grævius. Ern.] Bip. legunt *parum juvisse,* ut A. 12, 63. Lips. et Pich. ex *prævisa* fecere *parum visa.* Favet conjecturæ Suet. Vesp. 4. qui *omnia prædia fratri obligasse Vespasianum et ad mangonicos quæstus necessario descendisse* refert. Inde scil. *offensarum operta,* de quibus mox. Si tamen *præjuvisse* verum, quod et Bud. habet, reprehensio in eo est, quod turpi modo, *domo agrisque pignori acceptis,* non ut fratrem deceret, eum juverit.

Offensarum operta] Ita Farnesianus, proba et solenni Tacito dictione. Alii (Bud. etiam et Rhen.) *opera.* Lips. Sic et ed. princ. Ern.

A. U. 823. A. C. 70. *agitare.* Sæpe domi congressi, postremo in æde Apollinis, ut fama fuit, pepigere. Verba vocesque duos testes habebant, Cluvium Rufum et Silium Italicum. Vultus procul visentibus notabantur: Vitellii projectus et degener; Sabinus
66 non insultans et miseranti propior. Quod si tam facile suorum mentes flexisset Vitellius, quam ipse cesserat, incruentam urbem Vespasiani exercitus intrasset. Ceterum, ut quisque Vitellio fidus, ita pacem et conditiones abnuebant, *discrimen ac dedecus* ostentantes, *et fidem in libidine victoris. Nec tantam Vespasiano superbiam, ut privatum Vitellium pateretur: ne victos quidem laturos. Ita periculum ex misericordia. Ipsum sane senem, et prosperis adversisque satiatum. Sed quod nomen, quem statum filio ejus, Germanico, fore? Nunc pecuniam et familiam et beatos Campaniæ sinus promitti: sed, ubi Imperium Vespasianus invaserit, non ipsi, non amicis ejus, non denique exercitibus securitatem, nisi exstincto æmulatu, redituram. Fabium illis Valentem, captivum et casibus dubiis*

Agitare] Bud. *cogitare.*

Duos testes] MS. Oxon. *duo*, quod et ipsum rectum est, et passim e bonis libris assertum. Ern.

Cluvium Rufum] Bud. *Clinium Rufum.* Supra 1, 8. *Clivium* habet. Mox Bud. *proprior.*

Sabinus non insultans] Acidalius corrigit *Sabini.* Sed *insultans* vultui non satis convenit. Vulgatum Tacito dignius, ob variatam orationem. Ern.

Fidem in libidine victoris] In potestate victoris fore, utrum servare fidem velit, nec ne: sed victores pro libidine magis et cupiditate agere, quam ex æquo, solere. Ed. pr. *libidinem:* vitiose. Ern.

Nec tantam V. superbiam—pateretur] Omnes in hac scriptura libri consentiunt, nisi quod Guelf. male *tanto* exhibet. Sed vix credo veram esse. *Superbiam* interpretantur altitudinem animi et clementiam: sed exemplum verbi hujus ita usurpati desidero, in primis in scriptore prosaico. Neque magis magnitudo animi et clementia hic locum habet, quam *stultitia* et dementia. Ceterum ex *ostentantes* ἀπὸ κοινοῦ intelligendum *dicebant, docebant.* Ern. Explicat ipse noster, qualis sit hæc *superbia*, mox *altiores spiritus* vocans. Sic et bono sensu Horatius ode 3, 30, 14. *sume superbiam quæsitam meritis.* Vitruv. etiam 7, 3. metaph. *superbiam candoris* dicit.

Ne victos quidem] Varia emendatio vel crux potius adhibita huic loco. Vertranius legit, *Ne victor quidem laturus.* Beatus *Ne victum quidem laturus.* Mihi sana lectio est, sana sententia. Si Vespasianus, inquiebant, tam alto animo est, ut rectis oculis æmulum quondam Imperii possit adspicere, tamen id istæ ipsæ victæ partes ferent numquam: qui, miseratione olim Principis, ad ultionem et res novas accingentur. Atque huic sententiæ apte subnexum, *ita periculum ex misericordia.* Lips. Vulgatum est etiam in MS. Guelf. edd. omnibus. Quod Rhenano placuit, in v. c. se reperisse testabatur Danesius ap. Ursinum. Paullo post pro *promitti: sed*, ed. pr. *promittis: et.* quod genus vitii valde frequens in scriptis, eoque aliquot locis Tacitum liberavimus. Ern. Bud. *ne victo q. laturos.* Rhen. in textu vulg. servat. Cui non placuerit Lipsii interpretatio, Pichenam audiat, qui intelligit, ipsos Vitellii milites eum, ne privatus viveret, occisuros misericordia, ut sequentia innuunt.

Æmulatu redituram] Censeo, nos apte restituisse: etsi in libris, *æmulatore redituram.* Budensis aliquid juvit, qui *æmulatore daturam* præferebat. Tacitus 13, 46. *et, ne æmulatus in urbe ageret, provinciæ Lusitaniæ præficitur.* Lips. Videtur potius legendum: *nisi exstincto æmulatore futuram.* Gron. Lectio Budensis est etiam Flor. et Agr. nisi quod *daturam* hic habet, ut ed. pr. Ceteræ edd. usque ad Lips. *æmulatore redituram*, quod, cum Ryckio credo, sine necessitate aut idonea caussa mutatum esse. Ern. Flor. propius accedit, habet quippe *æmulatore dituram.*

Casibus dubiis reservatum] MS. Flor.

reservatum, prægravem fuisse: nedum Primus ac Fuscus et specimen partium Mucianus, ullam in Vitellium, nisi occidendi, licentiam habeant. Non a Cæsare Pompeium, non ab Augusto Antonium incolumes relictos. nisi forte Vespasianus altiores spiritus gerat, Vitellii cliens, cum Vitellius conlega Claudio foret. Quin, ut censuram patris, ut tres Consulatus, ut tot egregiæ domus honores deceret, desperatione saltem in audaciam accingeretur. perstare militem, superesse studia populi. Denique nihil atrocius eventurum, quam in quod sponte ruant. moriendum victis, moriendum deditis: id solum referre, novissimum spiritum per ludibrium et contumelias effundant, an per virtutem. Surdæ ad fortia consilia Vitellio aures. Obruebatur 67 animus miseratione curaque, ne, pertinacibus armis, minus placabilem victorem relinqueret conjugi ac liberis. Erat illi et fessa ætate parens; quæ tamen, paucis ante diebus, opportuna morte excidium domus prævenit, nihil Principatu filii adsecuta, nisi luctum et bonam famam. XV. Kal.

A. U. 823. A. C. 70.

ed. pr. *captis diebus*. Agr. *paucis diebus*. Vulgatum verum. Ne Valenti quidem vitam condonasse, quem tamen captum tenuerint in potestate, et in quo conservando consulere sibi potuerint, si forte res aliter, ac vellent, caderent, ut per eum a Vitellio veniam consequi possent. Ern. Bud. pessime: *cassibus duobus*. Mox Rhen. bene *nedum*, quod prius separatis vocibus scriptum.

Vitellii cliens, cum Vitellius] Postrema ea verba, *cum Vit. col. Cl. foret*, glossulam sapere videantur, ad subsequentia verba, *Quin ut censuram patris*. Vero tamen. Lips. Verum puto. Ceterum *altiores spiritus gerere* h. l. dicitur majori animo esse, et in bonam adeo partem; cum alias in deteriorem dicatur. Est autem grave et auctum argumentum. Non est credibile, Vespasianum, qui olim Vitelliæ domus cliens fuerit, jam nobiliori celsiorique animo esse, quam Cæsar et Augustus fuerint, passurumque vivere æmulum, cum illi passi non sint. Ern. Ista, quæ glossam sapere videntur Lipsio, ad sententiam necessaria recte judicat Acidalius, indicandum erat, qua ratione cliens fuerit Vespas. Vitellii.

Honores deceret] Recte: et capio. In Romana tamen editione *honores degeret*. ex qua (si quid mutandum est) fecerim, *tegeret*. Rodolphus enim longius abire a scripto videtur, qui reponit *negligeret*. Lips. Ego *degeret* aut in libro scr. vitiosum fuisse, aut vitiose scripturam expressam in ed. pr. puto, quod verba quæ literis modo *g*. et *c*. differunt, centies confusa, ut supra demonstratum. Ceterum fateor, elegantiorem orationem fore et fortiorem, si pro *deceret* esset *negligeret*, (e quo *degeret* factum putabat Acidalius) aut simile quid; et tale quid me libenter admissurum, si a libris bonis aut pluribus venerit. Nam nunc solo MS. Agr. nititur *negligeret*, quod etiam Acidalius defendit, nec displicet Ryckio. Jac. Gronovius, spreto τῷ *negligeret*, corrigit *deleret*: quod an placeat cuiquam, nescio. Verbum debet esse ejusmodi, quod lenitate sua non offendat Vitellium: quod in *deleret* non convenit, si vel maxime per se usitata forma dicendi foret, *delere Consulatus honores* etc. sed in *negligeret*. Ern. Falsum est. Agricolam e cod. suo dedisse *negligeret*; Ryckius docet, illum conjecturæ suæ fundum habere in *degeret* editionis Romanæ, unde hariolatus sit *negligeret*.

Moriendum deditis] Hæc clausula non erat in Bud. nec est in Guelf. nisi in marg. et a manu sec. Neque tamen abesse potest per sequentia. Non refert, vincare an dedare: nam moriendum est: illud refert, quomodo moriare. Forte autem respexit auctor ad factum Augusti ap. Sueton. c. 15. Ern.

Opportuna morte] Atque hinc suspicio, de qua Suet. Vit. 14. *Suspectus et in morte matris fuit. quasi ægræ præberi cibum prohibuisset, vaticinante Catta muliere, cui velut oraculo acquiescebat, ita demum firmiter ac diutissime imperaturum, si superstes parenti exstitisset*, etc. Ern.

A. U. 823. A. C. 70. Januar. audita defectione legionis cohortiumque, quæ se Narniæ dediderant, pullo amictu palatio degreditur, mæsta circum familia. Simul ferebatur lecticula parvulus filius, velut in funebrem pompam. Voces populi blandæ et in-
68 tempestivæ: miles minaci silentio. Nec quisquam adeo rerum humanarum inmemor, quem non commoveret illa facies: Romanum Principem, et generis humani paullo ante dominum, relicta fortunæ suæ sede, per populum, per urbem, exire de Imperio. Nihil tale viderant, nihil audierant. repentina vis Dictatorem Cæsarem oppresserat; occultæ Caium insidiæ: nox et ignotum rus fugam Neronis absconderant: Piso et Galba tamquam in acie cecidere: in sua concione Vitellius, inter suos milites, prospectantibus etiam feminis, pauca et præsenti mæstitiæ congruentia locutus: *cedere se pacis et Reipublicæ caussa: retinerent tantum memoriam sui fratremque et conjugem et innoxiam liberorum ætatem miserarentur:* simul filium protendens, modo singulis, modo universis commendans, postremo fletu præpediente, adsistenti Consuli (Cæcilius Simplex erat) exsolutum a latere pugionem, velut jus necis vitæque civium, reddebat. Adspernante Consule, reclamantibus, qui in concione adstiterant, ut in æde Concordiæ positurus insignia Imperii, domumque fratris petiturus, discessit. Major hic clamor obsistentium Penatibus privatis, *in palatium* vocantium. Interclusum aliud iter, idque solum, quod in Sacram viam pergeret, patebat. tum consilii inops, in palatium rediit. Prævenerat rumor, *ejurari ab eo Imperium:* scripseratque Flavius Sabinus cohortium Tribunis, *ut militem cohiberent.*
69 Igitur, tamquam omnis Respublica in Vespasiani sinum cessisset, primores Senatus et plerique Equestris ordinis

Palatio degreditur] Sic bene edidit (e Bud.) Rhenanus. V. ad A. 4, 49. 13, 14. etc. Et sic h. l. est et in Guelf. Superiores edd. omnes *digreditur*. Post pro *familia* ed. pr. vitiose, e contractione, *fama*. Ceterum hic finis est ῥήσεως transpositæ in vett. libris et ed. pr. v. ad c. 65. Quæ hic sequuntur usque ad verba *in capitolium accivit*, ibi c. 65. sequebantur. Ern.

Simul ferebatur etc.] MS. Guelf. ed. pr. *seu* (Bud. *ceu*), cujus corruptelæ caussa in transpositione. MS. Bud. deinde *parvus*. Ern.

In acie cecidere] Rhenanus non male corrigebat *ceciderant* e vestigiis scripturæ Budensis *cecidebant*. Mox ed. pr. *cedere se pacis et Reip.* sine *caussa*. Ern. In Bud. erat *cecidebat*.

Cæcilius Simplex] In Bud. *Simplex* deest.

Interclusum aliud iter] Sic Flor. Guelf. edd. ante Rhen. qui e Bud. edidit *alterum*. Vetus bene restituit Pichena. Sensus est: omnes viæ erant interclusæ, quæ alio, quam in palatium, ferrent. Ern. In Bud. quoque 2. m. *aliud*. Mox idem *prohiberent*.

Quod in sacr. viam pergeret] *In sacra via* MS. (Bud.) Guelf. edd. Put. seqq. omnes ante Lipsium, qui *sacram viam* edidit. illud et ipsum ferri posset, præsertim si *in* abesset. *Pergeret i. s. viam* est continuaretur via sacra, exiret in viam sacram. Possis conjicere *vergeret:* sed in *pergeret* consentiunt libri. Mox *Tribunus* male ed. pr. et J. Fr. Gron. vitio operarum. Ern.

Cessisset] Agr. cod. a 1. m. *cecidisset*. Flor. *cecississet*, unde Ryck. forsan *se dedisset*.

omnisque miles urbanus et vigiles domum Flavii Sabini complevere. illuc de studiis vulgi et minis Germanicarum cohortium adfertur. Longius jam progressus erat, quam ut regredi posset: et suo quisque metu, ne disjectos, eoque minus validos, Vitelliani consectarentur, cunctantem in arma inpellebant. Sed, quod in ejusmodi rebus accidit, consilium ab omnibus datum est, periculum pauci sumpsere. Circa lacum Fundani, descendentibus, qui Sabinum comitabantur, armatis, occurrunt promptissimi Vitellianorum. Modicum ibi prœlium, inproviso tumultu, sed prosperum Vitellianis fuit. Sabinus, re trepida, quod tutissimum e præsentibus, arcem capitolii insedit milite et quibusdam Senatorum Equitumque: quorum nomina tradere haud promptum est, quoniam, victore Vespasiano, multi id meritum erga partes simulavere. Subierunt obsidium etiam feminæ; inter quas maxime insignis Verulana Gratilla, neque liberos, neque propinquos, sed bellum secuta. Vitellianus miles custodia socordi clausos circumdedit; eoque, concubia nocte, suos liberos Sabinus et Domitianum, fratris

A. U. 823. A. C. 70.

Circa lacum Fundani] Ejus mentio in inscr. antiqua ap. Gruter. p. 398. prolata ab Ursino, in qua VICUS LACI FUNDANI DICTATORI SULLÆ aram posuisse memoratur. Cavendum, ne confundatur cum *lacu Fundano* in agro Fundorum, oppidi Italici, ut fecit Cluverius in Italia antiqua t. 2. p. 1084. notatus propterea ab Holstenio. ERN.

Arcem capitolii] Sic et alibi Tacitus, ut mox c. 71. 78. Livius et Cicero semper distincte *arcem* et *capitolium* dicunt, Livius ter 5, 39. 40. nam arx et capitolium in eodem erant monte: unde Dionys. Halic. 10, 14. p. 640. arcem vocat προσεχῆ τῷ καπιτωλίῳ, et spatium inter utrumque interjectum auctore eodem, loco mox ad c. 71. proferendo, duoque colles, non arx pars capitolii, aut in capitolio: nisi quod mons ille subinde *mons capitolinus* vocatur, cujus sane pars fuit arx. V. etiam Ryck. de capitol. c. 5. ERN.

Insedit mixto milite etc.] *Insidere* est verbum militare, pro occupavit cum præsidio, ut inde vim hostilem arceret. Supra *insessas Alpes* et similia vidimus. Post *mixto* aberat a MS. Bud. nec est in Guelf. nisi a manu sec. in margine, nec in ed. Puteol. Habent MS. Flor. ed. pr. Ber. Alc. Rhenanus verbum id delevit, simulque edidit *ex quibusdam* e Bud. quod exemplum omnes secuti sunt, etiam Lipsius: unde conjicere licet, eum in MSS. hanc vocem non reperisse. Sed Pichena restituit e Flor. eumque omnes, qui post fuere, editores imitati. *Militem mixtum* putat esse confusum cum plebe urbana, feminis, servis: quod an *miles mixtus*, absolute dictus. significare possit, dubito. *Mixtus miles* Latine loquentibus est, miles non ejusdem generis, qualis fuisse dicitur in exercitu Pompeiano, in bello civili, sed collectitius e variis gentibus, variis instructus armis, non eidem disciplinæ adsuefactus: ut *mixtum genus hominum* de talibus dicitur ap. Livium. Vid. collecta Duckero ad 43, 9. sic *mixtum genus dicendi*, et multa alia dicuntur. Ergo, quia plebs et servi non sunt milites, horum caussa *mixtus miles* dici non potest. Et post fit mentio istius generis hominum, commemoratis etiam feminis. Fortassis et tum talis plebs exclusa, et non nisi feminæ quædam admissæ, ut ap. Liv. 5, 40. Igitur et ipse *mixto* edendum non putavi. Neque tamen in altero secutus sum Rhen. et Lips. ceterosque, qui edidere *ex quibusdam*. Nam MSS. præter Bud. omnes item edd. ante Rhen. habent *et*, quod etiam sensus desiderat. ERN.

Verulana Gracilia] MSS. Flor. Agr. (Bud.) Guelf. ed. pr. *Gratilia*. Leg. *Gratilla* e Plin. ep. 3, 11. ubi etiam Flor. *Gratillia*. Guelf. etiam *Vernula*: at in margine est *Verulana*. ERN. Omnino legendum *Gratilla*. Vid. et Plin. ep. 5, 1.

A. U. 823. A. C. 70. filium, in capitolium accivit: misso per neglecta ad Flavianos Duces nuntio, qui, *circumsideri ipsos, et, ni subveniretur, arctas res* nuntiaret. Noctem adeo quietam egit, ut degredi sine noxa potuerit. quippe miles Vitellii, adversus pericula ferox, laboribus et vigiliis parum intentus erat. et hibernus imber, repente fusus, oculos auresque inpediebat.

70 Luce prima Sabinus, antequam invicem hostilia cœptarent, Cornelium Martialem, e primipilaribus, ad Vitellium misit, cum *mandatis et questu, quod pacta turbarentur. Simulationem prorsus et imaginem deponendi Imperii fuisse, ad decipiendos tot inlustres viros. Cur enim e rostris fratris domum, inminentem foro, et inritandis hominum oculis, quam Aventinum et Penates uxoris petisset? Ita privato, et omnem Principatus speciem vitanti, convenisse. Contra Vitellium in palatium, in ipsam Imperii arcem regressum: inde armatum agmen emissum: stratam innocentium cædibus celeberrimam urbis partem: ne capitolio quidem abstineri. Togatum nempe se, et unum e Senatoribus, dum inter Vespasianum ac Vitellium prœliis legionum, captivitatibus urbium, deditionibus cohortium judicatur, jam, Hispaniis Germaniisque et Britannia desciscentibus, fratrem Vespasiani mansisse in fide, donec ultro ad conditiones vocaretur. Pacem et concordiam victis utilia; victoribus tantum pulchra esse. Si conventionis pœniteat, non se, quem perfidia*

In capitolium] Hæ duæ voces a glossographo fortasse. certe in capitolium eos accitos, sine monitore ullo nimis clarum. Lips. Verum est, per se intelligi posse. At multa erunt in Tacito delenda ex hac regula, ut jam pluribus locis monuimus. Libri quidem omnes hæc verba habent. Ceterum hic est finis alterius ῥήσεως transpositæ in MSS. et ed. pr. Ern.

At Sabinus misso per neglecta] Qui attente hæc in vulgatis legit, hæreat necesse est, propter redundans nomen Sabini, et minus cohærentem sententiam. Ei incommodo medelam attulimus deletis verbis *at Sabinus*, auctoribus MS. Flor. et ed. pr. quæ, facta illa transpositione, ad explendam utcunque sententiam, addita sunt. (Desunt et in Bud. et Reg. Lall. Sed Puteol. intrusit; servarunt sequentes editores ad Ernestium usque.) Deinde punctum fecimus post *nunciaret*. Nova est sententia a verbis *noctem adeo quietam egit. Noctem tranquillam*, et *inquietam* etiam Livius dixit, 5, 42. qui locus huic similis. Denique *degredi* scripsimus pro *digredi* sensu postulante: significat enim descendere de arce, quod est *degredi*, ut jam sæpe monuimus et correximus. Ryckius defendit e c. 78. init. ubi *digressus Narnia exercitus;* sed ibi discessus simpliciter indicatur, hic descensus ex arce, loco superiori, ubi *degredi* verum verbum esse, pluribus jam locis vidimus. Ceterum *et* ante *ni* e MS. Flor. addidit Pichena, ubi erat *ipso sel ni*. Ed. pr. *ipsi seni.* Ante edebatur *ipsos, nisi subv.* MS. Guelf. tamen *ni* habet. Ern. Bud. *ipsos, ni.* Mox *digredi.*

Deditionibus cohortium judicatur] *Judicare*, ut similia verba, *disceptare, decernere*, eleganter de re bellica, etiam *dijudicare*, ut bene ad h. l. docuit Boxhornius. Ern. Cum Bip. sublato puncto, ante *jam* posito, verum loci nexum restituo.

Victis utilia, victoribus tantum pulchra esse] Cur non potius: *Pacem et concordiam victis utilem, victoribus tantum pulchram esse.* Gron. Favet aliquantulum MS. Guelf. qui habet *pulchrum*. Ceterum Tacitus etiam aliis locis sic locutus est, ut neutrum plurale junxerit duobus substantivis masc. aut fem. generis, de more Græcorum. Ern.

Si conventionis pœniteret] Sic non dubitavi reponere pro *pœniteat*, quia hic mera imperfecta et antecedunt et sequuntur: inter quæ *pœniteat* stare

deceperit, ferro peteret, non filium Vespasiani, vix puberem. A. U.
quantum, occisis uno sene et uno juvene, profici? iret obviam 823.
legionibus. et de summa rerum illic certaret: cetera secundum A. C.
eventum prœlii cessura. Trepidus ad hæc Vitellius pauca 70.
purgandi sui caussa respondit, culpam *in militem* conferens,
cujus nimio ardori inparem esse modestiam suam. Et monuit
Martialem, *ut per secretam ædium partem occulte abiret, ne a*
militibus internuntius invisæ pacis interficeretur: ipse neque
jubendi neque vetandi potens, non jam Imperator, sed tan-
tum belli caussa, erat. Vix dum regresso in capitolium 71
Martiale, furens miles aderat, nullo Duce: sibi quisque au-
ctor: cito agmine forum et inminentia foro templa præter-
vecti erigunt aciem per adversum collem, usque ad primas
capitolinæ arcis fores. Erant antiquitus porticus in latere
clivi, dextræ subeuntibus: in quarum tectum egressi saxis
tegulisque Vitellianos obruebant. Neque illis manus, nisi
gladiis, armatæ: et arcessere tormenta, aut missilia tela, lon-
gum videbatur. faces in prominentem porticum jecere. et
sequebantur ignem; ambustasque capitolii fores penetras-
sent, ni Sabinus revulsas undique statuas, decora majorum,
in ipso aditu, vice muri, objecisset. Tum diversos capitolii
aditus invadunt, juxta lucum asyli, et qua Tarpeia rupes

nullo modo aut a Tacito esse potest. Ern. Particula conditionalis cum præsente rectius struitur. Sic Bud. cum vulg. bene. Imperfecta ἀποδόσεως futuri rationem habent.

Et de summa] Copulam e Flor. Pichena dedit. Sic et Bud. Hic mox *nimius ardor*, quod stare potest, si semicolon addas.

Ne a militibus internuntius] Præpositio non est in ed. pr. Eam se delevisse ait Rhenanus (deest enim in Bud.): sed operæ non paruere. Itaque et a sequacibus est servata, extatque in edd. præter primam omnibus. Est et in Guelf. Ern.

Porticus in latere] Dionysius 4, 61. *Frons ejus meridiem spectans, porticum habet, cum triplici columnarum ordine: in lateribus ordo duplex est.* Lips.

Dextra subeuntibus] An, *dextræ subeuntibus?* atque ita, ut disco, Flor. Lips. Sic et MS. Guelf. (Bud.) edd. pr. Puteol. Ber. Alc. Rhen. pr. Ald. *Dextra* primus dedit Gryphius, vitio haud dubie operarum, unde in sequentes venisse videtur. Recte igitur Pichena *dextræ* edidit, atque id loquendi ratio desiderat. Formulam *porticus dextræ subeuntibus* illustratam reperies a Gronov. ad verba Liv. 1, 8. *locus, qui nunc septus descendentibus inter duos lucos est.* Ern.

Vitellianos obruebant] Sic Flor. unde edidit Pichena cum seqq. Consentit ed. pr. At ceteræ vett. inde a Puteol. et MS. Guelf. *deturbabant.* Hoc si verum est, intelligi debet *deturbare conabantur, tentabant* (nam non deturbatos esse, sequentia docent) quod consuetudo Latinorum fert. Sane æque bene ac promiscue in hac re dicuntur *deturbare, proturbare*, ut ap. Liv. 5, 47. *obruere* et *operire*, ut quisque mediocriter in historicis Latinis versatus scit: sed tamen Flor. et ed. pr. auctoritatem ceteris libris præferam. A MS. Bud. plane aberat verbum: unde fortasse licet suspicari, id, quod a Tacito esset, excidisse in antiquioribus codicibus, defectum a librariis varie esse suppletum, atque hinc varietatem librorum natam. Mox idem MS. pro *jecere* habebat *jacere.* Ern.

Juxta lucum asyli] Asyli lucus nullus alibi memoratur. Credo, intelligi locum, qui *inter duos lucos* vocabatur, juxta quem asylum fuit. Ibi viam in capitolium fuisse, patet e Livio 1, 8. ubi vid. intt. de lucis istis, adde Dionys. Hal. 2, 15. p. 83. Neapol. ad Ovid. Fast. 3, 430. Mox MS. Guelf. edd. pr. Puteol. *Tarpei rupes:* quod sic dictum

A. U. 823. A. C. 70. centum gradibus aditur. Inprovisa utraque vis; propior atque acrior per asylum ingruebat. nec sisti poterant scandentes per conjuncta ædificia: quæ, ut in multa pace, in altum edita, solum capitolii æquabant. Hic ambigitur, ignem tectis oppugnatores injecerint, an obsessi, quæ crebrior fama est, quo nitentes ac progressos depellerent. Inde lapsus ignis in porticus adpositas ædibus: mox sustinentes fastigium Aquilæ vetere ligno traxerunt flammam aluerunt-que. Sic capitolium, clausis foribus, indefensum et indire-
72 ptum, conflagravit. Id facinus post conditam urbem luctuosissimum fœdissimumque Reipublicæ Populi Rom. accidit: nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret,

accipi posset, ut *Martis campus* apud nostrum, et similia: sed collis ille a Tarpeia potius, quam a Tarpeio, dictus traditur vulgo. ERN.

Nec sisti poterant scandentes] MS. Guelf. *nec sisti poterat*. Librarius videtur in animo habuisse elegans loquendi genus, quo Livius delectatur, *sisti non potest*, de quo ad A. 3, 52. sed id hic locum non habet, propter verbum *scandentes*. Add. ad 5, 21. Mox *per conjuncta ædificia* int. capitolio. Sic Liv. 1, 44. *neque ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam conjungunt*. ERN.

Ignem oppugnatores] Hoc quidem ambigi potest: at non, quod Philostratus incuriose scribit 5, 30. *Domitianum obsedisse Vitellianos in capitolio, atque illos clanculum fugientes templum incendisse.* Ille dixit, qui perperam multa alia; classicus nemo scripsit. LIPS. Locus est p. 213. ed. Lips. sed nihil tale ibi traditur. Verba Græca sunt: ξυμβεβήκει δὲ κατὰ τὴν Ῥώμην, Δωμετιανὸν μὲν, τὸν τοῦ Οὐεσπασιανοῦ παῖδα, παρατετάχθαι πρὸς τὸν Βιτέλλιον, ὑπὲρ τῆς ἀρχῆς τοῦ πατρὸς πολιορκίας δ' αὐτὸν περισχούσης ἐν τῷ καπιτωλίῳ διαπεφευγέναι τοὺς πολιορκοῦντας, τὸν νεὼν δ' ἐμπεπρῆσθαι. Verba αὐτὸν et διαπεφευγέναι ad Domitianum referenda, non ad Vitellium. Mox pro *depellerent* quod verum est, MSS. Bud. Guelf. *depulerint*. In MS. Reg. ed. pr. omissa verba *an obsessi—depellerent*. ERN.

An obsessi etc.] Sphanhemius, Vaillantius aliique huc trahunt numum Vitellii, quo Jupiter Capitol. in templo sistitur, putantque eum Principem hoc typo docuisse, nulla sua culpa arsisse id templum, mox a se reædificandum. Verum temporum ratio obstat, neque dubium esse potest, quin salvo adhuc capitolio cusum sit numisma. Vid. Eckhel Doctr. NN. vet. vol. 6. p. 312. Mox Bud. male *quam quo*.

Sustinentes fastigium aquila] Græci etiam ea mente ἀετὸν dicunt. Hesychius: Ἀετὸς, καὶ ὄροφος, καὶ τὸ ἐπὶ τῷ γείσῳ κυμάτιον. Pausanias aliquoties usurpat; ut 10, 19. Τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς ἐστιν Ἄρτεμις καὶ Λητὼ καὶ Ἀπόλλων. Lib. 5, 10. Ὕψος μὲν δὴ αὐτὸ τοῦτο ἐς τὸν ἀετὸν ἀνῆκον εἰσιν οἱ ὀκτὼ πόδες καὶ ἑξήκοντα. Nisi fallor, istæ ipsæ aquilæ γεισίποδες Polluci (1, 8. 7, 27.) dicuntur. LIPS. Pausanias Corinth. 2, 7. Καὶ ἐπ' αὐτοῖς ἐπίθημα ποιοῦσι κατὰ τοὺς ἀετοὺς, μάλιστα τοὺς ἐν τοῖς ναοῖς. Eodem libro: Τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς. Ἡρακλῆς καὶ Νίκαι πρὸς τοῖς πέρασίν εἰσι. Nisi scripsit ταῖς πτέρυξιν. Vide P. Scriverium ad Martialis 10, 19. GRON. Per *fastigium* intelligant tirones signum vel signa, in summo tecto. nam sic etiam *fastigium* dicitur: ut ap. Plin. 35, 12 (46). Add. Salmas. ad Spartian. Pesc. 12. et ad Solin. p. 853. ERN.

Traxerunt flammam alueruntque] Variant libri in terminatione verborum. Quod hic editum est, habet MS. Flor. unde proditum a Pichena. At MS. (Bud.) Guelf. edd. ante Pich. omnes *traxere*: ed. pr. MS. Agr. etiam *aluereque*. ERN.

Fœdiss. Reip. Pop. Rom.] Hæc est vera lectio, quam firmant MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. pr. Puteol. ceteræque omnes, quas vidi ante Lipsium: nisi quod habent *populo*, vel *populoque*, præter Flor. et ed. pr. Sed genitivum esse meliorem, consuetudo loquendi veterum indicat, apud Livium in primis obvia, velut 22, 10. ubi *Resp. Populi Romani Quiritium;* quam idoneis exemplis declaravit Gronov. Obs. 4, 14. Adde Drakenb. ad Liv. l. c. et ad 8, 9. etc. ERN. Bud. *R. P. populo Rom.*

Deis, sedem Jovis O. M. auspicato a majoribus, pignus Imperii, conditam, quam non Porsena dedita urbe, neque Galli capta, temerare potuissent, furore Principum exscindi! Arserat et ante capitolium civili bello, sed fraude privata; nunc palam obsessum, palam incensum. quibus armorum caussis? quo tantæ cladis pretio stetit? pro patria bellavimus? Voverat Tarquinius Priscus Rex, bello Sabino, jeceratque fundamenta, spe magis futuræ magnitudinis, quam quo modicæ adhuc Populi Romani res sufficerent. mox Servius Tullius, sociorum studio; deinde Tarquinius Superbus, capta Suessa Pometia, hostium spoliis exstruxere. Sed gloria operis libertati reservata. pulsis Regibus, Horatius Pulvillus, iterum Consul, dedicavit, ea magnificentia, quam inmensæ postea Populi Romani opes ornarent potius, quam augerent. Iisdem rursus vestigiis situm est, postquam, interjecto CCCCXXV. annorum spatio, L. Scipione, C.

A. U. 823. A. C. 70.

Pignus Imperii] Int. *ut p. i.* nisi τὸ *ut* a terminatione præcedentis verbi absorptum est. Ern. Cf. Liv. 1, 55.

Porsena dedita urbe] Non abit longe ab hac indignitate, quod est apud Plinium 34, 14 (39). *In fœdere, quod expulsis Regibus Po. Ro. dedit Porsena, nominatim comprehensum invenimus, ne ferro, nisi in agri cultu, uterentur. Etiam stilo scribere vetitum, vetustissimi auctores prodiderunt.* Sic enim eum locum e MS. restituimus. Gron. Ceterum hic locus nullo modo refellit Savilium, quem Ryckius putabat memoria falsum fuisse, cum diceret, de dedita Porsenæ urbe nuspiam alibi tradi, usus hoc uno loco. Apparet hinc, iniquioribus conditionibus fœdus accepisse Romanos: non deditam urbem Porsenæ. Ern.

Temerare potuissent] Ita Farnesianus, melius certe, quam *tenere*, quod obtinuit. Pollutio enim ista ad locum sacrum refertur. Lips. *Temerare* Flor. Guelf. edd. ante Rhen. omnes, idque bene restitutum a Lipsio. *Tenere* e Budensi a Rhenano editum est. Ern.

Furore Principum exscindi] Sic MS. Flor. (Bud.) Guelf. a manu pr. edd. Puteol. sqq. At in Guelf. man. sec. correxit *furor* et addidit *potuit:* quod e libris ductum est. nam et ed. pr. habet *potuit.* Id esse vitiosum, arguit *potuissent.* nam, si *furor potuit* verum esset, deberet esse *potuere* vel *potuerant.* Librarii non assecuti sunt elegantiam infinitivi absoluti, quo frequenter satis tali modo utitur Livius. Ern.

Quo tantæ cladis] Æger mihi locus olim visus, nunc in sanitate esse. Sententia: ne pro patria quidem olim tanta clade pugnatum; nedum pro ambitione privata, aut contra patriam. Lips. V. Observ. 3, 17. Gronovius, ubi, repudiatis aliorum correctionibus et explicationibus, pronunciat legendum, *quid tantæ cladis pretio stetit?* h. e. quid fuit, qui tantus fructus, tanta spes, quæ tanti redimeretur, quæ tanto pretio, tanta jactura emeretur. Qui sensus, ut opinor, etiam existit e correctione Rhenani, qui τὸ *stetit* delevit, nescio an consentiente MS. Budensi. (omnino, deest.) Sed, si vel maxime id verbum a codice afuit, tamen credibile est, id omissum esse a librario, similia membra efficere volente; quod sæpe Tacito obfuisse vidimus, cum ea similitudo sit ab ejus ingenio et consuetudine aliena. *Stetit* est in MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. ante Rhen. omnibus, nec tale, ut a librariis additum videatur. Itaque id post Ryck. et J. Gronov. reposuimus. Pichena corrigebat: *quo tanta clades pretio stetit?* idem ut esset sensus, qui Gronovianæ correctionis est. Sed Latinitas non fert. Ceterum non nego, mihi tamen aliquid duri esse videri etiam in Gronoviana correctione. Dicimus sane eleganter *res stat magno.* sed, an etiam dicatur: *quid stat pretio hujus rei?* hoc quæritur: nec id demonstrat Gronovius. Ego nondum alibi reperi. Ern. Freinsh. lectionem Rhenani probat, si post *pretio* interrogandi signum ponatur. Id et Acidalio placet et mihi propemodum. Bip. sequuntur Gronovium.

Deinde Tarq.] Bud. *dein* et mox *Isdem*, ut solet.

CCCCXV. annorum] Ratio temporum evincit, scribendum ccccxxv. Adi Fa-

A. U. Norbano coss. flagraverat. Curam victor Sulla suscepit, 823. neque tamen dedicavit: hoc solum felicitati ejus negatum. A. C. Lutatii Catuli nomen, inter tanta Cæsarum opera, usque ad 70. Vitellium mansit. Ea tunc ædes cremabatur. Sed plus pavoris obsessis, quam obsessoribus intulit. Quippe Vitellianus miles, neque astu, neque constantia, inter dubia indigebat. Ex diverso trepidi milites, Dux segnis et veluti captus animi, non lingua, non auribus competere: neque alienis consiliis regi, neque sua expedire: huc illuc clamoribus hostium circumagi: quæ jusserat vetare, quæ vetuerat, jubere. Mox, quod in perditis rebus accidit, omnes præcipere, nemo exsequi. postremo, abjectis armis, fugam et fallendi artes circumspectabant. Inrumpunt Vitelliani et cuncta sanguine, ferro, flammisque miscent. Pauci militarium virorum, inter quos maxime insignes, Cornelius Martialis, Æmilius Pacensis, Casperius Niger, Didius Scæva, pugnam ausi, obtruncantur. Flavium Sabinum, inermem neque fugam cœptantem, circumsistunt, et Quinctium Atticum,

stos. LIPS. In ed. pr. (et cod. Bud.) explanate et sine notis *quadringentorum quindecim.* Correctionem Lipsii recepit Broterius: nec est credibile, Tacitum toto decennio aberrasse, aut chronologiam Romanam non ita constitutam tum fuisse, ut annos sine tali errore definire liceret. ERN. Ryckius recte ostendit, ab a. 247, quo Hor. Pulvillus iterum Consul, ad 671, quo L. Scipio, C. Norbanus coss. effluxisse annos 425, et in margine hunc numerum emendatum adponit. Probat Lallemand. sed vitium in textu retinet. Pejus Bipontini repetitum Ryckii calculum ad a. 415 adplicant.

Felicitati ejus negatum] Sullæ ipsius dictum hoc est, quo Tacitus allusit. Plinius 7, 43 (44). *Hoc tamen nempe felicitati suæ defuisse confessus est, quod capitolium non dedicavisset.* LIPS. *Felicis* nomen adsumsit Sulla occiso Mario. Cf. Vell. 2, 27.

Lutatii Catuli nomen] Fallit nos ergo, aut falsus ipse Dio 43, 14. qui adseverat, inter alios honores datum Cæsari, ut nomen ejus capitolio inscriberetur, deleto Catuli, idque eum recepisse. Quod ex hoc loco omnino non potest. LIPS. Dioni suffragantem Martialem laudat Ryckius 5, 10. ubi *Catuli Julia templa:* putatque, nomen Catuli ita erasum, et inscriptum Cæsaris nomen, ut tamen Catuli nomen adhuc appareret; cujus rei exempla plura in marmoribus antiquis reperiantur. Quod mihi non satisfacit. Vereor, ne decretum illud ad effectum non venerit. Atque sic placebat J. Gronovio. Verba Taciti nimis clara et diserta sunt, deque re tali, quæ obscura esse non poterat. ERN. Exemplum tituli sic mutati, ut prioris vestigia maneant, exhibet uterque arcus Sept. Severi triumphalis Romæ, de quo vid. Suaresius in opere eximio J. J. de Rubeis, cui tit. arcus triumphis Augg. insignes.

Inter tanta Cæs.] Pichena velut e Flor. edidit *tot.* Negat hoc esse in eo libro J. Gronovius: et ceteri libri omnes *tanta.* id itaque ut J. Gron. exprimendum curavi. Mox idem Flor. *trepidi milites*, ut Guelf. (Bud.) Agr. edd. quod secutus sum post J. Gron. *Trepidus miles* edidit Puteol. primus. ERN. Bud. et Agr. *tanta.* Bip. recepere *tot.*

Non lingua n. a. comp.] Sic Sall. ap. Non. 4, 110.

Didius] Bud. *Vidius.*

Fugam cœptantem] Pichena conjicit *tentantem* vel *captantem.* Illud mallem. Sed vulgatum melius et exquisitius puto. Est verbum frequens Tacito pro tentare, ut index docet. Mox per *umbram honoris et vanitatem* intellige usum insignium consularium, quæ amovenda in tali periculo erant. Denique pro *edicta jecerat* Acidalius malebat *fecerat.* Sed nemo dixerit *edicta in populum facere. Ediderat* tolerabilius esset, quod est verbum proprium. Sed *jecerat in populum* est sparserat. neque id verbum tentandum, propter τὸ *in populum.* ERN.

Quinctium Atticum] Bud. Agr. *Quin-*

Consulem, umbra honoris et suamet vanitate monstratum, A. U.
quod edicta in populum, pro Vespasiano magnifica, pro- 823.
brosa adversus Vitellium, jecerat. Ceteri per varios casus A. C.
elapsi: quidam servili habitu, alii fide clientium contecti, 70.
et inter sarcinas abditi. Fuere, qui, excepto Vitellianorum
signo, quo inter se noscebantur, ultro rogitantes respon-
dentesve, audaciam pro latebra haberent. Domitianus, pri- 74
ma inruptione apud æditum occultatus, sollertia liberti,
lineo amictu turbæ sacricolarum inmixtus ignoratusque,
apud Cornelium Primum, paternum clientem, juxta Vela-
brum, delituit. Ac potiente rerum patre, disjecto æditui
contubernio, modicum sacellum JOVI CONSERVATORI,
aramque posuit, casusque suos in marmore expressam.
Mox, Imperium adeptus, JOVI CUSTODI templum ingens,
seque in sinu Dei sacravit. Sabinus et Atticus, onerati ca-
tenis et ad Vitellium ducti, nequaquam infesto sermone vul-
tuque excipiuntur, frementibus, qui jus cædis, et præmia
navatæ operæ, petebant. Clamore a proximis orto, sordi-

tium. Edd. veteres male *Quintum.* Forte ad eum Martialis epigr. 7, 31, 9, 100.

Audaciam pro l. h.] Bella imitatio Sallustiani dicti Catil. 58. *audacia pro muro habetur.* ERN.

Turbæ sacricolarum] Isiacos fuisse e Suet. Dom. c. 1. discimus. ubi v. et de numo Domitiani, ad memoriam ejus rei spectante. Atque hinc lineus amictus, quo Isiaci usi, linigeri inde dicti. ERN. Cf. Obrechti nostratis diss. de numo cit. 4. Arg. 1675.

Immixtus ignarusque] Ita Vatic. quod germanum judicavi, non *ignoratusque.* Novitas quædam in ea voce est, quam Sallustio debet (ex Jug 93). *More humanæ cupidinis ignara visundi.* id valet *ignota.* LIPS. Pichena *ignoratusque* bene restituit quod habent MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. vett. omnes præter pr. quæ consentit MS. Vatic. *Ignarus* est *ignotus*, quod ab h. l. alienum. Non ignotus erat, sed ignorabatur. ERN. Bud. *ignoratus* absque copula, et sic Rhen. Sed Reg. Lall. *ignarusque.*

Casusque suos in marmore expressit] MSS. Flor. Agr. ed. pr. *casus suos in m. expressam*, nisi quod ed. pr. omittit *suos.* Eam lectionem recepere Ryckius et J. Gron. (item Brot. Lall. Bip.) *Ara casus expressa* exquisite dicitur, ejusque formulæ plura exempla apud veteres, quæ congessit Heins. ad Valer. Fl. 1, 491. firmans e MS. quo usus est, eandem lectionem in loco nostro. Itaque imitatus essem virorum doctissimorum exemplum, nisi me retinuissent verba *in marmore*, quæ frigere videntur in illa lectione: nisi ea insititia sint, quod non putem. Potuere sane in ipsa ara casus exprimi, ut ap. Liv. 28, 46. *Hannibal aram posuit cum titulo rerum suarum.* Sed nihil impedit quo minus in peculiari tabula marmorea, in illo sacello posita, exprimerentur casus Domitiani. Lupanus autem capit de opere cælato, in quo casus isti expressi. Simile, quod Dædalus apud Virgilium in valvis templi Æn. 6, 32. *bis conatus erat* Icari *casus effingere in auro;* quem locum in animo habuisse videatur Tacitus. Sed arbitror, etiam de titulo intelligi posse. ERN. Bud. *exprexit*, solemni usu duplicis pro littera *s.* Sic *Vespexianum* dicit. Etsi dura locutio videatur quam Flor. præfert, tamen, quum non sit credibile, librarium eam substituisse planiori. recipio et ipse. *in marmore* refero ad aram, quæ ex marmore.

Præmia navatæ operæ petebant] MSS. Bud. Bodl. Agr. *enavatæ*, quod placebat Danesio, Rhenano, recepit Ryckius. De toto hoc genere verborum supra dictum ad A. 14, 14. Sed *enavatus* mihi durius videtur, quam ut recipere audeam. Mox dedimus *absciso capite.* V. ad 2, 88. ERN. Rhen. probat *enavatæ*, nec tamen recepit. Bud. *absciso.* in Flor. rectius deest. sequor. Prius Bud. *proximis* sine præpositione.

A. U. 823. A. C. 70. da pars plebis supplicium Sabini exposcit, minas adulationesque miscet. Stantem pro gradibus palatii Vitellium, et preces parantem, pervicere, ut absisteret. Tum confossum conlaceratumque, et capite truncum, corpus Sabini in Ge-
75 monias trahunt. Hic exitus viri haud sane spernendi. Quinque et triginta stipendia in Republica fecerat, domi militiæque clarus: innocentiam justitiamque ejus non argueres: sermonis nimius erat. Id unum septem annis, quibus Mœsiam, duodecim, quibus Præfecturam urbis obtinuit, calumniatus est rumor. In fine vitæ alii segnem, multi moderatum et civium sanguinis parcum credidere. Quod inter omnes constiterit, ante Principatum Vespasiani, decus domus penes Sabinum erat. Cædem ejus lætam fuisse Muciano accepimus. Ferebant plerique, *etiam paci consultum, dirempta æmulatione inter duos, quorum alter se fratrem Imperatoris, alter consortem Imperii cogitaret*. Sed Vitellius Consulis supplicium poscenti populo restitit, placatus, ac velut vicem reddens, quod interrogantibus, *quis capitolium incendisset*, se reum Atticus obtulerat. Eaque confessione, sive aptum tempori mendacium fuit, invidiam crimenque agnovisse, et a partibus Vitelli amolitus, videbatur.

76 Iisdem diebus L. Vitellius, positis apud Feroniam castris, excidio Tarracinæ imminebat: clausis illic gladiatoribus remigibusque, qui non egredi mœnia, neque periculum in aperto audebant. Præerat, ut supra memoravimus, Julianus gladiatoribus, Apollinaris remigibus. lascivia socordiaque gladiatorum magis, quam Ducum similes, non vigilias agere, non intuta mœnium firmare, noctu dieque fluxi et amœna litorum personantes, in ministerium luxus dispersis militibus, de bello tantum inter convivia loquebantur. Paucos ante dies discesserat Apinius Tiro: donisque ac pecuniis acerbe per municipia conquirendis, plus invidiæ
77 quam virium partibus addebat. Interim ad L. Vitellium

Stipendia in Republ. fecerat] Verba *in Republica* mihi suspecta. Quorsum enim et quo exemplo adduntur, præsertim a brevitatis tanto amatore? nisi forte transpositio facta est a librariis, Tacitique manus sic dedit: *XXXV. stipendia fecerat: in Rep. d. m. clarus*. Infra vitiose edd. ante Rhen. *dirrpta*, pro *diremta*. Ern. Ex ingenio Rhen. nam Bud. *direpta*. Paullo ante Bud. *alii moderatum*, Rhen. *multi*.

Ut supra memoravimus] C. 57.

Lascivia etc.] Ante hæc verba punctum minus cum Bip. pono et sequentia ad *loquebantur* usque uno tractu jungo.

Apinius Tiro] V. c. 57. unde patet, hunc Apinium, deficientibus a Vitellio se Ducem obtulisse, adeoque a Vespasiani partibus fuisse. Ern.

Ad L. Vitellium] Prænomen addunt Flor. (Bud.) Agr. Guelf. vett. omnes. Excidit casu in ed. Pichenæ: nam in ea primum inter libros meos desideravi. Restituit Ryckius. Mox MSS. (Bud. a 1. m.) Flor. Agr. Guelf. ed. pr. *Virgilii*, ut H. 4, 3. male. *Capito* est Verginiorum cognomen. Item iidem præter Guelf. post, *tradi futurum*, pro *furtim traditurum*. Ern. Optime se habent codd. in quibus et Bud. lectio *tradi futurum*, quam cum Bip. Tacito reddendam puto. Puteolani est ista spuria.

servus Verginii Capitonis perfugit, pollicitusque, *si præsidium acciperet, vacuam arcem tradi futurum*, multa nocte cohortes expeditas, summis montium jugis, super caput hostium sistit. inde miles ad cædem magis, quam ad pugnam decurrit. sternunt inermes, aut arma capientes, et quosdam somno excitos; cum tenebris, pavore, sonitu tubarum, clamore hostili turbarentur. Pauci gladiatorum resistentes, neque inulti cecidere. ceteri ad naves ruebant, ubi cuncta pari formidine inplicabantur, permixtis paganis, quos nullo discrimine Vitelliani trucidabant. Sex Liburnicæ inter primum tumultum evasere, in quis Præfectus classis Apollinaris: reliquæ in litore captæ, aut nimio ruentium onere pressas mare hausit. Julianus ad L. Vitellium perductus, et verberibus fœdatus, in ore ejus jugulatur. Fuere, qui uxorem L. Vitellii Triariam incesserent, tamquam *gladio militari cincta, inter luctum cladesque expugnatæ Tarracinæ, superbe sæveque egisset.* Ipse lauream gestæ prospere rei ad fratrem misit: percunctatus, *statim regredi se, an perdomandæ Campaniæ insistere juberet.* Quod salutare non modo partibus Vespasiani, sed Reipublicæ fuit. nam, si recens victoria miles, et, super insitam pervicaciam, secundis ferox, Romam contendisset; haud parva mole certatum, nec sine exitio urbis, foret. quippe L. Vitellio, quamvis infami, inerat industria: nec virtutibus, ut boni, sed, quo modo pessimus quisque, vitiis valebat. Dum hæc in partibus Vitel- 78
lii geruntur, digressus Narnia Vespasiani exercitus, festos Saturni dies Ocriculi per otium agitabat. Caussa tam pra-

A. U. 823. A. C. 70.

Inermes] Flor. *inermos.* Mox *inulti* Rhen. e Bud. Prius legebatur *multi*.

Reliquas in litore captas] Covarruviæ codex *reliquæ in litore captæ*. quod verius. LIPS. Sic Flor. Guelf. edd. pr. Put. idque recepit Pichena. Primus Beroaldus edidit *captas*, vitio fortasse operarum, quod sqq. temere secuti sunt. Errori locum dedit sequens mox *pressas*. Ed. pr. *in lictore* vitiose: et ante *tumulum* pro *tumultum*. ERN. Bud. et Rhen. *reliquas in l. captas.* Dein Bud. *ut nimio.* Idem *tumulum.*

In ore ejus] Seneca de Benef. 7, 19. *Si in ore parentum filios jugulat.* quod Virg. Georg. 4, 477. *Ante ora parentum.*

Triariam incesserint] Ed. pr. (et Bud.) *incesserant.* Haud dubie corrigendum e perpetua Taciti, aliorumque consuetudine *incesserent.* Sic mox c. 78. *nec defuere, qui Antonium suspicionibus arguerent.* Itaque sic correxi. Imitatus est Broterius. Mox MS. Guelf. ed. pr. Put. *gestæ prospere rei.* In Beroald. vitio operarum editum *prosperæ*, quod secutus Alc. Correxit Rhen. sed inverso ordine (e Bud.) *prospere gestæ rei*, quod tenuere ceteri. ERN. Lallem. *lauream* explicat per litteras laureatas, victoriæ indices, ut apud Plin. paneg. 8. *Allata erat ex Pannonia laurea.* Cf. Plin. H. N. 15, 30 (39). et ibi Harduinus.

Recens victoria miles] Alii scriptores addunt præpositionem *ab* in hac forma loquendi. Unde nata videtur correctio in MS. Agr. *recenti victoria miles*, quam recepit Ryckius in contextum. allata etiam hac caussa, quod statim sequatur *secundis ferox.* Utrumque eodem redit, qua sensum. Nam miles qui recenti victoria venit, et recens a victoria miles, nil differunt. Tum in utroque est significatio ferociæ: quæ exprimitur quidem in sequentibus, sed aliis verbis; neque in eo quicquam aut insoliti est, aut vitii. Itaque, illo uno codice fretus, nihil mutem. ERN. Flor. Bud. Reg. Lall. et edd. vett. habent *recens.*

Ocriculi] Sic e MS. Agr. edidit Ryckius, secutusque J. Gron. recte. Hoc antiquum nomen, mutatum ab librariis

A. U. 823. A. C. 70. væ moræ, ut Mucianum opperirentur. Nec defuere, qui Antonium suspicionibus arguerent, tamquam *dolo cunctantem, post secretas Vitellii epistolas, quibus Consulatum et nubilem filiam et dotales opes, pretium proditionis, offerebat.* Alii, *ficta hæc et in gratiam Muciani composita.* Quidam, *omnium id Ducum consilium fuisse, ostentare potius urbi bellum, quam inferre: quando validissimæ cohortes a Vitellio descivissent, et, abscisis omnibus præsidiis, cessurus Imperio videbatur. Sed cuncta festinatione, deinde ignavia Sabini, conrupta: qui sumptis temere armis, munitissimam capitolii arcem, et ne magnis quidem exercitibus expugnabilem, adversus tris cohortes tueri nequivisset.* Haud facile quis uni adsignaverit culpam, quæ omnium fuit. nam et Mucianus ambiguis epistolis victores morabatur, et Antonius præpostero obsequio, vel, dum regerit invidiam, crimen meruit. ceterique Duces, dum peractum bellum putant, finem ejus insignivere. Ne Petilius quidem Cerialis, cum mille equitibus præmissus, ut transversis itineribus per agrum Sabinum Salaria via urbem introiret, satis maturaverat: donec obsessi capitolii
79 fama cunctos simul exciret. Antonius per Flaminiam ad Saxa rubra, multo jam noctis, serum auxilium venit. Illic *interfectum Sabinum, conflagrasse capitolium, tremere urbem,* mæsta omnia accepit: *plebem quoque et servitia pro Vitellio armari,* nuntiabatur. Et Petilio Ceriali equestre prœlium adversum fuerat. namque incautum, et tamquam ad victos ruentem, Vitelliani, interjectus equiti pedes, excepere. pugnatum haud procul urbe, inter ædificia hortosque et anfra-

in *Otriculi*, quod illa ætate sic nominabatur, ut hodie. Variant in hoc nomine MSS. ap. Liv. 22, 11. ubi recte præfertur *Ocriculum*. Vid. ibi Drakenb. et quos laudat. Eadem scriptura apud Cicer. Mil. 24. in bonis libris. Græci quidem semper 'Οκρίκολα. MS. Guelf. h. l. *ariculi*, sed superscriptum *t*. Infra rursus *abscisis* cum J. Gronov. edidimus e MSS. Flor. Guelf. ed. pr. pro *abscissis* (sic et Bud.): et paullo post e Flor. et Agr. *nequivisset*: ceteri (et Bud.) *nequisset*. Ern. Bud. *Ariculi*. Ptol. 3, 1. habet 'Οκρίκωλον. Ap. Grut. p. 422. *Ocriculani*. Ejus urbis rudera complura studio et inpensis Card. Pallotæ a. 1775. prodiere in lucem, publicata a Jos. Ant. Guattanio in Monum ant. inediti. 4. in Roma 1784.

Munitissimam] Bud. *invictissimam*.

Dum tegeret invidiam] Ne unus ipse omnia velle et facere videretur, eoque cunctatus. Sed placet magis Pichenæ lectio ex scriptura Florent. *dum regerit*. Nimirum invidiam ipse in Mucianum retorquet: invidiam, inquam, ejus culpa et consilio capitolium exustum. Cur enim moratus est, aut inhibuit? At in crimine tamen Antonius, nec parere in tanta necessitate debebat. Lips. Nempe Flor. (et Bud.) habet *regeret*, ut Agr. ed. pr. unde Pichena fecit *regerit*, quod omnes postea secuti sunt. Ante Guelf. *postremo* vitiose pro *præpostero*: quod tamen in margine pro var. lect. notatur. Ern. Bip. conjiciunt *regereret*.

Dum peractum] Romanos *patratum bellum*. probe. Lips. Si intelligitur ed. pr. ut alibi, in ea est *paratum*, non *patratum*, sed *patratum* dare operæ fortasse voluere: nam et in scriptis ea verba confunduntur: quamquam etiam *peractum* et *paratum* confundi solent, ut sæpe notatum criticis. Ern.

Ad Saxa rubra] Locorum, cædibus istis flagitiisque insignitorum, situm demonstrant sigillatim Cluver. Ital. ant. 2, 3. p. 526. et Noris. in Annis Syro Maced. p. 59.

Procul urbe] Hispanus (et Bud.) *ur-*

ctus viarum. quæ gnara Vitellianis, incomperta hostibus, A. U.
metum fecerant. neque omnis eques concors, adjunctis qui- 823.
busdam, qui nuper apud Narniam dediti, fortunam partium A. C.
speculabantur. capitur Præfectus alæ, Tullius Flavianus: 70.
ceteri fœda fuga consternantur, non ultra Fidenas secutis
victoribus. Eo successu studia populi aucta. vulgus urba- 80
num arma cepit. Paucis scuta militaria, plures, raptis,
quod cuique obvium, telis, *signum pugnæ* exposcunt. Agit
grates Vitellius, et *ad tuendam urbem prorumpere* jubet.
Mox, vocato Senatu, deliguntur legati ad exercitus, ut præ-
texto Reipublicæ concordiam pacemque suaderent. Varia
legatorum sors fuit. Qui Petilio Ceriali occurrerant, ex-
tremum discrimen adiere, adspernante milite conditiones
pacis. vulneratur Prætor, Arulenus Rusticus. auxit invi-
diam, super violatum legati Prætorisque nomen, propria di-
gnatio viri. palantur comites: occiditur proximus lictor,
dimovere turbam ausus: et, ni dato a Duce præsidio de-
fensi forent, sacrum etiam in exteras gentes legatorum jus,

bem, verc. Lips. Paullo ante ed. pr. *interjectus equis pedes.* Mox MS. (Bud. et) Guelf. *confractus viarum.* Ern.

Tullius Flav.] MS. Fl. *Tulius*, Agr. *Julius.* Guelf. *T.* at in litura. At iidem omnes (et Bud.) ed. pr. Puteol. *f. fuga consternantur. Consternuntur* errore operarum irrepsisse in Beroald. ed. puto, unde ad ed. Alc. venit, correctum ab Rhen. Sed vereor, ut verum sit, *fuga consternari*: neque uspiam hanc formam deprehendi. Immo consternatio fecit, ut fugerent. Itaque legendum puto, *in fœdam fugam consternantur.* Liv. 10, 43. *repente in fugam consternantur.* Ceterum et ibi multi scr. et edd. *consternuntur.* male. Mox *arma cœpit*, vitiose, ut alibi, ed. pr. Puteol. Ern. Cf. c. 17.

Raptis, q. c. o. telis] Ed. pr. *rapti.* At Nic. Heinsius malebat, *quod cuique obvium teli.* Ultima litera in *telis* potuit adhærescere e sequente verbo. Sane scio, formæ huic, *quod cuique* etc. similibusque pluralem numerum jungi solere apud nostrum: sed hanc structuram, *raptis, quod cuique obvium, telis*, similemve nuspiam reperi. Itaque proclivis sim ad probandam Heinsii conjecturam, aut legendum, *ut cuique obvium*: sed illud melius. Habuit enim haud dubie in animo locum Virgilii Æn. 7, 507. *quod cuique repertum rimanti telum ira facit.* Ern.

Prætexto Reip.] Sic MSS. Fl. Guelf. Bud. edd. Puteol. Rhen. Ald. Gryph. Lips. Ceteri libri *prætextu.* Illud restituit J. Gron. e Flor. Ante in ed. pr. *diriguntur legati*: quod si e MS. est, redolet ætatem, qua scriptus liber. Nam media ætate *dirigere* dictum pro *mittere.* Ern. Bud. *deliguntur.*

Ceriali occurrerant] Sic bene MS. Flor. Agric. ed. pr. Nam et mox, *qui ad Antonium venerant.* Recepit jam Ryckius. Vulgo *occurrerunt.* Mox ed. pr. *ad extremum* etc. MS. Guelf. *adire.* Ern. Bud. male, *occurrerent.* Sed *extr. d. adiere.*

Vulneratur Prætor] Haud aliunde lucem Plinio, sive Regulo potius, dederis apud Plinium Ep. 1, 5. *Rustici Aruleni periculum foverat, exultaverat morte: adeo ut librum recitaret ederetque, in quo Rusticum insectatur, atque etiam* Stoicorum simiam *appellat. Adjicit*, Vitelliana cicatrice stigmosum. *Agnoscis Reguli eloquentiam.* Hoc cicatricis Vitellianæ convicium est a vulnere, quod nunc accepit. Lips. MSS. Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. *Arulenius.* Ern.

Occiditur proximus lictor] *Proximus lictor* est, qui proxime ante magistratum ingreditur. Livius 24, 44. *Consul animadvertere proximum lictorem jussit.* ubi v. Drakenb. Ejus mentio et ap. Cicer. Verr. 5, 54. quem locum jam attulit Ryckius. Add. Lips. Elect. 1, 23. ubi de lictoribus agitur ex instituto. Mox MS. Agr. pro *ausus* habet *annixus.* Ern. Bud. *ausus.* Sequens *et* deest.

Sacrum etiam inter exteras gentes leg. jus] MSS. Flor. Bud. (Reg. Lall.) Agr.

A. U. 823. A. C. 70. ante ipsa patriæ mœnia, civilis rabies usque in exitium temerasset. Æquioribus animis accepti sunt, qui ad Antonium venerant, non quia modestior miles, sed Duci plus auctoritatis.
81 Miscuerat se legatis Musonius Rufus, Equestris ordinis, studium philosophiæ et placita Stoicorum æmulatus: cœptabatque, permixtus manipulis, *bona pacis ac belli discrimina* disserens, armatos monere. Id plerisque ludibrio, pluribus tædio. nec deerant, qui propellerent proculcarentque, ni, admonitu modestissimi cujusque, et aliis minitantibus, omisisset intempestivam sapientiam. Obviæ fuere et virgines Vestales cum epistolis Vitellii, ad Antonium scriptis. *eximi supremo certamini unum diem*, postulabat: *si moram interjecissent, facilius omnia conventura.* Virgines cum honore dimissæ: Vitellio rescriptum, *Sabini cæde et*
82 *incendio capitolii dirempta belli commercia.* Tentavit tamen Antonius, vocatas ad concionem legiones mitigare, *ut, castris juxta pontem Mulvium positis, postera die urbem ingrederentur.* Ratio cunctandi, ne asperatus prœlio miles, non populo, non Senatui, ne templis quidem ac delubris Deorum consuleret. Sed omnem prolationem, ut inimicam vi-

ed. pr. *in exteras g.* h. e. quod etiam inviolatum servamus erga exterarum gentium legatos: idque recepere Ryckius et J. Gron. Ego *inter* servavi, propterea, quod solennis in hac re sententia est scriptorum Romanorum, indignum esse, violatum a Romanis et in civibus jus, quod etiam inter exteros et barbaros populos inviolatum sit: quod Cicero transfert ad Poetas (pro Arch. 8.): *sit inter vos sanctum poetæ nomen, quod nulla unquam violavit barbaria.* Adde, quod frustra adderetur, *quod erga exteros etiam servamus.* Nam id quid habet mirum? cum per se pateat, totum *legationis jus externo comparatum*, ut Patres Rom. ipsi judicant ap. Liv. 6, 17. extr. Denique oppositio non satis constaret. Clarum autem est, opponi *inter exteras gentes*, et *ante ipsa patriæ mœnia. In* et *inter* confundi, alibi a nobis, et a multis aliis dudum monitum est. Mox *usque in exitium*, intell legati: adeo, ut etiam legatus Imperatoris interficeretur. Ern. A codd. non recedendum. *In exteras gentes* est *ad ext. gentes leg.* Ita bene procedit oppositio *ante ipsa p. m.* Sic et Bip.

Musonius Rufus] Respice ad A. 14, 59.

Disserens, armatos monere] Grutero hæc verba suspecta sunt, velut insititia. Rationem subdit, quod e sequentibus appareat, motos animos militum non fuisse. Nempe habebat ille in libro suo *movere*, quod reperi in MS. Guelf. et ed. Puteol. sed vitium scripturæ facile deprehendere poterat. Ceterum sufficiebat sane *cœptabat p. m. bona pacis ac belli discrimina disserere:* qua forma et alibi utitur noster: sed non propterea necessario sic scripsit, aut vulgata non a Tacito sunt. Atque etiam acumen videtur Tacitus quæsisse in verbis *armatos monere:* ad eaque haud dubie respicit mox, *intempestivam sapientiam* appellando. Ern. Bud. *monere.*

Postulabat] Sic MS. Flor. Agr. Guelf. quorum auctoritate id cum Ryck. et J. Gron. recepi, pro vulgato *postulabant.* Putabant librarii, ad literas referendum esse: quod fieri quidem et ipsum potest; sed MSS. sequendi. Add. ad 1, 74. Ern. Bud. *postulabant.*

Dirempta belli commercia] Quid clarius? Corrector tamen adventat, *diremta bellico commercia.* Lips. Intelligit Rhenanum (qui ex ingenio). Forma loquendi sumta a Virgilio, ut aliæ. Æn. 10, 532. *Belli commercia Turnus Sustulit ista prior, jam tum Pallante peremto.* i. e. spem pacis et compositionis. Locum jam notavit Salinerius. Ern. Bud. *direpta.* vitiose.

Omnem prolationem] Hæc est lectio MSS. Flor. teste J. Gronovio, Bodl. (Bud. Reg. Lall.) Guelf. ed. pr. quam cum eodem Gronovio recepi. Estque

ctoriæ, suspectabant. Simul fulgentia per colles vexilla, A. U.
quamquam inbellis populus sequeretur, speciem hostilis ex- 823.
ercitus fecerant. Tripartito agmine, pars, ut adstiterat, A. C.
Flaminia via, pars juxta ripam Tiberis incessit; tertium 70.
agmen per Salariam Collinæ portæ propinquabat. Plebs invectis equitibus fusa: miles Vitellianus trinis et ipse præsidiis occurrit. Prœlia ante urbem multa et varia: sed Flavianis, consilio Ducum præstantibus, sæpius prospera. Ii tantum conflictati sunt, qui in partem sinistram urbis, ad Sallustianos hortos, per angusta et lubrica viarum flexerant. Superstantes maceriis hortorum Vitelliani, ad serum usque diem, saxis pilisque subeuntes arcebant: donec ab equitibus, qui porta Collina inruperant, circumvenirentur. Concurrere et in campo Martio infestæ acies. Pro Flavianis Fortuna et parta totiens victoria; Vitelliani desperatione sola ruebant: et, quamquam pulsi, rursus in urbe
congregabantur. Aderat pugnantibus spectator populus, 83
utque in ludicro certamine, hos, rursus illos clamore et plausu fovebat: quotiens pars altera inclinasset, abditos in tabernis, aut, si quam in domum perfugerant, *erui jugularique* expostulantes, parte majore prædæ potiebantur. nam, milite ad sanguinem et cædes obverso, spolia in vulgus cedebant. Sæva ac deformis urbe tota facies. alibi prœlia et vulnera; alibi balineæ popinæque: simul cruor et strues

hoc verbum elegans et usitatissimum Ciceroni: cum *prolatationis*, quod in omnibus ceteris edd. (etiam Rhen.) est ante J. Gron. e nullo alio scriptore antiquo exemplum proferatur. Nam hujus unius loci fide nititur ea vox in lexicis omnibus, etiam nupero Thesauro Gesneriano. Paullo post edidi *plebs* e Flor. (Bud.) Agr. Guelf. edd. vett. Pichena edidit *plebes*. Illud restituit Ryckius sequente exemplum J. Gron. Ern.

Ut adstiterat] Bud. *ut adsisteret*.

Trinis præsidiis] Josephus B. J. 4, 42 (11). τριχῆ. Est ergo tribus agminibus, castris. De eo verbo supra dictum. Ern. Ad A. 2, 67.

Ii tantum conflictati sunt] In deteriorem partem simpliciter *conflictari* dicitur pro *afflictari*, *vexari*, ut supra monuimus, A. 6, 48. Pro *ii* MS. Guelf. *hi*: ed. pr. (et c. Bud.) *in*. MS. Agr. *nonnunquam conflictati sunt. Qui*. Ern.

Ad serum usque diem] Ita Fl. Agr. (Bud.) Guelf. edd. omnes ante Lipsium: qui edidit *diei*, sive MSS. secutus, sive Taciti consuetudinem. Vetus statim Pichena restituit. Ern.

Hos modo, rursus illos] *Modo* abest a MS. Flor. (nisi quod in margine alia manu additum est) et ed. pr. Sic supra c. 22. *his*, *rursus illis*, *exitiabile*. Atque id, ut exquisitius et Tacito aptius, cum J. Gronovio secutus sum, et *modo* delevi. Ern. Abest etiam a Bud. et Reg. Lall. Sed Rhen. servat.

Abditos in tabernis] *Abditos* MSS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. edd. pr. Puteol. idque bene restituit Lipsius, Ceteræ edd. inde a Beroaldina *abditi*. Mox *expostulantes* iidem MSS. et edd. omnes ante Rhen. qui (e Bud.) edidit *postulantes*. Illud restituit Pichena, quod hoc sensu subinde occurrit. Ap. Cicer. Rosc. C. 17. opponuntur *expostulare* et *impetrare*. *Erui* est protrahi e latebris, in eoque proprie et exquisite dicitur, ut mox c. 85. Adde Cicer. ep. 5, 10. et Constitution. Adrian. ap. Reines. Inscr. p. 505, *Scrutari et protrahere abditos* noster dixit H. 4, 1. Ern.

Milite ad sanguinem et cædes obverso] MS. Agr. ed. pr. *ad cædes et sangu*. Præterea ed. pr. *adverso*: male. *Obversus in aliquid*, pro *conversus*, pluribus locis dictum Livio 6, 7. 24. etc. Ern. Bud. vulg. tenet.

A. U. 822. A. C. 70. corporum: juxta scorta et scortis similes: quantum in luxurioso otio libidinum; quicquid in acerbissima captivitate scelerum: prorsus ut eandem civitatem et furere crederes et lascivire. Conflixerant ante armati exercitus in urbe, bis L. Sulla, semel Cinna victoribus. nec tunc minus crudelitatis: nunc inhumana securitas, et ne minimo quidem temporis voluptates intermissæ. velut festis diebus id quoque gaudium accederet, exsultabant, fruebantur; nulla partium cura, malis publicis læti.
84 Plurimum molis in oppugnatione castrorum fuit, quæ acerrimus quisque, ut novissimam spem, retinebant. Eo intentius victores, præcipuo veterum cohortium studio, cuncta validissimarum urbium excidiis reperta simul admovent, testudinem, tormenta, aggeres, facesque: *quidquid tot prœliis laboris ac periculi hausissent, opere illo consummari*, clamitantes. *Urbem Senatui ac Populo Rom. templa Diis reddita: proprium esse militis decus in castris. illam patriam, illos Penates. ni statim recipiantur, noctem in armis agendam.* Contra Vitelliani, quamquam numero fatoque dispares, inquietare victoriam, morari pacem, domos arasque cruore fœdare, suprema victis solatia ample-

Scortis similes] Ita scr. et edd. pr. Rhen. etc. Medii, Puteol. Beroald. Alc. *scortis miles.* Non male, nam quid *scortis similes?* int. adjacebant. ERN. Bud. clare *et scortis similes.* recte, intelliguntur pathici. Bip. legunt *in scortis,* quod mihi displicet.

Exultabant, nulla partium cura] Vox interjecta in priscis libris, *exultabant. Fruebantur nulla p. c.* quam aut meo exemplo ejiciendum est: aut flectendum scribendumque *furebant.* LIPS. Hæc nota omissa in ultimis edd. Lipsianæ recensionis, nescio quare: cum sententiam non mutarit Lipsius. Itaque nec in Gronovianis edd comparet. Sumsi e tertia a. 1585. Ceterum veterem lectionem mox restituit Pichena, mutata tamen interpunctione. Sane vox illa loco hoc nimis lenis est: quippe fruendi significatio jam est in verbis *ne minimo quidem temporis voluptates intermissæ;* ut magis Lipsiana correctio probanda videatur. Omitti malebat Acidalius; quod mihi quoque optimum videtur. Neque est prætermittendum, in ed. pr. esse *gaudium accideret:* in MS. Guelf. autem sec. manum ex *accedere*, quod ante erat, fecisse *accidere.* Male utrumque. Ceterum interpunctionem mutavi hactenus, ut verba, *id quoque gaudium accederet*, παρένθεσιν facerem, ut placuit jam Acidalio. Nam alias nil frigidius verbis istis. ERN. Lipsii nota extat et in ed. s. Aur. All. 16, 19. Parenthesin Ernestinam sustuli, quæ sensum turbat. Nec video, quid hic hæreant interpretes; planus mihi sensus videtur. Fruebantur eo gaudio, voluptatibus istis, quasi festorum dierum suetæ lætitiæ accederent. Bip. legunt *accedere: et.* Acid. deleri volebat *fruebantur*, et pro *accederet* legi suadebat *excederet.* Hillerus Racem. 11. 12. conjicit *ferebantur*; Trillerus *feriabantur.*

In oppugnatione castrorum] Prætoriana intelligi, vix attinet monere. Mox pro *spem* exhibent *speciem* Guelf. a manu pr. sed correctum a m. s. edd. Put. Ber. Alc. male et solenni confusione. ERN. *Spem* restituit Rhen. e Bud.

Numero fatoque] Ed. pr. (et cod. Bud.) *factoque:* frequenti in libris antiquis confusione. ERN.

Arasque cruore fœdare] Faernus corrigebat *fœdatas* (vel *fœdas*): Muretus *fœdas.* Sed non credo, domos et aras cruore fœdas, esse suprema victis solatia. Nam quod ap. Virgil. Æn. 2, 517. Hecuba aliæque mulieres *aram et Penates amplexæ* sedent, id faciunt, ut se religione adversus vim tueantur, non ut solatia novissima sint. Cruore fœdant domos arasque, invidiam facere victoribus, et incestare castra cupientes. *Suprema solatia* sunt res cuique carissimæ,

ctebantur. Multi semianimes, super turres et propugnacula A. U. mœnium exspiravere. Convulsis portis, reliquus globus 823. obtulit se victoribus: et cecidere omnes contrariis vul- A. C. neribus, versi in hostem. ea cura etiam morientibus de- 70. cori exitus fuit. Vitellius, capta urbe, per aversam pa- 85 latii partem, Aventinum, in domum uxoris, sellula defertur: ut, si diem latebra vitavisset, Tarracinam ad cohortes fratremque perfugeret. Dein mobilitate ingenii, et quæ natura pavoris est, cum omnia metuenti præsentia maxime displicerent, in palatium regreditur, vastum desertumque: dilapsis etiam infimis servitiorum, aut occursum ejus declinantibus. Terret solitudo et tacentes loci: tentat clausa: inhorrescit vacuis; fessusque misero errore, et pudenda latebra semet occultans, ab Julio Placido, Tribuno cohortis, protrahitur. Vinctæ pone tergum manus: laniata veste, fœdum spectaculum, ducebatur, multis increpantibus, nullo inlacrimante. deformitas exitus misericordiam abstulerat. Obvius e Germanicis militibus Vitellium infesto ictu, per iram, vel quo maturius ludibriis eximeret,

conjuges, liberi, quos, velut morituri, amplectuntur. Pro *complectebantur* MS. Flor. *amplectebantur*, quod recepit J. Gron. Ovid. Trist. 1, 3. 67. *dum licet, amplectar.* Contra Liv. 40, 4. sic Theoxena moritura: *virum comitem mortis complexa.* ubi cod. Lond. sec. *amplexa.* Igitur ob unum librum nil mutem. Eadem varietas 4, 11. Ed. pr. *contemplabantur.* Ern. Bud. *complectebantur.* Parum interest; repono tamen Flor. lectionem et cum Bip. non ad amplexus conjugum et liberorum, sed ad ista vindictæ facinora, *inquietare vict. morari pacem* etc. referendum arbitror *amplectebantur.* Atque hoc ipsum sic quoque Bahrdtio placuisse video.

Contrariis vulneribus, versi in hostem] *Contraria vulnera* proprie sunt, quæ mutua alias dicuntur. Liv. 2, 6. de Bruto et Tarquinio: *contrario ictu per parmam uterque transfixus, duabus hærentes hastis, moribundi ex equis lapsi sunt.* Sed verba, *versi in hostem*, mihi de glossa suspecta sunt. Nam quid ex iis intelligitur, quod non in verbis, contrariis vulneribus cadere, insit? aut in præcedentibus, *obtulit se victoribus?* Ern.

Per aversam palatii partem] Roman. *portam*, quod præfero: aut potius, utraque voce spreta, *per aversa palatii.* Sæpe ita noster loquitur. itemque Velleius 2, 63. *Antonius per aversa castrorum, proruto vallo, receptus est.* Lips. Defendit vulgatum Pichena e c. 70. *ut per secretam ædium partem occulte abiret*, et Vossius ad Vell. l. c. e Sallustio, qui *in abditam partem ædium secessit* Catil. c. 20. etiam Gronovius pater ad Livium, si recte memini. Ed. pr. habet *portam:* quod æque ac *partem* probari posset, si pluribus libris firmaretur, nam *partem* subinde e *porta* fecere librarii. V. Drakenb. ad Liv. 4, 46. et e *parte* contra *portam:* ibid. ad 24, 47. Post MS. Bud. *Aventini*, quod male probat Vertranius. Intellige *in:* quæ solet in partibus urbium omitti. Sueton. Tib. 15. *e Carinis ac Pompeiana domo Esquilias transmigravit.* V. J. F. Gron. ad Liv. 2, 28. Add. ibid. Drakenb. quem hic locus Taciti non effugit. Denique pro *vitavisset* ed. pr. corrupte *visitasset.* Ern. Bud. *partem.* Cf. et H. 2, 51.

Terret solitudo et tacentes loci] Virgilius arcanum hunc naturæ nostræ motum pariter effert Æn. 2, 755. *Horror ubique animos atque ipsa silentia terrent.* Lips.

Pudenda latebra] Suet. c. 16. *cellulam janitoris* dicit, *religato pro foribus cane.* Dio 65, 20. cellam canum vocat.

Ludibriis eximeret] MS. Guelf. edd. ante Rhen. *ludibrio.* Is de conjectura dedit *ludibriis*, quod in MS Bud. erat *ludibus.* Credo *ludibriis* esse et in Flor. quia nihil notatum diversi a vulgato reperi. Mox in Guelf. *incerto* a m. pr. omisso *in.* hinc man. sec. correxit *incertum.* Ern. Bud. *in incerto.*

A. U. 823. A. C. 70. an Tribunum appetierit, in incerto fuit: aurem Tribuni amputavit ac statim confossus est. Vitellium, infestis mucronibus coactum, modo erigere os et offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumque Rostra, aut Galbæ occisi locum contueri; postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini jacuerat, propulere. Vox una non degeneris animi excepta, cum Tribuno insultanti, *se tamen Imperatorem ejus fuisse*, respondit. Ac deinde ingestis vulneribus concidit. Et vulgus eadem pravitate insectabatur interfectum, qua
86 foverat viventem. Patria illi Luceria. septimum et quinquagesimum ætatis annum explebat. Consulatum, Sacerdotia, nomen locumque inter primores, nulla sua industria, sed cuncta patris claritudine adeptus. Principatum ei detulere, qui ipsum non noverant. Studia exercitus, raro cuiquam, bonis artibus quæsita, perinde adfuere, quam huic per ignaviam. Inerat tamen simplicitas ac liberalitas: quæ, ni adsit modus, in exitium vertuntur. Amicitias, dum magnitudine munerum, non constantia morum, contineri putat, meruit magis, quam habuit. Reipublicæ haud dubie inter-

Rostra aut Galb.] *Aut* MSS. Flor. Agr. Bud. edd. omnes ante Rhenanum. Is edidit *et* tacite, ac forte non data opera: quod omnes secuti ante Ryckium. Mox *Una vox* Guelf. et edd. ante Rhen. Ern. Qui duce Bud. mutavit.

Pater illi L. Vitellius] Sic edd. inde a Puteolano omnes, sequente *nam*. Consentit MS. Guelf. At non profecto de nihilo est, quod MSS. Flor. Bud. *Patrem illi Luceriam:* ed. pr. *P. i. Lucerium:* non sequente *nam*. Ex eo videtur effictum, quod alii libri habent, et vulgo editur. Rhenanus conjicit legendum *Pater illi L. Nucerin.* vel *Nuceria*. Nam hæc patria Vitelliorum. Gruterus: *Patria illi Nuceria.* E *nam* autem Pichena faciebat *jam*. Jac. Gron. nihil vidisse Rhenanum et Gruterum præfatus, per ambages nihil dicit, nisi Tacitum dicere voluisse, qualem pater Imp. Vitellii se in honoribus gesserit, idque ample eum hic et liquide facere. Quod refellere nihil attinet, adeo clare consuetudine Taciti, et verbis ipsis refellitur. Ego Gruterum verum vidisse puto. *Nam* natum est ex ultima præcedentis verbi syllaba. Ern. Bip. ingeniose magis quam vere: *Peracta ille luce jam septimum.* Propius vero Gruterus, cui adplaudit Lallem. Codices laudati levi emendatione sinceram lectionem exhibent: *Patria illi Luceria.* Scilicet Suetonius c. 1. *tempore Samnitici belli, præsidio in Apuliam misso, quosdam ex Vitelliis subsedisse Nuceriæ* refert. ubi certe legendum *Luceriæ;* hanc enim Daunis Apuliæ adsignant Strabo 6. p. 284. et Plin. 3, 10 (16). contra *Nuceriam* Campaniæ hic c. 5 (9). ille 5. p. 249. aliamque hic Umbriæ p. 227. Utramque bene distinguit etiam Livius 9, 2. et 41. Ceterum Dio 65, 22. quinquaginta quatuor annos vixisse Vitellium tradit.

Ei detulere] Bud. *eidem.* Sic Put. Alc. sed Rhen. *ei.*

Non constantia morum] Egregium dogma: etsi quis hæc notet? millena sunt. Sed in *constantia* aliquis hæreat; et an non melius, *convenientia*, aut tale? Res ita habet, consensum et similitudinem morum ac virtutum veram amicitiam parere: sed nec virtus sine *constantia* est: ergo nec mutemus. Lips. Ceterum verissime Acidalius corrigit *contineri.* *Continere* esset conservare: at id requireret *instituit, tentat,* non *putat.* Cic. offic. 2, 24. *nulla res vehementius Remp. continet, quam fides.* pro Marcell. 9. *vita corpore et spiritu continetur.* *Constantia morum* est æquabilitas et consensus morum cum placabilitate, gravitate, ut philosophis constantia tribuitur, cum omnia placita consentiunt inter se. Ern. Bud. *continere.* sed rectius omnino *contineri,* quod et Bip. recepere.

Reip. haud dub. int.] *Reip.* est in MSS. Flor. Vatic. Guelf. edd. pr. Put.

erat, Vitellium vinci: sed inputare perfidiam non possunt, qui Vitellium Vespasiano prodidere, cum a Galba descivissent. Præcipiti in occasum die, ob pavorem Magistratuum Senatorumque, qui dilapsi ex urbe, aut per domos clientium semet occultabant, vocari Senatus non potuit. Domitianum, postquam nihil hostile metuebatur, ad Duces partium progressum et *Cæsarem* consalutatum, miles frequens, utque erat in armis, in paternos Penates deduxit.

A. U. 823.
A. C. 70.

ceterisque ante Rhen. Is delevit auctore MS. Bud. restituit Lipsius. ERN.

Imputare perfidiam] Quasi Vespasiani caussa fidem Vitellio fregissent. Non inquam, possent adscribere hoc Vespasiano: et proprio verbo, *imputare*. neque aliud ea vi reperies. LIPS. Ut ap. Phædrum 1, 22. *Noli imputare vanum beneficium mihi.*

Præcipiti in occasum die] E Vatic. nam alii *præcipitanti*. LIPS. Nempe Rhen. (e Bud.) cum sequacibus. *Præcipiti* etiam MSS. Flor. Agr. (Reg. Lall.) Guelf. edd. ante Rhen. nisi quod quidam *præcipite*, ut ed. pr. ERN.

C. CORNELII TACITI
HISTORIARUM
LIBER QUARTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. *Interfecto Vitellio, milites Flaviani in urbe sæviunt.* 2. *Domitianus, nomen sedemque Cæsaris nactus, adulteriis filium Principis agit. L. Vitellius interficitur.* 3. *Campania composita, Vespasiano Senatus Consulatum cum Tito filio, Præturam Domitiano et Consulare imperium, decernit.* 4. *Muciani, Antonii, ceterorum honores. Restituendi capitolii consilium. Libertati consulit Helvidius Priscus, cujus* 5. *vita et mores,* 6—8. *et cum Eprio Marcello acre jurgium de legatis ad Principem mittendis.* 9. *De impensis publicis dissensio.* 10. *Musonius Rufus in P. Celerem invehitur.* 11. *Mucianus, urbem ingressus, cuncta in se trahit, Calp. Galerianum cædi curat, Asiaticum libertum servili supplicio tollit.*

12. *Germanicæ cladis fama. Ejus belli caussa in Batavis,* 13. *Duce Claudio Civile.* 14—16. *Is Batavos, Canninefates, Frisios, excitat, statim dolo, mox aperta vi, Romanos superat.* 17. *Victoriæ hujus fama motæ Germaniæ auxilia offerunt Civili, qui et Galliarum societatem adfectat.* 18. *Hordeonii Flacci segnitia. Victi Romani in Vetera castra fugiunt.* 19. *Batavorum et Canninefatium cohortes, jussu Vitellii in urbem pergentes, corruptæ, Civili junguntur, et* 20. *Bonnensi prælio Romanorum aciem perfringunt.* 21. *Civilis, consilii ambiguus, suos in verba Vespasiani adigit, hostilia velans;* 22. 23. *mox Vetera obsidet, frustra.* 24. 25. *Hordeonius Flaccus, seditione conflictatus, summam rerum Voculæ permittit.* 26. 27. *Huic additus Herennius Gallus, re male gesta, verberatur. Nova seditio.* 28—30. *Civilis, inmensis auctibus ab universa Germania elatus, obsidium Veterum urget, Ubios vexat. Varia certamina.*

31. *Nunciato Cremonensi prælio, auxilia Gallorum a Vitellio desciscunt. Suos quoque Hordeonius in Vespasiani verba adigit hæsitantes.* 32. *Ad Civilem missus Montanus, ut a bello absistere jubeat, ab ipso tentatur.* 33. 34. *Cum Vocula confligit Civilis vario eventu, non sine utriusque Ducis culpa.* 35. *Vocula male utitur victoria. Vetera obsidione liberat.* 36. *Civilis Gelldubam capit. Romani milites Hordeonium necant. Vocula per tenebras evadit.* 37. *Mox a Civile superati Voculam denuo sequuntur, quocum obsidione Magontiacum liberant. Treveri, nunc fidi, mox rebelles.*

38. *Vespasianus cum Tito Consulatum init. Falsi pavores in urbe et a L. Pisone.* 39. *Domitianus Prætor. Vis penes Mucianum. Is Primi Antonii potentiam infringit.* 40. *Restituti Galbæ*

honores. Bareæ Sorani Manibus, P. Celere damnato, satisfactum. 41. Alii quoque delatores castigati. 42. In his Aquilium Regulum, a Messalla fratre defensum, Montanus percellit. 43. 44. Idem in Marcellum tentat Helvidius, intercedente Cæsare, abolendam priorum temporum memoriam, rato. Itaque in paucos modo sævitum. 45. Senenses ob pulsatum Senatorem puniti. Antonius Flamma lege repetundarum damnatus. 46. Militaris seditio a Muciano repressa. 47. Abrogati Consulatus, quos Vitellius dederat. Funus Censorium Flavio Sabino ductum. 48—50. L. Pisonis, Africæ Proconsulis, cædes. Servi ejus egregium mendacium. Œensium Leptitanorumque discordiæ compositæ. Fusi Garamantes. 51. Parthorum auxilia non recipit Vespasianus. 52. Hunc iratum Domitiano Titus mitigat. 53. Cura restituendi capitolii in L. Vestinum conlata.

54. Audita mors Vitellii duplicaverat bellum per Gallias Germaniasque. Cum incendio capitolii finis Imperio adesse creditus. 55—58. Interfecto Hordeonio, conspirant cum Civile et Classico Julius Tutor et Julius Sabinus. nutant reliquæ Galliæ. Romanæ quoque legiones tentantur, frustra renitente Vocula, quo 59. 60. cæso, vinctisque Herennio et Numisio Legatis, istas pro Imperio Galliarum sacramento adigit Civilis, Tutor Agrippinenses, Classicus obsessos ad Vetera. 61. Civilis, voti compos, crinem deposuit. Tum et major auctoritas Veledæ. 62. Captarum legionum mæstum silensque agmen. Ala Picentina necem Voculæ vindicat. 63—65. Colonia Agrippinensis, Transrhenanis gentibus invisa, in summum discrimen adducta, cum Civile societatem init, Veledæ Numen donis placat. 66. Civilis Betasios, Tungros, Nervios in fidem accipit. 67. Fusi Lingones a Sequanis; J. Sabinus victus latet. 68. Mucianus cum Domitiano ad bellum accingitur. 69. Remi Gallias in fide Romana conservant, exceptis Treveris atque Lingonibus. 70. Sed nec iis nec reliquis civitatibus, nec ipsis Ducibus satis consilii ac concordiæ. Tutor ad Bingium victus. 71. Petilius Cerialis Magontiacum venit, spes Romanorum erigit, Valentinum Ducem magna strage adfectum capit. 72. Treveros intrat. Militibus, exitium urbis poscentibus, resistit. Victas legiones in castra recipit. 73. 74. Treveros et Lingonas officii admonet. 75. Civilis et Classicus ad Cerialem litteras mittunt, ad quas ille nihil. 76. Civilis cunctandum, Tutor et Classicus statim pugnandum, statuunt. 77. 78. Atrox prœlium, quo Cerialis, initio victus, mox victor castra hostium exscindit. 79. Agrippinenses a Germanis desciscunt. 80. Mucianus Vitellii filium interficit. Antonius Primus, ad Vespasianum profectus, non pro spe excipitur. 81. Multis miraculis cælestis in Vespasianum favor ostensus. Ipse oculorum tabe notum, alium manu ægrum, sanitati restituit. 82. Confirmatur omine in templo Serapidis, cujus 83. 84. origo Sinopensis, templum Alexandriæ magnificum, nomen. 85. Valentinus supplicio adfectus. 86. Domitianus, frustra tentato Ceriale, an sibi exercitum imperiumque traditurus foret, litterarum studium et amorem carminum simulat. Gesta hæc partim eodem anno, partim

IMP. VESPASIANO ITERUM, TITO FIL. COSS.

INTERFECTO Vitellio, bellum magis desierat, quam pax A. U. 823. A. C. 70.
cœperat. Armati per urbem victores inplacabili odio victos consectabantur. plenæ cædibus viæ, cruenta fora templaque, passim trucidatis, ut quemque fors obtulerat. Ac 1
mox, augescente licentia, scrutari ac protrahere abditos: si quem procerum habitu et juventa conspexerant, obtruncare, nullo militum aut populi discrimine. Quæ sævitia, recentibus odiis, sanguine explebatur, dein verterat in avaritiam. nihil usquam secretum aut clausum sinebant, *Vitellianos occultari,* simulantes. Initium id perfringendarum domuum; vel, si resisteretur, caussa cædis, nec deerat egentissimus quisque ex plebe: et pessimi servitiorum prodere ultro dites dominos: alii ab amicis monstrabantur. Ubique lamenta, conclamationes et forma captæ urbis: adeo ut Othoniani Vitellianique militis invidiosa antea petulantia desideraretur. Duces partium, accendendo civili bello acres, temperandæ victoriæ inpares. quippe in turbas et discordias pessimo cuique plurima vis: pax et quies bonis artibus indigent.
Nomen sedemque Cæsaris Domitianus acceperat: nondum 2
ad curas intentus, sed stupris et adulteriis filium Principis agebat. Præfectura Prætorii penes Arrium Varum: summa potentiæ in Primo Antonio. is pecuniam familiamque e Principis domo, quasi Cremonensem prædam, rapere: ceteri modestia vel ignobilitate, ut in bello obscuri, ita præ-

Ut quemque fors obtulerat] *Fors* edidimus, ut supra 14, 5. Latinitate jubente et perpetua bonorum scriptorum consuetudine: et sic placebat magno Bentleio ad Horat. S. 1, 6, 54. Vulg. *sors*. Ern. Sic et Bud. Ernestium sequuntur Brot. et Lall.

Procerum habitu et juventa] Duas notas Germanici militis habebant, proceritatem corporis itemque juventam. Nam Germani plerumque proceri; et milites, a flore et robore ævi colligebantur. Lips. (Sic c. 14. de Batavis: *et est plerisque procera pueritia.*) Sed male *prospexerant* edebatur ante vulgo: quod sane sic non dicitur: et MSS. Flor. Reg. (Bud.) Harl. Agr. Oxon. Guelf. ed. pr. consentiunt in *conspexerant.* Id itaque cum J. Gronovio edidi. Ern.

Nullo militum a. populi discrimine] Cum milites tantum, Germani in primis, viderentur ac dicerentur peti, etiam alii togati et innoxii promiscue interficiebantur. Ern.

Verterat in avar.] Groslot. quid, si *vertebat?*

Fortuna captæ urbis] Non displicet Vertranii divinatio, *forma captæ urbis.* Lips. Frustra repugnant Salinerius et Gruterus, cujus rationem ne intelligo quidem. *Fortuna captæ urbis* ante declarata: sequebatur, ut luctus inde ortus describeretur, quæ est species et forma captæ urbis, non fortuna. Habuit Tacitus in animo locum Livii, velut 1, 29. *non fuit tumultus ille, nec pavor, qualis captarum urbium esse solet. Fortunam* et *formam* in MSS. sæpe confundi, supra jam monuimus. Similiter A. 15, 63. confusa *formido* et *fortitudo.* Ern. Cf. H. 3, 28. 83. et Ann. 1, 41. Sic et Ovid. Trist. 1, 3, 26. *Hæc facies Trojæ, cum caperetur, erat.*

Nomen sedemque Cæsaris etc.] Qui attente hæc leget, animadvertet, aliquid esse, quod offendat. Constaret oratio, si esset *agens,* pro *agebat;* aut *sed,* quod est post *intentus,* ante *nondum.* Sed libri scr. et edd. in vulgato consentiunt. Fortasse consulto a Tacito forma orationis mutata est. Cf. ad c. 4. Ern. Hoc *Cæsaris* nomine nullum imperium in Domitianum esse collatum, sed jurisdictionem tantum, ex c. seq. patet, ubi *Prætura* illi et *Cons. imperium* decretum narratur. Cf. Cuperi præf. ad Lact. de mort. persec. et epist. H. Norisii subjuncta.

A. U. 823. A. C. 70. miorum expertes. Civitas pavida et servitio parata, *occupari redeuntem Tarracina L. Vitellium cum cohortibus, extinguique reliqua belli*, postulabat. Præmissi Ariciam equites: agmen legionum intra Bovillas stetit. Nec cunctatus est Vitellius, seque et cohortes arbitrio victoris permittere. Et miles infelicia arma, haud minus ira, quam metu abjecit. Longus deditorum ordo, septus armatis, per urbem incessit. nemo supplici vultu, sed tristes et truces et adversum plausus ac lasciviam insultantis vulgi immobiles. paucos erumpere ausos, circumjecti pressere. ceteri in custodiam conditi. Nihil quisquam locutus indignum, et, quamquam inter adversa, salva virtutis fama. Dein L. Vitellius interficitur, par vitiis fratris, in Principatu ejus vigilantior; nec perinde prosperis socius, quam adversis abstractus.

3 Iisdem diebus Lucilius Bassus, cum expedito equite, ad componendam Campaniam mittitur: discordibus municipiorum animis, magis inter semet, quam contumacia adversus Principem. Viso milite quies: et minoribus coloniis inpunitas. Capuæ legio tertia hiemandi caussa locatur, et domus inlustres adflictæ; cum contra Tarracinenses nulla ope juvarentur. Tanto proclivius est injuriæ, quam beneficio, vicem exsolvere: quia gratia oneri, ultio in quæstu, habetur. Solatio fuit servus Verginii Capitonis, quem proditorem Tarracinensium diximus, patibulo adfixus, in iisdem annulis, quos acceptos a Vitellio gestabat. At Romæ Senatus cuncta Prin-

Servitio parata, occupari] Rhen. (e Bud.) edidit *occupare*. Vetus restituit Lipsius. Sed interpunctio ab Rhenano inducta, recte habet. Superiores valde hic turbant. Mox MS. Agr. *postulabant*. Ern.

Ariciam equites] Liber unus, *Arriani equites*. quid? an Arrii Vari turmas intellegit? Non opinor. et magis est, ut vera sit vulgata. Lips. Intelligi opinor ed. pr. in qua est *Artiani*, vitiose pro *Arriani*. Sequentia satis indicant, hic nomen loci requiri. Ern. Bud. vitiose *Ariciani*.

Circumjecti pressere] Dictum esse pro oppressere, interfecere, supra A. 14, 5. monuimus, et sequentia facile arguunt. Itaque Faernus etiam corrigebat *oppressere*. Etiam ap. Cic. Verr. 4, 6. in libris confunduntur *oppressere* et *pressere*. Sed ibi *oppressere* verius est. Mox idem *par vitiis fratri*, pro *fratris*, idque probabat Ursinus. Ern. Brot. mallet *oppressere* et *fratri*. Bud. *fratris*.

Adversis abstractus] Adversa fratris fortuna et exitio et ipse adflictus, ad perniciemque vocatus est, ut Ann. 4, 13. ubi eadem loquendi forma. Faernus, non adsecutus, corrigebat *in gemonias tractus*, probante Ursino, et viro docto in marg. Gryph. Ern. Pro *in gemonias* legitur in ed. 8. Frf. 1607. et fol. Par. 1608. *in Germanias*, turpi vitio.

Acceptos a Vitellio] Rhenanus (duce Bud.) delevit *a*. restituit Lipsius. Ern.

Senatus cuncta Principibus solita] Putant intelligi SC. cujus fragmentum post alios ad h. l. edidit Ryckius: quod mihi non videtur. In eo SC. est lex et formula imperii ac potestatis, quam Imperatores habuere, quo de alio die actum. v. ad c. 6. hic intelliguntur honores, qui novis Principibus decerni soliti. Ii qui fuerint, docebit et sententiam nostram confirmabit locus similis de initiis Othonis H. 1, 47. *Accurrunt Patres: decernitur Othoni Tribunitia potestas, et nomen Augusti et omnes Principum honores.* Add. 2, 55. Infra *Illyrico*, quod edidit Rhen. (e Bud.) pro *Illyricos*, etiam MS. Guelf. ed. pr. Ern. Vide dicta ad c. 6.

cipibus solita Vespasiano decernit, lætus et spei certus. quippe sumpta per Gallias Hispaniasque civilia arma, motis ad bellum Germanis, mox Illyrico, postquam Ægyptum, Judæam Syriamque et omnis provincias exercitusque lustraverant, velut expiato terrarum orbe, cepisse finem videbantur. Addidere alacritatem Vespasiani litteræ, tamquam manente bello scriptæ. ea, prima specie, forma: ceterum ut Princeps loquebatur, civilia de se et Reipublicæ egregia. nec Senatus obsequium deerat. Ipsi *Consulatus cum Tito filio, Prætura Domitiano et Consulare imperium* decernuntur. A. U. 823. A. C. 70.

4 Miserat et Mucianus epistolas ad Senatum, quæ materiam sermonibus præbuere: *si privatus esset, cur publice loqueretur? potuisse eadem, paucos post dies, loco sententiæ dici.* ipsa quoque insectatio in Vitellium sera et sine libertate. Id vero

Ea prima specie forma] sc. literarum. hæc erat forma epistolæ primum et obiter legenti; sed, si accuratius considerabatur, reperiebatur loqui, ut jam confecto bello, et Principatum jam adeptus. Omnes libri in hac lectione consentiunt, præter MS. Agr. qui habet *formidata:* quod placet Ryckio, non mihi, qui sensum commodum hujus lectionis nullum video. Quid enim formidabile in eo, si ita scribit, tanquam nondum finito bello, nondum certo, uter victor: in quo non poterat non modeste scribere, nihil sibi arrogans. Ceterum, etsi non dicam cum Ryckio, in vulgata nullum sensum esse, quem satis ante declaratum puto: tamen eam non admodum elegantem credo, et verba illa supervacua; quæ, si abessent, nemo desideraret. Neque enim aliud his verbis inest, quam quod in antecedentibus est: *ut manente bello scriptæ.* Unde mihi suspicio nata est, ea verba esse a glossatore, qui præcedentia sic interpretatus sit: prima specie eam formam literarum fuisse, tamquam adhuc durare bellum crederet, re vera ut Principem, velut jam parto Principatu, scripsisse. Tanto facilius recipi glossa poterat, quod cum ea melius coire sequentia videbantur, quam cum *ut manente bello scriptæ.* Ern.

Civilia de se et Rep. egregia] Sic vett. edd. omnes et MS. Guelf. Sed Muretus emendabat, *c. d. se, de Rep. e.* quod placebat et Groslotio, recepitque Pichena, secutis posteris editoribus omnibus. At J. Gronovius putat scripturam Flor. *et R. P.* legendam *et Reipublicæ:* quod non spernendum. Ern. Immo unice verum. Sic et Bud. *et r. p. egregia.* Recepere Brot. et Lall.

Consulare imperium] Intellegit *potestatem Consularem*, ut Suetonius loquitur Domit. c. 1. *Cæsar consalutatus, honorem Præturæ urbanæ, cum potestate Consulari suscepit* etc. Lips. Add. Græv. ad Sueton. l. c. Pagius ad a. C. 69. qui intelligi putant potestatem Proconsularem, qua posset mitti in provincias quascunque. Dio 54, 10. p. 527. non adversatur, sed tamen latius patuisse ostendit, dicens, imperii Cons. fuisse, ut posset quis semper et ubique duodecim lictoribus uti, et semper sella curuli sedere inter Consules. Ern. Egregie hunc locum illustrat numus, in quo hinc IMP. CÆSAR. VESPASIANUS. AUG. caput laureatum; illinc T. CÆS. AUG. F. COS. D. CÆSAR. AUG. F. PR. Capita adversa Titi et Domitiani. De quo Eckhel Doctr. NN. vet. t. 6. p. 368.

Cur publice loqueretur] Idem fere est, quod ap. Cic. Ep. 15, 1 et 9. et Livium 1, 45. 5, 50. *publice scribere:* sed tamen aliquid amplius. Nam illud quoque, qui non Principes essent, fecere, de rebus a se gestis scribentes ad Senatum, a quo missi essent. Sed Mucianus, non ut Magistratus provinciales solebant, de rebus a se gestis scripserat, sed alia ad Remp. pertinentia literis complexus erat, quæ pro sententia coram dicere cuivis Senatori licebat, scribere ad Senatum, non nisi Principes solebant. Ern.

Sera et sine libertate] Sera, quia jam afflicti aut nulli erant: non libera, quia sine periculo mortuis vel invalidis insultabatur. Lips. *Sine libertate* capio: sed ea insectatio jam non indicabat, liberum esse Mucianum, h. e. audere, qua

A. U. 823. A. C. 70. erga Rempublicam superbum, erga Principem contumeliosum, quod, *in manu sua fuisse Imperium donatumque Vespasiano*, jactabat. Ceterum invidia in occulto; adulatio in aperto erant. multo cum honore verborum *Muciano triumphalia* de bello civili data: sed *in Sarmatas expeditio* fingebatur. Adduntur *Primo Antonio Consularia*, *Cornelio Fusco*, *et Arrio Varo*, *Prætoria insignia*. Mox Deos respexere. *restitui* placuit *capitolium*. eaque omnia Valerius Asiaticus, Consul designatus, censuit: ceteri vultu manuque: pauci, quibus conspicua dignitas, aut ingenium adulatione exercitum, compositis orationibus adsentiebantur. Ubi ad Helvidium Priscum, Prætorem designatum, ventum, prompsit

recta essent, quæque sentiret, etiam cum periculo dicere: cum jam nullum a Vitellio periculum esset. Ante Pichena bene edidit *Vitellium* e MS. Flor. cui consentit ed. pr. Ceteri libri, quos vidi ante Pich. *Vitellianos*. Ern. Sic et Bud.

De bello civili data] MS. Flor. *civilium*, ut et ed. pr. quod corruptum videtur Pichenæ. J. Gronovius putat corrigi posse *civium*. *Bellum civium* etiam c. 72. Tacito reddidimus. Sed mavult: *de bello civili non data*. quod nullo modo probari potest. Nam, sive capias, de bello civili non solita dari, quod ita est, eoque haud dubie respexit Tacitus: deerit verbum, ad quod referantur *triumphalia*. Sin sic, ut Gron. haud dubie voluit, data triumph. non de bello civili, sed de Sarmatis, structura verborum est durissima et a more Latinorum abhorrens. Sensus est: re vera de bello civili data sunt, sed sub prætextu belli Sarmatici feliciter gesti, ut sc. sine reprehensione darentur. Ern. J. Gron. conjectura nititur lectione cod. Flor. in quo est *civilium*.

In Sarmatas expeditio] Quæ fuerit, non dixit: neque debuit. nam apparet, exiguum aliquid fuisse. Atque hoc factum opinari licet ipso civili isto bello, cum Mucianus lento itinere in Thraciam et Mœsiam venit. Lips. Per Sarmatas intelligi Dacos credo cum Colero, Gronovio, Ryckio, e 3, 46. Sarmatarum, Getarum, Dacorum nomina sæpissime confunduntur apud veteres, propter viciniam. *Fingebatur* intelligo prætendebatur, caussa tribuendorum triumphalium ferebatur. Ern. Junguntur etiam Sarmatæ Dacique c. 54.

Mox Deos respexere] Sic MSS. Flor. Bud. Guelf. et sic primus edidit Rhenanus cum seqq. omnibus. At ed. prima ceteræque ante Rhen. MS. Agr. *respicere restituique*. Ern. De Puteol. ed. id non valet. Is dedit: *respexere. Restitui.*

Ceteri, vultu manuque] Ratio assentiendi in Senatu, voce aut signo. Signo dupliciter, pedibus aut manu. Pedum in discessione usus. Manus etiam in sessione aut statione, cum ea exporrecta significarent talem sententiam se approbare. Vopiscus in Aurel. 20. *Deinde aliis manus porrigentibus, aliis pedibus in sententiam euntibus, plerisque verbo consentientibus conditum est SC.* Seneca ep. 8. *Non videor tibi plus prodesse, quam si in Senatu candidato vocem et manum commodarem?* Isidorus hanc notam ad exercitum quoque transfert 1, 25. *Mos est militaris, ut, quoties consentiat exercitus, quia voce non potest, manu promittat.* Lips.

Prompsit sententiam, falsa] Aut mihi mens, aut huic loco aliquid desit. Quid enim hic, in quo Helvidius offenderit? Sed nec ista ipsa sententiola integra: scripseritque Tacitus, *ut honorificam in bonum Principem, ita adulationis expertem.* Certe membrum tale aliquod requiro. Rodolphus enim non explet, qui legit: *ut honorif. in bon. Principem, ita falsa aberant.* qui sententiam sequentem debilitat et enervat. Lips. Lectionem MS. Agr. probant Grotius et Freinsh. in textum recepit Ryckius. Lipsii supplementum probari non potest: existeret enim ταυτολογία: quippe *falsa aberant*, nihil aliud est, quam expers adulationis erat sententia. Nam *falsa* sunt ficta, simulata, ut sæpe apud alios, quæ maxime sunt in adulatione, et de adulationibus dicuntur, ut adulatores ipsi *falsi* appellantur A. 1, 7. 3, 3. etc. Add.

sententiam, ut honorificam in bonum Principem, ita falsa A. U. aberant, et studiis Senatus adtollebatur. Isque præcipuus 823. illi dies, magnæ offensæ initium et magnæ gloriæ fuit. A. C. 70. Res poscere videtur, quia iterum in mentionem incidimus viri, sæpius memorandi, ut vitam studiaque ejus, et quali fortuna sit usus, paucis repetam. Helvidius Priscus, Tarracinæ municipio, Cluvio patre, qui ordinem primipili duxisset, ingenium inlustre altioribus studiis juvenis admodum dedit: non ut plerique, ut nomine magnifico segne otium

Cort. ad Sall. Cat. 10. Ego non dubitavi Ryckii exemplum sequi. Corruptelæ caussa, quod non putabant librarii, verba *falsa aberant*, coire posse cum *honorificam in bonum Principem;* quod et alibi turbas dedit. V. ad c. 3. Sed Tacitus et alibi hac forma utitur, ut adjectivum per talem periphrasin exprimat. Nec ignoro, *ita* ab optimis scriptoribus interdum post *ut*, *sicut*, omitti et intelligi. V. intt. ad Liv. 34, 9. sed id in præsenti forma nimio plus durum foret. Nam in omnibus, quæ vidi, exemplis consequens simile est antecedenti, genere verborum. Itaque si, pro *falsa erant*, esset *adulationis expertem*, nihil addendum censerem. *Adtollebatur* MSS. Flor. Agr. ed. pr. quod recte recepit Pichena. Alii (in his Bud.) *attollebantur*. Ern. Loci nebulas dispulisse se credit Colerus legendo *honorificam, ut in b. Pr.* transposita particula. Bip. sic: (*falsa aberant*) *item st. S. att.* Equidem non video, qui τὸ *item* τῷ *ut* respondeat. In Ryckii lectione adquiesco.

Iterum] Cf. H. 2, 91.

Italiæ septima, Tarracinæ municipio] Locus nec bonus, nec firmus, de firmissimo viro. Nam libris, (etiam Bud.) abest vox *septima:* quam nos tamen inseruimus, sententiæ utcumque fulciendæ, admonitionibus Vertranii et Ferretti. Scimus enim, Italiam totam in XI. regiones divisam ab Augusto. itaque cum regionis hic mentio, εὔλογον, aiunt, numerum ejus a Cornelio expressum. Sed jure ambigo. primum, quia non Tacito, non aliis historicis usurpatum, ut in oppidi mentione regionem Italiæ adjungant. Et, ut id in loco ignotiore fiat, quid opus in Tarracina, municipio tam vicino urbi, tam noto? Denique libri etiam in illo ipso verbo vacillant. Nam Vaticano est, *Tarentum municipio:* Farnes. *Tarentinæ:* priscis editionibus, *Tarentino.* Mirum vero, si libri omnes in oppido toties jam ante sine errore ullo nominato, hic demum offendant. At pro, *regione Italiæ*, subit opinari, *origine Italica.* Non exterum scilicet fuisse, ut tunc in Senatu plurimi, non solum multi. Lips. Rationes Lipsii contra vulgatum bene habent. Nec spernam ejus correctionem, si corruptela loci nata est a vitiosa scriptura. Sed valde vereor, ne quis in margine adscripserit regionem Italiæ, cujus esset Tarracinense municipium et quidem sic, ut Freinshemio placebat legendum esse, *regione I. Italiæ:* nam regioni primæ adscriptum omne Latium, in quo Tarracina: idque in textum migraverit, et quidem alieno loco. nam esse debebat post verba *Tarracinæ municipio*, e consuetudine aliorum scriptorum. Sed urbibus tam notis non solent tale quid addere historici elegantiores, nec aliud exemplum in Tacito reperi. Probat sententiam nostram Broterius. Ceterum ed. pr. habet mox *Clunio.* Ern. Jam Mercerus sensit, glossema esse. Tollo cum Bip. Dein Bud. *Cluino.*

Ingenium illustre] Cicero Cælium appellat *adolescentem illustri ingenio, industria, gratia.* Valerius M. 9, 12, 7. de C. Licinio Calvo: *illustris ingenii orator.* Noster A. 5, 8. *Pomponius multa morum elegantia et ingenio illustri.* Nihil aliud de hoc quam 6, 47. de Vibio Marso dicit: *illustris studiis erat. Illustre* igitur *ingenium* est eloquentiæ speciminibus celebratum. Lib. hoc 4, 42. *ignotum adhuc ingenium et nullis defensionibus expertum.* A. 16, 29. *neque famosi carminis, quia protulerit ingenium.* i. specimen doctrinæ atque eloquentiæ ediderit. Appuleius in Apolog. post med. de accusationibus nobilium reorum: *qui mos incipientibus adolescentulis ad illustrandum ingenii florem apud antiquos concessus.* Nimirum, postquam eloquentia docteque dicendi ac scribendi arte inclaruisset, ad Philosophiam eum se vult contulisse. Gron.

Non ut plerique] Disce juventus, et vide verum finem, quem sapientiæ studiis proponas. Lips. Ceterum alterum

A. U. 823. A. C. 70.

velaret, sed quo firmior adversus fortuita Rempublicam ca-
pesseret. doctores sapientiæ secutus est, qui sola bona, quæ
honesta, mala tantum, quæ turpia: potentiam, nobilitatem,
ceteraque extra animum, neque bonis, neque malis ad-
numerant. Quæstorius adhuc, a Pæto Thrasea gener
delectus, e moribus soceri nihil æque ac libertatem hau-
sit: civis, Senator, maritus, gener, amicus, cunctis vitæ
officiis æquabilis, opum contemptor, recti pervicax, con-
stans adversus metus. Erant, quibus adpetentior famæ vi-
deretur, quando etiam sapientibus cupido gloriæ novissi-
6 ma exuitur. Ruina soceri in exsilium pulsus, ut, Galbæ
Principatu, rediit, Marcellum Eprium, delatorem Thraseæ,
adcusare adgreditur. Ea ultio, incertum, major an justior,
Senatum in studia diduxerat. Nam, si caderet Marcellus,
agmen reorum sternebatur. Primo minax certamen, et
egregiis utriusque orationibus testatum. Mox, dubia vo-

et, quia non est in MSS. Flor. Agr. ed. pr. delevit Ryckius, addito: *et solet subintelligi:* quod utinam exemplis idoneis probasset. Sed falsum est, in tali structura omitti et intelligi posse, ut recte monuit J. Gronovius, qui hic aliquid vitii latere putat. Mox MS. Agr. *ceteraque, quæ extra animum.* Ern. Nec cod. Bud. alterum *ut* habet. Idem *doctores sapientum.*

Quæstorius adhuc] Quæstor autem fuit sub Nerone et Achaiam administravit: quod scholiastes in Sat. 5, 36. Juvenalis prodidit. At Prætor demum sub Vespasiano, diserte ita scribente Suetonio cap. 15. Nominatur tamen Tacito A. 12, 49. *Helvidius Priscus legatus legionis*, a. u. 805. quem, ex more ejus ævi, Prætorium Legatum fuisse probabile est: quis ergo iste? non noster, quia tunc sub Claudio nec Quæstor. An pater ejus? non, quia Tacitus hic *Cluvium* illi patrem dat dumtaxat *Primipilarem.* Suspicor avunculum fuisse, et ab eo in nomen et familiam adoptatum. Nam unde alioqui *Helvidius* e *Cluvio* patre? Notandum hoc sane est ad viri magni notitiam. Item illud, quod aliam etiam uxorem ante habuerit, et ex ea *Helvidium juniorem*, quem Domitianus interfecit: Plinio Ep. 3, 11. et Tacito Agr. 45. laudatum item, et patre dignum virum. Vide, quæ noto in fine Agricolæ. Lips.

Gener delectus] Cf. A. 16, 28, 35.

Civis, Senator] Magnæ laudes; et quæ jure nos rapiant in admirationem viri. Cui Tacitum ipsum perfamiliarem fuisse, mihi liquet. Non minora de eo elogia sparsim reperias in Diss. Epicteti apud Arrianum 1, 2. 4, 1. et Plinius etiam in Epistolis celebrat 7, 19. 9, 13. At tam illustre fidus (heu, quid speremus?) in tenebris pæne jacebat, absque una hac Taciti face. Lips.

Quando etiam sapientibus] Verissime: nec mutandum. Omnes adfectus facilius a sapiente exuuntur, quam hæc cupido: et in magnis viris (Val. Flacc. 1, 76.) —*tu sola animum mentemque peruris Gloria.* Plato ad hanc mentem aptissime ap. Athen. 11. p. 250. Τὴν κενοδοξίαν, ὡς τελευταῖον χιτῶνα, ἡ ψυχὴ πέφυκεν ἀποτίθεσθαι. Et noster in Agr. 9. *Fama, cui sæpe etiam boni indulgent.* Lips. Cf. et Simplic. ad Epict. c. 48. ubi melius φιλοδοξίας loco δόξης.

In exilium pulsus] A. 16, 33. Mox Bud. *deduxerat.* male.

Galbæ principatu rediit] Unde? Apollonia. Illic enim in exsilio egit: quod nos docet scholiastes in Sat. Juvenalis 5, 36. *Elvidius Priscus, post damnationem soceri Pæti Thraseæ, interdicta sibi Italia, Apolloniam concessit.* Lips.

Agmen reorum] *Rei* omnes litigatores dicti, adcusati et delatores. V. Cic. de Orat. 2, 79. Cf. Marc. Don. ad h. l. Taciti.

Et egregiis utriusque orationibus testatum] Nostri libri. Visum Rhenano (e Bud.) *certatum.* Lips. Sane *testatum* vix convenit verbo *certamen.* Dicitur enim de rebus in animo latentibus, ut amore, odio, cum actionibus, verbis patefiunt. Itaque *certatum* non displicet, quod inde a Rhen. usque ad Lipsium editum est. Muretus etiam malebat *utrin-*

luntate Galbæ, multis Senatorum deprecantibus, omisit A. U. Priscus: variis, ut sunt hominum ingenia, sermonibus, mo- 823. derationem laudantium, aut constantiam requirentium. A. C. 70. Ceterum, eo Senatus die, quo *de Imperio Vespasiani* censebant, placuerat *mitti ad Principem legatos.* Hinc inter Helvidium et Eprium acre jurgium. Priscus, *eligi nominatim a Magistratibus juratis,* Marcellus *urnam* postulabat: quæ Consulis designati sententia fuerat. Sed Marcelli stu- 7
dium proprius rubor excitabat, ne, aliis electis, posthabitus crederetur. Paullatimque per altercationem ad continuas et infestas orationes provecti sunt, quærente Helvidio, *quid ita Marcellus judicium Magistratuum pavesceret? esse illi pecuniam et eloquentiam, quis multos anteiret, ni memoria flagitiorum urgeretur. Sorte et urna mores non discerni: suffragia et existimationem Senatus reperta, ut in cujusque vitam famamque penetrarent. pertinere ad utilitatem Reipublicæ, pertinere ad Vespasiani honorem, occurrere illi, quos innocentissimos Senatus habeat, qui honestis sermonibus aures Imperatoris inbuant. Fuisse Vespasiano amicitiam cum Thrasea, Sorano, Sentio: quorum adcusatores, etiamsi puniri non opor-*

que pro *utriusque,* probante Pichena. Utrumque rectum est. Mox *omittere reum,* supra jam illustravimus. Ern. Cod. Flor. et Agr. *utriusq. orat.* sic et edd. ante Rhen. qui e Bud. ordinem invertit.

Eo Senatus die, quo de Imperio Vespasiani censebant] Hoc factum credo alio die et conventu Senatus, quam de quo supra dixit c. 3. Nullo modo intelligi potest, quomodo omnia, quæ supra commemorata sunt, et hanc concertationem Helvidii et Marcelli, idem dies capere potuerit. Ceterum hic sermonem esse arbitror de SC. cujus fragmentum superest, quodque nos ad calcem voluminis exprimi curavimus, cum quibusdam animadversionibus. Legatos mitti placuit, qui SC. perferrent, ut alias quoque factum Republ. libera. Ern. Mihi, ut Bipontinis, secus videtur. Gesta unius diei huc usque procurrunt. Id narrationis series docet. Regiæ legis formula, cujus fragmentum in Basilica Lateranensi servatur, prioribus jam Principibus concessa repetit. Parum ergo ea res temporis absumsit. Tum properati aliis quoque honores. Sententia Helvidii Prisci, ut inter Patres concertationi, sic narrandis vitæ ejus momentis, ansam dedit Cornelio, quibus expositis redit ad persequendam litem ipsam. Denique, si alio die de lege Regia esset actum, clarius id indicaturum fuisse auctorem puto.

Posthabitus] Bud. inepte *prehabitus.*

Per altercationem] Verbum proprium de disputationibus adversantium sibi Senatorum, de quo tirones videant dicta in Clav. Cic. *Altercationibus* opponuntur *continuæ orationes.* Et verbum *infestas* indicat, in altercationibus nihil inimici necessario inesse. Ern.

Urgeretur] Ita Flor. (Bud.) Guelf. edd. Puteol. et seqq. omnes. Lipsius tacite edidit *urgeret,* pro quo statim Pichena vetus restituit. Utrumque eodem redit. Mox ed. pr. *extimationem.* V. ad A. 15, 21. ubi quæ diximus, ex h. l. confirmantur. Nam et hic, quæ nunc *existimatio* est, mox *judicium* vocatur. Post *in cujusque* MS. Flor. ed. pr. Pich. sqq. Alii (et Bud.) *unius cujusque.* Porro Flor. *vita famamque.* Guelf. ed. pr. Rhen. (e Bud.) sqq. *vitam famamque.* Put. Ber. Alc. *vitam, famam.* Ern.

Senecione] Male. fateor fuisse Herennium Senecionem insignem virum, sed quem Domitianus occiderit, non Nero. Sequor igitur libros scriptos, qui hic, *Sentio:* etsi virum ignoro. Lips. *Sentio* Flor. (Bud.) ed. pr. MS. Guelf. Agr. *Senecio,* e qua lectione natum videtur *Senecione.* Mox negatio *non,* quam se addidisse (e Bud.) ait Rhenanus ante *oporteat,* in ed. Alciati exciderat errore operarum. Nam in aliis ante eam

A. V. 823. A. C. 70. *teat, ostentari non debere. hoc Senatus judicio velut admoneri Principem, quos probet, quos reformidet. nullum majus boni Imperii instrumentum, quam bonos amicos. Esse satis Marcello, quod Neronem in exitium tot innocentium inpulerit. Frueretur præmiis et inpunitate; Vespasianum melioribus relinqueret.*
8 Marcellus, *non suam sententiam inpugnari, sed Consulem designatum censuisse,* dicebat, *secundum vetera exempla, quæ sortem legationibus posuissent, ne ambitioni aut inimicitiis locus foret. Nihil evenisse, cur antiquitus instituta exolescerent: aut Principis honor in cujusquam contumeliam verteretur. sufficere omnes obsequio. id magis vitandum, ne pervicacia quorundam inritaretur animus, novo Principatu suspensus, et vultus quoque ac sermones omnium circumspectans. Se meminisse temporum, quibus natus sit, quam civitatis formam patres avique instituerint: ulteriora mirari, præsentia sequi: bonos Imperatores voto expetere, qualescumque tolerare. Non magis sua oratione Thraseam, quam judicio Senatus, adflictum. Sævitiam Neronis per hujusmodi imagines inlusisse. nec minus sibi anxiam talem amicitiam, quam aliis exilium. Denique constantia, fortitudine, Catonibus et Brutis æquaretur Helvidius: se unum esse ex illo Senatu, qui simul servierit. Sua-*

edd. omnibus est. ERN. Brot. conjectat, leg. *Seneca*, ut superadditum in cod. Vatic 1958.

Quam bonos amicos. Esse satis Marcello]. MSS. Flor. Guelf. Agr. edd. ante Rhen. *Quam bonos amicos esse. Satis Marcello* quam interpunctionem recepit Ryckius. ERN. Item Brot. Lall. Contra nostram Rhen. e Bud. dedit. Recepere Bip.

Secundum vetera exempla] Hoc virum doctum valde anxium habuit: qui negabat de more eo se legisse. Ego ita accipio. non quasi semper legati forte olim missi, sed sæpe. et in eam rem exempla hæc reperio. Cicero ad Att. 1, 19. *Senatus decrevit, ut legati cum auctoritate mitterentur.* Addit post pauca: *Hoc non queo præterire, cum de Consularibus mea prima sors exisset, una voce Senatus frequens retinendum me in urbe censuit.* E quibus, sortitionem illic fuisse, clare vides. Dio 59, 23. Πρέσβεις τε ἐπ' αὐτοῖς ἄλλους κλήρῳ, καὶ τὸν Κλαύδιον αἱρετὸν, ἔπεμψαν. Plura exempla avide quæsivi: sed, ut verum fatear, clamavi Hylam. LIPS. Ceterum edd. pr. Beroald. Alc. addunt *sed.* Contra MS. Guelf. ed. Puteol. *sed vetera:* ut tamen in margine MS. sit alia manu *secundum. Sed* delevit Rhenanus (duce Bud.). Si *censuisse* abesset, probarem lectionem MS. Guelf. Nunc alterum *sed* locum non habet. Ceterum oratio est, ut alibi, durior: quæ molliretur, si esset: *sed Cons. designatum: eum censuisse* etc. Verum non necessarium puto, aliquid mutari. ERN. Repetito *sed* subesse vim judicabat Gruterus.

Id magis vitandum] *Vitandum* non erat in MS. Bud. Guelf. Sed in hoc est scriptum alia manu ad marginem. nec id verbum intelligi omissum potest. Verum excidit, ut alia in his aliisque Taciti MSS. Mox *quorundam* Flor. ed. pr. Rhen. (e Bud.) sqq. Reliqui edd. et Guelf. *cujusquam,* quod e præcedentibus temere repetitum. Denique pro *se meminisse* Rhenanus (ex ingenio) malebat *meminissent.* ERN.

Per hujusmodi imagines illusisse] Bene ita libri. Hoc enim dicit Eprius; non se magis auctorem interficiendi claros viros Neroni fuisse, quam Senatum universum qui eos damnaverit. Sed Neronem videlicet hoc quasi velum prætendisse sceleribus, ut, quæ sponte jussurus erat, ea per accusatores et Senatum exerceret. atque ita imagine quadam justitiæ hominibus vere illuderet. Vulgo est *illuxisse.* LIPS. Nempe in edd. inde a Puteol. Nam in ed. pr. est *inlusisse,* ut in MSS. Flor. (Bud.) Guelf. ERN.

dere etiam Prisco, ne supra Principem scanderet: ne Vespasia- A. U.
num, senem triumphalem, juvenum liberorum patrem, præce- 823.
ptis coerceret. Quomodo pessimis Imperatoribus sine fine do- A. C.
minationem, ita quamvis egregiis modum libertatis, placere. 70.
Hæc, magnis utrimque contentionibus jactata, diversis
studiis accipiebantur. Vicit pars, quæ sortiri legatos ma-
lebat, etiam mediis Patrum adnitentibus, retinere morem.
Et splendidissimus quisque eodem inclinabat, metu invidiæ,
si ipsi eligerentur. Secutum aliud certamen. Prætores 9
ærarii (nam tum a Prætoribus tractabatur ærarium) *publi-
cam paupertatem* questi, *modum inpensis* postulaverant.
Eam curam Consul designatus, ob magnitudinem oneris et
remedii difficultatem, Principi reservabat. Helvidius, *ar-
bitrio Senatus agendum*, censuit. Cum perrogarent sententias
Consules, Vulcatius Tertullinus, Tribunus plebis, inter-
cessit, *ne quid super tanta re, Principe absente, statueretur.*
Censuerat Helvidius, *ut capitolium publice restitueretur, ad-
juvaret Vespasianus.* Eam sententiam modestissimus quis-
que silentio, deinde oblivio transmisit. Fuere qui et me-
minissent. Tum invectus est Musonius Rufus in *Publium* 10
*Celerem, a quo Baream Soranum falso testimonio circumven-
tum,* arguebat. Ea cognitione renovari odia accusationum
videbantur. sed vilis et nocens reus protegi non poterat.
Quippe Sorani sancta memoria: Celer professus sapien-
tiam, dein testis in Baream, proditor corruptorque amici et

Senem triumph.] Vid. Suet. Vesp. 4.

Contentionibus jactata] Cod. Agr. *concertationibus jact.*

Prætores ærarii] De his dictum ad A. 1, 75. Add. ad 13, 28. Sequentia suspecta esse possunt. Quorsum enim hoc additur? cum non additum sit A. 1, 75. cum res nota esset ex ipsius traditione 13, 28. quæ et ad Trajanum usque duravisset. Pro *impensis* MS. Guelf. vitiose *impensius*. Ern.

Perrogarent sententias] Sic ed. pr. Rhen. (e Bud.) seqq. Ceteri edd. etiam MS. Guelf. *prorogarent*. male. Sueton. Aug. 35. *sententias de majore negotio, non more atque ordine, sed, prout libuisset, perrogabat.* ubi similiter variatur. Vid. ibi Oudend. Ern.

Fuere, qui et meminissent] Qui et apud Vespasianum nempe deferrent. quare? quia hæc sententia dignitatem Principis minuebat, Senatus Populique augebat. a quo restitui capitolium, dumtaxat adjuvante Vespasiano, volebat. Lips.

Protegi non poterat] Cod. Agr. *eripi n. p.* De P. Egnatio Celere v. A. 16, 32.

Proditor corruptorque amicitiæ, cujus] Non damno. revera enim philosophus magister amicitiæ, uti et aliarum virtutum est. Nec tamen vetus conjectura mea mihi eviluit, *corruptorque amici et cujus se magistrum ferebat.* Vix enim est, ut Tacitus omiserit, quod valde ad rem et ad culpam facit, fuisse hunc Celerem Bareæ præceptorem. Juvenalis docet 3, 116. *Stoicus occidit Baream, delator amicum Discipulumque senex.* Interpres Juvenalis hanc quoque rem affirmat, in versum 1, 33.—*magni delator amici. Alii dicunt, Philosophum Egnatium Celerem, Bareæ Sorani magistrum, qui ipsum apud Neronem detulit et damnavit: et ipse postea sub Vespasiano, hoc ipsum Musonio Rufo accusante, damnatus est.* Lips. Recepit Lipsii correctionem Pichena, quem omnes deinceps secuti sunt. Ed. pr. *cujus se ingratum ferebat.* Ceterum etiam dure dicitur *corruptor amici*, et alio, quam Latinitas fert, sensu. Nam *corruptores* dicuntur, qui quocunque modo animum moresque aliorum depravant, ut male sentire et agere incipiant; quod

A. U. 823. A. C. 70. cujus se magistrum ferebat. Proximus dies caussæ destinatur. Nec tam Musonius aut Publius, quam Priscus et Marcellus ceterique, motis ad ultionem animis, exspectabantur.

11 Tali rerum statu, cum discordia inter patres, ira apud victos, nulla in victoribus auctoritas, non leges, non Princeps in civitate essent, Mucianus, urbem ingressus, cuncta simul in se traxit. fracta Primi Antonii Varique Arrii potentia, male dissimulata in eos Muciani iracundia, quamvis vultu tegeretur. Sed civitas, rimandis offensis sagax, verterat se transtuleratque. Ille unus ambiri, coli. nec deerat ipse: stipatus armatis, domos hortosque permutans, adparatu, incessu, excubiis, vim Principis amplecti, nomen remittere. Plurimum terroris intulit cædes Calpurnii Galeriani. Is fuit filius C. Pisonis, nihil ausus: sed nomen insigne, et decora ipsi juventa, rumore vulgi celebrabantur: erantque in civitate adhuc turbida, et novis sermonibus læta, qui Principatus inanem ei famam circumdarent. Jussu Muciani custodia militari cinctus, ne in ipsa urbe conspectior mors foret, ad quadragesimum ab urbe

ab h. l. alienissimum. Delator potius amici fuit Celer. Hoc sensit Heinsius unus, quem sciam; qui propterea legendum censebat *correptor*. ep. ad Græv. t. 4. Coll. Burm. p. 162. idque probabat Grævius ib. p. 170. Verbum *corripere* de accusatoribus frequens est hoc sensu. Sed *correptor* nondum sic reperi. Verbum tamen ipsum usitatum fuit illa ætate, obvium aliquoties apud Senecam (de ira 2, 10. 3, 37.) est. Ern. Bud. *pr. c. amicitie ejus se m. f.* Sic se dedisse notat Rhen. sed in textu est vulgatum, quod et Brot. servat, *amicitiæ, cujus.* Contra Lall. et Bip. Lipsii lectionem recepere. Quin in voce *correptor* verum viderit Heinsius, nullus dubito. Quum enim *corripere* nostro sit *adcusare* (v. index), quidni *correptor*, adcusator? Itaque istam emendationem meam facio. In *corruptore* saltem sensus hic nullus. Si cui hoc minus adrideat, servet, hortor, vulgatum. Ibi *corruptor amicitiæ* erit ejus violator.

Motis ad ultionem animis] Corruptissimus antea locus, quem restituimus ab ingenio: cum libris (etiam Bud.) esset, *motis adulationibus animis*: aut, ut Vatic. *motis adulationi*. Sententia est: Non tam minuti illi et plebeii delatores exspectabantur, aut expetebantur, quam, erectis semel cupidine ulciscendi animis, illi Senatorii et illustres Priscus et Marcellus. Lips.

Inter patres] Ita Mercerus, et recte; non *partes*. Senatum nempe intellegit discordem, ut ante ostendit. Lips. Recepit Pichena. Recte. Et clare *Patres* exhibet MS. Guelf. in quo alias loco non uno *partes* pro *patres* reperi: quippe sæpe et facile hæc verba confusa sunt. Mox idem liber cum MS. Flor. (et Bud.) habet *princeps*, ut inde edidit Pichena, pro vulg. *principes*. Ern.

Varique Arrii potentia] Ita MSS. Flor. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. At MS. Bud. ed. pr. *Ariique*. In ed. Rhenani haud dubie casu excidit *Arrii*. nam exhibet tantum *Varique*: cum in lemmate notæ, in qua tradit, MS. Bud. tantum habere *Ariique*, sit *Varique Arrii*. Forte *Vari* deleri et tantum *Arriique* edi voluit, et operæ aberrarunt. Et tamen id vitium operarum diligenter propagatum est, usque ad Pichenam. Ern. In Bud. *Varique* deest.

Unus ambiri, coli] De hac flagranti ambitione Muciani locus incerti scriptoris apud Suidam, in voce. Ἀγήλειν. ait: Ὅτι Μουκιανὸς ὁ Ῥωμαῖος τιμᾶσθαι ὑφ' ἁπάντων ὑπὲρ πάντας ἤθελε, καὶ ἤχθετο, εἰ καὶ ὁστισοῦν οὐχ ὅτι ὑβρίσειεν αὐτὸν, ἀλλ' ὅτι μὴ οὐ μεγάλως ἀγήλειεν. Lips. Sunt verba Dionis, ut cognitum est, editis Excerptis de vitiis et virtutib. a Valesio, ubi reperies p. 702. ut observavit Kusterus. Mox MS. Fl. Agr. ed. pr. *amplecti*. Vid. ad 3, 84. Vulgo, *compl.* Ern. Sic et Bud.

Ad quadr. ab urbe lap.] Ibi villa

lapidem, via Appia, fuso per venas sanguine, exstinguitur. A. U. 823. A. C. 70. Julius Priscus, Prætoriarum, sub Vitellio, cohortium Præfectus, se ipse interfecit, pudore magis, quam necessitate. Alphenus Varus ignaviæ infamiæque suæ superfuit. Asiaticus enim (is libertus) malam potentiam servili supplicio expiavit.

12 Iisdem diebus crebrescentem cladis Germanicæ famam, nequaquam mæsta civitas excipiebat. *cæsos exercitus, capta legionum hiberna, descivisse Gallias*, non ut mala loquebantur. Id bellum quibus caussis ortum, quanto externarum sociarumque gentium motu flagraverit, altius expediam. Batavi, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum: seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ, vacua cultoribus, simulque insulam, nunc Bataviam, occupavere,

erat et monumentum Calpurniorum ubi hodieque reperiuntur lapides, ad gentis ejus libertos spectantes, ut bene notat ex Corradini Latio vet. t. 2. p. 202. Broterius.

Se ipse interfecit] Ita e MSS. Flor. Oxon. bene editum a Ryckio. Idem fuit in Guelf. a m. pr. correctum a sec. in *ipsum*. Quo exemplo discitur, alia loca, ubi hæc pronomina in eodem casu, extra oppositionem, occurrunt, suspecta merito esse debere, ut infra c. 70. Ern. Bud. *se ipsum.*

Asiaticus enim libertus] Ita edidi ex ed. princ. Ceteræ omnes, ut MS. Guelf. (Bud.) *Asiaticus* (*enim is libertus*) inepte, ut dudum judicavere viri docti. *Enim* et *nam* serviunt transitioni, centiesque sic occurrunt ap. Ciceronem et alios. MS. Agr. *etiam:* quod cum *enim* confundi constat. Si esset (*etenim is libertus*) ferri posset. Nam *etenim* in parenthesibus usitatum Liv. 3, 24. *at illi* (*etenim extremum anni jam erat*) etc. et sic idem sæpe. Sed malui lectionem veteris libri, quam conjecturam, sequi. Forte tamen *liberti* verbum est spurium et non a Tacito, sed e nota marginis, *is enim libertus*, in textum venit. Ern. Boxh. interpungi sic jubebat: *Asiaticus enim* (*is libertus*) *m. p.* Sed sic jam Puteol. et Alc. et Lipsius in primis editionibus, bono sensu. Recepere Bip. quos sequor, notantque *enim* pro *autem* positum, ut apud Cæs. B. G. 5, 7. et B. C. 2, 32. Addo Plauti Mostell. 5, 2, 12. *Non enim ibis.* Brot. conjectabat *Asiaticus autem.*

Legionum hiberna] *Castra* addunt Rhen. (e Bud.) et seqq. omnes usque ad Pichenam: male, et contra MSS. Ern.

Id bellum] De quo Josephus ἁλωσ. 7, 4 (23). Mox Bud. *quantum.*

Donec trans Rhenum agebant] *Batti* tum dicti, sive *Catti* promiscuo nomine, habitarant ad Adranam flumen, ubi hodieque nominis documentum in *Battenberg*, *Battenfeld*, *Battenhausen*. Vid. Altingii Not. Bat. t. 1. p. 15. Cf. Poeta Saxo ad a. 778. in Leibnitii SS. RR. Brunsv. t. 1. p. 128. Tempus migrationis incertum. Diu ante Cæsaris ævum contigisse videtur; is enim, ubi de iis agit B. G. 4, 10. nil adspergit, unde nuperi adventus suspicio.

Insulam inter vada] Valde turbant libri. Quidam *insulam vocatam sitam:* alii *insulam vacasitam:* Budensis *insulam Juvata sitam.* Et certe, inter vada, aut vadosa loca, proprie sita non est hæc nobilis insula. quippe inter Rhenum Mosamque, alta et profunda plane flumina. sed vadorum scilicet voce paullo laxius et latius Tacitus usus pro aquis. Quomodo Catullus pro mari 64, 6. *vada salsa cita decurrere puppi:* Virgilius, Ovidius, aliique. Etsi revera vada et brevia multa olim (ut opinor) in illis fluminibus: cum aggeres nondum et certæ ripæ coercerent. ideoque late diffundebantur. An alicui placeat, *insulam Vahali assitam?* Lips. Vulgata lectio primum edita est a Puteolano, quam et clare exhibet MS. Guelf. ut non dubitandum sit, τὸ *inter* esse e MSS. Ryckius id quomodo intelligat, apud ipsum vide. MS. Flor. *juvata sit an.* ed. pr. *vocata sit an.* In lectione Florentina quid lateat, se propediem daturum promisit J. Gronovius: nescio an, aut ubi, dederit. Colerus corrigebat, *insulam Batavam*, sive *Bataviam*, ut diserte vocant Dio 55, 24. p. 565. et Zosimus 3, 6. Ern. Alting. l. c. vulgatum expli-

A. U. 823. A. C. 70. quam mare Oceanus a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit: nec opibus, societate validiorum, adtriti, viros tantum armaque Imperio ministrant. diu Germanicis bellis exerciti: mox aucta per Britanniam gloria, transmissis illuc cohortibus, quas vetere instituto nobilissimi popularium regebant. Erat et domi delectus eques, præcipuo nandi studio, arma equosque retinens, integris turmis Rhe-
13 num perrumpere. Julius Paullus et Claudius Civilis, Regia

cat ex II. 5, 23. ubi *superfusus amnis palustrem humilemque insulam in faciem stagni opplesse* fertur, quod ante aggeres structos frequenter fieri debuit. Id potissimum de Canninefatum, Frisiabonum Frisiorumque minorum regione valere Ryckius putat, quæ demum Wilhelmi R. R. tempore sit Oceani incertis exemta altioribus aggeribus. Ipse Ryckius Coleri conjecturam probat, sed malit *Bataviam*. Bipontini male negant, τοῦ *inter* ullum esse vestigium in codd. quippe quod in Guelf. extat, et ex notis litterarum exsculpunt *Batavam a se dictam*. Mihi videtur legendum *nunc Batavium*, et sic refingo. In codd. olim *nunc* ita pingebatur *n̄c*, unde intelligitur, qui ex *nunc bataviam* ortum *juvata sitam* et similia monstra, vel *inter vada sitam*. Heins. volebat *in Vahali sitam*, quod cod. Spinæ habebat *vata situm*. Dotteville præfert Lipsii *Vahali assitam*, quia nomen *Bataviæ* videatur Tacito ignotum fuisse.

Mare Oceanum] Sic libri edd. omnes (et Bud.). At MS. Reg. et Harl. a m. sec. *Oceanus*, quod recepit Broterius. Eum imitatus sum. quia in neutra forma, aut adjective, nuspiam occurrit. *Mare Oceanus* dicitur ut *Rhenus amnis*. Ern.

Societate validiorum attriti] Sententia est. quamquam Romanis socii et fœderati Batavi, quæ societas apud potentiores plerumque in servitutem transit, tamen non ita eis factum, libertatem tenuere: nec tributa iis imposita, aut servitii aliæ notæ. Vaticanus liber, *societateve aliorum adstricti*. quod minus placet. Lips. Sic etiam ed. pr. *Societateve* etiam MS. Agr. Deinde MS. Guelf. *atteriti*, quæ scriptura et aliis in libris antiquis observata: de eaque jam ad Annales dictum. De re vid. infra c. 17. Ern. Vertranius volebat *a Romanis*. Reg. Lall. *nec opibus Romanis societateve valentiorum adstricti*. Bud. vulg. habet *nec op. Rom. societate validiorum attriti*, in quo equidem cum Colero τὸ *Romanis* insititium esse puto et expungo, sensum enim turbat. *Validiores* vel *valentiores* esse Romanos, res ipsa docet. Suffixum *ve* cum seq. *aliorum* ex voce *validiorum* est ortum. Bip. locum ita constituunt: *nec operibus Romanis societateve alienorum attriti.*

Aucta per Britanniam gloria] *Aucta*, quod se addidisse (e Bud.) ait Rhenanus, jam ed. pr. exhibet. Cetera non habent. Exciderat et in MS. Guelf. sed additum est in margine, alia, ut videtur, manu. Mox MSS. Flor. (Bud.) Guelf. *erant:* quod mihi tamen h. l. durum videtur: nec ausim textui inferre. Post MS. Reg. et ed. pr. *præcipuus n. st.* non recte. ars nandi laudatur, non gratia aut dignitas præcipua. Item durius est *perrumpere*, pro quo MS. Reg. (Bud.) et ed. pr. *perrupere*. In illo int. *suetus, doctus*, ut vidit Broterius. Ern. Ita jam Pich. et Colerus. In Bud. bene *precipuo*.

Arma equosque retinens] Rom. cod. *arma quoque retinens*. quod haut spreverim. uti non tam ipsi tranatasse, quam equis tramisisse intellegantur. Certe ambiguum mihi, Batavorumne hæc ars et opera fuerit, ita ut ipsi, nantes, equos armaque tenuerint; an potius equi ipsi docti sic et facti. E Tacito aut priscis scriptoribus litem hanc haud facile decidas. Noster in Agric. c. 18. viris ipsis tribuere iterum videtur: (de Batavis enim illa capio:) *lectissimos auxiliarium, quibus nota vada, et patrius nandi usus, quo simul seque et arma et equos regunt, repente immisit.* Xiphilinus in Hadriano, ambigue 69, 9. Τὸ ἱππικὸν τῶν καλουμένων Βατάβων μετὰ τῶν ὅπλων διενήξαντο. Hadrianus de Sorano Batavo: *Hadriano, potui qui, judice, vasta profundi Æquora Danubii cunctis tranare sub armis.* Lips. Bud. *arma quosque.*

Claudius Civilis] Hist. 1, 59. vocatur *Julius Civilis*, aliisque (Plut. Ἐρωτ. p. 770. Frontin. Strat. 4, 3, 14.) Græcis et Latinis, ut monet Savilius, qui Paullum et Civilem fratres fuisse putat. Simile est, quod *Felix*, Procurator Ju-

stirpe, multo ceteros anteibant. Paullum Fonteius Capito, A. U.
falso rebellionis crimine, interfecit. Injectæ Civili catenæ, 823.
missusque ad Neronem et a Galba absolutus, sub Vitellio A. C.
rursus discrimen adiit, flagitante supplicium ejus exercitu. 70.
Inde caussæ irarum, spesque ex malis nostris. Sed Civilis, ultra quam barbaris solitum, ingenio sollers, et *Sertorium se*, aut *Hannibalem* ferens, simili oris dehonestamento, ne ut hosti obviam iretur, si a Populo Romano palam descivisset, Vespasiani amicitiam studiumque partium prætendit: missis sane ad eum Primi Antonii litteris, quibus, *avertere accita Vitellio auxilia et, tumultus Germanici specie, retentare legiones*, jubebatur. Eadem Hordeonius Flaccus præsens monuerat, inclinato in Vespasianum animo, et Reipublicæ cura; cui excidium adventabat, si redintegratum bellum et
tot armatorum millia Italiam inrupissent. Igitur Civilis, 14
desciscendi certus, occultato interim altiore consilio, cetera ex eventu judicaturus, novare res hoc modo cœpit. Jussu Vitellii, Batavorum juventus ad delectum vocabatur; quem, suapte natura gravem, onerabant ministri avaritia ac luxu, senes aut invalidos conquirendo, quos pretio dimitterent. rursus inpubes, sed forma conspicui (et est plerisque procera pueritia) ad stuprum trahebantur. Hinc invidia: et compositæ seditionis auctores perpulere, ut delectum abnu-

dææ, modo *Antonius*, modo *Claudius* dicitur. Mox *adiit* edidit Rhen. (e Bud.) Superiores dederant *adit*, ut est in MS. Guelf. Eadem varietas supra A. 15, 5. Ern. Mox Bud. *illi* loco *Civili*.

Simili oris dehonestamento] Cum item, ut Hannibal, altero oculo captus esset. Liv. 22, 2. Ern. Cf. et Plut. in Sertorio ab initio. et supra A. 2, 9.

Prætendit] Simulat, ad tegenda consilia utitur. Intelligendum: *consiliis*. Ea simulatio unde speciem acceperit, statim traditur. Ern.

Avertere accita auxilia] MSS. Flor. Agr. (Bud.) et Guelf. (in quo tamen ultima litera a sec. m. addita) *averteret*: quod est et in ed. pr. deficiente mox præpositione, quæ et a Flor. (et Bud.) abest. Utrumque repetere voluit Rhenanus, sed operæ non paruerunt, ne in secunda quidem edit. Unde altera lectio: *avertere accita a Vit*, in omnibus sequentibus expressa: quam et veram puto: quia et mox *retentare*. Igitur non inspecto ipso textu Rhenani, sed e notula ejus tradit Ryckius, Rhenanum edidisse *averteret accita Vitellio*. Ceterum præpositionem merito delevi. Illud autem bene Rhenanus, quod pro *redintegrandum* edidit (e Bud.) *redintegratum*: quod est etiam in MS. Guelf. ed. pr. Ern.

Dissidii certus] Libri veteres, *desciscendi certus*. Utrum mavis, rectum. Lips. *Desciscendi* etiam Flor. Agr. Guelf. edd. pr. Puteol. Ber. Alc. At nec spreverim lectionem MS. Budens. *discidii*, unde male, ut alibi, factum per operas *dissidii*, jam in prima Rhen. cum in notis diserte *discidii* habeat. Illud (*desciscendi*) restituit Pichena. Ern. In notis ed. sec. male legitur *dissidii*.

Delectum suapte natura gravem] Quippe in longam et longinquam militiam. Velleius in laudibus Tiberii c. 130. *Quanta cum quiete hominum, rem perpetui præcipuique timoris, supplementum, sine trepidatione, delectus providet?* Lips.

Invalidos conquirendo] MS. Guelf. vitiose *conquirendos*. Mox Flor. (Bud.) ed. pr. *impubes*, non *impuberes*, quod bene, ut alibi, a Pichena restitutum: de eoque supra dictum. Post *et ex plerisque* itidem male MS. Agr. Guelf. sed a manu sec. ed. pr. Ern. Bud. *et est*. Heins. volebat *ut est pl*.

Compositi seditionis auctores] Verbum *compositi* semper suspectum habui, quod in MSS. (est etiam in Bud.) et

A. U. 823. A. C. 70. erent. Civilis primores gentis et promptissimos vulgi, specie epularum, sacrum in nemus vocatos, ubi nocte ac lætitia incaluisse videt, a laude gloriaque gentis orsus, injurias et raptus et cetera servitii mala enumerat. *Neque enim societatem, ut olim, sed tamquam mancipia haberi: quando Legatum, gravi quidem comitatu et superbo cum imperio, venire? tradi se Præfectis Centurionibusque: quos ubi spoliis et sanguine expleverint, mutari, exquirique novos sinus et varia prædandi vocabula. Instare delectum, quo liberi a parentibus, fratres a fratribus, velut supremum dividantur. Nunquam magis adflictam rem Romanam, nec aliud in hibernis, quam prædam et senes. adtollerent tantum oculos et inania legionum nomina ne pavescerent. at sibi robur peditum equitumque: consanguineos*

edd. esse videbam. quamquam enim defendi posse videtur loco *Sallustii* ap. Carisium, ubi *lanii* etc. *pretio compositi*, i. e. parati, occurrunt, sicque interpretatur h. l. Gesnerus, tamen durissimum esse nemo neget. Neque vero auctores seditionis parantur, sed socii ab auctoribus. Sed suspicionem corruptelæ confirmavit ed. princ. quæ habet *compositæ seditionis auctores;* quod, ut verissimum, recipere non dubitavi. Sic et in MS. Reg. reperit Broterius, idque et ipse (et Lall.) recepit. Sallust. Jug. 43. *rebus paratis compositisque.* ib. 111. *compositus dolus.* Liv. 4, 13. *composita consilia. Composita seditio* est præparata clam et instructa. Alias non ignoro, *compositam seditionem* dici etiam, quæ finita sit, ut ap. Sueton. Cæs. 4. et alibi. Atque hæc forte caussa corruptelæ, quod librarii eo sensu compositam seditionem dici non putabant: quod non mirandum, cum etiam Sigonio *componere consilium* ap. Livium l. c. dura phrasis visa sit. Mox *servitia mala*, quod se (e Bud.) correxisse Rhenanus dicit *servitii mala*, erat vitium operarum in ed. Alciati. Nam superiores omnes *servitii.* Ern.

Sacrum in nemus] Vide de Germ. 9. Ubinam hoc fuerit, disquirit Alting. in Not. G. Inf. t. 1. p. 103.

Quando Legatum] Nota interrogandi hæc scripserim: atque interpreter: En, usque eo viles Romanis sumus, ut non Legati aut Prætores saltem nos diripiant: id est, honestiorum manibus pereamus; sed latrunculi aliquot minuti, Præfecti et Centuriones. Lips. Si hæc interrogative capiantur, sensus e consuetudine loquendi erit: non venire Legatum, sed Præfectos et Centuriones ad se spoliandos: quod est falsum. Igitur veterem revocari interpunctionem, quæ ante Lipsium fuit. *Quando* accipio dictum pro *quippe*, quod in oratione obliqua, ut *quando*, cum infinitivo dicitur. Ceterum non pro certo dicam, locum nihil corruptelæ habere. MS. quidem Agric. habet: *quando Legatum—venire parum:* idque melius putabat Ryckius. In ed. pr. autem est *quemdam*, pro *quondam*. Etiam *quidem* friget. Ern. Clarior omnino loci sensus admisso interrogationis signo, ut et Broterio visum et Bip. Nec enim continuo Legati in Batavis adfuisse putandum est. *Quidem* erit pro *etiamsi*. Mox Bud. *Centurionibus* sine copula.

Exquirique novos sinus] *Sinus* sc. pecuniæ, qui sint, dictum ad H. 2, 92. Ed. pr. *exequique.* Ern. Bene Bip. huc adferunt locum Plinii 11, 24 (28). ubi *sinus* de aranei reticulis, quibus qui inplicantur, exitum non habent prædæque sunt.

Attollerent tantum oculos etc.] *Attollere oculos* dicuntur, qui animum capiunt amoliendæ a se servitutis, qui pati injurias amplius nolunt etc. Formula sumta e Livio 6, 16. etc. *Inania legionum nomina* vocat legiones infrequentes, invalidasque, quas nemo debeat timere: cum alias vel nomen legionum Rom. ut olim phalangis Maced. terrori esset. Ern.

Esse sibi robur—Germanos] *Esse* abest a Flor. Agr. Bud. sed ejus loco in hoc *et.* ut ed. pr. *Germanos* a MSS. Bud. Guelf. in quo tamen in margine, ab eadem, ut videtur, manu additum est. Verba sequentia: *Gallias idem cupientes* exciderunt in ed. J. Fr. Gronov. In MS. Vatic. supra *Gallias* scriptum *Gallos.* Ern. Teste Ryckio in Flor. 2. m. loco *esse*, quod deest, adposuit *at.* Bud. ha-

Germanos: Gallias idem cupientes: ne Romanis quidem ingratum id bellum, cujus ambiguam fortunam Vespasiano inputaturos: victoriæ rationem non reddi. Magno cum adsensu auditus, barbaro ritu et patriis exsecrationibus universos adigit. Missi ad Canninefates, qui consilia sociarent. Ea gens partem insulæ colit, origine, lingua, virtute, par Batavis; numero superantur. Mox occultis nuntiis perlexit Britannica auxilia, Batavorum cohortes, missas in Germaniam, ut supra retulimus, ac tum Magontiaci agentes. Erat in Canninefatibus stolidæ audaciæ Brinno, claritate natalium insigni. pater ejus, multa hostilia ausus, Caianarum expeditionum ludibrium inpune spreverat. Igitur ipso rebellis familiæ nomine placuit, inpositusque scuto, more gentis, et A. U. 823. A. C. 70. 15

bet *et*. Agr. sic: *Sibi robur* sine copula. Male hæc narrant Bip. sed recte recepere *at*. Sequor.

Ne Romanis quidem ingratum id bellum] Flavianis et melioribus omnium Romanorum, quos erat credibile Vespasianum Vitellio prælaturos, et ideo hos, qui limitem obsidebant, tanquam portionem Vitellianæ factionis impediri proprio negotio, ne creato et subornato ab sese Imperatori, si necessum foret, auxilio venire possent, visuros haud invitos. Sic et *imputaturos* profecto Batavos, non Vitellianorum Duces, ut putavit optimus Pichena. Gron. Hæc sunt subobscura, nec, ut opinor, vera. Sensus est: Romanis gratum faciemus bello movendo, quia putabunt, id in Vespasiani gratiam motum esse. Itaque, si male successerit, culpam Vespasiani fore judicio Rom. sibi nil metuendum. Mox *adigit barbaro r. et p. exsec.* est imitatio formulæ *adigere sacramento*. Ern.

Canninefates] Ursinus ex lapide cit. ad A. 4, 23. ubivis vult scribi *Cannanefas*, sed neque lapides neque libri in hac scriptura consentiunt. Antiqui nominis memoria videtur superesse in vico *Kennebourg*. Cf. Bucher. in Belg. Rom. p. 183. Plura Ryckius.

Missas in G.] Brot. forsan *remissas*.

Ut supra retulimus] Hist. 2, 69. Ceterum cohortes Batavorum sunt ipsa Britannica auxilia, quod diu in Britannia auxiliorum nomine militaverant. Ern.

Brinno] Vide notam mox sequentem. Ern.

Cai. expeditionum ludibrium] Intelligi planum est puerilem illam expeditionem, quam describit Suet. in Caio 43. sq. Ern.

Nomine placuit] Sive etiam, *omine*. At *Brinionem* ipsum *Brunonem* scribi, verius fortasse sit. Lips. Ed. pr. (et cod. Bud.) habet *homine*. Puteolanus edidit *omine*, quod omnes secuti sunt ante Lipsium, in cujus editione primum *nomine* reperi. Videtur sic habuisse exemplum, quod ille primum accommodavit novæ editioni. Id an habuerit hanc lectionem e MS. consulto positam, ignoro. Pichena, qui *nomine* dicit se præferre lectioni *omine*, non dicit, quid sit in MS. Flor. nec J. Gron. In eo tamen esse *nomine*, ut in Guelf. Reg. et aliis, videtur. *Omine* reperit Broterius in MS. Harl. Oxon. et alio, idque prætulit. Nunc vulgatum nec mihi displicet: videturque fortius *nomine*, si id est pro *caussa*, non ut illud nomen illi familiæ usitatum, proprium ac perpetuum fuerit. MSS. Flor. Agr. *Brinno*: quibus consentiunt MS. Guelf. ed. pr. in quibus *Brino*; nisi quod hæc semel *Brumo*, quod favet Lipsii conjecturæ. Nec aliud est *Breno* et *Brenno*, quod Puteol. Ber. Alc. habent. Rhenanus induxit e Bud. *Brinio*: ipse tamen magis inclinat in *Brinno*. Et tamen illud omnes secuti sunt, usque ad Ryckium, qui *Brinno* cum J. Gron. edidit. Ern. *Homine* est pro *omine*, ut medio ævo *hortus* pro *ortus*. Quæ mox de *omine* et *nomine* dicta sunt in edit. priore, turbata fuere; puto me verum sensum restituisse. Mox Rhen. duce Bud. sustulit verbum *placuit*.

Impositusque scuto, more gentis] Mos igitur ille ignotus Romanis, eo quidem ævo. Nam postea irrepsit, sed non nisi cum Barbaris. Galli, Gothi, Franci hunc in cooptando Principe ritum habuerunt: et notavit atque exemplis firmavit P. Pithœus. Illum vide Subsecivor. 2, 6. Sed addo, etiam Græcis levatio-

A. U. 823. A. C. 70. sustinentium humeris vibratus, Dux deligitur. Statimque accitis Frisiis (transrhenana gens est) duarum cohortium hiberna, proxima occupatu, Oceano irrumpit. Nec prævideranl impetum hostium milites: nec, si prævidissent, satis virium ad arcendum erat. Capta igitur et direpta castra. dein vagos, et pacis modo effusos, lixas negotiatoresque Romanos invadunt. Simul excidiis castellorum imminebant: quæ a Præfectis cohortium incensa sunt, quia defendi nequibant. Signa vexillaque et quod militum in superiorem insulæ partem congregantur, Duce Aquillio, Primipilari; nomen magis exercitus, quam robur. Quippe, viribus cohortium abductis, Vitellius, e proximis Nerviorum Germanorumque pagis, segnem numerum armis oneraverat. Civilis, dolo grassandum ratus, incusavit ultro Præfectos, *quod castella deseruissent. Se cum cohorte, cui præerat, Canninefatem tumultum compressurum: illi sua quisque hiberna repeterent.* Subesse fraudem consilio, et dispersas cohortes facilius opprimi, nec Brinnonem Ducem ejus

nem hanc in scutum usurpatam, inter solennia Principatus. Zonaras de Hypatio 14, 6. qui seditiose contra Justinianum electus, *καὶ ἐπὶ ἀσπίδος αὐτὸν μετάρσιον ἄραντες, ἀναγορεύουσι βασιλέα.* Nicephorus Gregoras 1, 2. de Theodoro Ducæ filio: *'Ανηγορεύετο δ' ὕστερον βασιλεὺς παρ' ἑκόντων τῶν ὑπηκόων ἁπάντων, καθεσθεὶς ἐπ' ἀσπίδος, κατὰ τὸ ἐν τούτοις ἐπικρατοῦν ἔθος.* Curopalates de officiis Aulæ c. 17. *'Ο νέος βασιλεὺς ἐπὶ σκουταρίου καθεσθεὶς, ἐπαίρεται ἐς ὕψος.* In Excerptis Georgii Pachymerii 2, 4. *Imperatorio clypeo insidet is, qui Imperio destinatur.* Adde Zosimum 3, 9. in electione Juliani. Lips.

Proximo occupato Oceano] Legam *proxima occupatu, Oceano irrumpit.* hac mente: ut Brinio duarum cohortium castra, quæ finitima Canninefatibus, per Oceanum irruperit. Et accedit, quod in Flor. est *proxima occupata.* Lips. Recepit Pichena. MSS. Agr. (Bud.) Guelf. *proximo occupata Oceano.* ed. pr. consentit cum Flor. Ceteræ usque ad Pich. *proximo occupato Oceano.* Ern. Acid. volebat *qua proxima occupatu*, et deinde *adscitis* pro accitis. Dotteville e cod. suo dat *uni hiberna proximo occupata Oceano.*

Congregantur] Ed. pr. *congregabantur*, non male. Ern. *In superiorem insulæ partem.* Sic Rhen. e Bud. prius *in superiore ins. parte.*

Viribus cohortium abductis] Bona et fida lectio e libris. Frustra Rhen. e Bud. admutilato codice turbat, miscet. Vitellius quidem non cohortes ipsas aut legiones omnes e Germania abduxit: sed illis, manentibus nomine et specie, valentissimum quemque militem subtraxit. id est, vires cohortium abduxit, ut hic ait. Lips. Nempe, quia in MS. abfuerat *quippe viribus*, Rhenanus correxit, *robur, cohortibus abductis, Vitellius* etc. Eadem verba absunt a MS. Guelf. qui insuper habet *abductum*, refertque ad *numerum.* Ed. pr. *quibus viribus c. adductis.* Puteol. *quippe v. c. adductis* cum seqq. usque ad Rhenan. quem ceteri deinde secuti sunt usque ad Lips. qui edidit, quod est in textu. Mox pro *proximis* ed. pr. *primis*, solenni confusione. Ern.

Tumultum compressurum] Sic bene e MS. Bud. edidit Rhen. sic ante ed. pr. sic MS. Reg. Ceteri ante Rhen. dedere *oppress.* quod est et in MS. Guelf. Paullo post MS. Reg. ed. pr. *ducem esse belli, sed Civilem, eis patuit.* In vulgata lectione *ejus* languet, in altera *eis*; quod si deleatur, *ducem esse belli* prætulerim. Ern. Bud. levi errore *tumulum* habet pro *tumultum*, sed bene *compressurum.*

Nec Brinnonem] MS. Agr. ed. pr. *nec Br. esse Ducem belli, sed Civilem eis patuit.* Mox *indiciis, quæ occultaverant*, pro *indiciis conjurationis, quam* etc. Vid. ad A. 1, 4. Deinde in MS. Guelf. verba *propriis cuneis* in margine sunt a manu sec. Ern. Bud. male *ejus* pro *eis patuit.*

belli, sed Civilem esse, patuit: erumpentibus paullatim indiciis, quæ Germani, læta bello gens, non diu occultaverant. Ubi insidiæ parum cessere, ad vim transgressus, Canninefates, Frisios, Batavos propriis cuneis componit. directa ex diverso acies, haud procul a flumine Rheno, et obversis in hostem navibus, quas, incensis castellis, illuc adpulerant. nec diu certato, Tungrorum cohors signa ad Civilem transtulit: perculsique milites inprovisa proditione a sociis hostibusque cædebantur. Eadem etiam navibus perfidia. Pars remigum e Batavis, tamquam inperitia, officia nautarum propugnatorumque inpediebant. mox contra tendere, et puppes hostili ripæ objicere. ad postremum gubernatores Centurionesque, nisi eadem volentis, trucidant, donec universa quatuor et viginti navium classis transfugeret, aut caperetur. Clara ea victoria in præsens, in posterum usui: 17
armaque et naves, quibus indigebant, adepti, magna per Germanias Galliasque fama, *libertatis auctores* celebrabantur. Germaniæ statim misere legatos, auxilia offerentes. Galliarum societatem Civilis arte donisque adfectabat, captos cohortium Præfectos suas in civitates remittendo: cohortibus, abire, an manere mallent, data potestate. manentibus honorata militia; digredientibus spolia Romanorum offerebantur. Simul secretis sermonibus admonebat *malorum, quæ tot annis perpessi, miseram servitutem falso pacem vocarent. Batavos, quamquam tributorum expertes, arma contra communes dominos cepisse. prima acie fusum victumque Romanum. quid? si Galliæ jugum exuant? quantum in Italia reliquum? provinciarum sanguine provincias vinci. ne Vindicis aciem cogitarent. Batavo equite protritos Æduos Arvernosque. fuisse inter Verginii auxilia Belgas: vereque reputantibus, Galliam suismet viribus concidisse. Nunc easdem omnium partes, addito, si quid militaris disciplinæ in castris Romanorum viguerit. esse secum veteranas cohortes, quibus nuper Othonis legiones procubuerint. Servirent Syria Asiaque et suetus Regibus Oriens: multos adhuc in Gallia vivere, ante*

A. U. 823. A. C. 70.

Directa ex diverso acies] Sic libri omnes, nisi quod princ. (et Bud.) *detecta*, vitiose. At Pichena corrigebat *acie*, quia sequitur *obversis navibus*; quod placet. Mox pro *quas* ed. pr. (et Bud.) *quasi.* et sic volebat Rhen. sed operæ non paruere. Itaque illud in omnibus sqq. est, et simul *appulerat*, vitio operarum: quod tamen usque ad Lipsium servatum. Infra: *Centurionesque eadem vol.* in MS. Guelf. sunt in marg. a man. sec. Ern. Bud. *appulerant.* Dein *nisi eadem volentis.*

Vindicis] Hoc nomen deest in Bud. spatio relicto.

Multos adhuc in Gallia] Caute vide legas. Si enim de prima servitute et stipendio, quod Cæsar imposuit, capis, capieris. quomodo enim vera hæc adsertio, cum ab eo tempore ad hunc diem, anni sint inter fere CXX? nec tam vitales, ut opinor, tunc nostri Galli. Sed ad Augustum ejusque ævum id referri verius erit: qui censum tributumque instituit, quod penderent Galli. idque in Consulatu suo septimo. Ad quam rationem nihil absurdi aut vani in hac oratione Civilis. Lips.

A. U. 823. A. C. 70. *tributa genitos. Nuper certe, cæso Quinctilio Varo, pulsam e Germania servitutem. Nec Vitellium Principem, sed Cæsarem Augustum bello provocatum. Libertatem natura, etiam mutis animalibus, datam. Virtutem proprium hominum bonum. Deos fortioribus adesse. Proinde adriperent vacui occupatos, integri fessos. dum alii Vespasianum, alii Vitellium,*
18 *foveant, patere locum adversus utrumque.* Sic in Gallias Germaniasque intentus, si destinata provenissent, validissimarum ditissimarumque nationum Regno inminebat. At Flaccus Hordeonius primos Civilis conatus per dissimulationem aluit. Ubi *expugnata castra, deletas cohortes, pulsum Batavorum insula Romanum nomen,* trepidi nuntii adferebant, Mummium Lupercum, Legatum, (is duarum legionum hibernis præerat) *egredi adversus hostem* jubet. Lupercus legionarios e præsentibus, Ubios e proximis, Treverorum equites, haud longe agentes, raptim transmisit, addita Batavorum ala, quæ jam pridem conrupta, fidem simulabat, ut, proditis in ipsa acie Romanis, majore pretio fugeret. Civilis, captarum cohortium signis circumdatus, ut suo militi recens gloria ante oculos, et hostes memoria cladis terrerentur, matrem suam sororesque, simul omnium conjuges parvosque liberos, consistere a tergo jubet: hortamenta victoriæ, vel pulsis pudorem. Ut virorum cantu, feminarum ululatu, sonuit acies, nequaquam par a legioni-

Mutis animalibus] Acidalius conjicit *brutis*. Quasi non *muta* eadem, quæ bruta, et quidem elegantius. Vide ad Senecam ep. 90. Gron. Cicer. N. D. 2, 53. *An bestiarum? nihilo probabilius, Deos mutarum et nihil intelligentium caussa tantum laborasse.* Sc. *mutæ* non intelligendum, quæ soni nihil edant, sed quæ loqui non possint. MS. tamen Guelf. *multis*, sed ita ut *l* supra adscriptum sit, item ed. pr. Ea verba in MSS. confundi, dudum alii notarunt. Ern. Bud. *mutis*.

Hominis bonum] MSS. Flor. Bud. Agr. ed. pr. *hominum:* quod cum J. Gronovio recepimus. Nam et alia sunt in Tacito similiter desinentia. V. Jac. Gron. ad H. 3, 11. Ern.

Arriperent vacui occupatos] Int. in utroque, *aliis bellis*. *Arripere* autem pro vim inferre, bellum, eleganter. Ern.

Mummium Lup.] MS. Guelf. (Bud.) et alii *Munium*. Idem videtur dare voluisse Spirensis in ed. pr. ubi *munivit*. nam aliis locis est *Munius*, ut c. 22. ubi et Put. sic. (non Bud. qui ut) ceteræ edd. *Mumius*. Vera et antiqua scriptura *Mummius*, quam et Ryckius expressit. Fuisse Legatum legionis, non Legatum simpliciter, patet e c. 22. Ern.

Fidem simulabat] Sic rescripsi necessario, propter rationem linguæ Latinæ pro vulgato *simulat*, quod hic stare nullo modo potest. Id ortum est e compendiaria scriptura, ut sæpe alibi in libris scriptis et editis. Res est ita evidens, ut omnes probaturos correctionem confidam. Paullo post pro *fugeret* MS. Bud. *fungeretur:* male. Ern. Quid hoc monstri? Vulgatum ego ubivis deprehendo *simulabat*, non *simulat*. Vana ergo querela.

Ante oculos et hostes] Bip. ex ingenio *ante oculos esset, hostes*. Egregie, quæritur, an vere? codices obstant; nec in vulg. dura ellipsis. Mox *hortam. vict.* etc. cf. Germ. 7.

Nequaquam par] Quod valde Romani observabant, et velut omen habebant eventus. Appianus in Parthicis 27. *Crassus jussit eos clamorem tollere. in quo maxime militum mæstitia deprehensa est, exilem et dissonum clamorem edentium. Contra, a Barbaris clarus et fortis est redditus.* Lips.

bus cohortibusque redditur clamor. Nudaverat sinistrum A.U.
cornu Batavorum ala transfugiens, statimque in nos versa. 823.
sed legionarius miles, quamquam rebus trepidis, arma or- A. C.
dinesque retinebat. Ubiorum Treverorumque auxilia, fœ- 70.
da fuga dispersa, totis campis palantur. Illuc incubuere
Germani. Et fuit interim effugium legionibus in castra,
quibus *Veterum* nomen est. Præfectus alæ Batavorum,
Claudius Labeo, oppidano certamine æmulus Civili, ne in-
terfectus invidiam apud populares, vel, si retineretur, semi-
na discordiæ præberet, in Frisios avehitur. Iisdem diebus, 19
Batavorum et Canninefatium cohortes, cum jussu Vitellii
in urbem pergerent, missus a Civile nuntius adsequitur. In-
tumuere statim superbia ferociaque, et *pretium itineris,
donativum, duplex stipendium, augeri equitum numerum,* pro-
missa sane a Vitellio, postulabant, non, ut adsequerentur,
sed caussam seditioni. Et Flaccus, multa concedendo, ni-
hil aliud effecerat, quam ut acrius exposcerent, quæ scie-
bant negaturum. Spreto Flacco, inferiorem Germaniam
petivere, ut Civili jungerentur. Hordeonius, adhibitis Tri-
bunis Centurionibusque, consultavit, *num obsequium abnuen-
tes vi coerceret.* Mox, insita ignavia et trepidis ministris,
quos ambiguus auxiliorum animus et subito delectu sup-
pletæ legiones augebant, statuit, continere intra castra mi-
litem. Dein pœnitentia, et arguentibus ipsis, qui suase-
rant, tamquam secuturus, scripsit Herennio Gallo, legionis
primæ Legato, qui Bonnam obtinebat, ut *arceret transitu
Batavos: se cum exercitu tergis eorum hæsurum.* Et opprimi
poterant, si hinc Hordeonius, inde Gallus, motis utrimque
copiis, medios clausissent. Flaccus omisit inceptum, aliis-
que litteris Gallum monuit, ne terreret abeuntes. Unde
suspicio, sponte Legatorum excitari bellum: cunctaque,

Claudius Labeo] In MS. Guelf. est in marg. (in Bud. deest). mox habet *oppidanorum.* male. Deinde *esset invidia* MS. Agr. ed. pr. Ryckius conjiciebat *invidiæ esset*, non male. Mox *advehitur* ed. pr. ceteræque ante Rhen. V. ad A. 16, 2. Ern. Bud. *oppidano* i. e. ut inter cives ejusdem oppidi certamen fieri solet. Mox idem *invidia*, puto, lineola omissa. Dein *avehitur.*

Batavorum et Canninef. cohortes] Ego auxiliares scriptas ex istis populis puto. quod patet e c. 20. init. aliter sentit Schelius ad Hygin. p. 87. Ern.

Nihil aliud effecerat] Bud. *nihil effecerat.*

Qui Bonnam obtinebat] MS. Guelf. *q. B. partem obt.* et in marg. insuper additum *exercitus* post *obt.* Sed *partem* est in litura. nempe est lectio ed. pr. *bonam obtinebat partem exercitus.* Mox *terreret* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. pr. Put. Ber. Alc. idque restituit Pichena. Ceteræ inde a Rhen. *teneret*, quod melius videbatur Freinshemio. Ern. Bud. *qui bona obtinebat.* Dein *teneret* ap. Rhen. vitio operarum debetur; ipse enim nihil notat. Id perperam retentum a seq.

Cunctaque, quæ acc.] Hæc est scriptura MSS. Flor. Agr. Guelf. (in quo tamen *quæ* excidit) edd. ante Rhen. omnium, nisi quod in pr. *que* abest. Itaque merito restituit J. Gronovius pro vulgato *quin cuncta*, quod est e conjectura Rhenani, ducta e MS. Bud. in quo corrupte erat *qui cunctaque.* Ern. Put, Ber. Alc. sane istud *quin* non habent.

A.U. quæ acciderant aut metuebantur, non inertia militis, neque
823. hostium vi, sed fraude Ducum evenire. Batavi, cum ca-
A.C. 70. stris Bonnensibus propinquarent, præmisere, qui Herennio
20 Gallo mandata cohortium exponeret: *nullum sibi bellum ad-
versus Romanos, pro quibus totiens bellassent. Longa atque
irrita militia fessis patriæ atque otii cupidinem esse. Si nemo
obsisteret, innoxium iter fore; sin arma occurrant, ferro viam
inventuros.* Cunctantem Legatum milites perpulerant, *for-
tunam prælii experiretur.* Tria millia legionariorum et tu-
multuariæ Belgarum cohortes, simul paganorum lixarum-
que ignava, sed procax ante periculum, manus, omnibus
portis erumpunt, ut Batavos numero inpares circumfundant.
Illi, veteres militiæ, in cuneos congregantur, densi undique
et frontem tergaque ac latus tuti. Sic tenuem aciem no-
strorum perfringunt. Cedentibus Belgis, pellitur legio, et
vallum portasque trepidi petebant. Ibi plurimum cladis.
cumulatæ corporibus fossæ. nec cæde tantum et vulneribus,
sed ruina et suis plerique telis interiere. Victores, colonia
Agrippinensium vitata, nihil cetero in itinere hostile ausi,
Bonnense prœlium excusabant; tamquam petita pace,
21 postquam negabatur, sibimetipsi consuluissent. Civilis,
adventu veteranarum cohortium, justi jam exercitus ductor,
sed consilii ambiguus et vim Romanam reputans, cunctos,
qui aderant, in verba Vespasiani adigit: mittitque legatos
ad duas legiones, quæ, priore acie pulsæ, in Vetera castra
concesserant, *ut idem sacramentum acciperent.* Redditur re-
sponsum, *neque proditoris, neque hostium se consiliis uti. Esse
sibi Vitellium Principem, pro quo fidem et arma usque ad su-
premum spiritum retenturos. proinde perfuga Batavus arbi-*

Fraude Ducum evenire] Vocem sustuli, *metuebantur*, auctore Vaticano, quæ perperam hic inserta, et de priore linea repetita. LIPS. Est vitium operarum, quod ex ed. Rhen. ad ceteras propagatum est. ERN. Immo hoc vitium est cod. Bud. in quo id verbum ita repetitur. Mox idem male *Bononiensibus*, sic et paullo post.

Mandata exponerent] MS. Flor. (Bud.) ed. pr. *exponeret*, quod probat J. Gron. Sic et MS. Reg. Ad rem nihil interest. Recepit tamen Broterius. ERN. Bene.

Lixarumque ignavia] Sic MSS. et edd. ante Rhen. qui (ex ingenio) correxit *ignava;* recte: nec ullo modo *ignavia* ferri potest: ut mirum sit a Gronoviis id esse repetitum. Mox *circumdant* male MS. Bud. quod tamen probat Rhen. syllaba excidit, ut alias. ERN. Varie hic peccat Bud. *manibus.*, *rumpunt*. . *patebant* etc.

Illi veteres militiæ] Ipsa est Taciti phrasis, et egregia restitutio Florentino codici debetur, atque industriæ Pichenæ. LIPS. Sic et in cod. Vatic. ed. pr. Altera lectio *veteris militiæ memores* alii MS. et edd. inde a Puteol. usque ad Lipsii posteriores edd. quæ post Pichenæ ed. prodiere. Post *in cuneis* male edd. Puteol. seqq. usque ad Pich. *In cuneos* verum est, quod habent Flor. Agr. ed. pr. ex qua male in nota Gruteri apud Gronovios laudatur *in æneis*. ERN. Bud. *veteris militie inciviles congr.* unde Rhen. fingebat *vi habiles.* Vitium, quod in Gronoviis notatur, ad eos ex ipsa editione Gruteri transiit a. 1607.

Perfuga Batavus etc.] Edd. Put. Ber. Alc. *perfugus*. (Bud. bene *perfuga*). Videtur Puteol. in cod. *profuga* habuisse,

trum rerum Romanarum ne ageret, sed meritas sceleris pœnas A. U.
exspectaret. Quæ ubi relata Civili, incensus ira, universam 823.
Batavorum gentem in arma rapit. Junguntur Bructeri A. C.
Tencterique et excita nuntiis Germania ad prædam famam- 70.
que. Adversus has belli concurrentis minas, Legati legio- 22
num, Mummius Lupercus et Numisius Rufus, vallum mu-
rosque firmabant. Subversa longæ pacis opera, haud pro-
cul castris, in modum municipii exstructa, ne hostibus usui
forent. Sed parum provisum, ut copiæ in castra convehe-
rentur: rapi permisere. Ita paucis diebus per licentiam
absumpta sunt, quæ adversus necessitates in longum suffe-
cissent. Civilis, medium agmen cum robore Batavorum
obtinens, utramque Rheni ripam, quo truculentior visu fo-
ret, Germanorum catervis complet, adsultante per campos
equite. Simul naves in adversum amnem agebantur. Hinc

atque inde fecisse *perfugus.* nam illæ voces sæpe in MSS. permutantur a librariis, ignaris *perfugam* pro desertore dici. Vid. Drakenb. ad Liv. 22, 23. Post *arbitrium* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. Ceteræ omnes *arbitrum.* Illud præfert J. Gronovius. Recte. Vid. ad A. 13, 14. Ceterum utrumque Latine dicitur. Mox pro *quæ* male *quippe* ed. Beroald. Alc. Puto esse vitium operarum in ed. Ber. Ern. A. 13, 14. noster admisit *arbitrum.* Quidni et hic? Sic et Brot. Lall. Bip. Vide et dicta ad 15, 17. 16, 11.

Belli concurrentis] Non est *ingruenti* simpliciter, ut Ryckius interpretatur, sed undique ingruentis, propter concursum populorum ad Civilem. Sic *concursum occupationum* dixit Cicero epist. 7, 33. Ern. Recte Bip. monent adcusandi casu non gignendi accipiendum *concurrentis,* pro quo propterea usitatius ponunt *concurrentes.* Sufficit monuisse.

Numisius Rufus] Μνημονικὸν ἁμάρτημα putat Savilius. nam solum Lupercum *duarum legionum hibernis præfuisse* c. 18. nec Numisium ad Vetera fuisse, sed ap. legionem XVI. cujus castra ad Novesium. Primum argumentum infirmum. Nam, etsi pares Legati Legionum, tamen ei potuit a Legato Hordeonio summa rei tradita esse, ut ei alter parere cogeretur, ut Voculæ c. 24. Dein c. 26. XIII. legio Novesii est, Legato Gallo: quamquam de legione ambigi potest. Vid. ibi not. Ern.

Longæ pacis opera] Id est procestria, et quæ ædificari ante castra solent, usibus lixarum aut advenarum. Me vide Milit. Dial. 5, 1. Lips.

Sed parum provisum, ut] Itane in litteræ unius salebra viri docti hæserint? Nam, *ni,* antea legebatur, non, *ut,* velut nos emendavimus. Itaque consensu Vertranius et Rhenanus corrigunt, *sed parvum provisum, ni copiæ.* et provisum interpretantur commeatum, annonam, (ut H. 2, 5.) Ludibria. Nostra sententia clara. Peccatum, inquit, in eo a Ducibus, quod, dum ædificia pro castris diruuntur, commeatum aliaque tolerandæ obsidioni diripi permisere potius, quam ut in castra conveherent ad usum. Lips. Ed. pr. (et cod. Bud.) *vi. Ni* tamen defendunt Salinerius et Ryckius et sic capiunt: sed parum consultum castris erat diruendis procestriis, si non curaretur simul, ut inde copiæ in castra conveherentur, alendis per obsidionem militibus. Non male. Et sic MSS. plures, unde recepit Broterius. Mihi tamen *ut* rectius videtur sensu meo, propter formam orationis. *nam rapi permisere.* Ern.

Utramque Rheni ripam] Vox *utramque* Budensi abest. Et vero, cur utramque ripam milite compleverit, cum hæc in altera gesta? Inducatur igitur id verbi, aut rescribatur, *utrimque.* Id enim veri speciem habet, supra infraque castra militem locatum. ad obsessorum terrorem. Lips. Sed bene defenditur *utramque* a Pichena; idque habent libri præter Bud. omnes. Consulto utramque ripam implevit milite, ut abundare copiis videretur, et tanto plus adspectus terroris incuteret. Ern. Acid. volebat *utrimque.* Mox Bud. *visui.*

A. U. veteranarum cohortium signa, inde depromptæ silvis lucis-
823. ve ferarum imagines, ut cuique genti inire prœlium mos
A. C. est, mixta belli civilis externique facie obstupefecerant ob-
70. sessos. et spem oppugnantium augebat amplitudo valli, quod,
duabus legionibus situm, vix quinque millia armatorum
tuebantur. Sed lixarum multitudo, turbata pace illuc congre-
23 gata, et bello ministra aderat. Pars castrorum, in collem le-
niter exsurgens; pars æquo adibatur. quippe, illis hibernis
obsideri premique Germanias, Augustus crediderat: neque
unquam id malorum, ut oppugnatum ultro legiones nostras
venirent. Inde non loco, neque munimentis labor additus: vis
et arma satis placebant. Batavi Transrhenanique, quo discre-
ta virtus manifestius spectaretur, sibi quæque gens consi-
stunt, eminus lacessentes. Post, ubi pleraque telorum turri-
bus pinnisque mœnium irrita hærebant, et desuper saxis vul-

Silvis lucisque] Sic libri nostri, non *jugisque*. Enimvero in sacris Germanorum lucis ferina ista signa. Tacitus de moribus gentis 7. *Effigiesque et signa quædam detracta lucis in prœlium ferunt.* Lips. Ed. pr. *lucisve.* Ceteræ usque ad Lips. *jugisque,* quod et Guelf. (et Bud.) habet. Broterius suspectum habet *lucisque* l. c. ut e Mor. Germ. additum. Proprium in hac re est verbum *lucis,* ut ex illo loco et aliis patet: id adeo deleri non potest. Si *silvis* quis deleri malit: frequens est verbo speciei addere genus, lucis silvas. Ern. Grut. præferebat *lucisve.* Placet.

Juxta belli civilis] Puto germanum esse. Romanus tamen codex itemque Flor. *mixta belli civilis.* non item male. Lips. Rom. cod. est ed. pr. eam lectionem bene recepit Pichena. MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. *justa.* Rhen. seqq. *juxta:* quod sane eundem sensum efficeret, si a libris scr. firmaretur. Ern. Est in Bud. et sic A. 1, 48. *innocentes ac noxios juxta cadere.* J. Fr. Gronovius Obs. 1, 17. hoc loco quoque legebat *juxta* reddebatque ἐξ ἴσης. Utrum Taciti sit, non dixerim. Recentiores editores in *mixta* conspirant.

Quinque millia armatorum Rom.] Verbum *Romanorum* agnoscunt omnes MSS. præter Budens. et edd. ante Rhenanum: a quo deletum restituit Pichena. Recte *Romanorum* additum dicit Pichena, ut *armatos* a lixis et id genus hominibus distinguantur, quos ad belli ministeria adsumtos, mox dicit Tacitus. Ern. Quasi vero, si absit *Romanorum,* milites a lixis distingui nequeant. Ea vox profecto abundat. Delevi. Prius pro *situm* Rhen. volebat *tum.*

Leniter assurgens] MSS. Flor. Agr. (Bud.) ed. pr. *exsurgens.* Eodem verbo usus est H. 2, 14. Et hic potius alterum substitutum a librariis videtur, quod tritum est usu, quam *exsurgens* illi. Ern. Suus sit honor codicibus. Repono *exsurgens.* Sic et Bip.

Neque umquam id malorum] *Crediderat* intell. timuerat: Numquam eo rem redituram putarat. Est durus loquendi modus; sed in quo libri omnes consentiunt. Ern. Cur timuerat? Potius suo sensu, *crediderat,* sic coerceri Germanias, neque unquam id malorum *oriturum* etc.

Non—labor additus] Formula Virgiliana (G. 1, 150.) *mox et frumentis labor additus:* sed alio sensu. h. l. est, nihil artis aut operæ adsumtum, ad locum munitiorem operibus reddendum, ut major in oppugnando labor esset. Ern.

Quo discreta virtus etc.] Simile quid 3, 27.

Sibi quæque gens consistunt] Durius dictum pro *seorsim,* non permixti inter se. Rhenanus conjiciebat *simul:* quæ verba et alibi confusa notarat. si quid mutandum, malim *soli.* sic infra c. 46. *separatim assistere.* Mox pro *hærebant* MSS. Vatic. Agr. ed. pr. *pendebant,* quod magis placebat Grutero. Ern. *Sibi* Bip. reddunt *secum.* Livius dixisset *pro se quæque;* ut 26, 36. Cf. Hiller. Racem. 12. Mox Bud. *oppositis plerique scalis,* ut Rhen. notat. In edd. Gronov. ea verba deesse dicuntur, perperam. Bud. *herebant.* hujus glossa mihi videtur esse *pendebant.* Bip. hoc præferunt.

nerabantur, clamore atque inpetu invasere vallum, adpositis plerique scalis, alii per testudinem suorum. scandebantque jam quidam, cum, gladiis et armorum incussu præcipitati, sudibus et pilis obruuntur, præferoces initio et rebus secundis nimii. Sed tum prædæ cupidine adversa quoque tolerabant. Machinas etiam, insolitum sibi, ausi. nec ulla ipsis solertia: perfugæ captivique docebant struere materias in modum pontis, mox subjectis rotis propellere: ut alii superstantes, tamquam ex aggere, prœliarentur; pars intus occulti muros subruerent. Sed excussa balistis saxa stravere informe opus: et crates vineasque parantibus adactæ tormentis ardentes hastæ: ultroque ipsi oppugnatores ignibus petebantur; donec, desperata vi, verterent consilium ad moras, haud ignari paucorum dierum inesse alimenta et multum inbellis turbæ. Simul ex inopia proditio et fluxa servitiorum fides ac fortuita belli sperabantur. Flaccus interim, cognito castrorum obsidio, et missis per Gallias, qui auxilia concirent, lectos e legionibus Dillio Voculæ, duodevicesimæ legionis Legato, tradit, ut quam maximis per ripam itineribus celeraret. Ipse pavidus, invalidus corpore, invisus militibus. neque enim ambigue fremebant, *emissas a Magontiaco Batavorum cohortes, dissimulatos Civilis conatus, adsciri in societatem Germanos. non Primi Antonii, neque Muciani, ope Vespasianum magis adolevisse. aperta odia ar-*

A. U. 823. A. C. 70.

24

Per testudinem suorum] Explico in Poliorc. 1, 5. LIPS.

Scandebantque jam quidam] Hæc interpunctio est a Pichena, auctore Flor. nam ante conjungebantur hæc cum antecedentibus et punctum erat post *vallum*. Sed eadem interpunctio in ed. pr. Infra ed. pr. *nec ullam sibi ipsis solertiam*, et post *ducebant*. ERN. Bud. *nec ulla ipsis solertia—docebant*. Prius *scandebant* sine copula. Mox *suprastantes*.

Struere materias] Sic edidit primus Rhen. (e Bud.) idemque est in Guelf. Ante erat *machinas*. Materias struebant in modum pontis, i. e. e trabibus conficiebant machinas altas, in quibus, ut pontibus, consisterent. ERN. Cf. Veget. 4, 17.

Sperabantur] Cod. Agr. *spectabantur*.

Lectos e legionibus] Præpositio addita a Pichena (suadente Mureto). *Duodevicesimæ* idem restituit, ut alibi. At *duo et vices*. edd. pr. Rhen. (e Bud.) sequ. usque ad Pich. et MSS. Flor. Reg. Oxon. unde restituit Broterius. Vid. ad H. 1, 55. ERN.

Ipse pavidus torpere] Quædam editiones, *ipse navibus invalidus corpore*. Forte, *ipse pavidus, invalidus: torpere*. Duplex certe vitium et segnitas huic seni, corporis animique. LIPS. Lectio *ipse navibus invalidus corpore* est et in Flor. Agr. (Reg. Lall.) ed. pr. nec in alia ed. reperi. Unde Pichena conjiciebat: *ipse pavidus, invalidus corpore*. Jac. Gronovius *navibus* suspicatur factum ex *ignavus*. Ceterum Pichenæ correctionem recepit. ERN. Bud. *ipse navibus corpore invisus mil.* quod ad vulg. propius accedit. Sed lectio Flor. a Pichena emendata mihi potior videtur, quam cum Brot. et Lall. recipio. Dotteville istam servat totidem verbis, *navibus* intelligit secutum Flaccum in Rheno, verum dura nimis hæc ellipsis. Mox Bud. Agr. *premebant*.

Adsciri in societatem] *Adsciri* MSS. Flor. et edd. ante Rhen. qui, nescio an e Bud. prætulit *acciri* (ita Bud. *acciri*). Vetus Pichena restituit. Idem verbum c. 80. de eo diximus ad Agric. 19. ERN.

Aperta odia, armaque] Sallustiana imitatio est in Or. 2. ad Cæs. *Hostem adversum deprimere, homini strenuo haud difficile est: occulta pericula neque vitare, neque facere, bonis in promptu est*. LIPS.

A. V. 823. A. C. 70. *maque palam depelli: fraudem et dolum obscura, eoque inevitabilia. Civilem stare contra, struere aciem: Hordeonium e cubiculo et lectulo jubere, quidquid hosti conducat. Tot armatas fortissimorum virorum manus unius senis valetudine regi. Quin potius, interfecto traditore, fortunam virtutemque suam malo omine exsolverent.* His inter se vocibus instinctos flammavere insuper adlatæ a Vespasiano litteræ, quas Flaccus, quia occultari nequibant, pro concione recitavit: vinctosque, qui adtulerant, ad Vitellium misit. Sic mitigatis animis, Bonnam, hiberna primæ legionis, ventum. Infensior illic miles, culpam cladis in Hordeonium vertebat: *ejus jussu directam adversus Batavos aciem, tamquam a Magontiaco legiones sequerentur: ejusdem proditione cæsos, nullis supervenientibus auxiliis. Ignota hæc ceteris exercitibus, neque Imperatori suo nuntiari: cum adcursu tot provinciarum exstingui repens perfidia potuerit.* Hordeonius exemplaria omnium litterarum, quibus per Gallias Britanniamque et Hispanias auxilia orabat, exercitui recitavit; instituitque pessimum facinus, ut epistolæ Aquiliferis legionum traderentur; a quis ante militi, quam Ducibus, legebantur. Tum e seditiosis unum vinciri jubet, magis usurpandi juris, quam quia unius culpa foret. Motusque Bonna exercitus in coloniam

Interfecto traditore] *Traditorem* pro proditore non dixere veteres. nec huc pertinent *traditores* Christiani, quos Ryckius adfert. N. Heinsius corrigit: *interfecto traditove*, nempe custodiæ, quæ ad Imperatorem adduceret. Alii malunt *proditore*, quod magis placet: nam illud durius, sive custodiæ intelligas, sive hostibus. Mox ei c. 25. *proditio* exprobratur. *Tradere* et *prodere* in libris permutari aliquot locis notavit ad Livium Drakenb. (V. saltem ad 3, 54.). Mox ed. pr. *a malo omine*. Ern. *Tradere* et noster et Livius eo sensu. Quidni et *traditor* noster dixerit? Nec obstat, quod aliis alia significatione accepta vox sit. Brot. et Lall. præferunt *traditove*.

Vocibus insistentes] Alii, *vocibus instinctos*. Lips. Hoc verum, beneque receptum a Pichena, auctore Flor. Consentit MS. Reg. Agr. ed. pr. similiter Tacitus A. 2, 46. Ern. Et in Agr. 35. Bud. *vocis insistentes*.

Exemplaria o. l.] MSS. Flor. Bud. Guelf. *exemplares*: edd. omnes *exemplaria*. Ern. *Exemplares*, Rhen. intelligit litteras. Sed adjectivum id primum occurrit apud Macrob. qui in somn. Scip. 1, 8. habet *exemplares virtutes*.

Epistolæ Aquiliferis] Cur Aquiliferis? quia legendæ nimirum ad signa: id est, in principiis. Facit omnino ad hunc morem, quod Spartianus in Pescennio Nigro c. 4. refert ex epistola M. Antonini Imp. *Itaque misi litteras recitandas ad signa*. Lips. Si Aquiliferi Centuriones primipilares, ut supra diximus placere Fabretto, alia caussa instituti erit. Nam per Centuriones talia vulgari solita. Mox Lipsius volebat legi *legantur*: sine necessitate. Verba posteriora dicuntur e persona Taciti. MS. Agr. *Duci*. Ern. Bud. *Ducibus*. Acid. *pessimum facinus* includit parenthesi cum exclamatione.

Magis usurpandi juris] Vaticanum jure sequor in elegantissimo genere dicendi. Nam vulgati scilicet, *caussa*, inculcaverant, sine caussa. Prisci autem hac brevitate sermonis usi sæpe. Sallustius Jug. 88. *Quæ postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognovit*. Livius 27, 9. *Ea prodendi Imperii Romani, tradendæ Annibali victoriæ, esse*. Plautus Rud. 5, 3, 18. *Jusjurandum rei servandæ, non perdundæ, conditum est*. Ulpianus: *Siquis evitandi criminis id egit, ut Reip. caussa abesset*. Recte enim ita liber Flor. Lips. Abest *caussa* etiam ab ed. pr. Ern. Item a Bud. et Reg. Lall.

Agrippinensem; adfluentibus auxiliis Gallorum, qui primo A. U.
rem Romanam enixe juvabant: mox, valescentibus Ger- 823.
manis, pleræque civitates adversum nos armatæ spe liberta- A. C. 70.
tis; et, si exuissent servitium, cupidine imperitandi. Glis-
cebat iracundia legionum, nec terrorem unius militis vin-
cula indiderant. quin idem ille arguebat ultro *conscientiam*
Ducis: tamquam nuntius inter Civilem Flaccumque falso cri-
mine testis veri opprimeretur. Conscendit tribunal Vocula
mira constantia, prehensumque militem ac vociferantem *duci*
ad supplicium jussit. Et, dum mali pavent, optimus quis-
que jussis paruere. Exin consensu *Ducem Voculam* poscen-
tibus, Flaccus summam rerum ei permisit. Sed discordes 26
animos multa efferabant: inopia stipendii frumentique; et
simul delectum tributaque Galliæ adspernantes; Rhenus
incognita illi cælo siccitate vix navium patiens; arti com-
meatus: dispositæ per omnem ripam stationes, quæ Ger-
manos vado arcerent: eademque de caussa minus frugum,
et plures, qui consumerent. Apud inperitos prodigii loco
accipiebatur ipsa aquarum penuria, tamquam nos amnes
quoque et vetera Imperii munimenta desererent. quod in
pace *fors*, seu *natura*, tunc *fatum et ira Dei*, vocabatur. In-
gressis Novesium tertiadecima legio conjungitur. Additus
Voculæ in partem curarum Herennius Gallus, Legatus: nec
ausi ad hostem pergere, loco, cui Gelduba nomen est, ca-
stra fecere. Ibi struenda acie, muniendo vallandoque et cete-
ris belli meditamentis militem firmabant. Utque præda ad
virtutem accenderetur, in proximos Gugernorum pagos, qui

Adversum nos armatæ] MSS. Fl. Bud. ed. pr. *arma*, quod recepit J. Gron. intelligique vult *sumsere*, quod additur in MS. Agr. Sane *armis* sæpe *armati* substituti in libris scr. ut pluribus locis ad Livium docuit Drakenb. (ut ad 22, 37.). Sed mihi durior illa ellipsis videtur. Hæsit fortasse librarius in verbo, quod hic significat, arma cepere. Itaque non ausus sum imitari Gronovium. In ed. pr. excidit *nos*, ut in MS. Agr. Ern. Bip. legunt *armari.*

Incognita illi cælo] *Illi* abest a MSS. Bud. Guelf. Ern.

Tunc fatum] Simile huic 1, 86.

Tertiadecima legio] MS. Agr. ed. pr. XVI. Ceteræ edd. vulgatum habent. Ejusdem legionis iterum mentio infra c. 62. ibi quoque XVI. MS. Flor. sed MS. Agr. ed. pr. XIII. Ex quibus patet, ex priori loco petitum argumentum Pichenæ pro legione XIII. adversus Mercerum, corrigentem c. 62. XVI. nil valere. Illud efficacius, quod 3, 22 legio XVI. a Vitellio in Italiam abducta dicitur. Sed et aliæ ab eo abductæ tum, in hoc bello memorantur. Ern. Bud. hic et c. 62. XIII. Fuere autem duæ legiones hoc numero, altera, quæ Vespasiano accesserat H. 2, 86. altera, de qua h. l. in verba Vespasiani adigetur serius c. 62.

Loco Gelduba nomen est] Ed. pr. habet *loco, cui G. n. e.* quod cum Grutero verum puto. Scio, formulam illam usitatam Livio: sed, ubi ea occurrit, semper præcedit *ibi*, aut simile quid. idque ubi est, male pronomen inseritur, ut fit subinde in libris: quod hic secus est, ubi nil præcessit, ad quod verba *loco G. n. e.* referantur. Noster infra c. 84. *loco, cui nomen Rhacotis.* Ita omnes libri. Mox *incenderetur.* edd. Puteol. sqq usque ad Pich. MS. Guelf. *incederetur* vitiose. Paullo post *Vocula* sine præpositione MSS. Flor Bud. edd. pr Rhen. Gryph. Ceteri libri addunt. MS. Agr. *Voculæ.* Ern. Bud. *accederetur.*

Gugernorum pagos] De scriptura nominis vid. ad 5, 16. Ern.

A. U. societatem Civilis acceperant, ductus a Vocula exercitus.
823. Pars cum Herennio Gallo permansit. Forte navem, haud
A. C. procul castris, frumento gravem, cum per vada hæsisset,
70. 27 Germani in suam ripam trahebant. Non tulit Gallus, mi-
sitque subsidio cohortem. Auctus et Germanorum numerus,
paullatimque adgregantibus se auxiliis, acie certatum. Ger-
mani multa cum strage nostrorum navem abripiunt. Victi
(quod tum in morem verterat) non suam ignaviam, sed per-
fidiam Legati culpabant. Protractum e tentorio, scissa
veste, verberato corpore, *quo pretio, quibus consciis, prodidis-
set exercitum*, dicere jubent. Redit in Hordeonium invidia.
Illum *auctorem sceleris*, hunc *ministrum* vocant; donec, exi-
tium minitantibus exterritus, proditionem et ipse Hordeonio
objecit: vinctusque, adventu demum Voculæ exsolvitur.
Is postera die auctores seditionis morte adfecit. Tanta illi
exercitui diversitas inerat licentiæ patientiæque. Haud du-
bie gregarius miles Vitellio fidus: splendidissimus quisque
in Vespasianum proni. inde scelerum ac suppliciorum vices,
et mixtus obsequio furor: ut contineri non possent, qui pu-
28 niri poterant. At Civilem inmensis auctibus universa Ger-
mania extollebat, societate nobilissimis obsidum firmata.
Ille, ut cuique proximum, *vastari Ubios Treverosque, et aliam
manum Mosam amnem transire*, jubet *ut Menapios et Morinos
et extrema Galliarum quateret*. Actæ utrobique prædæ; in-

Auctus et Germ. numerus] Edd. Puteol. Ber. Alc. *est.* male. item mox *arripiunt*, quod est etiam in ed. pr. Ceteræ inde a Rhen. (e Bud.) omnes *abripiunt*, consentiente Guelf. ERN. Bud. *auctus et.*

At Civilem immensum] Locum recte ita purgavimus, cum legeretur, *immensis actibus*, vulgo. In Covarr. erat *auctibus.* in Rodolphi codice *laudibus.* Quæ omnes externæ et addititiæ voces, pro libito explentium. At mihi Vaticanus ille bonus bene præivit, qui legit, *immensis universa Germ.* Ex quo phrasim facile elicui Tacito et Sallustio notam. Noster A. 3, 30. *Opumque, quis domus illa immensum viguit, primus accumulator.* Sallustius 3. Hist. ap. Non. 1, 83. *Neque jam sustineri poterant, immensum aucto mari et vento gliscente.* Nec tamen absurde etiam scripseris, *immensum quantum.* Nam Vaticano certe spatium aliquod post eam vocem est, quasi altera defiat. Pichenæ quidem placere video, ex Flor *immensis auctibus:* quod interpretatur, auctum valde viribus copiisque, a Germanis. Ut quisque volet: at nimia pro re et vero illa locutio sit *immensis auctibus.* Ubi hæc tam magna? ne dicam, *immensa.* LIPS. Pichenæ correctionem omnes postea recepere. Recte. *Actibus* edd. omnes ante Lips. *Actus* et *auctus*, ut ipsa verba *agere* et *augere*, sæpe in libris confunduntur, v. Drakenb. ad Liv. 4, 2. 21, 61. Bene comparavit Acidalius Vell. 2, 40. *hujus viri fastigium tantis auctibus fortuna extulit:* ususque eo verbo aliquoties Livius, ut ll. cc. ERN. In verbis Lipsii in utraque editione Ernesti, immo et utraque Gronoviorum, ultima phrasis turpiter truncata hic a me est restituta. Bud. *inmensis artibus*, vitiose. Faernus legebat *auctibus.*

Transire jubet] Faernus, Acidalius, Freinsh. corrigunt *transiri*, aut *et aliam manum.* Excusari vulgatum utcunque potest, si intelligas *Duces populorum.* Mox *quateret* MSS. (Flor. Agr. Reg. Lall.) edd. vett. ante Rhen. nisi quod princ. vitiose *quæreret.* refer. *ad manum.* Rhenanus correxit (e Bud.) *quaterent,* quod omnes secuti sunt usque ad Ryckium. ERN. Lego cum Freinsh. et Bip. *aliam manum.* Solet in MS. codd. lineola adcusativi index omitti. Ryckius subaudiebat *suos* et vulg. servat *alia manu.*

festius in Ubiis, quod gens Germanicæ originis, ejurata pa- A. U.
tria, Romanorum nomen, *Agrippinenses*, vocarentur. Cæsæ 823.
cohortes eorum, in vico Marcoduro, incuriosius agentes, A. C.
quia procul ripa aberant. Nec quievere Ubii, quominus præ- 70.
das e Germania peterent: primo inpune, dein circumventi
sunt; per omne id bellum meliore usi fide, quam fortuna.
Contusis Ubiis, gravior et successu rerum ferocior Civilis,
obsidium legionum urgebat: intentis custodiis, ne quis oc-
cultus nuntius venientis auxilii penetraret. Machinas mo-
lemque operum Batavis delegat: Transrhenanos, *prœlium*
poscentis, *ad scindendum vallum ire, detrusosque redintegrare*
certamen, jubet; superante multitudine et facili damno. nec
finem labori nox adtulit. Congestis circum lignis accen- 29
sisque, simul epulantes, ut quisque vino incaluerat, ad pu-
gnam temeritate inani ferebantur. Quippe ipsorum tela per
tenebras vana: Romani conspicuam Barbarorum aciem, et,
si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destina-
bant. Intellectum id Civili: et, *restincto igne, misceri cuncta*
tenebris et armis, jubet. Tum vero strepitus dissoni, casus
incerti, neque feriendi, neque declinandi providentia. Unde
clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus: nihil

Quos genus Germanicæ] E Budensi et Romano colligas, *quod gens German.* et statim, *vocarentur*. Lips. Ita placebat et Rhenano aliisque: aliis aliter. Mox Lipsius aliique *Romano:* Gruterus per glossam additum *Romanorum nomen* (quod habent MSS. Flor. Bud. Agr. (Reg. Lall.) ed. pr.) idque in textum venisse, dein mutatum esse in *R. nomine*, favente Ryckio. At J. Gronovius (it. Brot. Lall.) illud ipsum *Romanorum nomen* recepit, comparans illud: *nomen ego Ausonius:* quem nos, ob auctoritatem librorum, secuti sumus. Iidem libri *vocarentur:* ceteri inde a Puteol. usque ad Pichenam *vocarent*. Ern. Bud. *quos gens*. Bip. lectionem Gronovii et Ernesti servant, sed *Romanorum nomen* iis est *Rom. colonia*, quasi *familia* vel *clientela*, ut A. 3, 30. *in nomen adsciscere*.

In vico Marcoduro] Hodie *Düren* ad Ruram.

Nec finem labori nox attulit] Ed. Ven. *nec finem quidem labori*. Videtur iste codex significare: *Ne nox quidem finem labori attulit*. Gron. Similiter Oxon. Guelf. *ne finem quidem labori*. Ed. Venetæ i. e. Puteol. consentiunt Ber. Alc. Vulgatum est ab ed. pr. Rhen. idque verum, quod et MS. (Flor. Agr.) Reg. habet. Gronovianam tamen correctionem, si libri magis faverent, probarem. Ern. A *Nec* caput incipere jubet Freinsh.

Insignibus effulgens] MS. Agr. addit *armis*. *Insignia arma* non uno loco dixit Livius: sed et infra c. 46. *insignia* et *arma* distinguuntur. *Insignia* de toto ornatu militari capienda. H. 1, 38. *ut Prætorianus aut legionarius suis insignibus distingueretur*. Mox *miscere* J. Gronovius: quod et ipsum Latinum est, sed *misceri* melius, quod MSS. (etiam Bud.) et edd. veteres habent. Ern.

Tendere arcus] Mihi suspectum, et tibi, si attendes. Quorsum hic arcus? De Germanis sermo est, quibus haud crebra ea arma: sed nec ille sensus ad Taciti sensum. Mihi videbatur, *tendere armis*. Et ita solet. ubi periculum, eo armis tendimus. Lips. Acidalius malebat *jactus*. *Arcus* certe verum esse vix potest. Nam intelligitur *eo*, quod respondet τῷ *unde*. Sed *arcus tendi* vulgo dicitur simpliciter, non *aliquo*. Tela diriguntur in certum locum, non arcus, proprie. Itaque Lipsiana correctio valde arridet: nec sufficit pro vulgata lectione, demonstrasse, aliquem usum arcus etiam inter Germanos fuisse. Mox in ed. pr. excidit *virtus*. Ern. Bud. habet. De arcuum usu apud Batavos nullum dubium. *Tendere arcus*, propria et apta dictio. Lipsius τῷ *arcus* prius substituere parabat *artus*, quod Colerus inpugnat, cui posteriores istius curæ nondum visæ. Lall. probat *armis*, frustra. Recte

A. U. prodesse virtus, fors cuncta turbare et ignavorum sæpe telis
823. fortissimi cadere. Apud Germanos inconsulta ira: Roma-
A. C. 70. nus miles, periculorum gnarus, ferratas sudes, gravia saxa,
non forte jaciebat. Ubi sonus molientium, aut adpositæ
scalæ hostem in manus dederant, propellere umbone, pilo
sequi: multos, in mœnia egressos, pugionibus fodere. Sic
30 exhausta nocte, novam aciem dies aperuit. Eduxerant Ba-
tavi turrim, duplici tabulato, quam, Prætoriæ portæ (is
æquissimus locus) propinquantem, promoti contra validi
asseres et incussæ trabes perfregere, multa superstantium
pernicie. Pugnatumque in perculsos subita et prospera
eruptione. Simul a legionariis, peritia et arte præstantibus,
plura struebantur. Præcipuum pavorem intulit suspensum
et nutans machinamentum, quo repente demisso, præter
suorum ora singuli pluresve hostium sublime rapti, verso
pondere intra castra effundebantur. Civilis, omissa oppu-
gnandi spe, rursus per otium adsidebat, nuntiis et promissis
fidem legionum convellens.

31 Hæc in Germania ante Cremonense prœlium gesta, cu-
jus eventum litteræ Primi Antonii docuere, addito Cæcinæ
edicto. Et Præfectus cohortis e victis, Alpinus Montanus,
fortunam partium præsens fatebatur. Diversi hinc motus
animorum. Auxilia e Gallia, quis nec amor, nec odium in
partes, militia sine adfectu, hortantibus Præfectis, statim a
Vitellio desciscunt: vetus miles cunctabatur. Sed adigente
Hordeonio Flacco, instantibus Tribunis, dixit sacramentum,
non vultu, neque animo, satis adfirmans: et, cum cetera ju-
risjurandi verba conciperent, *Vespasiani* nomen hæsitantes,
32 aut levi murmure et plerumque silentio, transmittebant. Le-
ctæ deinde pro concione epistolæ Antonii ad Civilem, sus-
piciones militum inritavere, tamquam ad socium partium
scriptæ, et de Germanico exercitu hostiliter. Mox adlatis

Ryckius non magis de Germanis hic, quam de Romanis, esse sermonem adnotat.

Periculorum gnarus] Edd. ante Rhen. omnes, MS. Guelf. (et Bud.) *ignarus*. Ern. Rhen. emendavit ex ingenio.

Pavorem intulit] Cod. Agr. et Reg. Lall. *terrorem*. Prius Bud. *ruptione*.

Verso pondere] Machina fuit similis Archimedeæ ap. Liv. 24, 34. Sed est aliquid obscuritatis in *verso pondere*. Nam in sublime rapiebantur pondere tollenonis, e quo manus ferrea pendebat, in solum depresso, ut naves apud Livium. Sed *rapti in altum* deinde dicuntur in castra *effusi verso pondere*: sc. conversione quadam ponderis et tollenonis ipsius, ut manus ferrea versus castra torqueretur, et rapti supra castra penderent, atque ita in castra præcipites darentur, vel machinæ totius, verso ejus cardine. Ern. Cf. Veget. 4, 21. et Festus.

Nuntiis et promissis] Copulam bene Rhen. inseruit e Bud.

Cæcinæ edicto] Is enim tum Consul. Videtur cohortatus esse edicto alias legiones, ut partes Flavianas amplecterentur. Ern.

Alpinus Montanus] Trevir, de quo 3, 35.

Hort. Præfectis] Bud. *Tribunis*.

Verba conciperent] Ita, ut præibantur verba, pronunciarent. Verbum proprium in jurejurando. Unde *conceptis verbis jurare*. Eadem formula mox c. 41. Ern.

Geldubam in castra nuntiis, eadem dicta factaque: et mis- A. U.
sus cum mandatis Montanus ad Civilem, *ut absisteret bello:* 823.
neve externa armis falsis velaret. Si Vespasianum juvare ad- A. C.
gressus foret, satisfactum cœptis. Ad ea Civilis primo callide: 70.
post, ubi videt Montanum præferocem ingenio, paratumque in res novas, orsus a questu periculisque, quæ per quinque et viginti annos in castris Romanis exhausisset, *Egregium,* inquit, *pretium laboris recepi, necem fratris et vincula mea et sævissimas hujus exercitus voces, quibus ad supplicium petitus, jure gentium pœnas reposco. vos autem Treveri, ceteræque servientium animæ, quod præmium effusi totiens sanguinis exspectatis, nisi ingratam militiam, inmortalia tributa, virgas, secures et dominorum ingenia? En ego Præfectus unius cohortis et Canninefates Batavique, exigua Galliarum portio, vana illa castrorum spatia excidimus, vel septa ferro fameque premimus. denique ausos aut libertas sequetur, aut victi iidem erimus.* Sic accensum, sed *molliora referre* jussum, dimittit. Ille, ut inritus legationis, rediit, cetera dissimulans, quæ mox erupere.

33 Civilis, parte copiarum retenta, veteranas cohortes, et quod e Germanis maxime promptum, adversus Voculam exercitumque ejus mittit: Julio Maximo et Claudio Victore, sororis suæ filio, Ducibus. Rapiunt in transitu hiberna alæ, Asciburgii sita: adeoque inprovisi castra involavere, ut non adloqui, non pandere aciem Vocula potuerit. Id solum, ut in tumultu, monuit, *subsignano milite media fir-*

Neve externa armis falsis velaret] Clarius, *externa arma.* hoc sensu, ne Civilis ultra tegeret perfidiam et rebellionem: neu, quod revera externum bellum erat, tegeret et velaret, quasi pro Vespasiano sumtum et civile. Lips. Nulla est necessitas ita corrigendi. *Externa* sunt hostilia, hostilis animus, ut alibi. *Armis* omnes scr. (Bud. etiam) et edd. ante Lipsium. Itaque id post Ryck. et J. Gron. restitui. Sensus est, ne specie belli pro Vespasiano gerendi hostilem adversus Romanos animum tegere conaretur. Ern. *Externa* noster non semel ita sumit. Vid. H. 1, 79. 3, 5. et infra c. 72.

Pretium laboris cepi] Edd. Puteol. Ber. Alc. *cœpi* vitiose, pro *cepi,* quod ceteræ edd. habent inde a Rhen. Sed MS. Flor. (et Bud.) *recipi,* Agr. ed. pr. *recepi:* quod verum esse locus Virgilii arguit, quem haud dubie in animo habuit, Æn. 4, 93. *Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis:* ubi etiam sufficiebat *fertis.* itaque recepi in textum. Infra cum Ryckio edidi *præmium effusi* etc. pro *pretium,* quod alibi defendi, quia illud MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. habent, et ne bis eodem verbo utatur. Sic placebat et J. Gron. Ern.

Vos autem Treveri] Bud. *Vosque Treveri.*

Molliora referre] Sic MS. Flor. unde recepit Pichena cum seqq. Consentit ed. pr. At Puteol. Ber. dedere *moliora,* quod eodem redit: nam sæpe talis scriptura in vett. libris. Id mutatum est in *meliora* in ed. Alc. forte ab operis, velut vitiosum. nam alias presse Beroaldum sequitur. Inde omnes *meliora,* quod tamen et MS. Reg. (et Agr.) habet. Illud h. l. melius putavi. Vid. tamen ad 1, 69. ubi paullo aliter est. Ern. Bud. quoque *molliora referre* licet syllabis male distractis.

Sororis suæ filio] Romanus cod. et Rodolphus *sororis suæ viro.* Lips. In ed. Rom. quam Lipsius laudat, non est *viro,* sed *sororis suæ victores,* vitiose repetito verbo, quod ante erat *Claudio victores* pro *victore.* Mox quæ edd. habeant *capiunt* pro *rapiunt,* ut tradit Gruterus, nescio. Meæ omnes (et Bud. cod.) *rapiunt.* V. ad 2, 17. Ern. Bud. *scr. sue filio.* Mox *Asciburgium* hodie *Asburg.*

Subsignano milite etc] . [illegible]

A. U. 823. A. C. 70. *mare.* auxilia passim circumfusa sunt. Eques prorupit, exceptusque compositis hostium ordinibus, terga in suos vertit. Cædes inde, non prœlium. Et Nerviorum cohortes, metu seu perfidia, latera nostrorum nudavere. Sic ad legiones perventum: quæ, amissis signis, intra vallum sternebantur; cum repente novo auxilio fortuna pugnæ mutatur. Vasconum lectæ a Galba cohortes ac tum accitæ, dum castris propinquant, audito prœliantium clamore, intentos hostes a tergo invadunt, latioremque, quam pro numero, terrorem faciunt: aliis a Novesio, aliis a Magontiaco, universas copias advenisse credentibus. Is error Romanis addit animos, et, dum alienis viribus confidunt, suas recepere. Fortissimus quisque e Batavis, quantum peditum erat, funduntur: eques evasit cum signis captivisque, quos prima acie conripuerant. Cæsorum eo die, in partibus nostris, major
34 numerus et inbellior; e Germanis ipsa robora. Dux uterque, pari culpa meritus adversa, prosperis defuere. Nam Civilis, si majoribus copiis instruxisset aciem, circumiri a tam paucis cohortibus nequisset, castraque perrupta exsci-

militis et supra 1, 70. mentio a Tacito injecta. Is qui sit, parum inter eruditos convenit. Adhuc nihil melius vidi, quam quod Salmasio de Mil. R. c. 4. p. 40. et Schelio ad Hygin. p. 40. placet, *subsignanos* dici, qui sint sub signis, et armati sua signa, sive in acie, sive in agmine, sequantur. Nam *legiones* dicuntur *sub signis esse* Pollioni ap. Cic. ep. 10, 33. et *duci*, ad Att. 16, 8. Itaque antesignani primi subsignanorum, postsignani postremi. Sed tamen adversatur locus Livii 8, 8. ubi dicit: *hoc XXX manipulorum agmen antesignanos appellabant* (sic enim legendum, non *antepilanos*) *quia sub signis alii XV. ordines locabantur:* qui locus est huic nostro similis. Unde suspicor *subsignanum* militem h. l. esse subsidia, quibus acies firmatur, h. l. media, idque est verbum proprium de subsidiis. Ceterum non negem, *subsignanos* etiam eo modo dici, quo Salmasius vult, sicut et formula, *sub signis esse*, duobus modis dicitur. Sed illud h. l. est aptius. Ceterum illud convenit ex h. l. intelligere, eo nomine solos legionarios intelligi. Distinguuntur enim clare ab auxiliis. Itaque dicuntur discessu Nerviorum (ea erant auxilia) Romanorum i. e. legionariorum latera nudata. sensus igitur loci hic: mediam aciem, in cujus robore et firmitate res maxime verteretur, firmarent milite, non quovis, sed legionario, cujus maxima vis: h. e. quam plurimum legionarii militis ibi locarent. Ceterum *mœnia* pro *media* habent MS. Agr. ed. pr. Male. Item uterque liber *latera nostra.* Ern. Bud. *media.* Dein *latera nostrorum.*

Terga in suos vertit] Non est argutandum in verbis cum Mureto, qui *in suos* deleri volebat, quod terga hostibus darentur, non in eos verterentur, qui fuga petuntur. Fugam direxere versus suos Ern.

Dum castris propinquant] Bud. *appropinquant.*

Intentos hostes] Intell. in milites, qui in castris. Liv. 2, 53. *pars Romanos toto impetu intentos in castra adoriuntur:* et sic alibi sæpe. Etiam sequens forma, *latiorem, quam pro numero, terrorem faciunt*, est e Livio. Mox *Romanis* aberat a MS. Bud. nec est in Flor. (nec Agr.) ed. pr. sed vix commode abfuerit. J. Gronovius hoc sentiens, interpunctionem mutandam putat sic: *aliis* (i. e. Romanis) *a Novesio, aliis a Mag. n. c. a. credentibus, is error addit animum:* quod probari non potest. In verbis *Is error* initium esse novæ sententiæ, facile sentiat quivis. Scriptum fuit olim *is error Rom.* Itaque facile hoc excidere potuit. Ern. Mox cod. Agr. *suscepere.* Bud. priora sic: *clamore intento hostis* (adcusandi casu, puta) *a t. inv.*

Circumiri a tam paucis] MS. Reg. Agr. ed. pr. *circumveniri.* Eadem ed. *nequivisset* et *excidissent*, ut MS. R. Mox

disset. Vocula nec adventum hostium exploravit, eoque A. U.
simul egressus victusque. dein victoriæ parum confisus, 823.
tritis frustra diebus, castra in hostem movit: quem si statim A. C. 70.
inpellere, cursumque rerum sequi maturasset, solvere obsidium legionum eodem inpetu potuit. Tentaverat interim Civilis obsessorum animos, tamquam perditæ apud Romanos res, et suis victoria provenisset. Circumferebantur signa vexillaque: ostentati etiam captivi. ex quibus unus, egregium facinus ausus, clara voce gesta patefecit, confossus illico a Germanis. unde major indici fides. Simul vastatione incendiisque flagrantium villarum, venire victorem exercitum, intelligebatur. *In conspectu castrorum constitui signa, fossamque et vallum circumdari,* Vocula jubet: *depositis inpedimentis sarcinisque, expediti certarent.* Hinc in Ducem clamor pugnam poscentium. et minari adsueverant. Ne tempore quidem ad ordinandam aciem capto, incompositi fessique prœlium sumpsere. nam Civilis aderat, non minus vitiis hostium, quam virtute suorum, fretus. Varia apud Romanos fortuna, et seditiosissimus quisque ignavus. quidam, recentis victoriæ memores, retinere locum, ferire hostem, seque et proximos hortari: et, redintegrata acie, manus ad obsessos tendere, *ne tempori deessent.* Illi, cuncta e muris cernentes, omnibus portis prorumpunt. Ac forte Civilis lapsu equi prostratus, credita per utrumque exercitum fama, *vulneratum aut interfectum,* inmane quantum suis
pavoris, et hostibus alacritatis, indidit. Sed Vocula, omissis 35
fugientium tergis, vallum turresque castrorum augebat, tamquam rursus obsidium inmineret: conrupta totiens victoria, non falso suspectus bellum malle. Nihil æque exercitus nostros, quam egestas copiarum, fatigabat. Inpedimenta legionum cum inbelli turba Novesium missa, ut inde, terrestri itinere, frumentum adveherent: nam flumine

Flor. Agr. ed. pr. *potuit:* idque recepit Ryckius. Pro *eodem* Rhen. (e Bud.) edidit *eo*, quod secuti sunt ceteri, usque ad Lips. Ern. Bud. *circuiri—nequivisset —excidisset.* Dein vox *potuit* vel *potuisset* deest in Bud. illud habet et cod. Reg. Lall. recepi cum Bip. Brot. Lall. Mox Bud. *promovisset.*

Confossus illic] Freinsh. corrigebat *illico:* non male: sed tamen sine necessitate. *Illic* est *αὐτοῦ*, ibi, in illo ipso loco: adeo ira incensi erant hostes, ut ne differre quidem cædem possent, et hoc ipso rem suspectiorem facerent. Ern. *Illico* omnino rectius. Sic et Bip. Vocalem finalem sequens *a* absorpsit.

Depositis impedimentis] *Ut depos.* habent edd. inde a Puteol. omnes. At *ut* omittunt MSS. Flor. Bud. Agr. ed. pr. itaque cum Jac. Gronovio delevi. Commode enim abesse potest. Mox vitio operarum in ed. Puteol. *asseverant*, quod inde in edd. Beroald. et Alc. fluxit. Ern. Correxit Rhen. e Bud.

Cuncta e muris cernentes] Hæc desunt in Bud.

Credita] Rhenanus (ex ingenio) *edita.* ego *dedita*, vel *didita.* Lips. *Credita* quoque bene habet, nec contra libros mutandum. Vid. Gron. Obs. 3, 10. p. 520. Ern.

Ut inde terrestri] Præcessit de *impedimentis legionum et imbelli turba:* an illi igitur frumenta adveherent, inter medios ita hostes? ridiculum. puto defectum aliquem esse, et asteriscum ante hæc

A. U. 823. A. C. 70. hostes potiebantur. Primum agmen securum incessit, nondum satis firmo Civile. qui, ubi *rursus missos Novesium frumentatores, datasque in præsidium cohortes, velut multa pace ingredi accepit,* rarum apud signa militem, arma in vehiculis, cunctos licentia vagos, compositus invadit: præmissis, qui pontes et viarum angusta insiderent. pugnatum longo agmine et incerto Marte, donec prœlium nox dirimeret. Cohortes Geldubam perrexere, manentibus, ut fuerant, castris, quæ relictorum illic militum præsidio tenebantur. Non erat dubium, quantum in regressu discriminis adeundum foret, frumentatoribus onustis perculsisque. Addit exercitui suo Vocula mille delectos e quinta et quintadecima legionibus, apud Vetera obsessis, indomitum militem et Ducibus infensum. Plures, quam jussum erat, profecti, palam in agmine fremebant, *non se ultra famem, insidias Legatorum, toleraturos.* At, qui remanserant, *desertos se, abducta parte legionum,* querebantur. Duplex hinc seditio; aliis revocantibus Voculam,

36 aliis redire in castra abnuentibus. Interim Civilis Vetera circumsedit. Vocula Geldubam atque inde Novesium concessit. Civilis capit Geldubam. Mox, haud procul Novesio, equestri prœlio prospere certavit. Sed miles secundis adversisque perinde in exitium Ducum accendebatur. Et adventu quintanorum quintadecimanorumque auctæ legiones, *donativum* exposcunt, comperto, pecuniam a Vitellio missam. Nec diu cunctatus Hordeonius nomine Vespasiani dedit. Idque præcipuum fuit seditionis alimentum.

verba ponendum *ut inde terrestri.* Vide sequentia, agnosces. Lips. *Impedimenta,* id est, currus et jumenta. *Imbelli turba,* lixis et calonibus, ut multæ manus citius expedirent negotium frumentandi. Sed qui medios inter hostes? Primum præsidio cohortium additarum, quod hic tacuit, mox nominaturus. Deinde minus in itinere timebant ob recentem victoriam. Gron. In *inbelli turba* sunt et milites minus strenui. Respice ad c. 33.

Qui reversus, missos] Magis placet quod e quibusdam libris eruas, *qui ubi rursus missos.* Sententiam certe aptius nectit. Lips. Sic et MSS. Flor. Agr. Guelf. nisi quod *urbi* pro *ubi* in margine, quæ scriptura et in ed. pr. Puteol. dedit *qui rursus miss.* cum seqq. (Sic et Bud.) *Reversus* nuspiam in meis, nisi in ed. Lips. reperi, quod nescio unde ductum sit. Haud dubie e vitio operarum natum est, aut ex ed. ignobili. Ern.

Onustis pauculisque] Ed. Rom. *onustis perculsisque.* Lips. Decepit Lipsium quisquis ei dixit in illa ed. esse *perculsis:* at est in MS. Agr. a quo non longe abit Flor. (Bud.) et ed. pr. in quibus *periculis.* Itaque bene *perculsis* receptum a Ryckio et J. Gron. *Perculsi* erant frumentatores e calamitate paullo ante accepta. MSS. Guelf. Oxon. *vehiculisque.* Edd. inde a Puteol. usque ad Ryck. *pauculisque:* quod pro correctione τοῦ *periculis* habeo. Ern. *Perculsus* nostro frequens. V. c. 17. et 30.

E quinta et quarta decima] Mercerus recte judicabat, scribendum *quintadecima,* et pluribus id demonstrat Freinsh. Nam c. 36. clare *quintadecimani,* consentientibus libris, et *quartadecima* legio tum in Britannia, H. 3, 23. ubi v. Lips. In MS. Agr. (et Reg. Lall.) et ed. pr. *quinta et decimà:* quod recte Ryckius judicat ei correctioni favere. nam nullam aliam ob caussam excidit verbum, nisi quod librarius eandem vocem vitiose bis positam putaret. Itaque non dubitavit sic corrigere. Ern. Egregie Bud. *quinta et quintadecima.* Rhen. non attendit.

Effusi in luxum et epulas, et nocturnos cœtus, veterem in A. U.
Hordeonium iram renovant. nec ullo Legatorum Tribu- 823.
norumve obsistere auso, (quippe omnem pudorem nox A. C.
ademerat) protractum e cubili interficiunt. Eadem in 70.
Voculam parabantur, nisi servili habitu, per tenebras, ignoratus evasisset. Ubi, sedato inpetu, metus rediit: Centuriones cum epistolis ad civitates Galliarum misere,
auxilia ac stipendia oraturos. Ipsi, ut est vulgus sine 37
rectore præceps, pavidum, socors, adventante Civile, raptis temere armis ac statim omissis, in fugam vertuntur. Res adversæ discordiam peperere, iis, qui e superiore exercitu erant, caussam suam dissociantibus. Vitellii tamen imagines, in castris et per proximas Belgarum civitates, repositæ, cum jam Vitellius occidisset. Dein mutati in pœnitentiam primani quartanique et duodevicesimani, Voculam sequuntur: apud quem resumpto Vespasiani sacramento, ad liberandum Magontiaci obsidium ducebantur. Discesserant obsessores, mixtus ex Cattis, Usipiis, Mattiacis exercitus, satietate prædæ, nec incruenti. In via dispersos et nescios miles noster invaserat. Quin et loricam vallumque

Effusi in luxum—renovant] MS. Agr. ed. pr. *effusus in luxum—cœtus miles—renovavit.* Sic et ceteræ ante Rhen. nisi quod *miles* omittunt. Ern. In cod. Agr. a 2. m. additum. Rhen. e Bud. verum dedit, quod hic legitur.

Auxilia ac stipendia] i. e. milites et pecuniam, sc. quæ in stipendiis militum consumeretur. Livius 2, 54. *induciæ in annos quadraginta petentibus datæ, frumento stipendioque imperato.* Mox *pavidum* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. Put. Ber. ceteræque usque ad Lips. qui edidit *pavidus*, quod et ed. pr. exhibet. Pichena *pavidum* restituit. Tacitus nec illud genus refugit, sed libri plures et potiores sequendi. Ern.

Vitellius occidisset] Ita MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. ante Rhen. Pich. sqq. At Rhen. e MS. Bud. (qui habet *occurrisset*) edidit *corruisset,* quod servatum usque ad Pichenam. nec id minus bene dicitur. Ern.

Duodevicesimani] Vide dicta ad H. 1, 55. et 4, 24. Bud. hic *duo et vic.*

Ad liberandum Mag. obsidium] *Liberandum* pro solvendum, antiquius genus dicendi: cui simile Ciceronis de Off. 1, 10. *quæ promissa liberantur jure Prætorio,* etc. pro a quibus, a quorum servandorum necessitate liberantur homines jure Prætorio. alias usitatum *urbem obsidione liberare.* Ern.

Mixtus ex Cattis etc.] Primo MS. Bud. ed. pr. *et*, solenni errore. MS. Agr. *Caucis:* ed. pr. *Cautis* (Bud. *Caitis*). Vulgatum verum vicinia populorum arguit. Deinde *societate prædæ*, pro *satietate prædæ,* MS. Agr. (et Reg. Lall.) ed. pr. ut referatur non ad *discesserant*, sed ad *mixtus.* Societas prædæ sane barbaris istis caussa se jungendi et alibi traditur. Itaque blanditur ea lectio Ryckio; cui non vero simile videtur, in illa obsidione prædæ multum factum. Neque ipse adeo ab illa sententia abhorreo. sed tamen non ita firma ista, ut propterea aliquid mutare sustinuerim. Et alioqui *societas* passim in libris vitiose pro *satietas* datum est. V. v. c. ad Liv. 7, 40. Ern. Prius legebatur *Mixtus Cattis.* Præpositionem adjecit Rhen. e Bud. in quo *et* pro *ex,* quod et alibi in hoc codice occurrit. Sic c. 16. is habet *pars remigum et Batavis.*

Nec incruentati. Ita dispersos et nescios] Judicabam deesse quippiam. nunc restituere juvante Romano cod. posse videor, *nec incruenti. In via dispersos.* Lips. Nempe illa editio habet, ut Flor. (et Bud.) *nec incruentari via disp.* MS. Agr. *incruenti. Via.* Ern.

Vallumque per fines suos] Transrhenanos intelligendos ad utramque Loganæ ripam, veram Treverorum patriam, docet vir eximius Crollius, cui potissimum debentur Bipontinorum in Tacitum nostrum curæ.

A. U. 823. A. C. 70. per fines suos Treveri struxere, magnisque invicem cladibus cum Germanis certabant, donec egregia erga Populum Romanum merita mox rebelles fœdarent.

A. U. 824. A. C. 71. Interea Vespasianus iterum ac Titus Consulatum absentes inierunt; mæsta et multiplici metu suspensa civitate, quæ, super instantia mala, falsos pavores induerat: *desci-*
38 *visse Africam. res novas moliente L. Pisone.* Is præerat provinciæ, nequaquam turbidus ingenio: sed, quia naves sævitia hiemis prohibebantur, vulgus, alimenta in dies mercari solitum, cui una ex Republica annonæ cura, clausum litus, retineri commeatus, dum timet, credebat; augentibus famam Vitellianis, qui studium partium nondum posuerant; ne victoribus quidem ingrato rumore, quorum cupiditates, externis quoque bellis inexplebiles, nulla umquam civilis vi-
39 ctoria satiavit. Kal. Januariis in Senatu, quem Julius Frontinus, Prætor urbanus, vocaverat, Legatis exercitibusque ac Regibus, *laudes gratesque* decretæ: et Tertio Juliano Prætura, *tamquam transgredientem in partes Vespasiani legionem deseruisset,* ablata, ut in Plotium Griphum transferretur. Hormo dignitas Equestris data. Et mox, ejurante Frontino, Cæsar Domitianus Præturam cepit. Ejus nomen epistolis edictisque præponebatur, vis penes Mucianum erat: nisi quod pleraque Domitianus, instigantibus amicis, aut propria libidine, audebat. Sed præcipuus Muciano metus e Primo Antonio Varoque Arrio:

Is præerat provinciæ] *Præerat* non est in Flor. Bud. ed. pr. frustraque tentat explicare Rhenanus ita: non turbidus provinciæ, natura ingenii sui. Immo excidit vox, ut aliæ alibi (et in Bud. non raro.). *Turbidus ingenio* usitata Tacito phrasis. Jac. Gronovius suspicatur fuisse *is proc.* vel *pro. provinciæ* i. e. *Proconsul,* atque hinc omissum verbum, non adsequente et vitiosum putante librario. Non credo. Ern.

Una ex Rep. annonæ cura] Nihil mutandum. Tale illud Juvenalis de populo Romano est 10, 80.—*duas tantum res anxius optat panem et circenses.* Nam *Pana* substituunt leguntque male. Lips. *Cui una* exciderant e MS. Bud. iterum tendente defendere Rhenano. frustra. Ern.

Regibus] Sohemo, Antiocho, Agrippæ.

Tertio Juliano] *Tertio* MS. Guelf. edd. Rhen. sqq. ut infra c. 40. quamquam et ibi Ursinus e cod. vet. laudat *Tito,* et 2, 85. Sed MSS. Flor. Agr. edd. ante Rhen. *Tito.* Mox *tanquam* Flor. ed. pr. Pich. sqq. Ceteri scr. et edd. *quod.* illud verum. Prætextui ficto aptius est. Ern. Bud. nec *quod* nec *tamquam* habet. male. Idem *Tito Juliano.* Sed Rhen. *Tertio,* idque ex ingenio, quia c. seq. etiam Bud. sic. In nota Ursini legitur *Titio* pro *Tito,* forsan per vitium operarum.

Edictisque præponebatur] *Præferebatur* edd. Puteol. Ber. Alc. *Præponebatur* edd. Rhen. (e Bud.) sqq. usque ad J. F. Gronovium, qui tacite edidit *præponebatur,* quod servavit filius: idque verum est. Firmant, præter Latinitatem, MSS. Agr. Guelf. Ursin. ed. pr. Deinde *vis* primus edidit tacite Lipsius: cum MSS. et edd. vett. habeant *jus.* Sed illud res et Latinitas probat. supra 2, 39. *honor Imperii penes Titianum fratrem, vis ac potestas penes Proculum:* et centies *vis* et *jus* permutantur, ut jam alibi diximus. Denique *erat* MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. ante Rhen. Pichena seqq. Ern. Delevit Rhen. quia in Bud. deest. In eodem *jus,* an *vis,* dubium.

Varoque Arrio] Bud. *varioque ario.* Emendavit Pich. e Flor.

quos recentes, clarosque rerum fama ac militum studiis, etiam populus fovebat, quia in neminem ultra aciem sævierant. Et ferebatur Antonius Scribonianum Crassum, egregiis majoribus et fraterna imagine fulgentem, ad capessendam Rempublicam hortatus: haud defutura consciorum manu, ni Scribonianus abnuisset, ne paratis quidem corrumpi facilis, adeo metuens incerta. Igitur Mucianus, quia propalam opprimi Antonius nequibat, multis in Senatu laudibus cumulatum, secretis promissis onerat, *citeriorem Hispaniam* ostentans, *discessu Cluvii Rufi vacuam;* simul amicis ejus Tribunatus Præfecturasque largitur. Dein, postquam inanem animum spe et cupidine impleverat, vires abolet: dimissa in hiberna legione septima, cujus flagrantissimus in Antonium amor. Et tertia legio, familiaris Arrio Varo miles, in Syriam remissa. Pars exercitus in Germanias ducebatur. Sic egesto, quidquid turbidum, redit urbi sua forma legesque et munia Magistratuum. Quo die 40

A. U. 824. A. C. 71.

Senatum ingressus est Domitianus, *de absentia patris fratrisque ac juventa sua* pauca et modica disseruit, decorus habitu: et, ignotis adhuc moribus, crebra oris confusio pro modestia accipiebatur. Referente Cæsare, *de restituendis Galbæ honoribus,* censuit Curtius Montanus, *ut Pisonis quoque memoria celebraretur.* Patres utrumque jussere: de Pisone inritum fuit. Tum sorte ducti, *per quos redderentur bello rapta, quique æra legum, vetustate delapsa, noscerent figerentque, et fastos, adulatione temporum fœdatos, exonerarent, modumque publicis inpensis facerent.* Redditur Tertio Juliano Prætura, postquam cognitus est ad Vespasianum confugisse: Gripho honor mansit. Repeti inde cognitionem inter Musonium Rufum et P. Celerem placuit, damnatusque Publius et So-

Antonius Scrib.] Fratrem L. Pisonis, quem Galba adoptaverat. Ern. Cf. 1, 15. 47. 48. Mox Bud. *patratis.*

Inanem animum etc.] i. e. inanis gloriæ et honorum cupiditate captum, adeoque facilem deceptu talibus promissis. Mox ed. pr. vitiose *adolet.* MS. Agr. *adimit.* Ern. Bud. *abolet.*

Redit urbi sua f.] Ed. pr. *redit sua forma legibus et muniis magistratuum.* Vulgatum melius est. Non forma legibus redit, sed vis. Ern. Mox Bud. *de essentia.*

Et ignotis adhuc moribus] MS. Guelf. *ignotus.* et in ed. pr. punctum post *moribus.* Vulgatum verum est. Ern. Bud. habet.

Tum sorte ducti etc.] Bud. *Tum rapta,* omissis intermediis. Et hanc lacunam tueri nititur Rhen.

Quique æra legum etc.] MS. Guelf. *erant:* vitio, quod natum e scriptura *era,* ut est in ed. pr. Deinde edidi *dilapsa,* pro *delapsa,* quod nihili est, ex ed. pr. Adde ad Ann. 4, 43. ubi similiter Tacitum correximus. De re v. Sueton. Vesp. 8. Ern. Bud. male *erat.* Mox *delapsa,* bene. Nec huc facit locus Suetonii, in quo de conflagratis sermo, ut recte monent Bip.

Et qui fastos] Sic vulg. Sed Flor. et Bud. id *qui* non habent. Delevit jam Pichena. Prius Huetius volebat *refigerentque.*

Fastos adulatione corruptos] Adscriptis honoribus per adulationem, qui non contigerant hominibus: de quo et apud Ciceronem Liviumque reperiuntur querelæ. Ern.

A. U. rani Manibus satisfactum. Insignis publica severitate
824. dies, ne privatim quidem laude caruit. Justum indicium
A. C. explesse Musonius videbatur: diversa fama Demetrio, Cy-
71. nicam sectam professo; quod manifestum reum ambitiosius, quam honestius, defendisset. Ipsi Publio neque animus in periculis, neque oratio suppeditavit. Signo ultionis in adcusatores dato, petit a Cæsare Junius Mauricus, *ut commentariorum Principalium potestatem Senatui faceret, per quos nosceret, quem quisque adcusandum poposcisset. Consulendum*
41 *tali super re Principem,* respondit. Senatus, inchoantibus primoribus, jusjurandum concepit, quo certatim omnes Magistratus, ceteri ut sententiam rogabantur, *Deos testes* advocabant, *nihil ope sua factum, quo cujusquam salus læderetur, neque se præmium, aut honorem, ex calamitate civium cepisse:* trepidis et verba jurisjurandi per varias artes mutantibus, quis flagitii conscientia inerat. Probabant religionem Pa-

Justum judicium explesse] Sic edd. Enim vero non convenit hoc accusatori, sed judicibus, qui justum judicium explesse dici possunt. Igitur correxi *indicium*, quod est accusatoris ut A. 4, 31. ubi accusator *indicio perculisse* aliquem dicitur. Sic *justa indicia*, quamquam alia in re, sunt H. 1, 3. Porro *indicium* dicitur *labare*, A. 15, 55. etc. Sæpe in veteribus libris ex *indicium* factum est *judicium*, præsertim in tali re. Mox *diversa fama* male abest ed. pr. Ern. Bud. *judicium*, et sic alii, ut puto, codices, nemo enim aliud indicat. Ernesti emendationem Bip. recepere tacite et Bahrdt expressit in versione. Reliqui vulg. servant. *Diversa fama* est in Bud.

Ipsi Publio neque animus] Vox *neque* addita, auctore Vatic. Lips. Firmant Flor. Guelf. qui tamen in margine habet, ed. pr. A MS. Bud. voces *ipsi Publio neque* aberant, ut mox *dato*. Ern.

Junius Mauricus] MSS. Flor. (Bud.) Guelf. *Maricus*. Agr. ed. pr. *Martius*. Vulgatum defendit Ryckius e Plin. ep. 4, 22. ubi idem nomen. Sed et ap. Plin. 1, 5. codd. fluctuant inter *Mauricus* et *Maricus*. item 3, 11. ad quæ loca v. Cortium: quem dissensus librorum in hoc Taciti loco latuit. Mox male *Princeps* edd. Puteol. Ber. Alc. Domitianus Princeps non erat. Ern. Correxit e Bud. Rhenanus.

Inchoantibus primoribus] *Inchoare* dicitur exquisitius, ut passim apud Livium, pro *relationem facere;* quod hic per egressionem relationis factam. dicitur etiam apud eundem Livium *mentionem facere*. Iterum noster clare sic infra c. 44. Ern.

Jusjurandum, quo certatim] Est juramentum a toto Senatu editum, de calumnia quam nemini capitalem intulissent. Sed hic non video, cur ita *certatim* Magistratus præstiterit. neque enim in honorem Principis, aut adulatio aliqua fuit, immo cunctanter potius hoc agendum. Sane ea vox suspecta est, et *seriatim*, aut tale quid malim: quia certum habeo, ordine quodam Magistratus omnes id præstitisse, et digniores primo. Lips. *Certatim* omnes libri habent, idque ponitur ad indicandam alacritatem et studium. sic *certamen* de studio, H. 1, 32. Mox in MS. Bud. erat *omnis inens* (vel *mens*, dubium enim) e quo Rhenanus faciebat *iniens*. male. Nam nec Magistratus illius anni esse possunt, quia hæc non Kal. Jan. acta; nec designati in proximum annum, qui nondum creati. Si quid hic latet, quod a Tacito sit, puto esse *deinceps*, i. e. ex ordine dignitatis ac loci, quod bene convenit sequentibus: *ceteri, ut s. r.* i. e. eo ordine, quo rogati essent. Ern.

Probabant rel. Patres, perj. arguebant] Recte hoc sic capit Pichena: Patres hos, de quibus ultimo loco dixit, laudasse quidem hactenus, quod non jurassent eodem modo, quo ceteri, quamquam per ironiam; ceterum tamen perjuros esse, qui ne cetera quidem vere jurassent, et ea re conscientiam scelerum prodidisse. Ern. *Religio* hic scrupulum notat, ut apud Cic. Catil. 3, 6. *ut, quæ religio C. Mario cl. viro non fuerat.... ea nos religione... liberaremur.* Bene

tres, perjurium arguebant. Eaque velut censura in Sariole- A. U.
num Voculam et Nonium Actianum et Cestium Severum 824.
acerrime incubuit, crebris apud Neronem delationibus fa- A. C.
mosos. Sariolenum et recens crimen urgebat, quod apud 71.
Vitellium molitus eadem foret. nec destitit Senatus manus
intentare Voculæ, donec curia excederet. Ad Pactium
Africanum transgressi, eum quoque proturbant: tamquam
Neroni Scribonios fratres, concordia opibusque insignes, ad
exitium monstravisset. Africanus neque fateri audebat, neque
abnuere poterat: in Vibium Crispum, cujus interrogationi-
bus fatigabatur, ultro conversus, miscendo quæ defendere
nequibat, societate culpæ invidiam declinavit. Magnam eo 42
die pietatis eloquentiæque famam Vipstanus Messala ade-
ptus est, nondum Senatoria ætate, ausus pro fratre, Aquilio
Regulo, deprecari. Regulum subversa Crassorum et Or-
phiti domus in summum odium extulerat. Sponte ex SC.

hoc expressit Dotteville in versione. Contra Bip. *religionem* intelligunt de verum jurantibus.

Sariolenum Voc.] *Sannolenum* MS. Agr. ed. pr. quæ tamen mox *Sariolenum* exhibet. Mox Guelf. ed. pr. *Novium*. edd. Puteol. Ber. Alc. *Nomium*. Ern. Bud. *Sariolenum*. Idem *Nonium*, unde Rhen. restituit.

Scribonianos fratres] Junctim eos iterum nominat A. 13, 48. *Ad Scribonios fratres ea cura transfertur*. Nec temere aut jungit, aut concordiam laudat. Audi Xiphilinum, qui unus hæc illustrat, in Nerone 63, 17. Ἀδελφοί τε, inquit, *καὶ ἡλικιῶται τρόπον τινὰ ὄντες, καὶ μηδὲν μηδέποτε ἄνευ ἀλλήλων πράξαντες, ἀλλ' ὥσπερ τῷ γένει, οὕτω καὶ τῇ προαιρέσει τῇ τε οὐσίᾳ, συμπεφυκότες*. Addit deinde: *cum utrique Germaniæ præfuissent, vocatos a Nerone in Græciam, ibique incisis sponte venis periisse*. Sed rectene *Scribonianos* hic legimus? non opinor. Taciti loco dicto *Scribonios* habes: et in Xiphilino Σκριβωνίων. Lips. *Scribonios* plane MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. Itaque bene recepere Ryckius et J. Gronov. Mox quod Rhenanus corrigere se dicit *Vibium Crispum*, id et aliæ ante habent edd. nam in ed. Alc. *Crispium* manifeste est vitium operarum. Ed. pr. *Jubium*, inversa, ut sæpe, prima syllaba. Ern. Bud. male *urbium scripsum*. et paullo ante *perturbant*. Scribonios istos *Rufum* et *Proculum* cognominatos fuisse, docet Xiph. l. c.

Fatigabatur] Sola ed. pr. *fatigaretur*: quod non spernendum. Mox verba *miscendo, quæ defendere nequibat*, sic accipienda sunt: dum iis, quæ in Vibium Crispum conferebat, admiscet ea, quæ abnuere ipse ac defendere non poterat, eaque cum Vibio communicat, impunitatem obtinuit societate alterius. Sic Or. 5. *non patiar, Maternum societate plurium defendi*. Ern.

Vipstanus Mess.] Sic cum Ryckio, ut alibi, edidimus MSS. et edd. inde a Puteol. usque ad Lips. *Vipsanus*. At ed. pr. (et cod. Bud.) *Viptanus*. Quibus lectionibus comparatis, prorsus confirmatur correctio Ryckiana, quam lapides veteres etiam desiderant. sed jam supra pluribus locis sic correctum est. Ceteræ edd. *Vipsanius* inde a Lipsio. Ern.

Aquilio Regulo] Est omnino ille Regulus, Plinio in Epistolis 1, 5. 2, 20. 4, 2. 6, 2. meritissimo flagellatus, et alibi *bipedum nequissimus* dictus. Observa ergo de Messala diversissimo fratre. Lips. Mox MS. Agr. ed. pr. *Orfita*. MS. Guelf. *Orficii*. Ern. Bud. *Orphici*.

Sponte ex SC.] Non de nihilo ambigit Rhenanus. Si enim ex SC. subiit, quomodo sponte? Divinat *sponte ex se*. Haud inepte. Quid si, *sponte, nec SC.* Lips. *Ex se* plane MS. Agr. sed ea lectio *ταυτολογίαν* ineptam, meo sensu, habet. Lipsiana ratio melior, probata et Pichenæ: nec tamen mihi satisfacit. Gruterus insititium putat: quod non adeo displicet. Sed non ex eo natum hoc ἔμβλημα putem cum Grutero, quod aliquis *sponte* interpretatus erat in libro scripto *ex se*. Facilius τὸ *ex se* per *sponte* glossator explicuerit, quam hoc per illud. sed potuit aliquis ad explicandum *sponte* adscripsisse, *non ex SC.* et

A. U. 824. A. C. 71. adcusationem subisse juvenis admodum, nec depellendi periculi, sed in spem potentiæ videbatur. Et Sulpicia Prætextata, Crassi uxor, quatuorque liberi, si cognosceret Senatus, ultores aderant. Igitur Messala non caussam, neque reum tueri, sed periculis fratris semet opponens, flexerat quosdam. Occurrit truci oratione Curtius Montanus, eo usque progressus, ut, *post cædem Galbæ, datam interfectori Pisonis pecuniam a Regulo, adpetitumque morsu Pisonis caput,* objectaret. *Hoc certe,* inquit, *Nero non coegit, nec dignitatem, aut salutem, illa sævitia redemisti. Sane toleremus istorum defensiones, qui perdere alios, quam periclitari ipsi, maluerunt. Te securum reliquerat exsul pater, et divisa inter creditores bona, nondum honorum capax ætas: nihil quod ex te concupisceret Nero, nihil quod timeret. libidine sanguinis et hiatu præmiorum ignotum adhuc ingenium, et nullis defensionibus expertum, cæde nobili inbuisti. cum ex funere Reipublicæ raptis Consularibus spoliis, septuagies sestertio saginatus et sacerdotio*

hinc illud ἔμβλημα nasci. Sed hæc incerta sunt, sine libris. Vitiosum quidem esse vulgatum, de eo non ambigitur. Post *subisse* dedimus pro *subiisse* e MSS. Harl. Oxon. ed. Puteol. ERN. Pich. conjicit *sponte, nec Senatu consulto.* Bip. legunt *sponte antequam ex SC.* ex similitudine vocum alteram omissam a librario rati. Addunt, sæpius datos a Senatu patronos se excusasse. Id et de adcusatoribus valet. Innuit ergo hic Tacitus, decretam sibi SC. adcusationem avide adripuisse Regulum; quæ est interpretatio Huetii, vera, ut puto. Itaque verba *ex SC.* cancellis, quibus incluserat Ernesti, libero et sanum esse locum pronuntio cum Broterio.

Crassi uxor] Vox *uxor* abest Rom. edit. Rectissime. Vix enim aliter prisci locuti aut scripsere, quam Terentia Tullii, Livia Drusi, etc. cum intellegant uxorem. LIPS. MSS. quidam (in his Bud.) et ed. pr. *supplicia,* vitiose. At *uxor* et a MS. Agr. abest. ERN. Bud. habet. Parum refert.

Curtius Montanus] Ejus mentio apud Juven. Sat. 4, 107.

Appetitumque morsu] Copulam *que* addidit ex Flor. Pichena: quam habet et ed. pr. (non Bud.) Mox *hoc certe* e Flor. Agr. Ryckius. Consentit ed. pr. Ceteri libri omnes (etiam Bud.) *hæc certe.* ERN.

Aut salutem illa sævitia] Ex ductu scripturæ Vaticanæ restitui. Nam ibi, *nec dignitatem hausta litem.* Vulgo, *nec dignitatem aut ista lucem.* LIPS. Vaticano consentit ed. pr. et MS. Guelf. sed a man. sec. ERN. Bud. *aut ista lucem,* sed pro *aut ista* videtur adfuisse *hausta.*

Consularibus spoliis] Eo dictum, quia Consulatum acceperat, præmium accusationis. Nam ita obtinebat, ut accusanti et damnanti non pecuniæ solum merces esset, sed et honoris aut Magistratus, quem reus habuisset. Dio 46, 49. de accusatoribus percussorum Cæsaris, pulchre, Χρήματά τε γὰρ ἐκ τῆς τοῦ ἁλόντος οὐσίας, καὶ τὴν τιμὴν, ἢ τὴν ἀρχὴν τὴν ἐκείνου, εἴ τινα ἄρα ἔχων ἦν, ἐλάμβανον. Tacitus sæpe indicat et clare, initio libri 1. *Nec minus præmia delatorum invisa, quam scelera. cum alii Sacerdotia et Consulatus, ut spolia, adepti, Procurationes alii et interiorem potentiam, agerent, ferrent cuncta.* LIPS. Immo Consulatum nondum adeptus erat Regulus; quippe mox diserte *Quæstorius* vocatur. *Spolia Consularia* sunt præmia, quæ, everso per accusationem Consulari, acceperat. ERN.

Septuagies sestertio signatus] Volebam *dignatus:* ut in Virgilio 3, 475. *Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo.* et ipso alibi Cicerone. At nunc placet magis Faerni conjectura, *saginatus.* LIPS. Sic et Scaligero (Ursino, Pichenæ, aliis) placebat. Recepit Berneccerus. scr. (etiam Bud.) et edd. ante omnes *signatus,* nisi quod Lipsius in prioribus edd. et adhuc in tertia *dignatus* edidit, quod inde in Pichenæ ed. fluxit. Postremis edd. Lipsius *signatus* reposuit. ERN. Rhen. conjiciebat *designatus.*

fulgens, innoxios pueros, inlustres senes, conspicuas feminas eadem ruina prosterneres: cum segnitiam Neronis *incusares,* quod per singulas domos seque et delatores fatigaret: posse universum Senatum una voce subverti. *Retinete, Patres conscripti, et reservate hominem tam expediti consilii, ut omnis ætas instructa sit, et quomodo senes nostri Marcellum, Crispum, juvenes Regulum, imitentur. Invenit etiam æmulos infelix nequitia. quid si floreat vigeatque? Et quem adhuc Quæstorium offendere non audemus, Prætorium et Consularem visuri sumus? An Neronem extremum dominorum putatis? Idem crediderant, qui Tiberio, qui Caio, superstites fuerunt: cum interim intestabilior et sævior exortus est. Non timemus Vespasianum: ea Principis ætas, ea moderatio. Sed diutius durant exempla, quam mores. Elanguimus, Patres conscripti, nec jam ille Senatus sumus, qui, occiso Nerone, delatores et ministros more majorum puniendos flagitabat. Optimus est, post malum Principem, dies primus.* Tanto cum adsensu Senatus auditus est Montanus, ut spem caperet Helvidius, posse etiam Marcellum prosterni. Igitur a laude Cluvii Rufi orsus, qui, perinde dives et eloquentia clarus, nulli umquam sub Nerone periculum facessisset, crimine simul exemploque Eprium urgebat: ardentibus Patrum animis. quod ubi sensit Marcellus, velut excedens curia: *Imus,* inquit, *Prisce, et relinquimus tibi Senatum tuum: regna, præsente Cæsare.* Sequebatur Vibius Crispus: ambo infensi, vultu diverso: Marcellus minacibus oculis, Crispus renidens: donec adcursu amicorum retraherentur. Cum glisceret certamen, hinc multi bonique, inde pauci et validi, pertinacibus odiis tenderent, consumptus per discordiam dies. Proximo Senatu, inchoante Cæsare, *de abolendo dolore iraque, et priorum*

A. U. 824. A. C. 71.

43

44

Retinete P. C. et reservate etc.] Imitatio bella Ciceronis Verr. 2, 31. Ern.

Consularem visuri sumus] Lipsius in margine *ausuri.* Vulgatum bene habet, et *videre* sic eleganter passim dicitur pro ferre, tolerare, perpeti. Mox ed. pr. *exceptus est,* pro *exortus.* Ern. Bud. *exortus.*

Exempla, quam mores] Inepta aut nihili sententia. Rodolphus, *quam homines.* Vis ad verum duci? lege, *amores:* tum alteram litteram divide, habes *autores:* id est, rem et sententiam meram. O quam levia sæpe turbant! Lips. Mihi, uti Ryckio, vulgatum sanum videtur. Malorum exemplorum vis, inquit, longius durat, quam virtus bonorum Principum. Mox MS. Agr. ed. pr. *elanguemus.* Vulgatum melius puto. Ern. *Homines* in cod. Agr. non est nisi a 2. m. prius videtur fuisse *mores.* Bud. *mores.* et mox *elanguimus.*

Periculum facessisset] MS. Harl. Agr. ed. pr. *fecisset,* quam formam jam aliis locis apud nostrum vidimus. A. 1, 74. 13, 33. Ern. Bud. *facessisset.*

Marcellus] Hic homo eloquens magis, quam sapiens aut bonus, ea vi accusatores omnes repressit, aut rejecit; et simul Vespasianum mox suum fecit. Quod idem in Vibio Crispo. Auctor Dialogi de Caussis corr. eloq. c. 5. super hac re: *Quid aliud infestis patribus nuper Eprius Marcellus, quam eloquentiam suam opposuit? cum accinctus et minax disertam quidem, sed inexercitatam ejusmodi certaminum et rudem, Helvidii sapientiam elusit.* Jam et de gratia apud Principem, ibidem de illis duobus c. 8. *Multos jam annos, . . . ac donec libuit, principes fori, nunc principes in Cæsaris amicitia, agunt feruntque cuncta.* Lips.

A. U. 824. A. C. 71. *temporum necessitatibus*, censuit Mucianus prolixe pro adcusatoribus: simul eos, qui cœptam, dein omissam, actionem repeterent, monuit sermone molli et tamquam rogaret. Patres cœptatam libertatem, postquam obviam itum, omisere. Mucianus, ne sperni Senatus judicium, et cunctis sub Nerone admissis data inpunitas videretur, Octavium Sagittam et Antistium Sosianum, Senatorii ordinis, egressos exsilium, in easdem insulas redegit. Octavius Pontiam Postumiam, stupro cognitam et nuptias suas abnuentem, inpotens amoris interfecerat; Sosianus pravitate morum multis exitiosus. Ambo gravi Senatus consulto damnati pulsique, quamvis concesso aliis reditu, in eadem pœna retenti sunt. Nec ideo lenita erga Mucianum invidia. Quippe Sosianus ac Sagitta viles, etiam si reverterentur: adcusatorum ingenia et

45 opes et exercita malis artibus potentia timebantur. Reconciliavit paullisper studia Patrum habita in Senatu cognitio secundum veterem morem. Manlius Patruitus, Senator, *pulsatum se in colonia Senensi cœtu multitudinis et jussu*

Cœptam libertatem] Prisci libri *cœptatam*. ex quo velim *cœptam tantum*. Lips. *Cœptatam* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. sqq. usque ad Rhenani secundam, in qua errore operarum *ceptam* editum, unde in Lipsianas venit et alias. Pichena vetus reddidit. Sed ed. pr. *cœptam voluntatem*. Ern. In nota Lipsii iterum grave mendum, utrique Gronovianæ et Ernestinæ editioni inhærens, sustuli.

Octavium Sagittam] Adjiciunt *Sabinum* Flor. (Bud.) Guelf. Harl. Oxon. Agr. etc. ed. pr. Puteol. Ber. Alc. *Octavium Sabinum Sagittam*. Supra A. 13, 44. dicitur modo, *Octavius Sagitta*. Sed, in tanto librorum consensu, addendum putavi. Ern. Sed is consensus parum probat, cum constet, omnes ex uno Flor. fluxisse. Sic et Bip. Intrusum nomen ejecit et Lall.

Manlius Patricius] Vatic. et Rom. *Patruitus*. Fortasse *Patruinus*. quod nomen in Symmachi epistolis plus semel leges. Lips. *Patruitus* etiam Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. et simul *senator*. Illud Pichena, hoc J. Gron. recepit. Vulgo *senatorii ordinis*, quod e c. 44. natum videtur. Guelf. *ordinis senatorum*. Veteres libri scr. et edd. etiam *Malius* vel *Mallius*, usitata in vett. libris scriptura in hoc nomine. Ern. *Senator* vel *ordinis Senatorii* deest in Bud. Idem *Manlius*, bene.

Pulsatum se in colonia] Grande priscis illis moribus crimen. nam nec convicio Senatorem aspergere licebat impune. Arnobius l. 4. p. 150. *Magistratum in ordinem redigere, Senatorem aut convicio prosequi, suis esse decretis periculosissimum pœnis*. Salvianus l. 6. *Illustrem ac præpotentem virum nequaquam exhonorari a quoquam licet; et si quisquam exhonoraverit, decretis legalibus reus sistitur, et injuriarum auctor jure damnatur*. Lips. Quid intersit inter *pulsare* et *verberare*, docet Ulpianus D. 47. t. 10. l. 5.

Colonia Senensi] *Seniensi* in Vatic. semper. Lips. Item Fl. Agr. Guelf. ubi *Senihensi*. Ed. pr. *Semensi*, vitiose sive pro *Senensi*, sive pro *Seniensi*: Ceteræ edd. omnes ante Lips. *Senensi*. ut MSS. quatuor ap. Broterium. A Senis (Etruriæ oppidum est) fieri *Senensis* et *Seniensis*, putat Ryckius. Atque etiam ipsam urbem *Seniam* dictam, voluit ex inscr. antiqua docere J. Gronovius. quibus et adstipulatur Cellarius in Geogr. ant. 2, 9. Mihi tutius visum est, cum Broterio sequi usitatam scripturam hujus nominis et MSS. qui eam retinent, quam qui ab ea abeunt: præsertim cum scirem, quam sæpe et varie nomina hominum et locorum in libris scriptis et edd. vitiata sint; inprimis in libris Plinii majoris. Ern. Bud. hic *Seniensi*, mox *Semensium*. Equidem Broterio et Ernestio adstipulor. Ut enim a Verona non fit Veroniensis, sic nec a *Sena Seniensis*. Dictam autem *Senam* coloniam, etiam e Strabone patet, qui l. 5. p. 227. Σήναν adpellat. Male huc trahunt titulum a Gronovio citatum et a Fabretto p.

Magistratuum, querebatur: *nec finem injuriæ hic stetisse: planctum et lamenta et supremorum imaginem præsenti sibi circumdata cum contumeliis et probris, quæ in Senatum universum jacerentur.* Vocati, qui arguebantur. Et, cognita caussa, in convictos vindicatum. Additumque SC. quo Senensium plebes modestiæ admoneretur. Iisdem diebus Antonius Flamma Cyrenensibus damnatur lege repetundarum, et exsilio ob sævitiam. Inter quæ militaris seditio prope exar- 46
sit. Prætorianam militiam repetebant a Vitellio dimissi, pro Vespasiano congregati: et inlectus in eandem spem, e legionibus miles promissa stipendia flagitabat: ne Vitelliani quidem sine multa cæde pelli poterant; sed inmensa pecunia dicebatur, qua tanta vis hominum retinenda erat. Ingressus castra Mucianus, quo rectius stipendia singulorum

A. U. 824. A. C. 71.

712. et Grutero p. 372, 7. productum. Is enim ad *Seniam* Dalmatiæ spectat, teste Apiano p. 367. qui primus dedit. Hanc *Seniam* non esse Taciti vel inde constat, quod Plinius 3, 21 (25). non coloniis eam adnumerat, quum contra istam Hetruriæ ib. 5 (8). *coloniam* dicat *Senensem.*

Cognita caussa] In Freinsh. ed. 2. *jussa* male, idque et in ed. J. Fr. Gron. sic servatum.

In convictos vindicatum] Imitari videtur Sallustium Cat. 9. et aliis locis. Sed tamen et Cicero hac forma usus est, ut Verr. 5, 50. Ern.

Cyrenensibus damnatur] Pro *a Cyren.* ut corrigi volebat vir doctus in marg. Gryph. *Damnare* quo sensu hic accipiendum, supra dictum A. 3, 36. Sed *Cyrenensibus* primus edidit Rhen. (ex ingenio) MSS. et edd. ante Rhen. *Cyrensibus*, vel *Cirensibus*. In MS. Agr. supra scriptum *Cretensibus*. Nihil in silentio aliorum de hoc Flamma scriptorum, certi dici potest. Ern.

Prætorianam militiam] De hoc loco agit Perizon. de Prætor. diss. 2. p. 134. Ern.

Lectus in eandem spem] Sic libri: nisi quod ed. pr. *lectus eadem specie*, vitiose pro *spe:* quod eodem redit. Sed pro *lectus* Muretus malebat *erectus:* quod placebat etiam Ursino. *Erecti in spem* dicuntur, qui sua sponte spem concipiunt. At hic promissa stipendia flagitant; quod indicio est, iis spem Prætorianæ militiæ factam. Itaque malim *illectus* vel *allectus*, ab *allicere*. In spem allicere est usitata bonis scriptoribus phrasis. Fraudi fuere verba *e legionibus*, quæ ad participium referebant librarii, cum ad *miles* referenda sint. *Miles e legionibus* est legionarius, ut alibi. Facta erat legionariis spes Prætorianæ militiæ, ut eo firmiores essent et constantiores in partibus Flavianis. *Promissa stipendia* sunt stipendia Prætoriana, militia Prætoriana. Ern. Ursinus vulg. dicit esse *electus*, quod nuspiam reperio. *Inlectus* cum Bip. recipio.

Pelli poterant] In MS. Flor. sequuntur verba *sed immensa pecunia feritem* in Guelf. in quo est *ferunt*, et ed. pr. in qua *fer̄:* quod idem est. In Agr. alia verba adduntur e c. 53. sed post hæc transpositio in tribus prioribus libris. Sequuntur enim e c. 52. *ne criminantium nunciis*, usque ad finem c. 53. *retinenda erat.* Puteolanus eo ordine, qui nunc est, edidit. Ern. Scil. sic, ut post *pelli poterant* statim sequatur *Ingressus castra* etc. Ita plane habet Bud. cod. et Puteol. editio cum seqq. absque illa transpositione, quam e cod. Flor. notavit Pich. (de Guelf. et Agr. dubitare licet). Verba, quæ in cod. Agr. adduntur, sunt ista: *sed immensa pecunia tanta vis hominum retinenda erat.* Ex quibus collatis cum iis, quæ ex cod. Flor. et Guelf. referuntur, Bip. quos lubens sequor, acute non minus quam vere locum nostrum ita refingunt: *sed inmensa pecunia dicebatur, qua tanta vis hominum retinenda erat*, ubi *dicebatur* loco τοῦ *fer*(*ebatur*) Flor. pro *promittebatur.* ut apud Nonium 4, 122. Ceterum verba ista: *quo tanta vis hominum retinenda erat*, capiti 53. nullatenus convenire, sensit non nemo interpretum. Sic Guerin non videre se ait, quid *altitudo templo adjecta ad tantam vim hominum retinendam* faciat. In Bud. τῷ *ingressus* 2. m. adjecit *post hec.*

Stipendia spectaret] Usitatius dixi

A. U. 824 A. C. 71. spectaret, suis cum insignibus armisque victores constituit, modicis inter se spatiis discretos. Tum Vitelliani, quos apud Bovillas in deditionem acceptos memoravimus, ceterique per urbem et urbi vicina conquisiti producuntur prope intecto corpore. *Eos* Mucianus *diduci, et Germanicum Britannicumque militem, ac si qui aliorum exercituum, separatim adsistere,* jubet. Illos primus statim adspectus obstupefecerat: cum ex diverso velut aciem, telis et armis trucem, semet clausos nudosque et inluvie deformes, adspicerent. Ut vero huc illuc distrahi cœpere, metus per omnes et præcipua Germanici militis formido, tamquam ea separatione ad cædem destinarentur: prensare commanipularium pectora, cervicibus innecti, suprema oscula petere, *ne desererentur soli, neu, in pari caussa, disparem fortunam paterentur:* modo Mucianum, modo absentem Principem, postremum cælum ac Deos obtestari: donec Mucianus, *cunctos ejusdem sacramenti, ejusdem Imperatoris milites* adpellans, falso timori obviam iret. Namque et victor exercitus clamore lacrimas eorum juvabat. Isque finis illa die. Paucis post diebus, adloquentem Domitianum firmati jam excepere. Spernunt oblatos agros: *militiam et stipendia* orant. Preces erant, sed quibus contradici non posset. igitur in Prætorium accepti. Dein, quibus ætas et justa stipendia, dimissi cum honore, alii ob culpam; sed carptim ac singuli: quo tutissimo
47 remedio consensus multitudinis extenuatur. Ceterum verane pauperie, an uti videretur, actum in Senatu, *ut sexcenties sestertium a privatis mutuum acciperetur.* Præpositusque ei curæ Poppæus Silvanus. nec multo post necessitas abiit,

nosceret: ut *caussas noscere* dicunt, et similia. Mox *cum insignibus suis* v. ad c. 29. Infra pro *separatim* MSS. Flor. Guelf. ed. pr. *separati:* omissa virgula supra litera ultima. nam vulgatum verum haud dubie. Sic supra 3, 59. *contemti* pro *contemtim* vidimus in libris. Ern. Bud *separatim.* Idem et Agr. *deduci* male.

Ad cædem destinarentur] Sic edidit (e Bud.) Rhen. Ante editi omnes et Guelf. *destinaretur.* Ern.

Prensare commanipularium] Ita lego. non tamen male, *prensare commanipulares, pectori, cervicibus innecti.* Lips. Consentit lectioni Lipsianæ Flor. item Guelf. in quo tamen *prensare* est in margine tantum. At Agr. ed. pr *injecta,* ed. Puteol. Ber. Alc. Ald. *injecti:* quod placet Ryckio (et Grat.). Rhen. Gryph. *innecti* et ante *cum manipularium:* Aldus *cum prehensare manip.* p. Pro *pectora* Acidalius malebat *dexteras.* Ego vulgatum probo. *Prensare* dicitur pro amplecti, ut *ambire pectora,* apud Lucanum 8, 67. Deinde *innecti cervicibus* eleganter, ut Ann. 12, 47. *implicare dextras.* Ern. In Bud. *prensare* deest, quod more suo perperam tuetur Rhen. Tò *innecti* debetur Lipsio. Mox Agr. *postremo.*

Spernunt oblatos agros] *Sibi* addidit (e Bud.) Rhenanus: quod bene delevit Pichena. *Militiam* intellige inter Prætorianos, et *stipendia* Prætorianorum, qui mox *Prætorium* vocantur, ut recte explicat Perizon. l. c. Ern. *Sibi* abest a Flor. et aliis, nec Put. habet, nec Alc.

Sexcenties HS.] Faciunt 12,000,000 libr. Franc. Apud Suet. Vesp. 16. legitur perperam *quadringenties* (pro *quadragies*) *millies,* ut viri docti bene notarunt.

Poppæus S.] V. ad 2, 86. hic quoque eadem librorum varietas. *Curæ* abest a MS. Agr. ed. pr. Ern. Bud. habet *curæ.* Idem *Pompeius.*

sive omissa simulatio. Abrogati inde, legem ferente Domitiano, Consulatus, quos Vitellius dederat. Funusque Censorium Flavio Sabino ductum: magna documenta instabilis Fortunæ, summaque et ima miscentis. Sub idem tempus L. Piso Proconsul interficitur. Ea de cæde quam verissime expediam, si pauca supra repetiero, ab initio caussisque talium facinorum non absurda. Legio in Africa auxiliaque tutandis Imperii finibus, sub D. Augusto Tiberioque Principibus, Proconsuli parebant. Mox C. Cæsar, turbidus animi, ac M. Silanum, obtinentem Africam, metuens, ablatam Proconsuli legionem, misso in eam rem Legato tradidit. æquatus inter duos beneficiorum numerus et, mixtis utrius- A. U. 824. A. C. 71. 48.

Legem ferente] Ne tirones errent, relatio in Senatu facta intelligenda, ut alibi monitum. v. A. 11, 13. Vitiose Guelf. (Bud.) ed. pr. *abroganti*. Ern.

Summaque etiam miscentis] Rodolphus acute *summaque et ima miscentis*. Lips. Immo MS. Agr. Recepit Bernecerus. Mox *pro Consule* Flor. ed. J. Gronov. Sic fuit et in Guelf. sed litera ultima erâsa est. Ern.

Si pauca supra petiero] Rhen. (ex ingenio) et Muretus emendant *repetiero*, quo verbo in hac phrasi alibi noster usus est. Ern. V. A. 16, 18. Omnino *repetiero* rectius. Acid. putat prius leg. *brevissime* vel *quam potero verissime*.

M. Silanum] Dio 59, 20. hæc in rebus Caii mire confundit ac miscet. Nec M. Silano Proconsule evenisse divisionem hanc vult, sed ipso L. Pisone. Vide eum: et de hac ipsa cæde Plinium Ep. 3, 7. Lips. Adde Wesselingium Obs. 1, 17. qui Dionem bene refellit. Ern. De *Silano* v. ad A. 13, 1.

Beneficiorum numerus] Proprie et ex ævi ejus usu accipe *beneficia*, promotiones ad altiores ordines sive gradus. Castrense in ea re verbum est, Livio sic usurpatum 9, 30. *Ut Tribuni militum a populo senideni crearentur. quæ antea, perquam paucis suffragio populi relictis locis, Dictatorum et Consulum ferme fuerant beneficia.* Ciceroni etiam epistola ad Rufum Quæstorem 5, 20. *De Centurionibus tamen et Tribunorum militum contubernalibus, res est in integro; genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat.* Nec Valerius alio sensu 4, 7, 5. scripsit. *Ad Equestrem ordinem et splendidæ militiæ stipendia P. Cælii beneficio pervenerat.* Item Suetonius Tib. 12. clare: *Venit in suspicionem, per quosdam beneficii sui Centuriones.* Noster adæque 1, 25. *Primores militum, per beneficia Nymphidii ut suspectos.* Hi tales beneficiarii dicti. Cæsar B. C. 1, 75. *Petreius cum Prætoria cohorte barbarisque equitibus paucis, beneficiariis suis.* Passim in lapidibus: BF. COS. et BF. PR. PR. id est, *Beneficiarius Consulis. Beneficiarius Prætoris. Beneficiarius Præfecti Prætorio*, aut *Proprætoris.* Vegetius restringere nomen videtur: et *beneficiarii*, inquit 2, 7. *ab eo appellati, quod beneficio Tribunorum promoverentur.* Et ad ejus mentem in lapidibus lego ista. In Piceno (ap. Grut. 551, 3.) BENEFICIARIUS. TRIBUNI. DEINDE. OPTIO. IN. CENTURIA. Romæ (ib. p. 538, 8.) CORNELIO. MARCIANO. MILITI. CHORT. XII. URB. BENEF. TRIBUN. Abiisse in aliud officii nomen videtur, ex Tertulliano de Fuga c. 13. *In matricibus beneficiariorum et curiosorum inter tabernarios et lanios et aleones et lenones Christiani quoque vectigales continentur.* Lips. Et Pancirollus ad Notit. Dign. Occ. c. 9. volebat corrigi *beneficiariorum*: male. Nam hoc posterioris ætatis verbum. Sed, ut hoc obiter addam, duo sunt ap. veteres beneficiorum genera, quæ subinde confunduntur a doctissimis, ut h. l. ab ipso Lipsio. Alia sunt *beneficia*, quæ ad ærarium deferuntur, ad quæ spectat locus ex ep. Cic. ad quæstorem suum: alia beneficia Imperatorum aut aliorum. In illis nihil est, nisi commendatio virtutis et rei bene gestæ, quæ deponitur apud ærarium, et venit in civium notitiam, unde aditus munitur ad honores majores: in his est gradus aut honoris collatio, ut Tribunatus, Præfecturæ, Centurionatus etc. verbo honoratioris et utilioris militiæ in quocunque genere: nam et Centurionum beneficia sunt. Neque vero solum de militia dicitur, sed et aliis: velut ap. Plin. ep. 10, 48. sunt *buleutæ*

A. U. 824. A. C. 71. que mandatis, discordia quæsita, auctaque pravo certamine. Legatorum vis adolevit diuturnitate officii, vel quia minoribus major æmulandi cura; Proconsulum splendidissimus quisque securitati magis, quam potentiæ consulebant.

49 Sed tum legionem in Africa regebat Valerius Festus, sumptuosæ adolescentiæ, neque modica cupiens, et adfinitate Vitellii anxius. Is crebris sermonibus tentaveritne Pisonem ad res novas, an tentanti restiterit, incertum; quoniam secreto eorum nemo adfuit, et, occiso Pisone, plerique ad gratiam interfectoris inclinavere. Nec ambigitur, provinciam et militem alienato erga Vespasianum animo fuisse: et quidam e Vitellianis, urbe profugi, ostentabant Pisoni *nutantes Gallias, paratam Germaniam, pericula ipsius et in pace suspecta tutius bellum.* Inter quæ Claudius Sagitta, Præfectus alæ Petrinæ, prospera navigatione prævenit Papirium, Centurionem, a Muciano missum, adseveravitque *mandata interficiendi Pisonis Centurioni data. Cecidisse Galerianum, consobrinum ejus generumque. Unam in audacia spem salutis. Sed duo itinera audendi; seu mallet statim arma, seu petita navibus Gallia, Ducem se Vitellianis exercitibus ostenderet.* Nihil ad ea moto Pisone, Centurio a Muciano missus, ut

beneficio Cæsaris. nam ibi aut *additi beneficio tuo* cum Casaub. legendum, aut *qui sunt beneficio tuo.* Ut ad Tacitum veniamus, æquatus beneficiorum numerus nihil est aliud, quam numerum locorum militarium, quæ adsignarentur arbitrio Proconsulis, fuisse inter utrumque ita divisum, ut uterque totidem crearet. Ern.

Pravo certamine legatorum] Distinguendum censeo: *et mixtis utriusque mandatis discordia quæsita, auctaque pravo certamine. Legatorum jus adolevit diuturnitate officii.* Hoc enim ait: dum imperant iisdem uterque suo jure sæpe contraria, discordia exorta est, et ea *pravo certamine*, dum neuter alteri concedere sustinet, *aucta.* Sed Legatorum potestas prævaluit, quia complures per annos eam curam habebant, Proconsules quotannis mutabantur, etc. Gron. Ea interpunctio est in MS. Agr. ed. pr. In Guelf. (et Bud.) omnia uno tenore sine interpunctione scripta. Recepit Ryckius, quem imitatus sum. Mox pro *jus*, Guelf. et alii ap. Broterium *vis*, quod non temere spreverim. Saltem *jus* h. l. sic dicitur. Ern. Bud. *jus*, non dubie, ut alibi. Bip. recepere *vis.* Puto rectius.

Valerius Festus] Plinius Ep. 3, 7. *Nuper L. Piso, pater illius, qui a Valerio Festo per summum facinus in Africa occisus est.* Lips.

Neque modica cupiens, sed affinitate Vitellii anxius] Primum MSS. Bud. Guelf. *cupido.* Deinde Bud. *si:* Agr. ed. pr. *et:* ceteri scr. et edd. *sed.* Ryckius recepit *et.* Ambigo, utrum præferendum putem. Nihil enim in contextu reperio, unde ratio cum fiducia aliqua pronunciandi sumi possit. Itaque libros plures secutus sum. Ern. Bene Grut. præfert *et*, quia etiam hoc inter caussas, cur citius ad res novas transierit. Sic et Bip.

Alienato erga Vesp.] Ed. pr. *alienatam.* Post *in* ante *pace* deletam volebant Faernus, Muretus, Grotius etc. quam omnes libri exhibent. Ern. Bip. delent; sed ferri potest, judice Acidalio. Servant etiam Brot. Lall.

Præfectus alæ Petrinæ] *In* Notitia Imperii Sect. 63. *Præfectus alæ Petrianæ* legitur in Britannia, *per lineam valli.* Ubi linea valli, non aliud est, quam tractus ille ad vallum a Severo aliisque exstructum. Lips. De *ala Petrina* v. Lips. ad A. 11, 4. Ern. Mox Bud. *omissum*, vitium e vicinia ortum.

Cecidisse Galerianum] Cod. Bud. *cesisse.* Unde Rhenanus *cæsos esse Galer.* corrigebat. At *cecidisse* iterum sic mox c. 51. Ern.

A Muciano missus] Præpositio deest in Bud. Mox Agr. *ostentaret.*

portum Carthaginis adtigit, magna voce læta Pisoni omina, tamquam Principi, continuare; obvios et subitæ rei miraculo adtonitos, ut eadem adstreperent, hortari. vulgus credulum, ruere in forum: *præsentiam Pisonis* exposcere. Gaudio clamoribusque cuncta miscebant, indiligentia veri et adulandi libidine. Piso, indicio Sagittæ, vel insita modestia, non in publicum egressus est, neque se studiis vulgi permisit. Centurionemque percunctatus, postquam, *quæsitum sibi crimen cædemque*, comperit, *animadverti in eum* jussit, haud perinde spe vitæ, quam ira in percussorem, quod idem ex interfectoribus Clodii Macri, cruentas Legati sanguine manus ad cædem Proconsulis retulisset. Anxio deinde edicto Carthaginiensibus increpitis, ne solita quidem munia usurpabat, clausus intra domum, ne qua motus novi caussa vel forte oriretur. A. U. 824. A. C. 71.

Sed, ubi Festo consternatio vulgi, Centurionis supplicium, veraque et falsa, more famæ, in majus innotuere, equites in necem Pisonis mittit. Illi raptim vecti, obscuro adhuc cœptæ lucis, domum Proconsulis inrumpunt, destrictis gladiis: et magna pars Pisonis ignari, quod Pœnos auxiliares Maurosque in eam cædem delegerat. haud procul cubiculo, obvium forte servum, *quisnam et ubi esset Piso?* interrogavere. Servus egregio mendacio, *se Pisonem esse*, respondit: ac statim obtruncatur. nec multo post Piso interficitur. Namque aderat, qui nosceret, Bebius Massa, e Procuratoribus 50

Læta Pisoni omnia—continuare] Vere Acidalius correxit *omina*. Idque adeo evidens e sequentibus, *ut eadem adstreperent*, ut recipere in textum non dubitarim: secutusque est nos Broterius (et Lall.). *Omina læta Pisoni ut Principi continuare* est, lætis ominibus eum omnibus locis, assidue, prosequi, usurpato Principis nomine et quicquid appellari Principes solent. Groslotius corrigebat *conclamare*, non adsecutus verbum vulgatum. Læta omnia nunciare poterat homo, non clamore continuare. Mox *indiligentia veri* bene correctum a Rhen. Ed. pr. (et Bud.) *indiligentia viri*. Ceteræ ante Rhen. MS. Guelf. *indulgentia viri*. Ern.

Consternatio vulgi] h. e. concursus in forum ex instinctu et fraude Centurionis, clamore præsentiam Pisonis exposcentium, ominibus lætis, ut Principem, prosequentium. Tironum caussa dictum. Paullo post ed. pr. *Pœnos auxiliaresque Mauros*. Ern. Cf. A. 1, 39.

E Procuratoribus Africæ] Ed. pr. *Procurator Af.* Si plures in Africa Procuratores Cæsaris, vulgatum præferam. Sed in Africa, Proconsulari provincia, plures fuisse, nondum reperi et vix credo. In Britannia quidem, provincia Cæsaris, unus tantum fuit, ut patet ex Agric. 15. Ann. 14, 39. Nisi forte illo tempore præter primarium Procuratorem alii minores extra ordinem missi fuere, qui certam aliquam partem rei fiscalis, sub primario Procuratore, curarent; quod interdum factum docet Bynkersh. Obs. 2, 21. extr. et variis legum, inscriptionum, locis patet. Id si non placet, et illis temporibus, præsertim in Proconsulari provincia unus tantum (nam loca, quæ afferuntur, non attingunt hanc ætatem) aut lectio ed. prim. præferetur, aut *Africæ* putabitur esse a mala manu. Nam potuit esse, *Bæbius, e Procuratoribus*, pro *Procurator*, non addito provinciæ nomine: ut supra vidimus *e Tribunis*, pro, *Tribunus*; quod illi male ab imperitis librariis substitutum in libris vett. notavimus. item *e Primipilaribus* pro *Primipilaris* H. 3, 70. Ern. Lall. exponit: unus ex iis, qui Procuratores Africæ fuerant.

A. U. 824. A. C. 71. Africæ, jam tunc optimo cuique exitiosus, et in caussas malorum, quæ mox tulimus, sæpius rediturus. Festus Adrumeto, ubi speculabundus substiterat, ad legionem contendit, Præfectumque castrorum, Cetronium Pisanum, vinciri jussit, proprias ob simultates: sed *Pisonis satellitem* vocabat, militesque et Centuriones quosdam puniit, alios præmiis adfecit: neutrum ex merito, sed ut oppressisse bellum crederetur. Mox Oeensium, Leptitanorumque discordias componit, quæ, raptu frugum et pecorum inter agrestes, modicis principiis, jam per arma atque acies exercebantur. Nam populus Oeensis, multitudine inferior, Garamantas exciverat, gentem indomitam et inter adcolas latrociniis fecundam. Unde arctæ Leptitanis res, lateque vastatis agris intra mœnia trepidabant: donec, interventu cohortium alarumque, fusi Garamantes et recepta omnis præda, nisi quam vagi per inaccessa mapalium ulte-
51 rioribus vendiderant. At Vespasiano, post Cremonensem pugnam et prosperos undique nuntios, *cecidisse Vitellium*, multi cujusque ordinis, pari audacia fortunaque hibernum

In caussas malorum—rediturus] i. e. qui postea sæpe in caussis malorum nostrorum futurus erat, sæpe acturus, quæ nos adfligerent. Ern. Cf. Plin. Ep. 7, 33.

Ad legionem tendit] Sequentia perfectum desiderant. *Tendit* pro perfecto non accipiam, propter ea, quæ ad Ann. 3, 24. dixi. Cogitavi olim, et hic legendum *tetendit*. Sed in ed. pr. *contendit* reperi, quod recipere non dubitavi. Sic et MS. Reg. Idem fecit Broterius. Eadem habet mox *puniit*, quod post edidit Rhenanus (e Bud.) cum sqq. omnibus: idque est et in Flor. cum Puteol. Ber. Alc. edidissent *punit*, quod est et in Guelf. Ern. Bud. *tendit*. Mox Bud. male *obrepsisse*.

Mox Ophensium] Rodolphus voluit *Ruspensium*: sed a conjectura. Ophensium quidem non alibi mentio in hoc tractu: et putamus rectissime emendatum iri, *Oeensium*. statimque, *populus Oeensis*. Rem tetigi. Te advoco, C. Plini, in meam fidem et Taciti lucem: Scribis 5, 5. his ipsis verbis: *Ad Garamantas iter inexplicabile adhuc fuit. Proximo bello, quod cum Oeensibus Romani gessere, initiis Vespasiani Imperatoris, compendium viæ quatriavi deprehensum est.* Quod illud bellum sub initia Vespasiani, nisi istud? Itaque Plinio quoque prælucent clare hæc Corneliana. Tempus, situs, nomen, omnia conveniunt: et est hoc illud ipsum celebre opidum, unde Pudentilla Apuleii, ut ipse Apologia commemorat. Scripsit et Orationem, *Pro statua sibi Oeæ locanda.* Lips. MS. Agr. *Aspensium* non *Rusp.* Ed. pr. (et Bud. cod.) *Offens.* Lipsii correctionem recepit Ryckius; de qua v. quos laudat J. Gron. qui vulgatum servat: inprimisque Suritam ad Anton. Itin. p. 62. ed. Wessel. ibique etiam Wesselingium: unde patebit, sæpe istius urbis nomen corruptum in libris, et restitutum a doctis viris. Add. Oudend. ad Sueton. Aug. 4. extr. Sed in primis ex ed. pr. apparet, vere Suritam conjecisse, de origine corruptelæ: nempe, ex *Oeensis* primum factum *Ofensis*. Etiam tabula Peuting. habet *Osa*. Pelerin Recueil de méd. Suppl. 2. p. 48. 49. e numo antiquo in primis verum nomen defendit esse *Ocea*, inde *Ocensis*. In numo est *Col. Aug. Oce.* Ceterum Leptis intelligenda magna, in cujus vicinia Oea. Ern. Ptol. 4, 3. Ἑῶα. In numo Antonini Pii *Oea*.

Unde arctæ Leptitanis res] *Artæ* MSS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. edd. ante Rhen. qui edidit *arta*. Vetus restituit Ryckius: et hoc consuetudo Latine loquentium desiderat, ut vidit Freinshem. Dubitat J. Fr. Gronovius ad Liv. 10, 6. an recte *arcta res* sollicitetur, laudans *duram rem* e Virgilio; non dubitaturus, si consensum vett. librorum cognitum habuisset. Mox MS. Agr. *vastis*. V. ad 2, 32. Ern. Bud. *vastatis*.

mare adgressi, nuntiavere. Aderant legati Regis Vologesi, A. U.
quadraginta Parthorum equitum millia offerentes. Magnifi- 824.
cum lætumque, tantis sociorum auxiliis ambiri, neque indi- A. C.
gere. Gratiæ Vologeso actæ, mandatumque, *ut legatos ad* 71.
Senatum mitteret et pacem esse sciret. Vespasianus, in Italiam
resque urbis intentus, adversam de Domitiano famam acci-
pit: *tamquam terminos ætatis et concessa filio egrederetur.*
Igitur validissimam exercitus partem Tito tradit, ad reli-
qua Judaici belli perpetranda. Titum, antequam digre- 52
deretur, multo apud patrem sermone orasse dicebatur, *ne*
criminantium nuntiis temere accenderetur: integrumque se ac
placabilem filio præstaret. Non legiones, non classes, perinde
firma imperii munimenta, quam numerum liberorum. Nam
amicos tempore, fortuna, cupidinibus aliquando, aut erroribus,
imminui, transferri, desinere: suum cuique sanguinem indiscre-
tum, sed maxime Principibus: quorum prosperis et alii fruan-
tur, adversa ad junctissimos pertineant. ne fratribus quidem
mansuram concordiam, ni parens exemplum præbuisset. Ve-
spasianus, haud æque Domitiano mitigatus, quam Titi pie-
tate gaudens, *bono esse animo* jubet, *belloque et armis Rem-*
publicam adtollere: sibi pacem domumque curæ fore. Tum
celerrimas navium, frumento onustas, sævo adhuc mari
committit. Quippe tanto discrimine urbs nutabat, ut de-
cem haud amplius dierum frumentum in horreis fuerit, cum
a Vespasiano commeatus subvenere. Curam restituendi 53

Mare aggressi] Ferretus malebat *ingressi*, quod cuivis in mentem veniat. At vulgatum quoque rectum. Ern.

Quadraginta Parthorum] Nec nimis pro illo Rege et militia totius gentis equestri. Idem numerus in Suetonio c. 6. *Vologesum promisisse XL. millia sagittariorum.* Non pugnat. nempe equites illi sagittarii, ut solent, et hippotoxotæ. Quidam tamen libri in Suetonio XV. M. nec audio. Lips.

Suum cuique sanguinem indiscretum] H. e. liberos cujusque esse ei arctissimo vinculo conjunctos, ut omnia parenti liberisque communia sint. Mox *parens* pro *pater* edidi e Flor. Bud. Agr. ed. pr. Post *attolleret* MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. male. Ern. Bud. *attollere*, sed male ibi deest *jubet*.

A Vesp. commeatus subvenere] Tum cusum fuisse a Corinthiis numum in honorem Domitiani, in cujus postica corona spicea cum epigraphe PERM. IMP. GERM. tradit Vaillant in NN. Col. t. 1. p. 139. Verum *Germanici* titulus non ante a. u. 836. Domitiano est inditus, ut bene docet Eckhel in Doctr. NN. vet. t. 6. p. 397.

Curam restituendi capitolii confert] Confert in illum jam dictum. Sed adfuit igitur Vespasianus, an abfuit? Adfuisse Suetonius fortiter dicit c. 8. *Ipse restitutionem capitolii aggressus, ruderibus purgandis manus admovit primus, ac suo collo quædam extulit.* Simile et in Dionis compendio legas 66, 10. At Taciti verba et narratio aliorsum eunt, et omnia sunt, ut Vespasiano absente. Si præsens, cur in alium transfert? cur nec nominatur quidem? cur cetera omnia, quæ temporum serie narrantur, illo absente gesta? Ego nihil nisi pugnam manifestam hic video, et libens audiam (paci amicus sum) conciliantem. Lips. Quæ vel pro Tacito, ut a Savilio ad h. l. vel contra eum ab aliis dicta sunt, aut quomodo conciliare cum Suetonio aliisque tentarint viri docti, veluti Ph. a Turre ap. Burm. ad Suet. T. Vesp. 8. non referam. In MS. Guelf. ante *curam rest. C.* est spatium vacuum duorum versiculorum, et par in fine loci hujus de capitolio. Porro, ut supra diximus ad c. 46. in MSS. et ed. pr. sunt

A. U. 824. A. C. 71. capitolii in L. Vestinum confert, Equestris ordinis virum, sed auctoritate famaque inter proceres. Ab eo contracti Haruspices monuere, *ut reliquiæ prioris delubri in paludes aveherentur: templum iisdem vestigiis sisteretur. nolle Deos, mutari veterem formam.* Undecimo Kal. Julias, serena luce spatium omne, quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisque. Ingressi milites, quis fausta nomina, felicibus ramis. dein virgines Vestales, cum pueris puellisque pa-

verba *sed immensa pecunia ferunt*, eaque paullo ante transpositionem, de qua ibi dictum: adde dicta ad extrema hujus capitis. Quæ mihi suspicionem movere, hoc caput aliunde, h. e. ex sequente libro huc translatum esse, aut saltem aliquid ante id omissum. Nam clarum satis est ex initio statim capitis, curam reficiendi capitolii Vespasiano fuisse mandatam. Id autem ubi dictum est? Res autem est tanta, ut a Tacito præteriri non potuerit. Nam quæ c. 9. extr. dicuntur, non sufficiunt. Neque facile credam, absente Vespasiano de ea re aliquid esse statutum. At hoc tempore nondum Romæ fuisse, sed circa finem æstatis demum, eo venisse, series tota rerum declarat. Vid. c. 81. Joseph. Bell. Jud. 7, 4. Pagius quidem non dubitat, advenisse Romam mense Septembri. Sed hæc de conjectura; quam incertam esse facile largiar. Et sunt alia de capitolio instaurato ambigua etiam in Josepho, de quibus jam dicere nil attinet. Ern. De restituendo capitolio jam anno superiori in Senatu actum. Cf. c. 4. et 9. Quam parum concordent scriptores in omni hoc restituti capitolii negotio narrando, docet etiam Reimarus ad Dionem l. c.

L. Vestinum Equestris ordinis] Estne ille, de quo oratione pro Gallis Claudius Cæsar? *Ex qua colonia* (Viennensi) *inter paucos Equestris ordinis ornamentum L. Vestinum familiarissime diligo.* Ego puto. idque paullo certius, quam eundem Martiali intellegi 4, 73. *Cum gravis extremas Vestinus duceret horas, Et jam per Stygias esset iturus aquas, Ultima volventes oravit pensa sorores, Ut traherent parva stamina pulla mora. . . Tum, largas partitus opes, a luce recessit: Seque mori post hoc credidit ille senem.* Nam hic fuerit potius filius ejus: qui videtur e clausula juvenis obiisse. Lips.

In paludes aveherentur] Ed. pr. *adveherentur.* male. Vid. ad 16, 2. Ern.

Ingressi milites] Acidalius hæc cum antecedentibus conjungenda putabat, et sic in ed. pr. reperi. Ern.

Quibus fausta nomina] Non, *omina*, ut vulgo. Vaticanus ita jubet et mos religionis priscæ. quibus magnæ curæ, ut in his talibus initiis homines præessent bono nomine. id est: e quorum nominibus captari velut augurium aliquod posset prosperitatis et diuturnitatis. Talia sunt Salvius, Longinus, Statorius etc. Mala contra, e quibus triste aliquod, infirmum, breve, ut Curtius, Minucius, Furius, Hostilius. Cicero de divinat. 1, 45. *Cum Imperator exercitum, Censor populum, lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur: quod idem in delectu Consules observant, ut primus miles fiat bono nomine.* Plinius 28, 2 (5.) *Publicis lustris etiam nomina victimas ducentium prospera eligimus.* Tale vaticinium lenonis illius Plautini, in Lucride Persa 4, 4, 73. *Nomen atque omen quantivis est pretii . . . Mihi quoque Lucridem confido fore te.* Adi et Festum in Lacus Lucrinus. Lips. Firmant MSS. Flor. Vat. Reg. ed. pr. sed insuper *quis*. Ern. Bud. *quibus fausta nomina*, ubi 2. m. τὸ *nomina* mutare parabat in *omina* vel *omnia*. Bip. legunt *qui* per adpositionem pro *quibus*, et provocant ad verba cit. Plinii. Sed in his eo sensu dicendum fuisset *ducentia*, non *ducentium*. Sic et Cicero l. c. non dicit *bona nomina*, sed *bonis nominibus*. Falso Ryckium Flor. codici tribuere *qui*, testatur Jac. Gronov.

Felicibus ramis] Id est, e felici arbore (Dis grata, interpretatur Macrobius 2, 16.) decerptus. Ammianus in religione simili 29, 1. *Linteis quidam indumentis amictus, torulo capiti circumflexo, verbenas felicis arboris gestans.* Huic usui maxime laurus. Livius l. 40, 37. *Omnes coronati et lauream in manu tenentes supplicaverunt.* Suidas: Αἴσακος. ὁ κλάδος τῆς δάφνης, ὃν κατέχοντες ὕμνουν τοὺς θεούς. Lips. Locus a Lipsio productus non Suidæ est, sed Hesychii.

trimis matrimisque, aqua, vivis e fontibus amnibusque A. U. hausta, perluere. Tum Helvidius Priscus, Prætor, præ- 824. eunte Plautio Æliano, Pontifice, lustrata suovetaurili- A. C. 71. bus area et super cespitem redditis extis, *Jovem*, *Juno-*

Aqua perluere] Solenni et usitata lustratione, publice privatimque recepta. Tertullianus de Bapt. c. 5. *Ceterum villas, domos, templa, totasque urbes aspergine circumlatæ aquæ expiant passim.* Huic rei et περιῤῥαντήρια vasa in templis, aqua lustrali plena, qua Sacerdotes aut æditui intrantes aspergerent, aut etiam ipsi sese. Sozomenus 6, 6. Θαλλοὺς τινας διαβρόχους κατέχων ὁ ἱερεὺς, νόμῳ ἑλληνικῷ περιέῤῥαινε τοὺς εἰσιόντας, Ovidius Fast. 4, 728. *Udaque rorales laurea misit aquas.* Insignem ad hanc ablutionem locum abluo, Asconii In Divinationem: *Alii delubra dicunt ea templa, in quibus sunt labra corporum abluendorum mortuorum, ut Dodonæi Jovis aut Apollinis Delphici, in quorum delubris lebetes tripodesque visuntur.* Fallor, aut τὸ *mortuorum*, ab inepto glossographo est: nec aliunde delubra derivari vult, quam ab ista in templorum vasis aqua ad deluendum. Lips. Ceterum lectio hæc est e correctione Rhenani. Firmatur tamen initium *aqua rivis* MS. Guelf. Ceteri libri *trimis* vel *trinis:* quod repetitione fortuita natum e voce *matrimis.* Ryckius corrigit, *e vicinis f. a.* e Cic. N. D. 3, 20. Poterat addi Liv. 1, 45. extr. Ferri posse vulgatum videtur, at periphrasis aquæ vivæ per μερισμόν. Et videri possunt hæc sumta ex inscriptione aut SC. in quibus talia reperiri, satis constat. sed verissime emendavit J. Gronovius *vivis e fontibus a.* præsertim, cum τὸ *e* sit in iisdem libris antiquis. Idque recepimus. Voluit et ipse exprimi; sed operæ non paruerunt. Nihil tritius vivo flumine in sacris. Vid. Gron. ad h. l. In extremo omnes scr. et edd. ante Rhen. *pluere,* pro quo Ant. Augustinus malebat *perpluere,* quod magis placet quam *perluere.* Etenim adspersio illa fuit areæ lustrandæ caussa, de quo *perpluere* dici potest, non *perluere.* Ern. Putcol. et Alc. *a quatrimis et font.* Bud. *aquarinis et font.* Unde Rhen. fingebat *aqua rivis et font.* Ant. Augustinus dabat *aqua e rivis et font.* Rhenanum secuti sunt editores, donec scitam Jac. Gronovii conjecturam reciperet Ernesti, quem imitati recentiores. Præpositio *e* loco τοῦ *et* debetur Flor. Habet et Reg. Lall. Augustini *perpluere* longius petitum judicat Broterius. Bud. male *plueret.*

Plauto Eliano] Sic Vatic. Barbare vulgo *Eliatio.* Lips. Consentit ed. pr. etsi habet *Cliano.* Ryckius conjicit scribendum *Plautio Æliano,* ut intelligatur T. Plautius Silvanus Ælianus, clarus illis temporibus vir: de quo est nota inscriptio ap. Gruterum p. 453. etiam a Ryckio ad h. l. allata et accuratius e Piranesi Antichità Rom. tab. XI. a Broterio, qui et sic edidit, ut Alemannus. Idque et nos imitati sumus. In ea et Pontificatus tribuitur Plautio. Ern. Bud. *Plauto Eliatio.*

Lustrata bove taurisque] Vera dictio *suovetaurilibus.* Præit Vatic. in quo, *bovetaurilibus:* et Covarruviæ, qui *bovetauribus.* Scilicet prisci in lustrationibus aut piamentis hoc sacrificii genus adhibebant, solenni ritu. Livius 8, 10. *Telo potiri hostem fas non est: si potiatur, Marti suovetaurilibus piaculum fieri.* Tacitus A. 5 (6, 37.) *Sacrificantibus, cum hic more Romano suovetaurilia daret, ille equum placando amni.* Cato RR. c. 141 (142). *Cum Divis volentibus, quodque bene eveniat, mando tibi Mani, uti illace suovetaurilia, fundum, agrum, terramque meam, quota ex parte circumferenda censeas, uti cures lustrare.* Quæ victimæ in hoc sacro, etsi vox indicat, clare etiam Varro RR. 2, 1. *Populus Romanus cum lustratur suovetaurilibus, circumaguntur verres, aries, taurus.* Et Quinctil. 1, 5, 67. *Nam suovetaurilia jam persuasum est esse ex sue, ove et tauro.* Solitaurilia hæc etiam dicta, docebit te Festus. nec abeunt a Græcorum veteri sacro, quod illi τριττὺν dicebant. de quo Eustathius p. 1676. ad Od. λ. 130. aliique. Lips. Flor. Agr. ed. pr. *bovetaurilibus.* Ern. Bud. *bove taurisque.*

Super cespitem redditis extis] Edd. Put. Ber. Alc. *secundum.* male, ut alibi quoque peccatum vidimus. *Reddere* proprium de extis verbum esse, etiam tirones scire arbitror. Ern. Rhen. e Bud. dedit *super.* Sic et Flor. et Agr.

Jovem, Jun. Min.] Egregie hæc illustrat numus Vespasiani, in cujus postica templum hexastylon, statuis superne et utrinque exornatum, in cujus medio signum Jovis sedentis, cui ad dextram adstat Pallas, ad lævam Juno. Exhibet

A. U. 824. A. C. 71. *nem, Minervam præsidesque Imperii Deos* precatus, *uti cœpta prosperarent, sedesque suas, pietate hominum inchoatas, Divina ope adtollerent*; vittas, quis ligatus lapis, innexique funes erant, contigit. Simul ceteri Magistratus et Sacerdotes et Senatus et Eques et magna pars populi, studio lætitiaque connixi, saxum ingens traxere. passimque injectæ fundamentis argenti aurique stipes et metallorum primitiæ, nullis fornacibus victæ, sed ut gignuntur. Prædixere Haruspices, ne temeraretur opus saxo aurove, in aliud destinato. Altitudo ædibus adjecta. Id solum religio adnuere. et prioris templi magnificentiæ defuisse creditum.

54 Audita interim per Gallias Germaniasque mors Vitellii duplicaverat bellum. Nam Civilis, omissa dissimulatione, in Populum Romanum ruere. Vitellianæ legiones vel externum servitium, quam Imperatorem Vespasianum, malle. Galli sustulerant animos, eandem ubique exercituum nostrorum fortunam rati: vulgato rumore, *a Sarmatis Dacisque Mœsica ac Pannonica hiberna circumsideri.* paria de Britannia fingebantur. Sed nihil æque, quam incendium capitolii, ut finem Imperio adesse crederent, inpulerat. *Captam olim a Gallis urbem: sed, integra Jovis sede, mansisse Imperium. Fatali nunc igne signum cœlestis iræ datum, et possessionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi*, superstitione vana Druidæ canebant. Incesseratque fama, primores Galliarum, ab Othone adversus Vitellium missos, antequam digrederentur, pepigisse, *ne deessent libertati, si Populum Romanum continua bellorum civium series et interna*

cum Pedrusi ex museo Farnesio et eleganter delineatum Morellius. In numis Antonini Pii ista Numina eodem honoris discrimine sedentia, in aliis ejusdem pro Diis ipsis propriæ singulorum aves, itemque in Lucerna fictili apud Passerium t. 1. p. 29. tres cellæ templi capitolini, simili ordine locatæ comparent. Plura dabit ex Titi et Domitiani numis itemque ex collatis veterum locis Eckhel in Doctr. NN. vet. t. 6. p. 327.

Quis ligatus lapis] Sic Flor. Alii et Bud. *quibus.*

Nullis fornacibus victæ] *Victæ* pro *coctæ.* nam ignis eleganter dicitur *vincere*, quæ duriora sunt et igni diu resistunt. Deinde pro *ut gignuntur* MS. Flor. ed. pr. *ut signantur*, MS. Agr. *et signanter*, quod non displicet Ryckio, sed ut cum sequentibus conjungatur, sicque *diserte.* Vulgatum verum puto, etsi id redundat. Ern. Bip. præferunt *ut signantur*, scil. a natura et insignes sunt. Id equidem non capio. Vulgatum bene habet.

Defuisse creditum etc.] Non credo, hæc ad præcedentia referenda. nam illa ad altitudinem operis spectant, hoc ad spatium et amplitudinem. Non satis spatiosum templum esse credebatur, in quod tanta sæpe hominum multitudo conflueret, ut eam capere non posset. Sed ita sententia non est absoluta, nec credibile, nil amplius de ædificatione capitolii dictum, Unde confirmatur suspicio, ab initio indicata. Ern. Ernesti servarat hic verba: *quo tanta vis hominum retinenda erat.* Sed rectius ad c. 46. referuntur; id respice. Paullo ante Bud. *primoris templi.* De magnificentia ejus fuse Brot. in edit. majore.

Vel externum] *Vel* habent Flor. Agr. Guelf. ed. pr. Puteol. Ber. Alc. Restituit Pichena. Paullo post cum Ryckio et J. Gronov. recepi *finem Imperio*, pro *Imperii*, quod et ed. pr. habet. Ern. Bud. *vel externum.* Istud *vel* in Lipsianis omissum. *Imperio* Flor. Agr. sed Bud. *Imperii.* Mox idem *versus Vitellium.* Dein Agr. *erupit.*

mala fregissent. Ante Flacci Hordeonii cædem, nihil prorupit, quo conjuratio intelligeretur. Interfecto Hordeonio, commeavere nuntii inter Civilem Classicumque, Præfectum alæ Treverorum. A. U. 824. A. C. 71.

55 Classicus nobilitate opibusque ante alios. Regium illi genus et pace belloque clara origo. Ipse e majoribus suis hostis Populi Romani quam socius, jactabat. Miscuere sese Julius Tutor et Julius Sabinus: hic Trevir, hic Lingon. Tutor ripæ Rheni a Vitellio præfectus: Sabinus, super insitam vanitatem, falsæ stirpis gloria incendebatur: *provinciam suam D. Julio, per Gallias bellanti, corpore atque adulterio placuisse.* Hi secretis sermonibus animos ceterorum scrutari. ubi, quos idoneos rebantur, conscientia obstrinxere, in colonia Agrippinensi in domum privatam conveniunt. nam publice civitas talibus inceptis abhorrebat: attamen interfuere quidam Ubiorum Tungrorumque. Sed plurima vis penes Treveros ac Lingonas: nec tulere moras consultandi. certatim proclamant: *furere discordiis Populum Romanum, cæsas legiones, vastatam Italiam, capi cum maxime urbem, omnes exercitus suis quemque bellis detineri. si*

Anteibat alios] Brevius et verius Vatic. et Covarruviæ, *ante alios.* Sic H. 5, 12. *Templum in modum arcis, propriique muri labore et opere ante alios.* A. 1, 27. *Cn. Lentulus ante alios ætate et gloria belli.* Lips. Consentit Flor. Agr. ed. pr. Itaque bene *ibat* a Pichena deletum. Ern. Bud. *ante alios.* sed 2. m. addidit *ibat* in margine.

Hostis Populi Romani, quam socius, jactabat] Sic restitui. Transmarinum et elegans dicendi genus est, *jactat esse socius:* quod plebs dixerit, jactat se socium esse. Homerus Il. 13, 54. Ἕκτωρ ὃς Διὸς εὔχετ' ἐρισθενέος πάϊς εἶναι. et crebro Græci: quos sæpe et vulgo imitati Latini, sed locis hodie fere corruptis. Plautus Asinaria 3, 3, 43. *Argenti viginti minæ me modo ad mortem appulerunt, Quas hodie adolescens Diabolus ipse daturus dixit.* Ita enim consensu manuscripti. sicut et illo Bacchidibus 1, 2, 47. *Eia, nunc esse ego opinor Hercules, tu autem Linus.* Apuleium eo exemplo scripsisse censeam l. 7. *Summos illi promitterent honores habituri mihi.* nec mutem. Virgilius Æn. 2, 377.—*sensit medios delapsus in hostes.* Lips. Consentit ed. pr. Guelf. et edd. ceteræ ante Lips. (et cod. Bud.) *is se. E majoribus* est, ad exemplum majorum suorum. Dicebat, majores suos hostes Pop. R. fuisse, eorumque exemplum se sequi. Nec absurdum, ut opinor, foret: *is e maj. s. hostis P. R. quam socios jactabat:* magis laudabat et se imitari dicebat eos, qui hostes, quam qui socii Pop. Rom. fuissent. Certe in vulgata *e majoribus suis,* durius est. Ern. Conjectura ista Merceri est, Pichenæ probata. Huetius malebat *a maj. suis.* Bip. *e maj. suis* explicant natus hostis. In Bud. a 1. m. erat *ipse,* unde 2. m. *Is se.*

Hic Trevir, hic Lingon] Alterum in *ille* mutari cupiunt Rhen. et Pich. quod non necessarium esse, hodie constat. V. Ryck. MS. autem Flor. habet *Lingonus,* Reg. Agr. ed. pr. *Lingonius.* Broterius suspicatur, Romanos dixisse *Lingonus* pro *Lingo* vel *Lingon,* ut habet Martialis 8, 75, 2. Ern. Bud. *Lingon.* Geminatum pronomen *hic* occurrit et ap. Virg. Ecl. 4, 56. Cic. ad Fam. 9, 16. immo supra A. 14, 8. Mox Bud. *incedebat.*

Animos c. scrutari] Pichena corrigebat *scrutati,* et cum sequentibus conjungebat: eleganter, sed sine libris et non necessario. mox ed. pr. *adstrinxere,* item *Tungrorum,* ut Rhenanus edidit. V. ad 2, 11. Ern. Bud. *scrutari.* quod servant Brot. Lall. Ast Bip. *scrutati.*

Omnes exerc.—bellis detineri] Sic edidi ex ed. pr. ex quo ab Puteol. factum *destineri,* pro quo Rhen. (e Bud.) dedit *distineri,* quod tamen est et in Guelf. *Detineri,* i. e. occupatos esse, verum est, ex iis, quæ supra ad A. 11, 12, diximus. Singula singuli exercitus bella habebant, non pluribus distinebantur, distrahe-

A. U. *Alpes præsidiis firmentur, coalita libertate, dispecturas Gallias,*
824. *quem virium suarum terminum velint.* Hæc dicta pariter pro-
A. C. bataque. de reliquiis Vitelliani exercitus dubitavere. Pleri-
71.
56 que *interficiendos* censebant, *turbidos, infidos, sanguine Ducum pollutos.* Vicit ratio parcendi: *ne, sublata spe veniæ, pertinaciam accenderent. Adliciendos potius in societatem. Legatis tantum legionum interfectis, ceterum vulgus, conscientia scelerum et spe inpunitatis, facile accessurum.* Ea primi consilii forma. missique per Gallias concitores belli. Simulatum ipsis obsequium, quo incautiorem Voculam opprimerent. Nec defuere, qui Voculæ nuntiarent. Sed vires ad coercendum deerant, infrequentibus infidisque legionibus. Inter ambiguos milites et occultos hostes, optimum e præsentibus ratus, mutua dissimulatione et iisdem, quibus petebatur, artibus grassari; in coloniam Agrippinensem descendit. Illuc Claudius Labeo, quem, captum et extra conventum amandatum in Frisios, diximus, conruptis custodibus perfugit. pollicitusque, *si præsidium daretur, iturum in Batavos et potiorem civitatis partem ad societatem Romanam retracturum;* accepta peditum equitumque modica manu, nihil apud Batavos ausus, quosdam Nerviorum Betasiorumque in

bantur. Ante bene Rhen. (e Bud.) *cum maxime* edidit pro *tum* vel *tunc maxime*, ut aliæ habent. ed. pr. *tamen max.* Ern.

Dispecturas Gallias] MS. Agr. *altius desp.* ed. pr. *alias desp.* Vulgatum verum. (Bud. male *disceptas*). Mox MSS. Bud. Agr. *reliquis.* Ern.

Pertinaciam accenderent] Hoc, ut mollius et Taciti stilo congruentius, recepi e MSS. Flor. Agr. ed. pr. Vulgo, *pertinacia accenderentur:* quod ferrem tamen, si esset *accenderetur.* Imitatus est Broterius. Ern. Bud. *pertinaciam attenderent*, vitiose.

Ea primi consilii forma] Sic edidi ex ed. pr. quod verum esse facile patet. Refertur enim ad rationem, quæ vicit. Et ante consultationis facta mentio. Alibi quoque hoc Tacito restituimus. Vulgo *concilii.* Imitatus nos est Broterius, qui et in MS. Reg. reperit. Ern. Et Lall. In Bud. *conscilii.*

Infidisque legionibus] Non erat in cod. Budensi, sicut nec ablativus *artibus*, paullo post. Abest et a Flor. ed. pr. omittique vult J. Gronovius, negans de tam subdolis fraudibus dici. Frustra. Est imitatio Liviani loci, jam ad Ann. prolati: Annibal sentiebat, *se suis artibus peti* a Fabio. Reperit et in aliis MSS. Broterius et recepit. *Grassari* item est verbum Sallustianum et Livianum in tali re. Pro *optimum* MS. Agr. ed. pr. *opportunum.* Ern.

Extra conventum] Accipio, conventum socialem. ejectum ab iis omnibus, qui arma in Romanos junxissent. Si tamen pura est lectio; nam libri quidam *commentum* habent, Flor. *cōmtum.* Nihil melius elicio. Lips. Recte se habet vulgata. Vide Observ. 3, 22. Gron. Non placet filio, quod ea vox non est in Flor. MSS. Guelf. Oxon. habent *extra continentem amnem:* quo firmatur Boxhornii conjectura *extra continentem amandatum.* Sed alias hoc dicitur tantum de iis, qui e continente in insulam maris amandantur. Ed. pr. seqq. (et c. Bud.) *commentum emendatum. Conventum* primus tacite edidit Rhenanus. Ern. Ryckius intelligit *conventum juridicum* i. e. civitatem Batavorum. Bip. conjiciunt *extra civitatem*, item *extra confinium*, quod in textum recepere. Quid, si *extra comitium?* hoc proximum libris foret. *Comitium* scil. locus, in quo negotia publica tractantur, ut Romæ olim, immo extra Romam. Nepos Ages. 4. *si privatus in comitio esset Spartæ.* Meliora exspecto.

Bethasiorumque] Sic Lips. edidit primus. Priores rectius sine *h.* MS. Agr. ed. pr. *Becas.* Guelf. *Bert.* Ern. Bud. *Bethasiorum.* Sed sine adspiratione apud Grut. p. 520, 9. Eorum meminit et

arma traxit. Et furtim magis, quam bello, Canninefates Marsacosque incursabat. Vocula Gallorum fraude inlectus, ad hostem contendit. Nec procul Veteribus aberat, cum Classicus ac Tutor, per speciem explorandi prægressi, cum Ducibus Germanorum pacta firmavere. Tumque primum discreti a legionibus proprio vallo castra sua circumdant, obtestante Vocula, *Non adeo turbatam civilibus armis rem Romanam, ut Treveris etiam Lingonibusque despectui sit. Superesse fidas provincias, victores exercitus, fortunam Imperii, et ultores Deos. Sic olim Sacrovirum et Æduos, nuper Vindicem Galliasque, singulis prœliis concidisse. Eadem rursus Numina, eadem fata, ruptores fœderum exspectarent. Melius D. Julio Divoque Augusto notos eorum animos. Galbam, et*

A. U. 824. A. C. 71.
57

Plin. 4, 17 (31). Eosdem fuisse *Betasos* cum *Aduaticis* Cæsaris, et in Brabantia habuisse sedem, Cluverius tradit Germ. ant. 2, 21. In Not. Imp. memoratur sect. 52. *cohors Vetasiorum.* In Capit. Caroli Calvi, in divisione R. Lothar. a. 870 facta, occurrit *Velsatum,* in Ann. Bertin. *Ueosatum,* in NN. Carolingorum *Uuiosatum;* id Valesio in Not. Gall. videtur esse *Weset* vel *Wiset* ad Mosam inter Leodium et Trajectum. Ibi quærendos *Betasios* Bipontini autumant. Valesius ipse in voce *Betasii* p. 77. in *Beda,* vico, quem itin. Antonini habet, se invenisse putat; is, hodie *Bidburg,* medio ævo sub nomine *pagi Bedensis* notus erat. Displicet hoc D'Anvillio in Not. de la Gaule p. 155. quia Treverorum pagus sic nimium fuisset restrictus. Potius cum P. Divæo de Antiq. Gall. Belg. suspicatur, in vico *Beets* inter Halen et Leewe ad lævam fl. Getæ in Brabantia superesse memoriam *Betasiorum.*

Marsacos] Plin. 4, 15 (29). *Marsatios* s. *Marsacios:* ed. Parisiens. supra laudata *Morsacios,* vitio operarum, ut opinor. Dio quoque 60, 8. Μαρσατίυς vocat. Ern. Non ita prorsus se res habet. Dio Μαυρουσίυς nominat, pro quibus Harduinus ad Plinii l. c. putat leg. Μαρσατίους, Leunclavius Χαύκους, Reimarus Μάρσους. Nominis vestigia in *Marsdiep* superesse, docet Alting. p. 93. Habitarunt scil. inter Rhenum et fossam Drusi, quæ nunc *Velavia.* Muretus in loco nostro legebat *Marsatiosque.* In *Marsacosque* conspirant libri.

Cum Ducibus Germanorum] Faernus volebat *Treverorum.*

Non adeo turbatam] Similem, et e Romano pectore vocem, emisit ille Stilico apud Claudianum De bello Getico 382.

Non ita Romanum Fati violentia nomen Obruit, ut vestros nequeat punire tumultus. Lips.

Eadem rursus Numina] Sic edidit primus Rhen. (ex ingenio) idque ab omnibus servatum. MSS. Flor. Agr. ed. pr. *nomina* (Bud. *nomine*). At MS. Guelf. *omnia.* Edd. Puteol. Ber. *omina;* ex quo in ed. Alciati lapsu operarum factum *omnia.* atque hinc lectionem hanc protulisse intelligendus est Rhen. cui frustra hic obloquitur Ryckius. *Omnia* mihi non adeo displicet: sed *Numina* præfero. *Eadem Numina,* i. e. æque irata, et perjurium ultura. Solennis Deorum mentio in terrendis fœdifragis. Et pro *numina* scribi *nomina* solere, id quoque supra vidimus. Ern. Cf. Ann. 1, 73. De *Sacroviro* v. A. 3, 40. 46.

Galbam] Ego potius artem oratoris esse censeo, quam μνημονικὸν ἁμάρτημα, ut vult Savilius, ad invidiam faciendam defectoribus Gallici nominis, quod quædam civitates accepissent, quasi omnibus datum esset interpretantis, et quasi pro eo, quod nonnulli ejusdem gentis populi adepti forent, alii quoque gratiam deberent. Asconius in Divinat. *Siculis omnibus. Elatorie; cum enim a duobus Quæstoribus Sicilia regi soleat, uno Lilybætano, altera Syracusano, ipse vero Lilybætanus Quæstor fuerit Sex. Peducæo Prætore, omnibus tamen se placuisse dixit.* Gron. Bip. ita locum explicant: Treviri et Lingones, a Galba perculsi et tributa aucta, 1, 53. mox ab eo ad Vitellium descivere, 1, 57. hinc imminuta tributa, molliusque servitium; unde hostiles spiritus induerint, 4, 55. Neque enim benevolentia contineri Treveros, ipse dicit Tutor, Trevir, infra c. 76.

A. U. 824. A. C. 71. *infracta tributa, hostiles spiritus induisse. Nunc hostes, quia molle servitium; cum spoliati exutique fuerint, amicos fore.* Hæc ferociter locutus, postquam perstare in perfidia Classicum Tutoremque videt, verso itinere, Novesium concedit. Galli duum millium spatio distantibus campis consedere. Illuc commeantium Centurionum militumque emebantur animi: ut (flagitium incognitum) Romanus exercitus in externa verba jurarent, pignusque tanti sceleris nece aut vinculis Legatorum daretur. Vocula, quamquam plerique fugam suadebant, audendum ratus, vocata concione, in

58 hunc modum disseruit. *Numquam apud vos verba feci, aut pro vobis sollicitior, aut pro me securior. Nam mihi exitium parari, libens audio: mortemque in tot malis honestam, ut finem miseriarum, exspecto. Vestri me pudet miseretque, adversus quos non prœlium et acies parantur, id enim fas armorum et jus hostium. bellum cum Populo Romano vestris se manibus gesturum, Classicus sperat, Imperiumque et sacramentum Galliarum ostentat. Adeo nos, si fortuna in præsens virtusque deseruit, etiam vetera exempla deficiunt: quotiens Romanæ legiones perire præoptaverint, ne loco pellerentur. socii sæpe nostri, exscindi urbes suas, seque cum conjugibus ac liberis cremari, pertulerunt: neque aliud pretium exitus, quam fides famaque. To-*

In tot malis hostium] Haud plane damno. Quid si tamen faciamus, *portum et finem?* Quid si *in tot malis honestam?* Lips. Tentabam, *otium et finem miseriarum*, 1 Observ. 14. Gron. Melius hoc Lipsiano remedio, aut Pichenæ, qui *hodie* tentabat; quod sane frigide additum foret: sed tamen nec ipsum satis placet. Ingeniosius est, quod Trillero in mentem venit Obs. p. 423. *hostium et finem m.* ita, ut *hostium* sit *ostium*, scriptura in libris antiquis sæpe obvia, ductusque loquendi modus e Stoicorum schola, qui mortem januam, ostium, vocabant, ut locis Senecæ et Arriani ostenditur. Adde plura e Lipsii Manud. ad Philos. Stoic. 3, 23. Sed in istis locis aut mentio *carceris et custodiæ*, ut in loco Senecæ, aut aliud quid præcedit, ut in locis Arriani 1, 9. et 24. propter quod ostii vel januæ appellatio conveniat morti: velut, abeundum esse è vita, relinquendas miserias, etc. Simpliciter mortem appellari *ostium* aut *januam miseriarum*, nondum reperi, nec doceri posse credo. Immo ostium miseriarum per Latinitatem foret *aditus ad miserias*, ut *janua leti* apud Poetas et centum alia. Ego cum Acidalio delendum puto, ahuc male tractum esse e proximo, ubi *jus hostium.* Ceterum est imitatio Sallust. Cat. 51. *in luctu atque miseriis mortem ærumnarum requiem, non cruciatum, esse.* Broterius (ut Salinerius) vulgatum explicat mala ex hostibus. Sed mala Voculæ non modo ab hostibus, etiam a suis, erant, ut tota narratio docet. Ern. Colerus dabat *in tot manibus hostium.* Bip. *extremum*, quod, quomodo a librariis potuerit verti in *hostium*, difficile dictu. Potius *honestam* scripserit Tacitus, ut A. 1, 70. *honestæ mortis usus.* Id ergo recepi Ann. quoque 15, 25. pro *inhonesta* libri habent *in hoste*, *inhosta*.

Et jus hostium] Flor. Bud. Agr. addunt *est*.

Imper. et sacr. Galliar. ostentat] i. e. jactat Gallorum sub ductu et auspiciis Romanos militaturos, sacramentoque Gallis dicturos. Mox *virtusque* aberat a MS. Bud. Ryckius autem e MS. Agr. edidit *adeo vos.* Sic et MS. Harl. videturque efficacius Broterio. Ern. In Bud. deest *virtus*, remanente *que*, quod negligentiam librarii prodit. Bud. *adeo nos.* Acidalius interrogatione hæc et mox sequentia inspiranda putabat. Sicque ad Pichenam usque editiones exhibent.

Tolerant cum maxime] MS. Guelf.

lerant cum maxime inopiam obsidiumque apud Vetera legiones, nec terrore aut promissis demoventur. Nobis, super arma et viros et egregia castrorum munimenta, frumentum et commeatus, quamvis longo bello pares. Pecunia nuper etiam donativo suffecit: quod sive a Vespasiano, sive a Vitellio, datum interpretari mavultis, ab Imperatore certe Romano accepistis. Tot bellorum victores, apud Geldubam, apud Vetera, fuso totiens hoste, si pavetis aciem, indignum id quidem: sed est vallum murique et trahendi artes, donec e proximis provinciis auxilia exercitusque concurrant. Sane ego displiceam. sunt alii Legati, Tribuni, Centurio denique, aut miles. Ne hoc prodigium toto terrarum orbe vulgetur, vobis satellitibus, Civilem et Classicum Italiam invasuros. An, si ad mœnia urbis Germani Gallique duxerint, arma patriæ inferetis? Horret animus tanti flagitii imagine. Tutorin' Trevero agentur excubiæ? Signum belli Batavus dabit? Germanorum catervas supplebitis? quis deinde sceleris exitus? cum Romanæ legiones contra direxerint: transfugæ e transfugis, et proditores e proditoribus, inter recens et vetus sacramentum invisi Deis errabitis? Te, Jupiter optime maxime, quem per octingentos viginti annos, tot triumphis coluimus, te, Quirine, Romanæ parens urbis, precor veneror que, ut, si vobis non fuit cordi, me Duce hæc castra inconrupta et intemerata servari, at certe pollui fœdarique a Tutore et Classico ne sinatis. Mi-

A. U. 824.
A. C. 71.

cur nunc maxime: quod factum e *cum maxime*, ut est in ed. pr. edidit que (e Bud.) Rhenanus. Ceteræ ante Rhen. *nunc maxime*, solenni in hac voce corruptione. V. ad c. 65. In ed. autem pr. est *tulerant* vitiose, et conjunctum cum antecedentibus. Ern. Mox Bud. male *apud veteres legiones*.

Donativo sufficit] Immo, *suffecit*. Nuper enim donativum acceperant. Supra. Lips. Recepit recte Pichena. Ern. Bud. *ufficit*.

Sane ego displiceam] Hic et in sequentibus ante oculos habuit locum Livii in Or. P. Scipionis post seditionem exercitus in Hispania, 28, 27. *Denique ego sim, cujus imperii tædere exercitum* etc. Precum formula deinde ex alio loco sumta, ut Lipsius monuit. Ern.

Centurio denique aut miles] *Centurioque aut m.* MS. Guelf. edd. Rhen. (e Bud.) sqq. usque ad Lipsium. Ern. Qui lectionem veterem restituit, quam et Puteol. et Alc. habent.

Ne hoc prodigium toto terrarum orb. v.] Friget *toto*. Puto Tacitum dedisse *tantum*, non adverbialiter, ut Broterius putabat, sed ut ad prodigium referatur: quamquam totum hoc *t. terrarum orbe* friget, et glossam sapit. Inspice Livium, l. c. Ern.

Tutori Trevero] MS. Flor. ed. pr. *Tutorin:* quod J. Gronov. vult esse *Tutorin'* vel *Tutori ne*. Ern. Bud. *tutor in treviro*, sejunctim. Sed vel sic conjecturam Gronovii firmat.

Per octingentos viginti annos] Vid. ad 1, 1. cujus loci lectio hoc ipso loco confirmatur. sed et hic Guelf. *ducentos et XX*. Ern. Longe alia ratio est hujus loci et istius ex H. 1, 1. Respice ibi notata.

Si vobis non fuit cordi] Imitatum clare e Livio 9, 8. *Vos, Dii immortales, precor, quæsoque, si vobis non fuit cordi Sp. Postumium cum Samnitibus bellum gerere.* Tacitus infra 81. *Id fortasse cordi Diis, et Divino ministerio Principem electum.* Nec quidquam hic scrupi aut nodi. Rhenanus tamen ait in Budensi, τὸ *cordi*, non legi: ex quo ille juratus emendat, *si vobis non fuit.* id est, licuit, inquit, more Græco. Bene, Beate, Manibus tuis sit; nam perjuria hæc litteratorum, pariter ac amantium, ut spero, venti auferunt. Lips. Perperam quoque Rhen. aliam omissionem Bud. codicis tuetur, habet enim *servari, at Classico ne sinatis*, sed patet, ab *at* ad *et* transsiliisse librarium.

A. U. 824. A. C. 71. *litibus Romanis aut innocentiam detis, aut maturam et sine noxa pœnitentiam.* Varie excepta oratio, inter spem metumque ac pudorem. Digressum Voculam, et de supremis
59 agitantem, liberti servique prohibuere, fœdissimam mortem sponte prævenire. Et Classicus, misso Æmilio Longino, desertore primæ legionis, cædem ejus maturavit. Herennium et Numisium, Legatos, vinciri satis visum. Dein, sumptis Romani Imperii insignibus, in castra venit. Nec illi, quamquam ad omne facinus durato, verba ultra suppeditavere, quam ut sacramentum recitaret. Juravere, qui aderant, *pro Imperio Galliarum.* Interfectorem Voculæ altis ordinibus, ceteros, ut quisque flagitium navaverat, præmiis adtollit. Divisæ inde inter Tutorem et Classicum curæ. Tutor valida manu circumdatos Agrippinenses, quantumque militum apud superiorem Rheni ripam, in eadem verba adigit, occisis Magontiaci Tribunis, pulso castrorum Præfecto, qui detrectaverant. Classicus corruptissimum quemque e deditis *pergere ad obsessos* jubet, *veniam ostentantes, si præsentia sequerentur: aliter nihil spei. famem ferrumque et extrema passuros.* Adjecere, qui missi erant, exemplum
60 suum. Obsessos hinc fides, inde egestas, inter decus ac flagitium distrahebant. Cunctantibus solita insolitaque alimenta deerant; absumptis jumentis equisque et ceteris animalibus, quæ profana fœdaque in usum necessitas vertit. Virgulta postremo et stirpes et internatas saxis herbas vellentes, miseriarum patientiæque documentum fuere: donec egregiam laudem fine turpi macularent, missis ad Civilem legatis, *vitam* orantes. Neque ante preces admissæ, quam in verba Galliarum jurarent. Tum, pactus *prædam castrorum,* dat custodes, qui pecuniam, calones, sarcinas retentarent, ac qui ipsos leves abeuntes prosequerentur. Ad

Sumptis Rom. Imp. insignibus] Pichena de aquilis, vexillis etc. capit. Non video tamen, quid impediat, quo minus et Classicus lictores cum fascibus habuerit. Mox *alti ordines* sunt, qui alias *primi* dicuntur. Primorum ordinum Centurionem fecit. Dein *flagitium navare* dixit, pro operam in flagitio perpetrando navare ut 5, 25. *bellum alicui navare.* Sive, flagitio perpetrando alicui prodesse, operam navare, quæ constet flagitio. Nec Cicero hoc genus loquendi refugit. Nam ep. 9, 2. est *navare Rempublicam.* Quod ad H. 5, 25. Acidalius laudat e Cicerone (ep. 3, 10.) *navare benevolentiam,* id alienum est. nam ibi navare simpliciter est præstare, ut in *operam navare.* Ern.

In eadem verba adigit] Hic olim punctum vulgo. Ex admonitione Merceri Pichena sustulit, et post *detrectaverant* posuit. Ita et MS. Guelf. et edd. ante Rhen. omnes, præter primam. Male interpunctio in ed. Rhen. mutari cœpta. Ed. pr. (et cod. Bud.) *occisi tribuni,* vitiose. Ern.

Ac qui ipsos leves] Ita editum inde a Rhenano e MS. Bud. ut opinor. (Minime, sed ex ingenio, nam Bud. *atqui.*) Favent Flor. ed. pr. in quis *at qui.* MS. Guelf. edd. ceteræ ante Rhen. *aut qui.* Pichena edidit *atque ipsos:* male. nam copula quidem desideratur, sed etiam *qui.* Non enim custodes iidem prosequuti sunt abeuntes, sed alii, ut bene monuit Ryckius: qui e suo MS. edidit *et qui.* Ego vetus restitui. Forte fuit *atque qui,* quam formam Tacitus non refugit. *Le-*

quintum fere lapidem coorti Germani incautum agmen adgrediuntur. Pugnacissimus quisque in vestigio, multi palantes, occubuere: ceteri retro in castra profugiunt; querente sane Civile et increpante Germanos, *tamquam fidem per scelus abrumperent*. Simulata ea fuerint, an retinere sævientes nequiverit, parum adfirmatur. Direptis castris, faces injiciunt: cunctosque, qui prœlio superfuerant, incendium hausit. Civilis, barbarò voto, post cœpta adver- 61
sus Romanos arma, propexum rutilatumque crinem, patrata demum cæde legionum, deposuit. Et ferebatur, parvulo filio quosdam captivorum, sagittis jaculisque puerilibus figendos, obtulisse. Ceterum neque se, neque quemquam Batavum, in verba Galliarum adegit: fisus Germanorum opibus: et, si certandum adversus Gallos de possessione rerum foret, inclitus fama et potior. Mummius Lupercus, Legatus legionis, inter dona missus Veledæ. Ea virgo nationis Bructeræ late imperitabat: vetere apud Germanos more, quo plerasque feminarum fatidicas, et, augescente superstitione, arbitrantur Deas. Tuncque Veledæ auctoritas adolevit. nam *prosperas Germanis res et excidium legionum* prædixerat. Sed Lupercus in itinere interfectus. Pauci Centurionum Tribunorumque, in Gallia geniti, reservantur, pignus societatis. Cohortium, alarum, legionum hiberna

A. U. 824. A. C. 71.

ves Broterius intelligit de spoliatis, qui eam ob caussam leves essent, ut et alii cepere; Ryckius levis armaturæ milites, qui prosequerentur. De Romanis melius foret *inermes* aut simile quid, quam *leves*, quod nuspiam in tali contextu additur, ad exprimendum periculum. Et nescio, an verbum sit a glossa, præsertim cum durius concurrat cum *abeuntes*: nec, opinor, simile exemplum reperietur.

Civilis, barbaro voto] Patrium et solenne Germanis hoc votum. Tacitus de moribus ejus gentis 31. *Aliis Germanorum populis usurpatum, rara et privata cujusque audentia, apud Cattos in consensum vertit, crinem barbamque summittere, nec nisi hoste cæso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum.* Mansit inferiore ævo. Et lego apud Diaconum de Gestis Longob. 3, 7. *Sex millia Saxonum, qui bello superfuerant, devoverunt se neque barbam neque capillos rasuros, nisi se de Suevis hostibus ulciscerentur.* Pulchre igitur et decore Silius Sarmenti Gallo hoc affingit Punic. 4, 200. *Occumbit Sarmens, flavam qui ponere victor Cæsariem crinemque tibi, Gradive, vovebat.* Quin et Romani usurparunt interdum, ut Julius Cæsar. de quo Suetonius 67. *Diligebat quoque milites usque adeo, ut, audita clade Tituriana, barbam capillumque submiserit, nec ante dempserit, quam vindicasset.* Lips. MS. Agr. *perplexum.* Ed. pr. *perpexum.* vitiose utrumque. Ern. Bud. *propexum. Rutilas comas* noster Germanis tribuit et de Mor. c. 4. *Galliarum inventum esse rutilandis capillis ex sebo et cinere*, Plin. refert 28, 12 (51). Quin et de Romanis matronis simile quid narrat Val. Max. 2, 1, 5.

Mummius Lupercus] V. ad c. 18. Mox *Veledæ* e MSS. Flor. (Bud.) Agr. edidere Ryck. et J. Gronov. Sic et ed. pr. sic Græci. V. Ryck. ad h. l. de ea noster et in Germania, ubi v. Lips. ad c. 8. Ern. Bud. *Munius.* Ante Ryckium legebatur *Velledæ* dupplici elemento. Mox Bud. *tunc* sine conjunctione. Apud Gallos Germanosque præcipuo cultu *Matres* vel *Matras* fuisse cultas, monumenta loquuntur. Cf. Spon. Misc. erud. Ant. 3, 77.

Arbitrantur Deas] Sic volebat corrigi Muretus. recte. nec enim ulla ratio est, quare conjunctivo usus sit. Atque ita plane est in ed. pr. unde sic edidimus. Ceteri edd. et scr. (etiam Bud.) *arbitrentur.* Ern.

A. U. subversa cremataque: iis tantum relictis, quæ Magontiaci
824. ac Vindonissæ sita sunt. Legio sextadecima cum auxiliis
A. C. simul deditis a Novesio in coloniam Treverorum transgredi
71.
62 jubetur, præfinita die, intra quam castris excederet. Me-
dium omne tempus per varias curas egere: ignavissimus
quisque, cæsorum apud Vetera exemplo, paventes; melior
pars rubore et infamia: *quale illud iter? quis dux viæ? et omnia
in arbitrio eorum, quos vitæ necisque dominos fecissent.* Alii,
nulla dedecoris cura, pecuniam, aut carissima sibimetipsi
circumdare. Quidam expedire arma, telisque tamquam in
aciem accingi. Hæc meditantibus, advenit proficiscendi
hora, exspectatione tristior. Quippe intra vallum deformi-
tas haud perinde notabilis: detexit ignominiam campus et
dies. Revulsæ Imperatorum imagines, inhonora signa, ful-
gentibus hinc inde Gallorum vexillis: silens agmen, et vel-
ut longæ exsequiæ: dux Claudius Sanctus, effosso oculo:
dirus ore, ingenio debilior. Duplicatur flagitium, postquam,
desertis Bonnensibus castris, altera se legio miscuerat. Et,
vulgata captarum legionum fama, cuncti, qui paullo ante
Romanorum nomen horrebant, procurrentes ex agris te-
ctisque et undique effusi insolito spectaculo nimium frue-
bantur. Non tulit ala Picentina gaudium insultantis vul-
gi: spretisque Sancti promissis aut minis, Magontiacum
abeunt: ac forte obvio interfectore Voculæ, Longino, con-
jectis in eum telis, initium exsolvendæ in posterum culpæ
fecere. Legiones, nihil mutato itinere, ante mœnia Treve-
63 rorum considunt. Civilis et Classicus, rebus secundis sub-

Vindonissæ sita] V. ad c. 70.

Legio XIII.] V. dicta ad c. 26.

Hæc meditantibus] Quis neget a Liviano exemplari esse? qui in deditione illa turpi ad Furculas 9, 5. *Hæc frementibus*, inquit, *hora fatalis ignominiæ advenit, omnia tristiora experiundo factura.* Lips.

Innexa signa] Budensis codex *inhora signa.* Rom. *in ora.* Divinabam olim, *inversa signa.* quod ignominiæ fuit, et victos se fatentium. Spartianus in Severo 7. *In palatium eodem habitu perrexit, prælatis signis quæ Prætorianis ademerat, supinis, non erectis.* Idem usurpatum in dolore. Tacitus A. 3, 2. *Præcedebant incompta signa, versi fasces.* Pedo Albinovanus ad Liviam v. 141. *Quos primum vidi fasces, in funere vidi; Sed vidi versos indiciumque mali.* At nunc putem commodius legi *inhonora signa*, id est, squallida, non uncta, non nitidata: quæ opponit *fulgentibus Gallorum vexillis*: aut potius retineri illud *innexa*, cum explicatione, *signa innexa*, id est, sine nexu et nuda fuisse. Nam solent imagines Principum, clypei, etiam coronæ et talia innecti. Lips. *In hora* etiam Flor. *In ora* Agr. *Inhonora* jam correxit Victorius, loco supra indicato ad 15, 25. Lipsii correctionem recepit Pichena cum seqq. omnibus. J. Gronovius tamen e lectione Florentina potius extricabat *viliora.* Ern. Alias aliorum conjecturas exhibet J. Gron. Exemplum rei habes A. 1, 24. ubi *legiones nullis insignibus fulgentes.* Bud. *revolse.* Sic ubique *volgus, volgatus* et similia.

Dux Claudius Sanctus] Ducem viæ deditis datum intelligi, jam a Pichena monitum. Is *dirus ore* dicitur, ob deformitatem ab effosso oculo. Atque hinc intelligi debet alterum *debilis ingenio.* Nam *debiles* dicuntur capti aliquo membro. Itaque nil aliud est, quam si dixisset, fœdus ore, ingenio fœdior. Ceterum colon esse debet post *oculo*, ut in edd. primis, non comma. Ern.

lati, an coloniam Agrippinensem diripiendam exercitibus A. U.
suis permitterent, dubitavere. Sævitia ingenii et cupidine 824.
prædæ ad excidium civitatis trahebantur: obstabat ratio bel- A. C.
li, et novum Imperium inchoantibus utilis clementiæ fama. 71.
Civilem etiam beneficii memoria flexit, quod filium ejus,
primo rerum motu, in colonia Agrippinensi deprehensum,
honorate custodierant. Sed Transrhenanis gentibus invisa
civitas, opulentia auctuque. Neque alium finem belli re-
bantur, quam si promiscua ea sedes omnibus Germanis fo-
ret, aut, disjecta, Ubios quoque dispersisset. Igitur Ten- 64
cteri, Rheno discreta gens, missis legatis, mandata apud
concilium Agrippinensium edi jubent: quæ ferocissimus e
legatis in hunc modum protulit: *Redisse vos in corpus no-
menque Germaniæ, communibus Deis et præcipuo Deorum,
Marti, grates agimus: vobisque gratulamur, quod tandem liberi
inter liberos eritis. Nam ad hunc diem flumina ac terras et
cælum quodammodo ipsum clauserant Romani: ut conloquia
congressusque nostros arcerent; vel, quod contumeliosius est vi-
ris ad arma natis, inermes ac prope nudi, sub custode et pretio
coiremus. Sed, ut amicitia societasque nostra in æternum ra-
ta sit, postulamus a vobis, muros coloniæ, munimenta servitii,
detrahatis. (etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obli-
viscuntur:) Romanos omnes in finibus vestris trucidetis; haud
facile libertas et domini miscentur, bona interfectorum in me-
dium cedant, ne quis occulere quidquam aut segregare caussam
suam possit. Liceat nobis vobisque utramque ripam colere, ut
olim majoribus nostris. quomodo lucem diemque omnibus homi-*

Sævitia ingenii] Sic editum a Pichena e lectione Flor. *ingenti*, quæ est et in Vatic. (Bud.) Guelf. Agr. ed. pr. ceterisque ante Rhen. *Ingenita* primus tacite edidit Rhen. Ern.

Sed præcipuo Deorum] MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. *et præcipuo*. unde cum Ryckio recepimus. *sed* ferri non potest, nisi intelligas, sed præcipue præcipuo Deorum. Verum etiam *et* hanc vim habere potest, e more Taciti; ut supra vidimus, pluribus locis. Ern.

Sub custode et pretio] Hoc quo pertineat, patet e responsione Agrippinensium: *Vectigal et onera commerciorum resolvimus. sint transitus incustoditi*. Ern. Bud. male *inermes nec probe nudi*. Positi a C. Cæsare *custodis* simili sensu, quo hic, meminit Seneca de ira 2, 33.

In æternum rata sit] Sic edidimus ex ed. pr. cui consentit MS. Agr. et Reg. Vulgo (et Bud.) *sint*. Si *ratæ* esset, nihil mutandum foret: nam ejus formæ exempla multa. Altera illa excusari quidem potest Græcorum more, qui etiam post femininum unum, neutrum ponunt, intell. χρῆμα, sed non nisi in summo consensu omnium librorum. Mox eadem ed. *si clausa tenetis:* nec hoc male. Ceterum sententiæ, de animalibus feris et de libertate cum servitute non consistente, in parenthesi accipiendæ. Nam ista conjuncta sunt, *detrahatis—trucidetis,—bona—cedant:* quod in vulgata interpunctione non satis perspicuum est. Ern. Bud. *teneas*.

Quomodo lucem noctemque] Perspicue rectum, atque ita in Vatic. Vulgo, *lucem diemque*, quasi ea differant. Lips. Male Lipsius. Recte Pichena, qui veterem lectionem reposuit, quam tuentur MSS. Flor. (Bud.) Agr. ead. inde a Puteol. omnes. Vaticano consentit ed. pr. Latini verba nonnulla solent conjungere, quamvis idem fere significantia, etiam qui brevitatem adamarunt, ut multis exemplis e Sallustio et Tacito doceri potest. sic statim

A.U. 824. A.C. 71. *nibus; ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. Instituta cultumque patrium resumite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus subjectos, quam armis, valent. sincerus et integer et servitutis oblitus populus, aut ex æquo agetis,*
65 *aut aliis imperitabitis.* Agrippinenses, sumpto consultandi spatio, quando neque subire conditiones metus futuri, neque palam adspernari conditio præsens, sinebat, in hunc modum respondent. *Quæ prima libertatis facultas data est, avidius quam cautius, sumpsimus, ut vobis ceterisque Germanis, consanguineis nostris, jungeremur. Muros civitatis, congregantibus se cum maxime Romanorum exercitibus, augere nobis, quam diruere, tutius est. Si qui ex Italia, aut provinciis, alienigenæ in finibus nostris fuerant, eos bellum absumpsit, vel in suas quisque sedes refugere. Deductis olim et nobiscum per connubium sociatis, quique mox provenere, hæc patria est. Nec vos adeo iniquos existimamus, ut interfici a nobis parentes, fratres, liberos nostros velitis. Vectigal et onera commerciorum resolvimus. Sint transitus incustoditi; sed diurni et inermes: donec nova et recentia jura in vetustatem consuetudine vertantur. Arbitrum habebimus Civilem et Veledam, apud quos pacta sancientur.* Sic lenitis Tencteris, legati ad Civilem et Veledam missi cum donis, cuncta ex voluntate Agrippinensium perpetravere. Sed coram adire

sincerus et integer, alibi *instructus armatusque, quies et otium.* Ex eo genere *lux et dies.* Ern. Sic et supra *in lucem ac diem proferebant.* et c. sq. 65. *nova et recentia jura.*

Abruptis voluptatibus, quibus] Ambigua lectio. Quam posui, libri firmant, nec ratio impugnat. Vere enim inter Romanas artes fuit, ad homines in imperio retinendos, mollire vires eorum et per delicias amœnasque voluptates frangere. Tacitus in Agricola 21. *Sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta, ut homines dispersi ac rudes, eoque bello faciles, quieti et otio per voluptates assuescerent.* Et paullo post: *Paullatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus et balnea et conviviorum elegantiam, idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.* At veteres tamen editiones, *abruptis vectigalibus.* quod stabiliri prorsus responso Ubiorum videtur, ad hanc orationis partem: *Vectigal et onera commerciorum resolvimus.* Lips. *Voluptatibus* etiam MSS. Agr. (Bud.) Guelf. In ed. pr. (et cod. Reg. Lall.) vitiose *voluntatibus.* Ceteræ edd. ante Lipsium *vectigalibus.* Ern. Ista de *vectigali et oneribus commerciorum* non huc faciunt, sed ad superiora, ut bene Ernesti monuit et Acidalius docet.

Metus futuri] *Metu* male MS. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. Post *tum maxime* libri iidem. Nam perpetua in hoc verbo est in libris vett. aberratio a librariis orta, qui illud *cum maxime* pro *nunc, eo tempore* non concoquebant. Ern. Bud. *metus futuri.* Idem *cum maxime.* Mox vero multis modis peccat. Habet *cautum. assumsit, societatis. nobiscum.*

Eductis olim] Scribe *deductis olim.* colonos veteres intellegit. Lips. Sic Flor. (Bud.) Agr. Guelf. ed. pr. omnes ante Lipsium quas vidi: ut nesciam, unde illud *eductis* sit. Ex quacumque ed. laudetur, est in ea vitium operarum, quod hanc notam, ut alias in hunc auctorem, peperit. *Qui provenere*, sunt nati e nobis. Verbum *provenire* usitatum de prole, ut *proventus.* Ern.

In vetustatem consuetudine] Aptius et concinnius visum, quam illud tritum, *vetustatem et consuetudinem.* Quod autem posui, in Farnesiano est. Lips. Sic et Fl. Agr. Copula *et* ab ed. pr. abest. Sed tamen est *consuetudinem.* MS. (Bud. et) Guelf. *in vetustate et consuetudine.* Ern.

adloquique Veledam negatum. Arcebantur adspectu, quo A. U.
venerationis plus inesset. Ipsa edita in turre: delectus e 824.
propinquis consulta responsaque, ut internuntius Numinis, A. C.
portabat. Civilis, societate Agrippinensium auctus, pro- 71. 66
ximas civitates adfectare, aut adversantibus bellum inferre, statuit. Occupatisque Sunicis, et juventute eorum per cohortes composita, quo minus ultra pergeret, Claudius Labeo Betasiorum Tungrorumque et Nerviorum tumultuaria manu restitit: fretus loco, quia pontem Mosæ fluminis anteceperat. Pugnabaturque in angustiis ambigue, donec Germani transnatantes terga Labeonis invasere. Simul Civilis, ausus, an ex composito, intulit se agmini Tungrorum, et clara voce: *non ideo*, inquit, *bellum sumpsimus, ut Batavi et Treveri gentibus imperent. Procul hæc a nobis adrogantia. accipite societatem. transgredior ad vos, seu me Ducem, seu militem, mavultis.* Movebatur vulgus, condebantque gladios; cum Campanus ac Juvenalis, ex primoribus Tungrorum, universam ei gentem dedidere. Labeo, antequam circumveniretur, profugit. Civilis Betasios quoque ac Nervios, in fidem acceptos, copiis suis adjunxit: ingens rerum, perculsis civitatum animis, vel sponte inclinantibus. Interea 67
Julius Sabinus, projectis fœderis Romani monumentis,

Ipsa edita in turre] Romana edit. et Rodolphus: *ipsa adyta intrare, dilectus e prop.* Quam lectionem haud temere spernam. Ut de fatidico Numine quopiam loquitur: cui rei apta hæc adytorum vox. Vulgata nihilo secius valde probo. LIPS. Editio Lipsio laudata habet *edita*, non *adyta*. ERN. Bud. *edita in turre.* Lectio altera *adyta intrare* non est ex ingenio Rodolphi, ut Bip. putant, sed in MS. ejus, teste Ryckio. Reg. Lall. quoque habet *adita intrare*, nec Lallemando displicet, nec Ryckio. Turris ista videtur ad Luppiam fuisse sita. Cf. 5, 22.

Occupatis Sunicis] Hæc scriptura in Flor. teste J. Gron. Guelf. Harl. Oxon. etc. edd. inde a Puteol. Nam ed. pr. valde perverse *sumas.* Habitasse inter Ubios et Tungros putantur. ERN. Bud. *Sunucis*, ut in omnibus MSS. apud Plin. 4, 17 (31). De situ v. Cluv. Germ. ant. 2, 19. D'Anville not. de la Gaule p. 626. Nominis memoria in vico *Sinnich*, Com. Limpurg. V. Bucher. Belg. Rom. p. 178 et 184.

Tungrorum] Ita plane Bud. sed supra c. 55. *Tugrorum*, deficiente scil. lineola super *u*. Contra 2, 14. habet *Turingorum.* Mox Bud. *tranantes.*

Seu me ducem] Insidiosa modestia dictum: ut a Sallustii Catilina 20. *Vel Imperatore, vel milite, me utimini.* LIPS.

Profugit] In avia Belgarum. c. 70. Esse paludes Flandrorum prope Brugas, conjicit Bucherius l. c.

Ingens rerum] MS. (Bud.) Agr. ed. pr. item MS. Guelf. sed a man. sec. in margine addunt *tumultus:* unde Heinsius ap. Ryckium facit *cumulus* e 2, 24. elegantissima correctione; de qua vix dubitem. Edd. Puteol. Ber. Alc. *vigens rerum.* Post ed. pr. corrupte *perculsit civitates animis*, ut correxit man. sec. in MS. Guelf. cum ante fuisset id, quod editur. ERN. Sic A. 1, 69. *ingens animi femina.* Post Bud. *perculsit civitatum animis.*

Julius Sabinus] Alius ab isto, qui Senecæ patri nominatur Controv. 27. s. 9, 4. in quo corrupte legas. *Et ab Julio et a Sabino.* Scio junctim fuisse *ab Julio Sabino.* qui Gallis præfuit sub Caio: paterne hujus? Dionem vide 66, 3. LIPS.

Projectis fœderis Romani] Aut nihil, aut nimis, in hoc loco video. Quale istud est, projicere monumenta fœderis? pingue et insulsum. Aliorsum emendatione traxerim: *prolectus Romani generis monumentis.* Sabinus, inquit, invitatus et inductus stirpis suæ origine, Cæsarem se appellat. Quid mirum? ecce

A. U. 824. A. C. 71. *Cæsarem* se salutari jubet: magnamque et inconditam popularium turbam in Sequanos rapit, conterminam civitatem et nobis fidam. Nec Sequani detrectavere certamen. Fortuna melioribus adfuit. Fusi Lingones. Sabinus festinatum temere prœlium pari formidine deseruit. Utque famam exitii sui faceret, villam, in quam perfugerat, cremavit: illic voluntaria morte interiisse creditus. Sed, quibus artibus latebrisque vitam per novem mox annos traduxerit, simul amicorum ejus constantiam et insigne Epponinæ

supra 55. scriptum: *Sabinus falsæ stirpis gloria incendebatur. Proaviam suam D. Julio, per Gallias bellanti, corpore et adulterio placuisse.* Possis eodem sensu: *prolatis R. generis.* Lips. Atqui omnia plena moris, quem significat his verbis Tacitus. Dionysius Halic. 4, 26. de pactis a Ser. Tullio cum Latinis: ἵνα δὲ μηδεὶς χρόνος αὐτὲς (τὲς νόμες) ἀφανίσῃ, στήλην κατασκευάσας χαλκῆν, ἔγραψεν ἐν ταύτῃ τά τε δόξαντα τοῖς συνεδρίοις καὶ τὰς μετασχέσας τῆς συνόδου πόλεις. Eodem de fœdere, quod Gabinis dedit Superbus ib. 4, 58. Τέτων ἐστὶ τῶν ὁρκίων μνημεῖον ἐν Ῥώμῃ κείμενον ἐν ἱερῷ Διὸς Πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκον καλὲσιν, ἀσπὶς ξυλίνη, βύρσῃ βοείᾳ περίτονος, τὲ σφαγισθέντος ἐπὶ τῶν ὁρκίων τότε βοὸς, γράμμασιν ἀρχαϊκοῖς ἐπιγεγραμμένη τὰς γινομένας αὐτοῖς ὁμολογίας. Cicero pro Balbo 23. *Cum Latinis omnibus fœdus ictum Sp. Cassio Postumo Cominio* coss. *quis ignorat? quod quidem nuper in columna ænea meminimus post Rostra incisum et proscriptum fuisse.* De eodem Livius 2, 33. *nisi fœdus cum Latinis columna ænea insculptum monumento esset.* Apud Arrianum de exped. Alex. 2. p. 83. Pharnabazus cavet ab obsessis deditisque. Μιτυληναίους καθελεῖν τὰς πρὸς Ἀλέξανδρόν σφισι γενομένας στήλας, ξυμμάχους δὲ εἶναι Δαρείου. Livius rursum 26, 24. *Hæc convenerunt, conscriptaque biennio post Olympiæ ab Ætolis, in capitolio ab Romanis, ut testata sacratis monumentis essent, sunt posita.* Fœdus Smyrnæorum et Magnetum in Marmoribus Arondelianis: Ἀναγραψάτωσαν δὲ καὶ τὴν ὁμολογίαν ἐν στήλαις ἑκάτεροι, τὰς δὲ ἀνατιθέτωσαν, Σμυρναῖοι μὲν ἐν τῷ τῆς Ἀφροδίτης τῆς Στρατονικίδος ἱερῷ, καὶ ἐν Μαγνησίᾳ τῇ πρὸς τῷ Μαιάνδρῳ ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Λευκοφρύνης ἱερῷ· οἱ δὲ ἐν Μαγνησίᾳ κάτοικοι ἔν τε τῇ ἀγορᾷ παρὰ τὸν βωμὸν τὲ Διονύσε καὶ τὰς τῶν βασιλέων εἰκόνας etc. Polybius in Excerpt. Vales. lib. 27. (ed. Schweigh. t. 4. p. 385.) Ὑπαρχέσης γὰρ αὐτοῖς ἐ μόνον φιλίας, ἀλλὰ συμπολιτείας πρὸς Ἀπολλωνιάτας, καὶ καθόλου κοινωνίας πάντων τῶν ἐν ἀνθρώποις νομιζομένων δικαίων, καὶ περὶ τούτων κειμένης ἐνόρκου συνθήκης παρὰ τὸν Δία τὸν Ἰδαῖον. Memnon de Romanis et Heracliensibus ap. Phot. n. 224. c. 28. Καὶ χαλκοῖ πίνακες δύο τῆς ὁμολογίας ἴσας καὶ ὁμοίας ἔφερον· ὧν ὁ μὲν παρὰ Ῥωμαίοις ἐν τῷ κατὰ τὸ καπιτώλιον ἱερῷ τὲ Διὸς καθηλώθη, ὁ δὲ κατὰ τὴν Ἡράκλειαν καὶ αὐτὸς ἐν τῷ τοῦ Διὸς ἱερῷ. Auctor 1. Maccab. 14. καὶ κατέγραψαν ἐν δέλτοις χαλκαῖς, καὶ ἔθεντο ἐν στήλαις ἐν ὄρει Σιών. Josephus contra Apionem 2, 4. ἀναγνοὺς τὴν στήλην, τὴν ἑστῶσαν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ τὰ δικαιώματα περιέχουσαν, ἃ Καῖσαρ ὁ μέγας τοῖς Ἰουδαίοις ἔδωκεν. Hujusmodi igitur, στήλαις, cippis, vel columnis, tabulisve aut δέλτοις, quibus fœdus, quod Romani Lingonibus dederant, incisum erat, publiceque propositum, eversis et confractis intellige. Gron.

Fusi Lingones] Tangit hoc bellum, quod in Johanne Satisberiense legitur 5, 7. *Auspiciis Imp. Cæsaris Domitiani Germanico bello, quod Julius Civilis in Gallia moverat, Lingonum opulentissima civitas, quæ ad Civilem desciverat, cum advenientem ab exercitu Cæsaris populationem timeret, quod præter spem inviolata nihil ex rebus suis amiserat, ad obsequium redacta, septuaginta millia armatorum tradidit ei.* Quæ totidem verbis apud Frontinum Strat. 4, 3, 14. Lips.

Insigne Epponinæ etc.] Vere insigne et rarum, plenumque fidei in sexu infido. Non est in libris, qui exstant. Servavit enim Tacitus in ultimum Vespasiani annum, cum et Julius hic Sabinus (qui gloriabatur a Cæsare genus ducere) et ista ipsa Epponina interfecti. Tota historia, dignissima lectu, apud Plutarchum diffuse est in Erotico extremo. Aliquid et Dionis compendium in Vespasiano 66, 3. Lips.

Epponinæ] At Plutarchus *Emponam* scribit, et id nomen Gallis Heroinam signare addit: ἦν δὲ γυναῖκα, inquit, πασῶν ἀρίστην ἠγμένος, ἣν ἐκεῖ μὲν Ἐμπονὴν ἔκα-

uxoris exemplum, suo loco reddemus. Sequanorum pro- A. U.
spera acie belli inpetus stetit. Resipiscere paullatim civi- 824.
tates, fasque et fœdera respicere, principibus Remis: qui A. C. 71.
per Gallias edixere, *ut missis legatis in commune consultarent,*
libertas an pax placeret. At Romæ cuncta in deterius au- 68
dita Mucianum angebant, ne, quamquam egregii Duces (jam enim Galium Annium et Petilium Cerialem delegerat) summam belli parum tolerarent. Nec relinquenda urbs sine rectore. Et Domitiani indomitæ libidines timebantur: suspectis, uti diximus, Primo Antonio Varoque Arrio. Varus, Prætorianis præpositus, vim atque arma retinebat. Eum Mucianus pulsum loco, ne sine solatio ageret, annonæ præfecit. Utque Domitiani animum, Varo haud alienum, deliniret, Arretinum Clementem, domui Vespasiani per adfinitatem innexum et gratissimum Domitiano, Prætorianis præposuit, *patrem ejus, sub Caio Cæsare, egregie functum ea cura,* dictitans: *lætum militibus idem nomen, atque ipsum, quamquam Senatorii ordinis, ad utraque munia sufficere.* Adsumuntur e civitate clarissimus quisque, et alii per ambitionem. Simul Domitianus Mucianusque accingebantur, dispari animo: ille spe ac juventa properus, hic moras ne-

λουν, ἑλληνιστὶ δὲ ἄν τις ἡρωΐδα προσαγορεύσειεν. LIPS. Pro Ἐμπονὴν leg. Σεμονὴν, Salmasius autumat, quia *Semo* heroem denotat. Xiphil. l. c. c. 16. *Peponilam* vocat.

Nequaquam egregii] Mercero accedo: *ne, quanquam egregii Duces (jam enim Gallum Annium et Petilium Cerialem delegerat) summam belli parum tolerarent.* LIPS. Recepit Merceri correctionem Pichena. (Probat et Acidalius). Ante erat in omnibus (etiam Bud.) *Mucianum augebant. Nequaquam egregii Duces. Jam enim—tolerare.* Nec in MSS. aliquid auxilii. Vir doctus in ed. Gryph. *nec, quamquam—poterant, tolerare.* ERN. Similis constructio verborum occurrit H. 2, 23.

Petilium Cerialem dilegerat] Immo ex Josepho ἁλωσ. 7, 4 (23). proprie non dilegerat ipse, aut Vespasianus, sed casu et bona sorte Petilius Consul creatus a Vespasiano in Britanniam missus erat. Ille vero, audita hac rebellione, opportune supervenit et hostes vicit. Notat et Dio 66, 3. LIPS. Hanc notam, a Gronoviis omissam, ex edit. a. 1627. fol. Antw. supplere visum. Ceterum Dio Κερεάλιον vocat.

Arretinum Clementem] Sic vocant omnes scr. et edd. et h. l. et ap. Sueton. Domit. 11. recte. Frustra Ursinus inscriptionem opponit tot libris, in qua *Arricinus* vocetur. Aut vitiosus est ille titulus ap. Grut. 4, 6. aut ad alium pertinet, ut visum Ryckio ad h. l. ERN. Bud. *Arrecinum.*

Quamquam Senatorii ordinis] Suetonium igitur culpæ quis purgat, scribentem Titum primum e Senatoriis Prætorio Præfectum? In Tito 6. *Præfecturam quoque Prætorii suscepit: numquam ad id tempus nisi ab Equite Romano administratam.* Occulte adsentitur Plinius Præf. operis: *Dum illud patri pariter et Equestri ordini præstas, Præfectus Prætorio ejus.* Tamen noster palam adfirmat, Clementem hunc Arretinum et Præfectum et Senatorem fuisse. Adde quæ notavi ad A. 4, 40. LIPS. Sed vide, quæ pro Suetonio ibi diximus. Ed. pr. pro *quamquam* habet *tamquam*: male: nec in eo quicquam pro Suetonio auxilii, ut Gruterus sperabat. ERN. Cf. omnino Oudend. ad Suet. l. c. et Guther. de Offic. dom. Aug. 2, 4.

Assumuntur e civitate clarissimus quisque] Post brevem quasi digressionem redit ad rem, de expeditione a Muciano suscepta, et commemorat, quos secum in Galliam abduxerit. Mox MS. Guelf. *dispersi*, at in marg. *dispari*. ERN.

A. U. 824. A. C. 71. ctens, quis flagrantem retineret, ne ferocia ætatis et pravis impulsoribus, si exercitum invasisset, paci belloque male consuleret. Legiones victrices, sexta et octava, Vitellianarum unaetvicesima, e recens conscriptis secunda, Penninis Cottianisque Alpibus, pars monte Graio, traducuntur: XIV legio e Britannia, sexta ac decima ex Hispania accitæ. Igitur venientis exercitus fama, et suopte ingenio, ad mitiora inclinantes Galliarum civitates, in Remos convenere. Treverorum legatio illic opperiebatur, acerrimo instinctore belli Tullio Valentino. Is meditata oratione cuncta, magnis imperiis objectari solita, contumeliasque et invidiam in Populum Romanum effudit: turbidus miscendis

69 seditionibus, et plerisque gratus vecordi facundia. At Julius Auspex, e primoribus Remorum, *vim Romanam pacisque bona* dissertans, et *sumi bellum etiam ab ignavis, strenuissimi cujusque periculo geri, jamque super caput legiones*, sapientissimum quemque reverentia fideque, juniores periculo ac metu, continuit. Et Valentini animum laudabant, consilium Auspicis sequebantur. Constat, obstitisse Treveris Lingonibusque apud Gallias, quod, Vindicis motu, cum Verginio steterant. Deterruit plerosque provinciarum æmulatio: *quod bello caput? unde jus auspiciumque peteretur? quam, si cuncta provenissent, sedem Imperio legerent?* Nondum victoria, jam discordia erat: aliis fœdera, quibusdam opes viresque, aut vetustatem originis, per jurgia jactanti-

Si exerc. invasisset] i. e. Si exercitum regere et bellum gerere per festinationem cœpisset. Ern.

Sexta et octava] MSS. Flor. *XI. et VIII.* Guelf. edd. Puteol. seqq. usque ad Pichenam *VI. et XVIII.* MS. Agr. *tertia decima octava.* ed. pr. *XXVIII.* Bene Savilius correxit *VI. et VIII.* recepit Pichena. H. 2, 83. 85. Ern. Flor. *vim* XI. VIII. Bud. *viz.* XI. VIII. Id autem signi in scriptis medii ævi denotat *videlicet.* Forsan in Flor. similis nota. Bip præferunt XI. et VIII. Sed in lapidibus diserte legio VI. *victrix* adpellatur, et VIII. in numis Carausii *invicta.* Cf. Brot. ad H. 2, 6. Pro XI. stat, quod 3, 50. victricibus se adjunxit.

Tertia ac prima] Savilius legit: *sexta ac decima.* Nam supra (3, 44.) sic in Hispania collocavit. Tamen et Tertia ibi fuit, et diuturna: nec aliam caussam arbitror, cur Hispani hodieque legiones suas *Tertios* adpellent. Lips. Recepit et hoc Pichena. MS. quidem Flor. *VI. ac prima.* Ern. Bud. III. *ac prima.* De legionibus earumque statione v. Brot. l. c. Sexta ad Cerialem advenit 5, 18. Decima 5, 19. Prius libri *Coctianis.* Nomen *Tertios* in Hispania inde a Phil. V. non amplius eo sensu usurpatur.

Constat obstitisse] *Obstitisse* MSS. Agr. (Bud.) Guelf. edd ante Rhen. omnes. Rhenanus, non Pichena, ut putat Ryckius, primus edidit *obstetisse;* quod omnes, quos vidi, secuti sunt præter Lipsium et Ryckium. Aliis quidem locis editur *obstitit, obstitisse.* Itaque hæc scriptura et h. l. tenenda. Add. ad 3, 31. Ern. Errori typographico videtur deberi Rhen. *obstetisse.*

Unde jus auspiciumque] *Jus* MSS. Flor. Bud. Agr. Guelf. ed pr. Rhen. sqq. Ceteræ ante Rhen. *vis,* solita confusione, de qua sæpe dictum. Ut in Imperatore summo jus s. potestas et auspicia et jus potestasque sine auspiciis esse potuit sub Cæsaribus, sic h. l. apte hæc duo conjunguntur: Quem illum fore Gallorum, qui potestatem belli gerendi daret, penes quem essent auspicia: verbo, quem Imperatorem in Gallia fore. Sic ap. Liv. 22, 1. junguntur *justum imperium* et *auspicium.* Ern.

Per jurgia jactantibus] Sumpsi le-

bus. Tædio futurorum præsentia placuere. Scribuntur ad A. U.
Treveros epistolæ, nomine Galliarum, *ut abstinerent armis,* 824.
inpetrabili venia et paratis deprecatoribus, si pœniteret. Re- A. C.
stitit idem Valentinus, obstruxitque civitatis suæ aures, 71.
haud perinde instruendo bello intentus, quam frequens concionibus. Igitur non Treveri, neque Lingones ceteræve re- 70
bellium civitates, pro magnitudine suscepti discriminis agere. Ne Duces quidem in unum consulere. Sed Civilis avia Belgarum circumibat: dum Claudium Labeonem capere aut exturbare nititur. Classicus, segne plerumque otium trahens, velut parto imperio fruebatur. Ne Tutor quidem maturavit superiorem Germaniæ ripam et ardua Alpium præsidiis claudere. Atque interim unaetvicesima legio Vindonissa, Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Rhætiam inrupere. Accessit ala Singularium, excita olim a Vitellio, deinde in partes Vespasiani transgressa. Præerat Julius Briganticus, sorore Civilis genitus, ut ferme

ctionem a P. Manutio: qui amice mihi in pomeridiano sermone contribuit. Nam vulgo est, *perjuriaque jactantibus.* in MSS. *perjuria jactantibus.* quod Manutianam conjecturam firmat. Romano tamen libro est, *pro jure jactantibus.* quod rejicere, injurium sane sit. Lips. Si Romanus liber est ed. pr. a Spirensi edita, ut alibi in notis Lipsii et Gruteri, falsus est Lipsius. Nam habet *perjuria* sine copula. (Sic et Bud.) At MS. Agr. *pro jure,* quocum in hoc libro quarto valde alias consentit hæc editio. Idque ille nixus consensu ed. Rom. recepit. Quod non imiter. Nam *pro jure* jam intelligitur in verbo *jactantibus.* Ista enim jactabantur, ut sibi maxime imperium et sedem Imperii deberi appareret. Lazarus Superantius et Salinerius non adeo absurde defendebant vulgatum *perjuriaque,* et interpretabantur de crebra defectione a Rom. et rebellione, velut ea re meritos se dixerint Principatum. Vix tamen credo *perjuria* simpliciter in tali contextu, ubi non sermo de fœderibus etc. dici de defectione et rebellione. Rebellibus perjuria exprobrari sæpe, scio. *Per jurgia* autem aptissimum huic loco, propter antecedentia illa, *jam discordia erat.* Ern. Utrum verum, dubius hæreo. Ryckium sequuntur Bipontini leguntque *pro jure.* Recentiores alii *per jurgia* servant. Quod aiunt, hoc jam intelligi ex *discordia,* valet etiam de *jure,* quod itidem in *jactantibus* latet.

Præsidiis claudere] Rom. *Præsidiis capere.* quod recipio. Lips. Immo *claudere,* ut Guelf. (Bud.) et edd. ante Lipsium, quas habui, omnes. Ern.

Unaetvicesima legio Vindonissa] i. e. ab statione sua, quæ Vindonissæ erat, Helvetiorum oppido: hodie vulgo *Windisch,* ap. monasterium Kungsfelden, ubi sepultura Comitum Habsburgicorum. Nam ibi legio XXI. stabat. Unde inscriptiones in istis regionibus repertæ, in quibus Leg. XXI. occurrit: quas vide in Breitingeri Comm. in antiqua monum. Tigur. §. 18. ap. Schelhorn. in Amœnit. Literar. t. 7. p. 49. Ern. Et Loys de Bochat Mém. de la Suisse t. 1. p. 390.

Ala Singularium] *Singulares equites* qui sint, nondum satis convenit. Mihi placet, esse gradum honoratioris militiæ equestris, qualis fuit etiam Prætorianorum; etsi in honoratiores illis. Olim jam, libera Rep. tales gradus: unde equites extraordinarii, selecti, etc. Hæc genera ab Augusto instituta, nova genera honorum ubivis quærente, ut hoc plures beneficii sui facere ac sibi obstringere posset. Sic post *singulares* dicti, clerici, non modo *μονάζοντες,* quamquam hi quoque, sed etiam ceteri, quod ii perfectionem Christianam appeterent. V. Glossar. Nomic. Cod. Theodos. Ern. Ex Hygini Gromatico p. 4. docet Fabretti Inscr. c. 5. p. 354. fuisse gradum militiæ Prætorianæ proximum, tum munere custodiæ, tum prætenturæ vicinia. Dicuntur et *equites Singularii Augg* apud Grut. p. 1028. 2.

A. U. acerrima proximorum odia sunt, invisus avunculo infensus-
824. que. Tutor Treverorum copias, recenti Vangionum, Cara-
A. C. catium, Tribocorum delectu auctas, veterano pedite atque
71. equite firmavit, conruptis spe, aut metu subactis legionariis: qui primo cohortem, præmissam a Sextilio Felice, interficiunt; mox ubi Duces exercitusque Romanus propinquabant, honesto transfugio rediere: secutis Tribocis Vangionibusque et Caracatibus. Tutor, Treveris comitantibus, vitato Magontiaco, Bingium concessit, fidens loco, quia pontem Navæ fluminis abruperat, sed incursu cohortium, quas Sextilius ducebat, et reperto vado, proditus fususque. Ea clade perculsi Treveri, et plebes, omissis armis, per agros palatur. quidam Principum, ut primi posuisse bellum viderentur, in civitates, quæ societatem Romanam non exuerant, perfugerunt. Legiones a Novesio Bonnaque in Treveros, ut supra memoravimus, traductæ, se ipsæ in verba Vespasiani adigunt. Hæc Valentino absente gesta: qui ubi adventabat furens, cunctaque rursus in turbas et exitium conversurus, legiones in Mediomatricos, sociam civi-

Acerrima proximorum odia] Exsequitur Aristoteles Politic. 7, 7. et caussam donat: vide. Sed breviter, pro nostra re: proverbio jactatum ait, Χαλεποὶ πόλεμοι ἀδελφῶν· καὶ, Οἵτε πέρα στέρξαντες, οἱ δὲ καὶ πέρα μισοῦσι. LIPS.

Caracatium] Cluverius *Nemetum* et mox *Nemetibus*. Sed hæc nimis abeunt a veterum et vulgatorum vestigiis. Suspicabar *Vangionum, Tabernatium, Tribocorum*. deinde, *Tribocis Vangionibusque et Tabernatibus*. Ipsum Cluverium vide Germ. Ant. 2, 12. GRON. Non mitior hæc correctio, quam Cluveriana. MS. Flor. *Cæracatium*. Bud. *Ceracat.* Agr. ed. pr. *Ceratacium*. Lectionem Florentinam probat Ryckius, intelligitque *Cæræsos* Cæsaris B. G. 2, 4. quod situi populi istius non convenire, bene docet Cellarius Geogr. Ant. t. 1. p. 245. nihil ipse definiens, quod optimum factu puto. Rhenanus Rer. Germ. 3. p. 326. suspicatur fuisse in eo loco, ubi arx *Drakenfels* fuerit. Eam sic fortasse dictam a loco, quasi *Racatium* h. e. *Caracatium*. Mox *lectu* MS. (Bud.) Guelf. edd. Puteol. seqq. omnes ante Pichenam. At infra, ubi similis varietas c. 77. nihil a Pichena mutatum. ERN. Brot. et Lall. recepere *Cæracates*. Vales. Not. Gall. p. 42. *Caracates* male in sede Tribocorum locat, iisque Argentoratum adsignat, quod nullo modo admittendum Schœpflinus nostras docet Alsat. ill. t. 1. p. 62. Neque audiendus Laguille in Notice de l'anc. Gaule p. 9. qui *Saracates* effingit, Saræ fluminis adcolas. Placet hoc Bipontinis, qui potius *Saravates* a *Saravo* dictos autumant. D'Anvillius in Not. de la Gaule p. 198. nomen vulgatum servat, *Caracates*que Vangionibus ad latus ponit, urbemque iis Magontiacum tribuit. Hoc et in tabula Galliæ antiquæ ita expressit.

Exercitusque Romani] MS. Flor. *Roman*; quod Ryckius explicat *Romanus*: quippe ista syllaba subinde in libris scr. et edd. pr. hac figura exprimitur. Consentiunt Guelf. (Bud.) Agr. ed. pr. Ceteræ ante Rhen. per compendium *Ro.* exprimunt. Primus Rhenanus edidit *Romani* tacite, nec scio, an e libro (Immo ex ingenio). Igitur tutius putavi scripturam librorum MSS. et edd. vett. sequi. ERN.

Quia pontem Navæ fl. abruperat] MS. Flor. (Bud.) ed. Put. Ber. Alc. *Navas.* item MS. Guelf. a m. pr. at m. s. fecit *nares*, ut est in ed. pr MS. Agr. *Vis fluminis.* Rhenanus edidit *Navæ*. ERN. Ex ingenio. Surita ad Anton. Itin. p. 258. ex MS. cœnobii Carthus. Aulæ Dei quoque profert *vis fluminis*. Navæ cladisque Romanæ meminit Ausonius in Mosella.

Supra memoravimus] Cap. 62.

Se ipsas] Omnes libri, quos scio vidique, habent *se ipsas*, pro quo haud dubie rescribendum *seipsæ*. V. ad c. 11. ERN. Bud. *se ipsa*.

In Mediom. sociam civitatem] Auctores docti novi operis Diplomatici t. 3. p.

tatem, abscessere. Valentinus ac Tutor in arma Treveros A. U.
retrahunt: occisis Herennio ac Numisio, Legatis, quo mi- 824.
nore spe veniæ cresceret vinculum sceleris. Hic belli sta- A. C. 71.
tus erat, cum Petilius Cerialis Magontiacum venit. ejus ad- 71
ventu erectæ spes. Ipse pugnæ avidus et contemnendis, quam cavendis, hostibus melior, ferocia verborum militem incendebat: ubi primum congredi licuisset, nullam prœlio moram facturus, delectus, per Galliam habitos in civitates remittit, ac nuntiare jubet, *sufficere Imperio legiones. socii ad munia pacis redirent, securi, velut confecto bello, quod Romanæ manus excepissent.* Auxit ea res Gallorum obsequium. nam, recepta juventute, facilius tributa toleravere, proniores ad officia, quod spernebantur. At Civilis et Classicus, ubi *pulsum Tutorem, cæsos Treveros, cuncta hostibus prospera* accepere, trepidi ac properantes, dum dispersas suorum copias conducunt, crebris interim nuntiis Valentinum monuere, *ne summæ rei periculum faceret.* Eo rapidius Cerialis, missis in Mediomatricos, qui breviore itinere legiones in hostem verterent, contracto, quod erat militum Magontiaci, quantumque secum transvexerat, tertiis castris Rigodulum venit; quem locum magna Treverorum manu Valentinus insederat, montibus aut Mosella amne septum. et addiderat fossas obicesque saxorum. Nec deterruere ea munimenta Romanum Ducem, quo minus peditem perrumpere juberet, equitum aciem in collem erigeret, spreto hoste; quem, temere conlectum, haud ita loco juvari, ut non plus suis in virtute foret. Paullum moræ in adscensu, dum missilia hostium prævehuntur: ut ventum in manus, deturbati ruinæ modo præcipitantur. Et pars equitum, æquioribus jugis circumvecta, nobilissimos Belgarum, in quis Ducem

172. not. 1. non improbabile esse dicunt, quod Hadr. Valesius Notit. Gall. p. 328. h. l. civitatem Mediom. non de urbe, sed de populo capiendam judicet, propter notitias veteres Gall. ap. Bouquetum. Immo res et Latinitas docent ita esse, sed antiqua et vera. Ern.

Erectæ spes] Bud. male *erepte*. Sic mox *loci* pro *socii*.

Rigodulum venit] Vatic. *Ridogulum*. Hodie dimidiatum nomen tenet, aliquot milliaribus supra Confluentes, pagus *Rigol* dictus. Lips. MS. Agr. ed. pr. *Rigodolum*. mox *aut Mosella* MS. Flor. (Bud.) edd. Rhen. sqq. ante Pichenam, et J. Gron. i. e. alio loco montibus, alio amne. Ceteræ edd. *et M. a.* MS. Guelf. *ac*. Illud melius. Reliqua loca arte septa, ut patet e sequentibus. Ern. In Diplomate Dagoberti ap. Zyllesium in Def. Abb. S. Maximini occurrit *Regiodola vallis*: hodie vicus superest nomine *Reol*. V. D'Anville Not. de la Gaule p. 554.

Ut non plus suis in v. f.] Groslotius leg. suadebat *ut non plus vis in v. f.* Vix credo, sic Latine dici.

In ascensu] Ed. pr. Rhen. (e Bud.) sqq. omnes. Ceteræ ante Rhen. *assensu*, quod etiam est in MS. Guelf. Quæ scriptura nata est a pronunciatione molliori literæ tertiæ; cujus generis, multa in libris medio ævo scriptis, ut *ascissere* pro *asciscere*, et alia. Ern.

Ut ventum in manus] Sic Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. Recte. Sic Ann. 2, 80. *ut venere in manus.* cf. c. 76. et sic alii quoque. Liv. 2, 46. ubi v. Gronov. quem jam laudavit Ryckius, qui et sic edidit cum J. Gronovio. Ceteri *ad.* Post *deturbati* intell. *hostes*. Pro *modo* MS. Agr. *more*. Ern. Bud. *modo*.

A. U. 824. A. C. 71. 72. Valentinum, cepit. Cerialis postero die coloniam Trevcrorum ingressus est, avido milite eruendæ civitatis: *hanc esse Classici, hanc Tutoris, patriam: horum scelere clausas cæsasque legiones. Quid tantum Cremonam meruisse; quam e gremio Italiæ raptam, quia unius noctis moram victoribus adtulerit? Stare in confinio Germaniæ integram sedem, spoliis exercituum et Ducum cædibus ovantem. Redigeretur præda in fiscum: ipsis sufficere ignes et rebellis coloniæ ruinas, quibus tot castrorum excidia pensarentur.* Cerialis, a metu infamiæ, si licentia sævitiaque inbuere militem crederetur, pressit iras. et paruere, posito civium bello, ad externa modestiores. Convertit inde animos accitarum e Mediomatricis legionum miserabilis adspectus. Stabant conscientia flagitii mæstæ, fixis in terram oculis. Nulla inter coeuntes exercitus consalutatio. neque solantibus hortantibusve responsa dabant, abditi per tentoria et lucem ipsam vitantes. nec perinde periculum aut metus, quam pudor ac dedecus, obstupefecerat: adtonitis etiam victoribus, qui vocem precesque adhibere non ausi, lacrimis ac silentio veniam poscebant: donec Cerialis mulceret animos, *fato acta* dictitans, *quæ militum Ducumque discordia, vel fraude hostium, evenissent. Primum illum stipendiorum et sacramenti diem haberent: priorum faci-*

Eruendæ civitatis] i. e. delendæ funditus. Sumtum e Virgilio. Æn. 2, 611. 612. *totamque ab sedibus urbem eruit.* Ern.

Hanc esse] Bud. *Ac esse.*

Redigeretur præda in fiscum] Sic Flor. Bud. Agr. ed. pr. nisi quod Flor. *redigetur.* Edd. Puteol. et ceteræ ante Pichenam *redigeret prædam in f.* ut et Guelf. Ern. Bud. vitiose *redigeretur prædam.*

Cerialis metu infamiæ] Vulgati (et Bud.) *Cerialis a metu.* Mihi vox aliqua excidisse videtur, et alternasse caussas, ut solet, Tacitus: *Cerialis emptus an metu infamiæ.* sive, *Cerialis clementia, an metu.* Lips. Præpositio est in Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. seqq. ante Lipsium omnibus. Exempla, quibus eam defendit Salinerius, sunt aliena. Sed sunt permulta apud Livium idonea. Vid. viros doctos ad 24, 30. 26, 1. et qui ad locum posteriorem a Drakenb. laudantur. In illo loco defendit bene Lipsius adversus eos libros, qui ei præpositioni *ob* substituerunt, cum *a* pro *propter* non concoquerent. Itaque hic quoque restitui. Ern. Bip. legunt *Cerialis autem m. inf.*

Posito civium bello] *Civium* MSS. Flor. Bud. Agr. ed. pr. quod exprimendum curavi: quod imitatus est Broterius (et Lall.). Etiam aliis locis substantivo pro adjectivo uti Tacitum, ut *Campus Martis*, vidimus, et librarios adjectivum subsituisse. Ern. Vulgo *civili.*

Consalutatio] Bud. male *consultatio.* Mox *proinde,* ut sæpe alias. Prius cod. Agr. *mæsti,* bene, ut mox *abditi.*

Qui vocem precesque] Muretus deletum it *qui:* Acidalius corrigit *quia.* Ryckius occurrit sic, ut interpunctionem mutet: *obstupefecerat, attonitis etiam victoribus: qui v. p.* referatque *τὸ qui* ad exercitum vel milites. Sed sic quoque durissima structura. Ego Muretum sequor. *Qui* temere et alienis locis intrusum non uno loco vidimus. Ern. Brot. Lall. Dotteville, vulgatum servant, victores ipsos veniam pro istis petiisse, rati. Bip. probabili conjectura legunt *quis* pro *quibus,* scil. victoribus. Sequor. Bud. *qui.*

Fato acta dictitans] Vereor, ne Tacitus dederit *fato facta:* idque est perpetuum in ea sententia verbum. Cic. Phil. 2, 1. *quonam fato meo fieri dicam* etc. Post *ducumque* bene edidit Pichena pro *ducumve.* Sic et (Bud. et) ed. pr. Item mox vitiose edd. ante Rhen. *illorum* præter princ. quæ habet *illum,* ut et Guelf. Ern. Et Bud.

norum neque Imperatorem neque se meminisse. Tunc recepti A. U.
in eadem castra et edictum per manipulos, ne quis in cer- 824.
tamine jurgiove seditionem aut cladem commilitoni obje- A. C.
ctaret. Mox Treveros ac Lingones, ad concionem vocatos, 71. 73
ita adloquitur. *Neque ego unquam facundiam exercui; et Populi Romani virtutem armis adfirmavi. Sed, quia apud vos verba plurimum valent, bonaque ac mala non sua natura, sed vocibus seditiosorum, æstimantur; statui pauca disserere, quæ, profligato bello, utilius sit vobis audisse, quam nobis dixisse. Terram vestram, ceterorumque Gallorum, ingressi sunt Duces Imperatoresque Romani, nulla cupidine, sed majoribus vestris invocantibus, quos discordiæ usque ad exitium fatigabant. et acciti auxilio Germani sociis pariter atque hostibus servitutem inposuerant. Quot prœliis adversus Cimbros Teutonosque, quantis exercituum nostrorum laboribus, quove eventu Germanica bella tractaverimus, satis clarum. Nec ideo Rhenum insedimus, ut Italiam tueremur; sed nequis alius Ariovistus Regno Galliarum potiretur. An vos cariores Civili Batavisque et Transrhenanis gentibus creditis, quam majoribus eorum patres avique vestri fuerunt? Eadem semper caussa Germanis transscendendi in Gallias, libido atque avaritia et mutandæ sedis amor, ut, relictis paludibus et solitudinibus suis, fecundissimum hoc solum vosque ipsos possiderent. Ceterum libertas et speciosa nomina prætexuntur: nec quisquam alienum servitium et dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usur-*
paret. Regna bellaque per Gallias semper fuere, donec in no- 74
strum jus concederetis. Nos, quamquam totiens lacessiti, jure victoriæ id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt. Cetera in communi sita sunt. Ipsi plerumque legionibus nostris præsidetis: ipsi has aliasque provincias regitis. Nihil separatum clausumve. Et laudatorum Principum usus ex æquo, quamvis procul agen-

Neque ego unquam etc] Est imitatio Orationis Livianæ 28, 27. ERN.

Æstimantur] Bud. *extimantur.* Cf. notata ad A. 13, 17. 15, 21. H. 1, 14.

Satis clarum] MS. Agr. (et Reg. Lall.) ed. pr. *satis claret:* verbo poetico, quod Tacitus non refugerit. nec displicet Ryckio. Et sic correxerat quoque manus docta in ed. Gryph. ERN. Bud. *clarum.*

Rhenum insedimus] Int. coloniis, classibus. ERN.

Ceterum libertas] Bud. *ceterorum.*

Nec quisquam] Vitium operarum, in ed. Alciati *ne quisquam* pro *nec quisq.* exprimentium, peperit notam Rhenano. ERN.

Id solum vobis addidimus] Suavius hoc *addidimus*, quam bonus Fulvius putavit (qui *ademimus* malebat.) Significat enim interdum, quæ Menander vocat ἐπίθετα κακὰ, ut sit, oneris imposuimus, durius in vos statuimus. ut Maroni 6, 90. *Teucris addita Juno.* Vide ad Senecæ Herculem Furentem 1237. GRON.

Laudatorum Principum] Acuta gnome: quam non abest, quin callide abductam Sallustio credam, in oratione Sullæ ad Bocchum Jug. 102. *Tibi vero nulla amicitia opportunior nostra: primum quod procul absimus, in quo offensæ minimum, gratia par, ac si prope adessemus.* LIPS.

A.U. 824. A.C. 71. *tibus: sævi proximis ingruunt. quomodo sterilitatem, aut nimios imbres et cetera naturæ mala, ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt, donec homines: sed neque hæc continua, et meliorum interventu pensantur. nisi forte, Tutore et Classico regnantibus, moderatius imperium speratis: aut minoribus, quam nunc, tributis parabuntur exercitus, quibus Germani Britannique arceantur. Nam pulsis (quod Dii prohibeant) Romanis, quid aliud, quam bella omnium inter se gentium exsistent? Octingentorum annorum fortuna disciplinaque compages hæc coaluit, quæ convelli, sine exitio convellentium, non potest. Sed vobis maximum discrimen, penes quos aurum et opes, præcipue bellorum caussæ. Proinde pacem et urbem, quam victi victoresque eodem jure obtinemus, amate, colite. Moneant vos utriusque fortunæ documenta, ne contumaciam cum pernicie, quam obsequium cum securitate, malitis.* Tali oratione

75 graviora metuentes composuit erexitque. Tenebantur victore exercitu Treveri, cum Civilis et Classicus misere epistolas ad Cerialem, quarum hæc sententia fuit. *Vespasianum, quamquam nuntios occultarent, excessisse vita. Urbem atque Italiam interno bello consumptam. Muciani ac Domitiani vana et sine viribus nomina. Si Cerialis imperium Galliarum velit, ipsos finibus civitatum suarum contentos; si prælium malit, ne id quidem abnuere.* Ad ea Cerialis Civili et

Quomodo sterilitatem] Pulchrum documentum in mala publica et ad ea fortiter sustinenda. Seneca præiverat, De Const. sapientis 9. *Omnia itaque sic patitur, ut hiemis rigorem, et intemperantiam cæli, ut fervores morbosque et cetera forte accidentia.* At Dio Ciceronem ita loqui facit, ubi amnestiam suadet, post cædem Cæsaris 44, 32. Ὥστε τὰ μὲν γεγεννημένα ταῦτα χαλάζης τέ τινος καὶ κατακλυσμοῦ τρόπον συμβεβηκέναι νομίσαντες, λήθη παραδῶτε. Plane gemina sunt, et aut ab inventione; aut imitatione. Lips. Infra vitiose edd. Puteol. Beroald. Alc. *parabantur.* Ern. Emendavit Rhen. e Bud.

Quid aliud quam bella] Oraculum, cujus fidem proavi viderunt: et nos videmus, videbimusque, quamdiu, secta in tot dominos, Europa non audiet unius aurigæ habenas. Plutarchus igitur vere de Fort. Rom. p. 316. *Imperium Romanum velut anchoram esse,* scripsit, *fluctuanti mundo.* Et nonne a Crispo suo hoc effatum sumpsit noster? sumpsit. Ille sic ad Cæsarem in fine: *Quippe si morbo jam aut fato huic Imperio secus accidat, cui dubium est, quin per orbem terrarum vastitas, bella, cædes oriantur?* Lips.

Quanquam nuntios occultarent] MSS. Farnes. Agr. (et Reg. Lall.) *nuntii.* Idem voluit dare Spirensis, qui edidit *nutu.* Placebatque Lipsio et Ryckio. Vulgatum verum puto. Vult, duces occultare domi suæ nuntios, ne colloqui cum militibus et patefacere mortem Vespasiani possent. Sic ille λογοποιὸς ap. Theophr. in Char. c. 9. λέγει, ὡς καὶ παρακήκοε παρὰ τοῖς ἐν τοῖς πράγμασι, κρυπτόμενόν τινα ἐν οἰκίᾳ ἤδη πέμπτην ἡμέραν ἥκοντα ἐκ Μακεδονίας, ὃς πάντα ταῦτα οἶδε. Si *nuntii* probetur, legendum simul *occultarentur.* Nam cum Cerialis epistolas occultaret, ut e sequentibus patet, profecto idem in tabellario fecit. Ern. Bud. vulgatum habet. Brot. *nuntii occultarent.* In loco exponendo Pichenam sequitur Ernesti, contra Salinerius *nuntios* accipiebat pro re nuntiata, et verbum *occultarent* referebat ad Domitianum et Mucianum.

Si—velit—si prælium mallet] Alterutrum est vitiosum, et aut *vellet* legendum, aut *malit.* Posterius Latinius est; itaque sic correxi. Ern. Recepere emendationem Bip. sed Brot. et Lall. vulgatum servant, *mallet.* Sic et Bud. Idem prius *Muciani ac,* ut Flor. vulgo *et.*

Classico nihil: eum, qui adtulerat ipsas epistolas, ad Domitianum misit. Hostes, divisis copiis, advenere undique. Plerique culpabant Cerialem, passum jungi, quos discretos intercipere licuisset. Romanus exercitus castra fossa valloque circumdedit, quis temere antea intutis consederat. Apud Germanos diversis sententiis certabatur. Civilis, *opperiendas Transrhenanorum gentes, quarum terrore fractæ Populi Romani vires obtererentur. Gallos quid aliud, quam prædam victoribus? et tamen, quod roboris sit, Belgas, secum palam aut voto stare.* Tutor, *cunctatione crescere rem Romanam,* adfirmabat, *coeuntibus undique exercitibus. Transvectam e Britannia legionem: accitas ex Hispania: adventare ex Italia: nec subitum militem, sed veterem expertumque belli. Nam Germanos, qui ab ipsis sperentur, non juberi, non regi, sed cuncta ex libidine agere: pecuniamque ac dona, quis solis corrumpantur, majora apud Romanos, et neminem adeo in arma pronum, ut non idem pretium quietis, quam periculi, malit. quod si statim congrediantur, nullas esse Ceriali, nisi ex reliquiis Germanici exercitus, legiones, fœderibus Galliarum obstrictas. Idque ipsum, quod inconditam nuper Valentini manum contra spem suam fuderint, alimentum illis Ducique temeritatis. Ausuros rursus venturosque in manus, non imperiti adolescentuli,*

A. U. 824. A. C. 71.

76

Qui attulerat ipsas epistolas] Quivis attentus lector hæreat necesse est in *ipsas,* quod hic certe friget. Itaque aut delendum est, aut, quod melius est, cum Acidalio scribendum *ipsasque epistolas.* Ern. Probat quoque Lall. Recepit Dotteville.

Quis temere antea intutis consederat] Valde variant libri in voce *intutis.* MS. Guelf. *in tutius.* Ed. pr. *intutus.* ed. Puteol. *in tutis.* Ceteræ inde a Beroaldina *intutis.* (Sic et Bud.) Etsi parum referre arbitror, utrum *in tutis,* an *intutis* legas, quippe illud significare potest caussam, quare castra non munierit, quia in tutis locis se consedisse putarat: nam et Livio dicuntur *castra in tuto collocari,* et *legiones in tutum duci:* tamen, quia *intuta* est usitatum castrorum ap. Livium epitheton, atque ea scriptura in plerisque libris est, *intutis* prætuli. Ne *intutus* quidem absurdum. Mox MS. (Bud.) Guelf. ed. J. F. Gron. vitiose *obterrerentur:* item ed. pr. *obterentur.* Ern.

Aut voto stare] MS. Bud. Guelf. *vastare.* Hic tamen alteram lectionem in margine habet. Mox *a Brit.* edd. Puteol. sqq. ante Pich. item MS. (Bud.) Guelf. Ern. Correxit Pich. e Flor. Prius Rhen. conjectabat *aut clam stare.*

Qui ab ipsis sperentur, non juberi] MS. Guelf. vitiose *seperentur.* ed. Ber. *spernentur,* vitio operarum, quod servatum in ed. Alc. notulam Rhenani peperit (qui *sperentur* e Bud.). *Non juberi* est, non pati posse imperia, non adsuetos imperiis accipiendis. Ern.

In arma pronum] Sic MSS. Flor. (Bud. Reg. Lall.) Agr. ed. pr. idque cum Ryckio et J. Gron. recepi, cum etiam alibi in Tacito *promtus,* quod ceteros scr. et edd. obtinet, illi verbo substitutum viderimus: etsi ceterum etiam *promtus in arma* bene dici puto, de eo, qui facile impelli ad arma capienda potest, sed ita, ut animum ferocem indicet: quod hic non est. H. 2, 33. *Otho pronus ad decertandum,* non *promtus:* h. e. melius putans decerni prælio. Mox *Germanici* ab Rhenano est (ex Bud.) scr. et edd. ante Rhen. omnes *Germani.* Ern. Bene c. seq. *promtus inter tela,* in re præsenti scil.

Non imperiti adolescentuli] Sic primus edidit (ex ingenio) Rhenanus, cum ante esset inde a Puteol. editum *non imperitia militum, sed adolesc.* testatus in nota, se edere *imperitia adol.* sed operæ in nota videntur aberrasse. id tamen in ed. sec. et ab omnibus servatum est, qui notas Rhenani recoxere. Ed. pr. (et cod. Bud.) *imperitia adolesc.* Ultima litera nata est e prima sequentis verbi, ut alibi. at Guelf. ut ed. Puteol. Ern.

A. U. 824. A. C. 71. *verba et conciones, quam ferrum et arma, meditantis, sed Civilis et Classici: quos ubi adspexerint, redituram in animos formidinem, fugam famemque ac totiens captis precariam vitam. neque Treveros aut Lingonas benevolentia contineri: resumpturos arma, ubi metus abscesserit.* Diremit consiliorum diversitatem, adprobata Tutoris sententia, Classicus: sta-

77 timque exsequuntur. Media acies Ubiis Lingonibusque data: dextro cornu cohortes Batavorum: sinistro Bructeri Tencterique. pars montibus, alii, viam inter Mosellamque flumen, tam inprovisi adsiluere, ut in cubiculo ac lectulo Cerialis (neque enim noctem in castris egerat) pugnari simul vincique suos audierit, increpans pavorem nuntiantium, donec universa clades in oculis fuit. Perrupta legionum castra, fusi equites: medius Mosellæ pons, qui ulteriora coloniæ adnectit, ab hostibus insessus. Cerialis, turbidis rebus intrepidus et fugientes manu retrahens, intecto corpore promptus inter tela, felici temeritate et fortissimi cujusque adcursu, reciperatum pontem electa manu firmavit. Mox in castra reversus, palantes captarum apud Novesium Bonnamque legionum manipulos et rarum apud signa militem ac prope circumventas aquilas videt. Incensus ira, *non Flaccum,* inquit, *non Voculam deseritis. Nulla hic proditio: neque aliud excusandum habeo, quam quod vos, Gallici fœderis oblitos, redisse in memoriam Romani sacramenti, temere credidi. Adnumerabor Numisiis et Herenniis:*

Imperitum adolescentulum intelligit *Tullium Valentinum,* de quo c. 68. sq. Mox Bud. *famamque.*

Viam inter Mosellamque flumen] Savilium, qui reprehendit Tacitum, velut non bene descripserit locum pugnæ, refellit Ryckius. Mox *improvisa* MS. (Flor. Bud.) Guelf. ed. pr. ceteræque ante Rhen. qui tacite *improvisi* (ex ingenio) edidit. Forte fuit *alia.* Sed Tacito solenne, post *pars* dicere *alii:* idque omnes libri habent; et quidem Flor. (Bud.) ed. pr. bis deinceps. Jac. Gronovius pro neutro habet. Ern.

Mosellæ pons] Meminit ejus, suo tempore constructi, Strabo 4. p. 193.

Lecta manu] MS Flor. (Bud.) Agr. Guelf. edd. ante Lipsium omnes *electa.* idque restitui. V. ad c. 70. Ern. Ryckius in Flor. esse refert *delecta,* quod recepere Bip. Sed J. Gron. *electa* ibi legi testatur.

Oblitos prædixerim] Vocem *prædixerim* corruptam, aut superfluere, vides. Rodolphus pro ea legisse videtur *oblitos, proximam memoriam.* In Flor. est, *temere* pro *tenere.* Quo leni ductu hæc concinno: *oblitos, redisse in memoriam R. s. temere credidi.* Et collineavi atque attigi. Lips. Veniebat sub acumen stili: *quod vos, Gallici fœderis oblitos, repetisse memoriam Romani sacramenti temere credidi.* Justinus 35, 2. *prioris sacramenti religionem novi Regis superbiæ præferentes.* Suetonius Claudio 13. *legionibus, quæ sacramentum mutaverant, in pœnitentiam religione conversis.* Cum *memoriam* dicit, intelligit reverentiam. Gron. MS. Bud. *prædixi,* quod melius respondet, verbo *credidi.* Sed verbum ipsum suspectum est. Pichena *et retinere m. R.* alii aliter. *Tenere credidi* MSS. Agr. Guelf. etc. edd. ante Pichenam omnes, a quo recepta hodie lectio est. In ed. pr. neque *temere* est, neque *tenere.* Sensus loci non est obscurus: at lectio certa non est. Ern. Rhen. hic criticos in errorem induxit. Bud. enim clare habet *prædixerim.* Lipsii emendationem probat Brot. recepere Bip jure meritoque. Gruterus dabat *produxisse.* J. Gron. *præfiscini.* Dein Bud. *temere didi.* ubi *temere,* egregie, sed cauda hujus vocis caput sequentis abstulit. Prius *excusandum,* Ferrettus, alias *accusandum.*

ut omnes Legati vestri, aut militum manibus, aut hostium, ceciderint. Ite, nuntiate Vespasiano, vel, quod propius est, Civili et Classico, relictum a vobis in acie Ducem. venient legiones, quæ neque me inultum, neque vos inpunitos, patiantur. A. U. 824. A. C. 71.
Vera erant et a Tribunis Præfectisque eadem ingerebantur. 78
Consistunt per cohortes et manipulos: neque enim poterat patescere acies, effuso hoste, et inpedientibus tentoriis sarcinisque, cum intra vallum pugnaretur. Tutor et Classicus et Civilis, suis quisque locis, pugnam ciebant: Gallos *pro libertate*, Batavos *pro gloria*, Germanos *ad prædam* instigantes. Et cuncta pro hostibus erant. donec legio unaetvicesima, patentiore, quam ceteræ, spatio conglobata, sustinuit ruentes; mox inpulit. Nec sine ope Divina, mutatis repente animis, terga victores vertere. Ipsi, territos se cohortium adspectu, ferebant, quæ primo inpetu disjectæ, summis rursus jugis congregabantur, ac speciem novi auxilii fecerant. Sed obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen, hoste omisso, spolia consectandi. Cerialis, ut incuria prope rem adflixit, ita constantia restituit: secutusque fortunam, castra hostium eodem die capit exscinditque. Nec in longum quies militi data. Orabant 79
auxilium Agrippinenses; offerebantque uxorem ac sororem Civilis et filiam Classici, relicta sibi pignora societatis. Atque interim dispersos in domibus Germanos trucidaverant. Unde metus et justæ preces invocantium, antequam hostes, reparatis viribus, ad spem vel ad ultionem accingerentur. Namque et Civilis illuc intenderat, non invalidus, flagrantissima cohortium suarum integra: quæ ex Chaucis Frisiisque composita, Tolbiaci, in finibus Agrippinensium, agebat. Sed tristis nuntius avertit, *deletam cohortem*

Ite, nuntiate Vespasiano] Similis invidiæ metum suis militibus jam fugientibus Sulla injicit: *Siquis vos, milites, rogaverit, ubi Sullam Imperatorem vestrum reliqueritis, respondete, apud Orchomenum pugnantem.* Atque ille hac increpatione rem labentem sustinuit. Plutarchus Sulla 21. p. 75. et Appianus Mithr. c. 49. LIPS. Mox Bud. *nobis, nos.*

Classicus et Civilis] Supplevit Rhen. conjunctionem e Bud.

Legio unaetvicesima] Sic Latinitas jubet legi. Male in ed. Alciati, quod ante erat XXI. expressere operæ *vicesima prima;* idque propagatum ad omnes ante Pichenam. *Unaetvic.* MS. Agr. Ed. pr. hic valde corrupte *legio ex prima potentiore* etc. Add. ad 1, 61. ERN. Bud. XXI. *potentiore.*

Nec sine ope Divina] Facessant ergo, qui impietatis notam nostro inurere sustinent. Cf. et c. 81.

Rem afflixit] Ita MS. (Bud.) Reg. edd. pr. Rhen. sqq. at mediæ, item MS. Guelf. *res.* ERN.

Integra et e Chaucis] Rom. cod. et editiones aliæ (ante Rhen.) *integra manu, et e Chaucis.* Legam, *integra manente, e Chaucis.* Flor. porro, *integraque ex:* si plene, facias cum Pichena, *integra, quæ.* LIPS. Vox *manu* abest a MS. Guelf. ERN. Et Bud. in quo *integra et e cauchis.* Rhen. subaudit *existente integra.*

Tolbiaci] Farnes. *Colbiaci.* in Itin. Antonini *Tobiaci.* LIPS. MSS Fl. Agr. ed. pr. *Tolbiaci.* at MS. (Bud.) Guelf. ed. Puteol. *Calbiaci.* Ber. Alc. *Galbiaci,* quod est vitium operarum. *Tolbiaci* restituit Rhen. Hodie dicitur *Zullich.* ERN. Item *Zulpich.*

A. U. *dolo Agrippinensium:* qui largis epulis vinoque sopitos Ger-
824. manos, clausis foribus, igne injecto, cremavere. Simul Ceria-
A. C. lis propero agmine subvenit. Circumsteterat Civilem et
71. alius metus, ne quartadecima legio, adjuncta Britannica
classe, adflictaret Batavos, qua Oceano ambiuntur. Sed
legionem terrestri itinere Fabius Priscus, Legatus, in Ner-
vios Tungrosque duxit. eæque civitates in deditionem ac-
ceptæ. classem ultro Caninefates adgressi sunt: majorque
pars navium depressa aut capta. Et Nerviorum multitudi-
nem, sponte commotam, ut pro Romanis bellum capesseret,
iidem Caninefates fudere. Classicus quoque adversus equi-
tes, Novesium a Ceriale præmissos, secundum prœlium fe-
cit. quæ modica, sed crebra, damna famam victoriæ, nuper
80 partæ, lacerabant. Iisdem diebus Mucianus Vitellii filium
interfici jubet: mansuram discordiam obtendens, ni semina
belli restinxisset. Neque Antonium Primum adsciri inter
comites a Domitiano passus est: favore militum anxius, et
superbia viri, æqualium quoque, adeo superiorum, intole-
rantis. Profectus ad Vespasianum Antonius, ut non pro
spe sua excipitur, ita neque averso Imperatoris animo. Tra-
hebatur in diversa: hinc meritis Antonii, cujus ductu con-
fectum haud dubie bellum erat, inde Muciani epistolis: si-
mul ceteri, ut *infestum tumidumque* insectabantur, adjunctis
prioris vitæ criminibus. neque ipse deerat, adrogantia vo-
care offensas, nimius commemorandis, quæ meruisset. *Alios*,
ut *inbelles, Cæcinam*, ut *captivum ac dediticium*, increpat.
Unde paullatim levior viliorque haberi, manente tamen in
81 speciem amicitia. Per eos menses, quibus Vespasianus
Alexandriæ statos æstivis flatibus dies, et certa maris oppe-
riebatur, multa miracula evenere, quis cœli favor et quæ-

Classem ultro] MS. Agr. *vero:* quod placet Ryckio. Ern. Bud. *ultro.* Prius *terrestri itinere*, et, ut videtur, militari via, quæ adhuc satis integra. Cf. Broterius.

Favore militum anxius] In ed. Alciati errore operarum temere repetitur *est* post *anxius*, quod notulæ materiam præbuit Rhenano. Ern.

Pro spe sua excipitur] Sic Rhen. e Bud. prius erat *accipitur.*

Neque averso Imp. animo] Ed. pr. (et cod. Bud.) *adverso.* Mox pro *vocare* MS. Agr. *provocare.* Vulgatum (quod in Bud.) exquisitius. Virg. G. 4, 76. *magnisque vocant clamoribus hostem:* ubi Servius interpretatur *provocant.* Sic etiam cape G. 1, 388. *tum cornix plena pluviam vocat improba voce.* et noster ipse *hostem vocare* dixit in Germ. c. 14. Ed. pr. *notare:* quæ et in aliis libris confusio observata est. V. Drakenb. ad Liv. 7, 2. et quos ibi laudat. Ern.

Prioris vitæ crim.] Cf. A. 14, 40. H. 2, 86.

Statos æstivis flatibus dies] Lipsius in marg. conjicit *etesiarum flatibus.* Acidalius *etesiis flatibus.* Frustra, ut patet e sequentibus; quibus declaratur, nihil aliud expectatum, nisi tempus æstivum, quo tuta navigatio, nec facile tempestas ingruit. Josephus *finem hiemis* vocat. Et etesiarum flatus adversi navigantibus Alexandria, auctore Cæsare Bell. Civ. 3, 107. ut bene notat Savilius. Ern. Cf. Veget. 5, 9. (4, 39.)

Quis cælestis favor] *Cœlestis* e conjectura Rhenani editur in omnibus inde a Rhen. Edd. Put. Ber. Alc. *e cœlis.* At MS. Guelf. ed. pr. *quis cœli favor:* quod recipere non dubitavi: certe vulgatò præferendum, ut meræ conjecturæ. MS.

dam in Vespasianum inclinatio Numinum ostenderetur. Ex plebe Alexandrina quidam, oculorum tabe notus, genua ejus advolvitur, *remedium cæcitatis* exposcens gemitu; monitu Serapidis Dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit: precabaturque Principem, *ut genas et oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento.* Alius manum æger, eodem Deo auctore, *ut pede ac vestigio Cæsaris calcaretur,* orabat. Vespasianus primo inridere, adspernari: atque, illis instantibus, modo famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum et vocibus adulantium in spem induci. postremo existimari a medicis jubet, an talis cæcitas ac debilitas ope humana superabiles forent. Medici varie disserere: *Huic non exesam vim luminis et redituram, si pellerentur obstantia: illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur,*

A. U. 824.
A. C. 71.

Bud. *celis est.* Agr. *cœlitum:* quod probari non potest, quia mox *Numinum* sequitur, quod ab illo nil differt. Mox *e plebe* MS. (Bud.) Agr. ed. pr. ERN. Bip. præferunt *quis e cœlis.*

Oculorum tabe notus] Si est ea, quæ Græcis φθίσις dicitur, ut placet viro docto apud Ryckium (nec caussam dissentiendi video) intelligitur cæcitas e nimia pupillæ contractione, cui contrarium est alterum genus e nimia dilatatione, sine vi contrahendi se. de ea phthisi extat erudita disputatio Maucharti Medici Tubingensis, quem tamen hic locus Taciti fugit. ERN. In definitionibus, quæ tribuuntur Galeno, *tabes* s. *phthisis* est *pupillæ imminutio cum obscuratione.*

Remedium exposcens gemitu: monitu S.] Vix credam, Taciti aures tulisse *gemitu: monitu.* meas quidem offendit. *Gemitu* aut spurium (sufficit enim *exposcens,* ut *orantes* ap. Suetonium c. 7.) aut corruptum puto. Ceterum in libris nihil auxilii, nisi quod in Guelf. est *in gemitu:* unde non absurde corrigas, *ingenitum.* Orat remedium cœcitatis sibi ab illo adhiberi, quod ei insitum Divinitus esset. Sic Plutarchus in Pyrrh. c. 3. tradit, Pyrrhum lienosos curasse dextro pede pressos, existimatumque, in majore ejus pedis ungue esse Θείαν δύναμιν, unde illum, cremato reliquo corpore, illæsum ab igni mansisse. Mox *Serapidis,* quod edidit pro *Sarapidis* e Flor. Pichena, est in (Bud. et) omnibus edd. inde a Puteol. Solus Lipsius edidit *Sarapis,* nescio unde. MS. Agr. ed. pr. *Serapis,* et sic correxerat vir doctus in margine Gryphii. Mox ed. pr. *dicta gens superstitionibus,* item paullo post: *respuere oris exscreamento.* ERN. De Vespasiani miraculis egit Brot. in ed. maj. t. 3. p. 529. Similium ab Antonino Imp. patratorum mentio fit in tabella marmorea, quæ olim stetisse putatur in templo Æsculapii insulæ Tiberinæ, quam exhibet Grut. p. 71. Promiscue olim *Sarapis* et *Serapis* dictus. V. ib. p. 22.

Manu æger] MS. Flor. *manum:* quod recepit J. Gronovius. Consentit Guelf. Nec indignum Tacito, Græcismi amatore: unde Gronovium imitati sumus. Ceterum dissensus Suetonii jam aliis notatus, de crure eadem tradentis. ERN. Bud. conrupte *magnum.* Græcismi exempla v. A. 15, 64. H. 1, 42. Contra Suetonium cum nostro facit Dio 66, 5.

Existimari a medicis jubet] Sic accipienda et legenda vetus MSS. (in his Bud.) et ed. pr. scriptura *extimari,* quam Puteolanus primus convertit in *estimari:* unde vulgatos omnes hic *æstimari* obtinet: male, ex iis, quæ ad Ann. 13, 17. de hoc verbo diximus. Etenim *judicium* medicorum requirit, an eæ res fieri possint: quæ est *existimatio,* non *æstimatio.* ERN.

Huic non exesam vim etc.] Aut excidit *videri* ante *vim,* aut tamen intelligendum, ut *ratus* et similia apud nostrum non uno loco. Ed. pr. *excessam,* et sic correctum in MS. Guelf. a man. sec. Mox idem MS. *parvum* a m. pr. sed *pravum* a sec. *Integrare* ed. pr. et sic laudat Rhenanus in nota ad h. l. intelligique vult vim salubrem. Denique *patrati,* quod idem Rhen. placebat, e vestigiis MS. Bud. in quo *parati,* jam reperi in ed. pr. et sic edidit Lipsius et seqq. omnes. Ceteri *peracti.* ERN. Nihil hic excidit. Quæ referuntur, pendent a verbo *disserere.* Bud. *exesam. pravum. integrare.*

Elapsos in pravum artus] Ita Rhen.

A. U. *posse integrari. Id fortasse cordi Deis, et Divino ministerio Prin-*
824. *cipem electum. denique patrati remedii gloriam penes Cæsarem,*
A. C. *inriti ludibrium penes miseros, fore.* Igitur Vespasianus, cuncta
71. fortunæ suæ patere ratus, nec quidquam ultra incredibile, læto ipse vultu, erecta, quæ adstabat, multitudine, jussa exsequitur. Statim conversa ad usum manus, ac cæco reluxit dies. Utrumque, qui interfuere, nunc quoque memo-
82 rant, postquam nullum mendacio pretium. Altior inde Vespasiano cupido adeundi sacram sedem, ut super rebus Imperii consuleret. *Arceri templo cunctos* jubet. atque ingressus intentusque Numini, respexit pone tergum e primoribus Ægyptiorum nomine *Basiliden;* quem procul Alexandria plurium dierum itinere et ægro corpore detineri haud ignorabat. Percunctatur Sacerdotes, *num illo*

e Bud. bene. Ap. Put. est *elapso—artus.* Ap. Alc. *elapso—artu.* Prius Bip. *sed reditu ram.* Verum eodem sensu quoque *et* frequens ponitur.

Cuncta fortunæ suæ patere] In hoc quoque loco mihi accidit, ut, cum primum legerem, vitium operarum putarem, pro *parere.* Post et in aliis libris *patere* vidi, et nunc in omnibus esse cognovi. Tamen *parere* esse a Tacito non dubito. Atque ego non ignoro, etiam *patere* dici pro *esse in potestate* alterius, cique subinde male substitui *parere,* ut bene docet Cortius ad Sallust. Cat. 10. Sed in istis locis semper aditus quidam ad aliquam rem intelligi potest, ut in maria, fines, rem familiarem alterius, oppida etc. quod hic non est. Sed ut *Fortuna rerum domina* dicitur, *omni in re dominari,* sic *omnia Fortunæ parere.* Ceterum illa verba confundi centies in libris scr. sæpe a viris doctis notatum est. In ed. pr. est: *cuncta fortunæ primæ ratus.* Ern. Bud. *patere.*

Erecta q. ad. multitudine] Bud. male *erepta.* Pricæus ad Apul. Met. 2. p. 125. suadet leg. *adrecta,* præclare, si libri adsentirent. Interim Cic. quoque *erectum* pro *adtento* dicit. Vide in Bruto c. 54. *erectos intuentes judices.*

Nullum mendacio pretium] Quis autem gratuito mendax sit?—*cum sint præmia falsi Nulla, ratam debet testis habere fidem,* ait Ovidius Tr. 3, 10, 35. Lips. Ceterum super hac re quæ disputentur, non vacat commemorare, nec ratio notarum desiderat. Tacitus non videtur alienus fuisse ab ea parte, ut fidem facti agnosceret. Nam et *notum tabe oculorum* hominem illum vocat, ut nulla simulatio cæcitatis locum habuisse innuat, et actam rem præsente magna hominum multitudine, in loco publico, et memoratam suis quoque temporibus a testibus oculatis, sublata Flaviorum gente, ubi nulla adulandi aut mentiendi caussa. Quæ contra hæc miracula disputantur a quodam Jac. Serces in libro de miraculis, quo a Dæmonibus miracula patrari negat, p. 276. non admodum probabilia puto, et concionatorie magis, quam subtiliter et dialectice disputata; vereorque, ut Divinis miraculis valde consulant, qui in tam diligenter narratis rebus nihil nisi fraudes humanas agnoscant. Ern. Rectiora dabit Brot. ad h. l. Mirum certe Ernesti judicium videri debet. Similes Principum fraudes, vel eis saltem tributas, collegit Lupanus ad h. l.

Respexit pone tergum] Nempe, cum se precibus factis repente convertisset, ominis captandi caussa. Vid. quæ dixi ad Sueton. Vesp. c. 7. Ern.

E primoribus Ægyptiorum Basiliden] Firmat hoc valde viri eximii conjecturam Lævini Torrentii, in Suet. Vesp. *Basilides libertus obtulisse ei visus est.* Quomodo libertus, si Sacerdos? si, quod hic dicitur, *e primoribus Ægyptiorum?* Bene igitur ille magnus amicus noster *Basilides obtulisse,* deleta voce *libertus,* perperam infarcta. Lips. V. quæ ad Suetonium diximus pro vulgata Suetonii, quorum nondum pœnitet. Post pro *equitibus* MS. Agr. ed. pr. *militibus.* Ern. Bud. *equitibus.* In loco Suetonii Ernesti intelligit *libertum* Vespasiani. Contra Cannegieter de mut. Rom. sub Princ. ratione p. 70. Deorum quoque fuisse servos et libertos docet, qui Deos suos Dominos salutare sint soliti.

die Basilides templum inisset? percunctatur obvios, *num in* A. U.
urbe visus sit? denique, missis equitibus, explorat, illo tem- 824.
poris momento octoginta millibus passuum abfuisse. Tunc A. C.
Divinam speciem et vim responsi ex nomine *Basilidis* in- 71.
terpretatus est. Origo Dei nondum nostris auctoribus 83
celebrata; Ægyptiorum antistites sic memorant: *Ptolemæo Regi, qui Macedonum primus Ægypti opes firmavit, cum Alexandriæ recens conditæ mœnia templaque et religiones adderet, oblatum, per quietem, decore eximio et majore quam humana specie juvenem, qui moneret,* ut, fidissimis amicorum in Pontum missis, effigiem suam acciret: lætum id Regno, magnamque et inclitam sedem fore, quæ excepisset. *simul visum eumdem juvenem in cœlum igne plurimo adtolli.* Ptolemæus, omine et miraculo excitus, Sacerdotibus Ægyptiorum, quibus mos talia intelligere, nocturnos visus aperit. Atque illis, Ponti et externorum parum gnaris, Timotheum, Atheniensem, e gente Eumolpidarum, quem, ut antistitem cærimoniarum, Eleusine exciverat, *quænam illa superstitio, quod Numen?* interrogat. Timotheus, quæsitis, qui in Pontum meassent, cognoscit, urbem illic Sinopen, nec procul templum, vetere inter adcolas fama, Jovis Ditis. Namque et muliebrem effigiem adsistere, quam plerique Proserpinam vocent. Sed Ptolemæus, ut sunt ingenia Regum, pronus ad formidinem, ubi securitas rediit, voluptatum quam religionum adpetens, negligere paullatim aliasque ad curas animum vertere: donec eadem species, terribilior jam et instantior, *exitium ipsi Regnoque* denuntiaret, *ni jussa patrarentur.* Tum legatos et dona Scydrothemidi,

Ex nomine Basil.] Exempla ominis ex re obvia accepti corrasit Lupanus.

Origo Dei etc.] Totum hunc locum si per partes illustrare libuisset, comparandis aliorum scriptorum locis, larga fuisset materies. Sed hoc nec institutum nostrum fert, nec valde utile putamus. Videant, qui volent, Plutarchum de Iside et Osiride, Gyraldum in Hist. Deor. Synt. 6. Voss. de Idol. 1, 29. etc. Ern.

Quibus mos est] Heinsius malebat *dos.* Sic Phædrus in prol. *Duplex libelli dos est*, ubi vid. P. Axenius. Cf. et Juretus ad Symm. ep. 1, 83. Prius Bud. *homine* pro *omine*, solemni more medii ævi, ut *hortus* pro *ortus.*

Antistitem cerimoniarum Eleusi exciverat] Tacitum scripsisse puto *Eleusine.* Vide quæ ad Senecas p. 343. Gron. Adjuvant MS. Flor. ed. pr. in quis *Eleusim.* Ern. Bud. quoque *Eleusim*, quod conjecturam Gron. firmat. Sic et Reg. Lall. qui bene recepit.

Quæsitis qui] Ed. Alciat. *quæsitus,* errore operarum. Edd. Puteol. Ber. Alc. *Synopem*, male. Prima et reliquæ *Sinopen.* Eadem mox corrupte *veteres inter a. f. J. ditissimum.* Ern. Bud. *Synopen.* Commode apud Vaillant NN. Col. t. 2. p. 42. numus Caracallæ Sinopensis Jovem Ditem exhibet in lectisternio cubantem, capite calatho ornato, d. aquilam, s. hastam. Mox Bud. *vetere i. a. f. J. ditis.*

Scydrothemidi] MS. Agr. *Ciarotemidi.* ed. pr. *Ciarotemadi* semper, MS. Guelf. Mox MSS. Flor. Guelf. Agr. edd. ante Rhen. *præcepitque*, quod recepit J. Gronovius. Sed *præcipit* verum, quia sequitur *adeant.* et sæpe sic turbatum in temporibus his vidimus. Post *Pythicum* MSS. Flor. (Bud.) Agr. at ed. pr. *Phiticum.* Ern. Bud. *Scydrothemidi.* Idem *precipitque,* quod recte

A. U. 824. A. C. 71. Regi, (is tunc Sinopensibus imperitabat) expediri jubet: præcipitque navigaturis, *ut Pythium Apollinem adeant*. Illis mare secundum: sors oraculi haud ambigua: *irent, simulacrumque patris sui reveherent, sororis relinquerent*. Ut Sinopen

84 venere, munera, preces, mandata Regis sui Scydrothemidi adlegant. Qui versus animi, modo Numen pavescere, modo minis adversantis populi terreri: sæpe donis promissisque legatorum flectebatur. Atque interim triennio exacto, Ptolemæus non studium, non preces, omittere. Dignitatem legatorum, numerum navium, auri pondus augebat. Tum minax facies Scydrothemidi offertur, *ne destinata Deo ultra moraretur*. Cunctantem varia pernicies morbique et manifesta cœlestium ira graviorque in dies fatigabat. Advocata concione, *jussa Numinis, suos Ptolemæique visus, ingruentia mala* exponit. Vulgus adversari Regem, invidere Ægypto, sibi metuere templumque circumsidere. Major hinc fama tradidit, *Deum ipsum adpulsas litori navis sponte conscendisse*. Mirum inde dictu, tertio die, tantum maris emensi, Alexandriam adpelluntur. Templum pro magnitudine urbis exstructum loco, cui nomen Rhacotis. fuerat illic sacellum, Serapidi atque Isidi antiquitus sacratum. Hæc de origine et advectu Dei celeberrima. Nec sum

Rhen. recepit. In aliis verbis Bud. peccat, habet *verteret, paterentur*.

Qui diversus animi] MSS. Fl. (Bud.) Agr. *versus*. male. In utramque partem animo distrahebatur, modo volens accipere conditiones, modo nolens. Infra MS. Agr. ed. pr. *a Deo*. Sed præpositio orta est ex ultima præcedentis verbi. In ed. pr. *moraretur* excidit. Ern. Bud. *Deo*. Bip. restituere *versus*. sequor. est autem mutatus s. mutabilis.

Adversari Regem] Recte Muretus *aversari* corrigit: nam renitendi atque obsistendi significatio locum hic non habet, ut visum Pichenæ. Vulgus audire Regis dicta nolebat, quod est *aversari*. V. ad H. 1, 1. Ed. pr. et MS. Agr. *reges*, quod placet Ryckio, ut ad Scydrothemidem et Ptolemæum pertineat. Male: ut e dictis patet. Invidebant porro Ægypto possessionem illius Dei sui, gloriamque ex Deo ad se translato; denique metuebant, ne sibi perniciosum foret, si Deum suum a se abduci sinerent. Ern. Bud. *Regem*. In voce *adversari* iterum ab Ernestio discedo. Probatæ Latinitatis verbum esse ex Plauto patet, qui paregmeno usus in Merc. 2, 3, 43. sic: *nolo advorsari tuam advorsus sententiam*.

Major hinc fama tr.] MS. Guelf. *majorum*. *Major fama* est mirabilior, ob rei miraculum majus fide. Mox ed. pr. *totum maris*. Ern. Bud. *major ... tantum*.

Rhacotis] Olim vicus, postea pars Alexandriæ, navalibus inminens. Strabo 17. p. 792. Serapeum Alexandrinum describit Amm. Marcell. 22, 16. Ejus meminit et Dionys. v. 255. ἔνθα Σινωπίταο Διὸς μεγάλοιο μέλαθρον.

Serapidi atque Isidi sacrum] Savilius tentat *Osiridi*: quia, tum demum advectus, Deus non ante sacellum habere potuerit. Atque etiam Bochartus Hieroz. 1, 3, 34. erroris arguit Tacitum, quem putat natum e male intellecto scriptore Græco, unde hæc hausta; verbo τετίμηται (quo et Clemens Alex. Protrept. p. 31. utitur hanc rem narrans) accepto, *cultus est*, cum sit *colitur*. Sed Serapidis cultus jam ante apud Ægyptios: nunc Serapis Sinopensis ejusque simulacrum inde advectum coli cœpit: ut diserte tradit Plutarch. de Isid. et Osirid. p. 362. εἰς Ἀλεξάνδρειαν κομισθεὶς τὸ παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Πλούτωνος ἐκτήσατο τὸν Σαράπιν. Ern.

Et advectu Dei] MS. Guelf. edd. ante Rhen. omnes *adventu*. An e MS. Bud. illa lectio sit, nescio. (Omnino sic est.) Alioqui verba hæc *veho* et *venio*

ignarus, esse quosdam, qui *Seleucia, urbe Syriæ, accitum, re-* A. U.
gnante Ptolemæo, quem tertia ætas tulit: alii *auctorem eun-* 824.
dem Ptolemæum, sedem, ex qua transierit, Memphim perhi- A. C.
bent, inclytam olim et veteris Ægypti columen. Deum 71.
ipsum multi *Æsculapium, quod medeatur ægris corporibus*;
quidam *Osirin, antiquissimum illis gentibus Numen*: plerique
Jovem, ut rerum omnium potentem; plurimi *Ditem patrem,*
insignibus, quæ in ipso manifesta, aut per ambages conje-
ctant. At Domitianus Mucianusque, antequam Alpibus 85
propinquarent, prosperos rerum in Treveris gestarum nun-
tios accepere. Præcipua victoriæ fides, Dux hostium Va-
lentinus, nequaquam abjecto animo, quos spiritus gessisset,
vultu ferebat. Auditus ideo tantum, ut nosceretur ingenium
ejus, damnatusque, inter ipsum supplicium, exprobranti
cuidam *patriam ejus captam, accipere se solatium mortis,* re-
spondit. Sed Mucianus, quod diu occultaverat, ut recens
exprompsit: *quoniam benignitate Deum fractæ vires hostium*
forent, parum decore Domitianum, confecto prope bello, alienæ
gloriæ interventurum. Si status Imperii aut salus Galliarum
in discrimine verteretur, debuisse Cæsarem in acie stare: Cani-
nefates Batavosque minoribus Ducibus delegandos. Ipse Lug-
duni vim fortunamque Principatus e proximo ostentaret, nec
parvis periculis inmixtus, et majoribus non defuturus. Intelli- 86
gebantur artes: sed pars obsequii in eo, ne deprehenderen-
tur. ita Lugdunum ventum. Unde creditur Domitianus
occultis ad Cerialem nuntiis fidem ejus tentavisse, *an præ-*
senti sibi exercitum Imperiumque traditurus foret. qua cogi-

et ducta hinc, passim in scriptis libris confunduntur. Sed tamen et *adventus* solenne verbum in hac re. Cic. Nat. D. 3, 23. *Apollo tertius Jove tertio natus, quem ex Hyperboreis Delphos ferunt advenisse.* Ovid. Fast. 4, 247. de Rhea: *unde petita venerit.* ibid. 1, 239. *at bona posteritas puppim servavit in ære, hospitis adventum testificata Dei.* Unde et tales Dii *advenæ* dicuntur. Noster in Germ. c. 2. *Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos.* Sed tamen idem c. 9. *advectam religionem* dixit. Quare si notatum reperissem, *adventum* esse in Florent. id restituissem: nunc suspicor *advectum* ibi esse. Itaque servavi. Ern. Brot. et Bip. iterum dedere *adventu.*

Ptolemæo] Est is, qui Evergeta cognomine dicitur. Mox copula *et vet.* e Flor. a Pichena addita, est etiam in Guelf. (et Bud.) edd. vett. Excidit temere in ed. Rhen. secunda, unde et a Lipsio neglecta. Ern.

Osirin, antiquiss.] Male in Ern. 2da legitur *aut antiquiss.*

Valentinus, nequaquam] Bip. *Valentinus. Is nequaquam.*

In discrimine verteretur] *In discrimine* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Agr. edd. pr. Rhen. seqq. ante Pichenam: unde restitui. Puto dictum pro *in discrimine versaretur*: non sic legendum, ut Broterius accepit. Jac. tamen Gronovius accipit, ut 2, 28. *Sin victoriæ sanitas etc. in Italia verteretur.* Edd. Puteol. Ber. Alc. Pich. seqq. *in discrimen.* Ern.

Qua cogitatione bellum] Spernimus ut spurcum, *cogitare cogitatione.* Rom. cod. *qua contagione.* ex quo vere emendo, *contatione.* Contari, velut conto explorare: et proprie noster hic usus. Lips. *Contagione cogitaverit* etiam MS. Agr. (et Reg. Lall.) quod præferendum putat vulgatæ e Flor. lectione Ryckius. Utinam dixisset, quis ille melior sensus

A. U. 824. A. C. 71. tatione bellum adversus patrem agitaverit, an opes viresque adversus fratrem, in incerto fuit. nam Cerialis salubri temperamento elusit, ut vana pueriliter cupientem. Domitianus, sperni a senioribus juventam suam cernens, modica quoque et usurpata antea munia Imperii omittebat: simplicitatis ac modestiæ imagine, in altitudinem conditus, studiumque litterarum et amorem carminum simulans, quo velaret animum et fratris æmulationi subduceretur, cujus disparem mitioremque naturam contra interpretabatur.

foret, qui ex hac lectione existeret. *Agitaverit*, quod e Flor. recepit Pichena, probo, idque verbum et alibi Tacitus in tali re usurpat. Sed tamen adhuc in *cogitatione* hæreo: nec *cunctatione*, aut Gruteri *rogitatione* satisfacit. Forte scripsit Tacitus: qua *solicitatione*. Nam *solicitari* dicuntur, quorum fides tentatur. Ern. Bud. *cogitatione—cogitaverit*. Rectius *agitaverit*. Sed *cogitatione* probum, ut A. 15, 54. Velleius 1, 10. ubi Lipsius quoque malebat *contatione*. Gruterus in nostro loco volebat *rogitatione*. Mox Bud. *virosque*.

Simplicitatis ac modestiæ] MS. Guelf. edd. Puteol. ceteræque ante Rhen. addunt *simul*. Ern. Illud *simul* nec est in Flor. nec in Bud. Servavit tamen Rhen. Paullo ante pro *senioribus* Barthius conjectat *sanioribus*, frustra. Dein Bud. *ante ea*. Sic et Agr.

In altitudinem] *In altitudine* MS. Agr. ed. pr. *In altitudinem conditus* interprétantur abdens et occultans cupiditates suas. *Altitudinem* sic dici docuimus ad A. 3, 44. sed *in altitudinem se condere* aliquid duri habet. Mihi Tacitus scripsisse videtur *in solitudinem conditus*, quod et lenius et contextui aptius est: præsertim cum faveat mirifice locus Quintiliani Inst. Or. 10, 1, 91. qui mox a Lipsio profertur, (secundum Lipsii correctionem, quæ probatur et Schelio ad Dial. de Or. c. 9. et recepta est a Gesnero) ubi *secessisse* dicitur juvenis Domitianus et in isto secessu carmina scripsisse. *secedere* planissime est *in solitudinem condi*. nam, qui secedunt, *abditi agris*, *domo* etc. sæpe dicuntur a Suetonio et aliis. Atque hoc ipsum est modestiæ, e stilo Taciti, abstinere se a publicis negotiis et, remotum a celebritate, vacare studiis literarum, aut alii rei, quæ nihil conjuncti habeat cum Republica. Ern. Bip. Lipsio tribuunt lectionem *in solitudinem*, quæ debetur Ernestio. Recte vero propugnant *altitudinem* eo sensu, quo supra A. 3, 44. *Solitudo* huc non facit, quoniam, qui ab Imperii curis secedit, ea propter non in solitudinem abit.

Amorem carminum simulans] Simulans tantum? ita. Suetonius 2. *simulavit* (Domitianus hic iste) *mire modestiam, in primisque poeticæ studium, tam inusitatum antea sibi, quam postea spretum et abjectum*. At scriptores ejus ævi campum hunc adulatorium egregie exercent, et vatem faciunt supra vates. Omitto poetas (more mentiri aliquid et extollere iis fas) ecce nostrum senem Fabium l. c. *Hos nominavimus, quia Germanicum Augustum* (cave alium ab isto intellegas) *ab institutis studiis deflexit cura terrarum; parumque Diis visum est, esse eum maximum poetarum. Quid tamen iisipsis operibus ejus, in quæ donatus Imperio juvenis successerat* (scribo, *secesserat*) *sublimius, doctius, omnibus denique numeris præstantius?* Ite, Homere et Virgili, erepta vobis a Paride hoc palma. Plinius etiam Præfatione ad Titum: *Quantus in poetica es? o magna fecunditas animi? quemadmodum fratrem quoque imitareris, excogitasti.* Hæc turpia, atque utinam tamen timeam, nequis hodie apud Principes sic peccet? Lips. Poetarum Silii, Val. Flacci, Martialis loca indicat Dodwell. Annal. Vellei. §. 14. Mox MS. (Bud.) Guelf. *subduceret*. Ern.

Contra interpretabatur] Scripti libri subtexunt, *neque vos impunitos patiantur*. Perperam, quia verba sunt ex oratione Cerialis supra repetita. Farnesianus adscribit *Deest hic aliquantulum*. cui fidem habeo. Lips. Verba *neque vos i. p.* sunt etiam in ed. pr. MS. Agr. *interpretabantur*. Ern. Bud. *interpretabatur*, subjunctis istis spuriis, quæ non sunt in Flor. hic ita: *Cornelii Taciti liber XX explicit. Incipit XXI.*

C. CORNELII TACITI
HISTORIARUM
LIBER QUINTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. *Interim Titus cum valido exercitu prope Hierosolyma castra facit.* 2—5. *Judaicæ gentis primordia, sacra, instituta, deque iis maligna profanorum judicia.* 6. 7. *Descriptio terræ finiumque, balsami, Libani, Jordanis, lacus bitumen egerentis, camporum torridorum, fructuum in cinerem vanescentium, Beli amnis, cujus arenæ vitro inservientes.* 8. *Hierosolyma genti caput. Inmensæ opulentiæ templum. Judæorum sub aliis gentibus et suis Regibus fata;* 9. *varia sors sub Romanis.* 10—12. *Bellum sub Gessio Floro Procuratore ortum. Titus Judæos, in urbem compulsos, obsidet. Hierosolymorum munitiones, copiæ, Duces.* 13. *Prodigia ante obsidium.*

14. *Interea Civilis, reparato per Germaniam exercitu, bellum renovat.* 15. *Manum conserit cum Ceriale, satis prospere. Uterque, ad maturandum summæ rei discrimen erectus,* 16. 17. *aciem instruit, suos adloquitur.* 18. *Fit atrox pugna, qua, proditione cujusdam Batavi, Germani vincuntur.* 19. 20. *Civilis, in Batavorum insulam transgressus, præsidia Romanorum invadit, Verace, Classico, Tutore suffultus.* 21. *Ambiguum prœlium. Subvenit Cerialis fortunamque vertit;* 22. *at parum providus ferme opprimitur.* 23. *Civilis navalem aciem ostentat, sed a Ceriale trans Rhenum pellitur. Hic, insulam Batavorum populatus, superfuso amne, novum discrimen adit.* 24. 25. *Tum hostium animos occultis nuntiis labefactat.* 26. *Civilis, petito colloquio, ad deditionem se pronum profitetur.*

EJUSDEM anni principio Cæsar Titus, perdomandæ Ju- 1
dææ delectus a patre, et prælatis utriusque rebus militia cla-

Perdom. Judææ delectus] Ed. pr. *delegatus*. Immo ei potius Judæa perdomanda delegata; qua phrasi sæpe Suetonius utitur. Ceterum sæpe tentatus sum corrigere *relictus*. Nam profecto verbum *delectus* non satis dignum Imperatoris filio aut aptum videtur. Consentit Sueton. Tit. 5. qui eum *ad perdomandam Judæam relictum* dicit: quod e nostro sumtum videtur. Et Tacitus c. 10. *simul manere apud exercitus Titum,—utilius videbatur*. Ern.

Privatis utriusque] Probam lectionem censeam et sententiam, absque libris sit: qui consensu omnes, *preliatis utriusque*. aut, *prelatis*. Ego, quamquam intentus, nihil elicio. Lips. *Prælatis* Flor. Agr. ed. pr. *Preliatis* Bud. *Præliantis* Guelf. ed. Put. Ber. Alc. *Privatis* est e correctione Rhenani, sumta ex H. 3, 65. *Fl. Sabinus—privatis utriusque rebus auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat*. Ern. Lectionem codicum vindicant Bip. leguntque *prælatis*.

A. U. 824. A. C. 71. rus, majore tum vi famaque agebat, certantibus provinciarum et exercituum studiis. Atque ipse, ut super fortunam crederetur, decorum se promptumque in armis ostendebat, comitate et adloquiis officia provocans: ac plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto Ducis honore. Tres eum in Judæa legiones, quinta et decima et quintadecima, vetus Vespasiani miles, excepere. Addidit e Syria duodecimam et adductos Alexandria duoetvicesimanos tertianosque. Comitabantur viginti sociæ cohortes, octo equitum alæ: simul Agrippa Sohemusque, Reges, et auxilia Regis Antiochi, validaque et, solito inter adcolas odio, infensa Judæis Arabum manus: multi, quos urbe atque Italia sua quemque spes acciverat occupandi Principem adhuc vacuum. His cum copiis fines hostium ingressus, composito agmine, cuncta explorans, paratusque decernere, haud procul Hie-

2 rosolymis castra facit. Sed, quia famosæ urbis supremum

cui simile c. 8. *præpotuere*. Suntque *prælatæ utriusque res* honores utrique delati, ut ap. Virgil. Æn. 5, 541. *Nec bonus Eurytion prælato invidit honori.* quem v. 534. dixerat *exsortem* i. e. extra ordinem delatum. Ut codicibus quoque sit prælatus honos, recipio emendationem, etsi non negem, conjecturam Rhenani multum mihi blandiri. Quod autem ante *clarus* inserendam particulam *jam* judicant Bip. mihi non necessarium videtur; intelligitur quippe ex nexu, et præcedenti voci subjuncta auribus ingrata fuerit.

Ut superior sui jam] Hic quoque me locus diu torsit, per singulos apices et ductus scripturæ veteris euntem. Sed exclamare tandem cum Philosopho possum εὕρηκα. Budensis habuit *superior unam crederetur*. Vatic. *superiori unam*. Ex quo, vix duabus litteris leviter mutantibus, facio: *ipse ut super fortunam*, eleganti sententia. Titus, inquit, jam tum privatus clarus bello: nunc multo promptior, ut parem vel superiorem se potius fortuna hac Imperatoria ostenderet. Rhenanus divinabat: *ut superiori via ingrederetur*. Farnes. autem cod. et Rom. abeunt ab hoc scripto longius, *ut superior omnibus crederetur*. Lips. Lipsii correctionem recepit Pichena, servaruntque sequentes edd. Vaticano MS. consentit Flor. Farnesiano MS. Agric. (et Reg. Lall.) eamque lectionem præfert Ryckius, quæ mihi nimis languida videtur. MSS. Guelf. Oxon. *ut imperio dignus jam crederetur*. Mihi et hoc et alterum, Ryckio probatum, conatus corrigentium corruptum locum videtur, sed hoc tamen Ryckiano melius. Lipsii correctio an vera sit, non pro certo dicam, præsertim cum a multis impugnari videam: dignam quidem Tacito esse credo. Nec spernam Trilleri conjecturam Obs. p. 312. e vestigiis cod. Bud. legentis *superior animo*. Licet etiam nobis conjectare? Forte fuit, *ut suæ par fortunæ cr.* quæ certe sententia huic loco est aptissima. Ern. Vulgata lectio jure suo non displicet Pichenæ, Salinerio, Acidalio, Grutero; sed emendatio Lipsii optimis codicibus magis convenit, nec patet, unde vulgata sit ducta.

Tres eum] *Eum* MS. Guelf. et inde a Rhen. omnes edd. At MS. Bud. *cum:* edd. Put. Ber. Alc. *tum:* ed. pr. *tres in Jud.* Ern. Rhen. emendavit ex ingenio.

Addidit e Syria etc.] Sic edidi ex ed. pr. quæ est vera lectio. Sic est et in MS. Reg. Præpositio *e* est in edd. omnibus ante Rhen. Ea in MS. Guelf. mutata est in *ei*, ut a Rhen. in *et*, ut sensus constaret. Sed *tradidit* vitiosum esse patet ex eo, quod id verbum plane alienum est a sequentibus *adductos Alexandria d. t.* cum hæc contra aptissima sint verbo *addidit*. Ern. Bud. ut vulg. *tradidit e Syria.*

Principem adhuc vacuum] Forma dicendi a provinciis ducta est, quæ vacuæ dicuntur, cum non habent rectorem. Ita *Princeps vacuus* est, cujus animus nondum inclinat in aliquem, cui in primis credat se, quem in primis audiat etc. a quo genere Principes plerumque reguntur. Est ergo bellissime expressa sententia. Ern.

diem tradituri sumus, congruens videtur, primordia ejus aperire. *Judæos, Creta insula profugos, novissima Libyæ insedisse*, memorant, *qua tempestate Saturnus, vi Jovis pulsus, cesserit regnis*: (argumentum e nomine petitur: *inclytum in Creta Idam montem, accolas Idæos; aucto in barbarum cognomento, Judæos vocitari*:) quidam, *regnante Iside, exundantem per Ægyptum multitudinem, ducibus Hierosolymo ac Juda, proximas in terras exoneratam*: plerique, *Æthiopum prolem, quos Rege Cepheo metus atque odium mutare sedes perpulerit*. Sunt, qui tradant, *Assyrios convenas, indigum agrorum populum, parte Ægypti potitos, mox proprias urbes Hebræasque terras et propiora Syriæ coluisse rura*. Alii, *Judæorum initia, Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditam ur-* A. U. 824. A. C. 71.

Primordia ejus aperire] Si, quæ de rebus Judaicis tradit Tacitus, omnia excutere diligentius vellemus, plurima dicenda forent. Sed istas disputationes non capiunt notæ, in quibus maxime spectatur, ut emendata verba sint, et intelligatur sensus eorum. Adspergemus tamen subinde aliquid, ubi opus videbitur. Illud ab initio mirari libet, qui commiserit Tacitus, ut Josephi libros non consuleret, qui illis temporibus non obscuri erant Romæ, et e scriptoribus externis potius hauserit, quam auctore Judaico. Verum hoc quoque pro Tacito dicam, non omnia eum pro certis tradere, sed quæ vulgo traderentur, in compendium congesta lectoribus proponere voluisse. Late totum hunc locum exsecutus est Christ. Wormius, in Corruptis Antiquitatum Ebr. apud Tacitum et Martial. vestigiis. Hafniæ 1693. Ern. Egregie etiam ista illustravit Broterius.

Accolas Idæos — Judæos vocitari] Unde hæc traditio de Creta, Judæorum patria, docet Huet. Dem. Evang. Prop. 4, 9. p. 194. putatque, exoticos scriptores *Idæos Cretenses* cum *Judæis* confudisse. Negat hoc Fr. Ad. Lampe de cymb. vet. 2, 9 et 12. At ipse tamen firmat, dum Tacitum, similitudine nominis deceptum, *Judæos ex Creta provectos* adfirmare, tradit, quum *Idæos* deberet.

Aucto in barbarum cognomento] *Morem* addunt MS. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. male. *Barbarorum* est in MS. Agr. ed. pr. Vulgatum tuentur MSS. Flor. Bud. unde edidit Rhenanus, et Tacitus ipse A. 6, 42. *neque in barbarum corrupta*. Additur *quasi Idæos* in MS. Guelf. edd. Put. Ber. ceterisque ante Pich. (Bud. *quasi Ydeos*) post *vocitari* male. Ceterum magis de Græca quam Latina pronunciatione intelligenda sunt Taciti verba. Nam in Græca e trisyllabo fit quadrisyllabum: augeri autem verba dicuntur ab accessione novarum syllabarum. quamquam et accessio literæ *u* intelligi potest. Ern. Pichena delevit, quia non in Flor.

Sunt, qui tradant] *Tradunt* MS. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. *tradant* verum est. (Dedit Rhen. e Bud.) semper Tacitus conjunctivo in hac forma utitur. Sed sæpe sic peccarunt librarii, ut non uno loco ad Livium notavit Drakenb. Nec mirum: cum etiam hodie vulgo hanc elegantiam ignorent, fugiantque in scribendo. Post ed. pr. *indignum* (Bud. *indigum*.) Deinde *ac* ante *mox* delevi, cum Ryckio et J. Gron. quod addiderat de conjectura Rhen. quia in Bud. erat *an mox*. Abest *ac* a MSS. Flor. Guelf. Oxon. Agr. edd. ante Rhen. Ceterum hic in bonum auctorem incidit Tacitus, et hæc verissima traditio. Nam e Mesopotamia gentis origo, quæ est veteris regni Assyriaci pars. Ern. Bud. *partem Egypti potitos*.

Coluisse. Clara] Verum hic, puto, vidisse Bip. qui τῷ *clara* substituunt *rura* et eo, quo expressi, modo distinguunt. Bud. male *propriora*.

Carminibus Homeri] Locus Homeri notus (ex Il. ζ. 184. 204. Od. ε. 283.) sententia tantum valde ambigua inter natantes scholiastas. Sunt, qui designari Lycios aut finitimos quosdam velint: quo Strabo 14. p. 667. et Eustathius ad Il. ζ. 184. et Pindari interpres ad Ol. 13, 129. inclinant. sunt qui Pisidas: quo Plinius, 5, 27 (24). et Stephanus. sunt, qui Judæos: quod noster hic suggerit, et Tzetzes Chil. 7, 149. Eusebius etiam Pr. Ev. 9. p. 243. Chærili Poetæ testimonio, Hebræos So-

A. U. 824. A. C. 71. *bem Hierosolyma nomine suo fecisse.* Plurimi auctores consentiunt, *orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Regem Bocchorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem,* pur-
3 gare Regnum et id genus hominum, ut invisum Deis, alias in terras avehere *jussum. Sic conquisitum conlectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit, ceteris per lacrimas torpentibus, Mosen, unum exsulum, monuisse,* ne quam Deorum hominumve opem exspectarent, utrinque deserti, sed sibi,

lymos olim dictos censet evinci. Nec Q. Calaber sane aliter apud Homerum accepit ideoque 2, 120.—Σολύμων ἱερὸν στρατὸν dixit: sacri epitheto sacram indicans gentem. LIPS.

Conditæ urbi Hierosolymam nomen e suo fecisse] Sic edidit Rhen. e vestigiis MS. Bud. in quo *conditæ urbi ierosolimam nomine suo fecisse*, ut in Guelf. Ceteri MSS. et edd. ante Rhen. *conditam urbem.* Rhenani correctionem adjuvat species imitationis Virgilianæ G. 1, 137. *stellis numeros et nomina fecit:* quamquam et Livius aliique hac forma utuntur: cum contra vix doceri possit, *urbem facere* bene dici. Ceterum omnes libri consentiunt in *Hierosolymam*, pro quo facile concedo Oudendorpio legendum *Hierosolyma*, quo genere et alibi noster utitur. (Cf. 2, 4. 5, 1, 9. 10. 11.). Vid. ipsum ad Sueton. Aug. 93. et quæ nos diximus ad Ann. 6, 33. de *Artaxatis*. Rursus tamen *Hierosolymam* in quibusdam libris infra c. 10. ERN.

Orta per Æg. tabe] *Vitiliginem* appellat Justinus 36, 2. uti optime restituit optimus et doctissimus Bongarsius. LIPS. Hæc nota ab Ernestio erat prætermissa.

Regem Occhorim] Ita libri vett. quos sum secutus, non *Bocchorim.* etsi vulgatæ huic scripturæ adsertor Justinus venit Λόγῳ παραινετικῷ c. 9. Nam ait: Τέταρτον δέ φασι νομοθέτην γεγενῆσθαι Βόκχοριν τὸν βασιλέα, σοφόν τινα καὶ πανουργίᾳ διαφέροντα. Etiam Orosius 1, 10. qui, locum hunc totum transscribens, Bocchorim tamen appellat. Sed et Plutarchus ita nominat, libello περὶ δυσωπίας p. 529. Itaque jure vacillo. Nam Clemens Strom. 1. p. 320. nimis diversus a nobis abit, qui Omosim hunc vel Amasim appellat. At quod ad rem ipsam, falsa est, et refellunt libri sacri. Tamen sumsit hæc a Lysimacho, uti videre potes apud Josephum contra Apionem 1, 34. ubi item scriptum *Bocchoris*. LIPS. *Ochorim* MS. Agr. ed. pr. ut *Bocchorim* Flor. Guelf. edd. Puteol. ceteræque ante Lipsium, qui *Occhorim* recepit: *Bocchorim* restituit Pichena. Ceterum hic Rex omnium consensu diu post bellum Trojanum demum imperavit. V. Perizon. Origg. Ægypt. c. 19. p. m. 333. ERN. Bud. *Bocchorum.*

Avehere jussum] MS. Guelf. a m. pr. sic habuit, sed correctum est in *abire.* ed. pr. *abjicere.* Ante edd. Put. Ber. Alc. *et invisum;* male. ERN. Rhen. *ut* e Bud.

Postquam vastis locis] Mirum, non addere eum, quibus in locis. At sane ex Tertulliano legendum videatur, *vastis Arabiæ locis.* Is enim Apolog. c. 16. narrat Tacitum scripsisse H. 5. *Judæos Ægypto expeditos sive extorres in vastis Arabiæ locis aquarum egenos,* etc. Orosio tamen l. c. non aliter lectum, quam nostri libri præferunt. LIPS. Memoriter protulit locum Tertullianus et addidit Arabiæ nomen de suo. Mox *exsulem* ed. pr. *movisse* pro *monuisse* Orosii ed. Venet. 1500. in eademque mox *Deorum templorumque hominumve,* ut in Paris. 1510. ERN. In Colon. 1526. non est *templorumque.* Eadem habet *monuisse.* Sic et heic Bud. et *exulum.* Idem *Moysen.*

Ceteris per lacrimas torp.] Non placet satis, *per lacr. torpere.* non solent homines, cum stupent, flere: immo stupore excusso, cum ad se rediere, solent lacrimare. Sed mollius explicari potest: *Per lacrimas* est *inter lacrimas*, et *torpere*, nullum consilium vincendi mali reperire, quomodo non uno loco dictum reperimus. ERN.

Utrinque deserti] Sic MSS. Flor. Agr. (Reg. Lall.) ed. pr. quod bene recepere Ryckius et J. Gron. Ceteri *ab utrisque,* quæ est glossa τοῦ *utrinque,* quod de personis exquisitius dicitur. Ceterum hæc verba in MSS. omnibus Orosii ab Havercampo inspectis abfuere, ut et edd. pr. August. Paris. in cujus notula monitum: in nostris vetustis verba *ab utrisque deserti* non leguntur. ERN. Bud. *utrisque* sine præpos. quæ et in Flor. deest.

Sed sibimet etc.] Tentabam: *se sibimet, et, ut Duci cœlesti, crederent primo,*

ut Duci cælesti, crederent, primo cujus auxilio præsentes miserias pepulissent. Adsensere atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æque, quam inopia aquæ fatigabat. Jamque haud procul exitio, totis campis procubuerant: cum grex asinorum agrestium, e pastu in rupem, nemore opacam, concessit. Secutus Moses, conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperit. Id levamen: et

A. U. 824. A. C. 71.

cujus auxilio præsentes. Ante omnia, inquit, sibimet ipsi quisque Hebræorum; deinde fortunæ, sive *primo* cuique obvio, per quem utcumque juvarentur, non secus ac misso de cœlo Duci, sese crederent ac permitterent. GRON. Unus Gronovius vidit, ut ex ejus correctione patet, *sibimet* non ad Mosen, sed ad Judæos referri debere. Si ad Mosen pertineret pronomen, deberet esse *sibi*. Nam *sibimet* est *sibi ipse*, in sing. *sibi ipsi* in plurali, cujus rei inscitia et alibi turbas dedit et tenebras obfudit. Ceterum correctio viri excellentis propter inusitatum loquendi modum *se sibi credere* non magis satisfacit, quam Schellii, qui ad Hygin. p. 137. corrigit *adessent sibimet: ut duci cœlesti crederent, primo* etc. Nam durum est e *sed* facere *adessent*, et *sibimet* ita ad Mosen refertur, quod Latinitas non patitur. In hoc tamen verum vidit Gronovius, quod induci Mosen suadentem judicat, ut primum a semet ipsi auxilium peterent ac sperarent, et a fortuna sua, h. e. ut post explicatur, fortuitum iter ingrederentur pergerentque, qua impetus, quo pedes ferrent, etsi omnium rerum locorumque ignari: deinde, si cujus præsens auxilium cognovissent, ei se crederent: cui respondent ea, quæ mox de aqua inventa traduntur. Sed ad hanc sententiam quomodo accommodanda sint verba, difficile est dicere. An partem Gronovianæ correctionis probabimus: *sed sibimet, et ut duci cœlesti crederent, primo c.* an sic faciemus: *sed sibimet, ut d. c. crederent, et primo cujus a.* sive, ut Groslotio placebat, *cujus primo aux.* Nihil enim impedit, quo minus jubeat populum se suamque fortunam pro cœlesti Duce habere, qui nihil opis cœlestis expectandum dixerat, humanam opem autem ab eo, qui eos primus ab hac difficultate liberasset, primus opem tulisset. Forte etiam verba *ut duci cœlesti* sunt a glossa, male referentis *sibimet* ad Mosen: nam, his sublatis, et interposito *et*, eo, quo dixi, loco, omnia bene procedunt. De reliqua parte loci v. not. seq. Ceterum MS. Flor. habet *et sibimet duce cœlesti cr.* ut et ed. pr. (et Orosii ed. August.) quæ interpungunt post *primo*. Agr. *ut sibimet duci cœlesti cr.* sed m. sec. superscripsit *et*. Ceteri libri mei vulgatum habent. Orosii edd. pr. Venet. Paris. *sed sibimet duci cœlesti cr.* Havercampus putat, *credentes* in Tacito delendum (quod nec in Orosio edidit) et *porro* pro *primo sibimet* (Mosi) *crederent porro, cujus aux. recentes m. p.* i. e. Ægyptiacas. Sed *sibimet*, ut dixi, ad Mosen referri non potest. ERN. Quæ hic de Havercampo monentur, non ita se habent. Is τὸ *credentes* non delevit, sed falso positum ex duplici scriptura τοῦ *præsentes* ortum adserit. In Bud. *et duci* erasis superscriptum.

Cujus auxilio credentes etc.] Citat etiam ita Orosius. ambigo tamen et contor, an non vox, *credentes*, ejicienda sit. Et jam video abesse in Othonis Fris. 1, 18. ubi hæc citat. LIPS. Ab ipso Orosii loco abfuisse reperio in MS. ap. Petr. Danielem. Nec est in aliis Orosii MSS. edd. pr. Venet. Paris. August. recteque omissum ab Havercampio. ERN. De Havercampo vide mox monita. Multiplex medicina ægroto adhibita. Freinsh. volebat *cujus consilio*. Is. Pontanus legit *privo cujus auxilio*, et *credentes* expungit. Salinerius *pepulissent* futuri significatione accipit, ut ap. Virg. Æn. 2, 136. Lampugnanus in cod. suo *pertulissent* se reperisse fingit, vidente Lipsio. Bipontini locum ita concinnant: *sed sibimet quærentes, ut Duci cœlesti, crederent primo, cujus auxilio præsentes mis. pep.* Putant quippe, istud *quærentes*, a librario omissum, alieno dein loco intrusum, in *credentes* esse mutatum. Mihi turbas dedisse enclitica pronominis *sibi* videtur, qua resecta expulsoque spurio *credentes* omnia plana, sana. *Sibi* profecto nonnisi ad *Mosen* referri potest. *Præsentes miserias* intelligo, quibus mox fuerant pressi.

Grex asinorum agrestium] Ed. pr. corrupte *assiriorum agrestum* et mox *conscendit*. ERN.

Id levamen] MS. Guelf. *idem levamen*. male. Ceterum post hæc verba interpunctio major esse debet, ut in edd. Put.

A. U. continuum sex dierum iter emensi, septimo, pulsis cultori-
824. bus, obtinuere terras, in quis urbs et templum dicata.
A. C. Moses, quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus
71. 4 contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos sacra: rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta. Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere: cæso ariete, velut in contumeliam Hammonis. Bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apin colunt. Sue abstinent, memoria cladis, qua ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem crebris adhuc jejuniis fatentur: et raptarum frugum argumentum panis Judaicus, nullo fermento, retinet. *Septimo die otium placuisse*, ferunt: *quia is finem laborum tulerit: dein, blandiente inertia, septimum quoque annum ignaviæ datum.* Alii, *honorem eum Saturno haberi: seu principia religionis tradentibus Idæis, quos cum Saturno pulsos et conditores gentis accepimus, seu quod e septem*

Ber. aliisque vett. non comma, ut in recentioribus, intelligendumque *fuit*, quod alibi in hac forma narrandi addit. Incipit enim deinde nova sententia. Mox *in quis* MS. Flor. ed. pr. Eadem post *dedicata sunt*. Sed *sunt* abest a MSS. Flor. et Agr. quod elegantius est. Itaque delevi. Ern. Bud. *in quibus—dicata sunt.* Prius male, *continuere.*

Ritus—indidit] Imposuit, præscripsit. Sic et alibi de legibus loquitur. Mox frustra Acidalius pro *illic* volebat *illis.* Nam *illic* pro *apud illos* dixit variandæ orationis caussa. Sic paullo ante *utrinque* pro *ab utrisque*, et infra c. 5. *illuc* pro *ad illos.* Ern.

Effigiem animalis] Hoc de capite asini magno consensu omnes veteres tradiderunt: ne tantopere noster culpetur, tamquam *mendaciorum plenissimus* scriptor. Et sane Strabo, Plutarchus, Democritus apud Suidam multo majora deliria delirarunt contra gentem et libros sacros. Lips. Quid locum fabulæ dederit, quæsivere Steph. Morinus peculiari disputatione (in ejus Diss. octo 8. Gen. 1683. p. 157.). Bochartus Hierozoic. 1, 2, 18. T. Faber Epp. 1, 6. et alii. In nonnullis edd. recentioribus, ut Gronoviorum, irrepsit *effigies.* Ern.

Errorem sitimque] *Errorem* suspectum est viris doctis, Acidalio et aliis, quia asinis indicibus sitim depulere, non errorem. Trillerum verbum id tentantem refellit Elsner. Sched. Crit. p. 80. Nempe, inventa in desertis locis aqua, cum, paucis diebus post domini terræ cultæ facti sint, nihil impedit, quo minus ducibus asinis et ab errore et ab siti liberati dicantur. Ern. Est, qui *ægrorem* velit, teste Acidalio.

Cæso ariete etc.] De his commentitiis rituum caussis disputavere Bochartus opere laudato 1, 2, 50. et alii. Illud universe monendum videtur, hoc exemplo patere, quas ineptias proferant, qui rituum aliarumque talium rerum, arbitrio sive Divino sive humano sancitarum, caussas ingenio reperire conantur potius, quam e monumentis genuinis et idoneis eruere. Ea ubi desunt, nihil tentandum, si delirare nolis. Atque id Tacitus ipse videtur intellexisse, cum addat: *hi ritus quoquo modo inducti*, et tantum partes egisse narrantis, quid scriptores tradiderint vulgo. Ern. Illud de *ariete* spectat ad id, quod frequens pro peccatis populi immolatus.

Qua ipsos scabies] *Qua* MS. Flor. (Bud.) edd. veteres, præter primam, omnes ante Lipsium, quas vidi. MS. Guelf. a pr. manu habuit *quam*, unde sec. fecit *quod*, ut est in ed. pr. Caussa est in verbis *memoria cladis:* ea clades qualis fuerit, deinde explicatur, quod desiderat *qua.* Itaque restituimus. Clades autem non intelligenda de expulsione ex Ægypto, sed de morbo. Ern. Bip. malunt *quia.*

Tradentibus Idæis] MS. Guelf. (Bud.) edd. omnes ante Lipsium. *Judæis:* male. mox MS. Guelf. edd. ante Rhen. *de septem sid.* Ern. Rhen. *e* ex ingenio, nam Bud. *de.* Ceterum cognito nunc aucto Planetarum numero somnia multa, istis fulta, evanuere.

sideribus, quis mortales reguntur, altissimo orbe et præcipua potentia, stella Saturni feratur: ac pleraque cœlestium vim suam et cursum septimos per numeros conficiant. Hi ritus, quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur. cetera instituta sinistra fœda pravitate valuere. Nam pessimus quisque, spretis religionibus patriis, tributa et stipes illuc gerebant: unde auctæ Judæorum res. Et, quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promtu, sed adversus omnes alios hostile odium, separati epulis, discreti cubilibus, projectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent; inter se nihil inlicitum; circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur. Transgressi in morem eorum idem usurpant. nec quidquam prius inbuuntur, quam contemnere Deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres, vilia habere. Augendæ tamen multitudini consulitur. Nam et necare quemquam ex adgnatis, nefas: ani-

A. U. 824.
A. C. 71.

Per numeros conficiant] Vera lectio, quam e Vaticano promisi referente: *per numeros coniciant.* ex quo ego *conficiant.* Aliter vulgati. De re autem ipsa Dionem vide 37, 16. et in primis Alex. Clementem Strom. 6, 16. p. 290. Lips. *Coniciant* etiam ed. pr. MS. Agr. *conjiciant.* At MS. Flor. (et Bud.) *commearent* MS. Guelf. edd. ceteræ ante Rhen. *ac plerisque cœlestium vim suam et cursum—commeare.* Rhenanus ceterique ante Lipsium dedere: *ac pleraque c. vi sua et cursu commeare.* Mox MS. Guelf. *his quoquo m.* Ern. Bud. *pleraque.* Bip. conjectant locum ita effingendum: *ac plerisque cœl. vim suam recursu septimos per numeros commeare.*

Stipes illuc congerebant] Cicero pro Flacco 28. *Cum aurum, Judæorum nomine, quotannis ex Italia et ex omnibus provinciis Hierosolymam exportari soleret, Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret.* Philo de Legatione ad Caium p. 1023. Καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἱεροπομποὶ στέλλονται χρυσὸν καὶ ἄργυρον πλεῖστον κομίζοντες εἰς τὸ ἱερὸν, τὸν ἀθροισθέντα ἐκ τῶν ἀπαρχῶν. Et p. 1014. Ἠπίστατο (Τιβέριος) καὶ χρήματα συναγαγόντας ἀπὸ τῶν ἀπαρχῶν ἱερὰ, καὶ πέμποντας εἰς Ἱεροσόλυμα διὰ τῶν τὰς θυσίας ἀναξόντων. Sed et Josephus notat, *immensam vim auri congestam in templum ab omni Asia et Europa:* Antiq. 14, 12 (7). Nos plura in *Magnitudine Hebræa.* Lips. Copiosius hæc tractantem v. Gothofr. ad cod. Theod. l. 14. de Jud. et Zornium de Patr. Jud. auro Cor. Ceterum *pessimus quisque* intelligendi de proselytis. Pro *congerebant*, MS. Guelf. *congregabant.* MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. *gerebant.* Forte fuit *ferebant.* Ern.

Et, quia apud ipsos etc.] Non satis apte cohærere orationem in promtu est. Quosdam e suis libris habere ait Acidalius *atque ut—sic adversus* etc. Sed, qui sint isti libri, scire pervelim. Mei omnes vulgatum habent. Videtur autem nunc sententia hæc cum antecedente conjungenda, ut altera causa potentiæ: quod adversus suos populares quidem (i. e. *apud suos*) fidem constantissime servant, et misericordes sunt etc. Ern. Recte, puto, priscam Puteolani interpunctionem restituere Bip. etiamsi novam esse arbitrentur. Ego quoque reddidi. Sic et Dotteville.

Alienarum concubitu] i. e. *alienigenarum*, quod frustra reponere tentabat N. Heinsius, cum hodie lexica doceant, *alienos* dici etiam externos, peregrinos, ut *alieni mores, alienus orbis* etc. Ern. Bud. *alienarum cubitu.*

Exuere patriam] Rom. cod. *exire.* Lips. *Exuere* verum est, diciturque pro contemnere, negligere, more Græco. Ern.

Necare quemquam ex agnatis] Qui otiose legerit, nihil offendet: fortasse is, qui intente. Si enim de cæde capis tantum, quid in eo novi? Sane et Romanis et barbaris plerisque necare consanguineos nefas. Sed alium ego hic sensum odoror et scribo: *necare quemquam ex gnatis.* Scimus Græcis Latinisque in promiscuo usu fuisse abjectiones infantum et expositiones, immo neces. Id aliter in Judæorum moribus, et gentem in primis suboli studuisse, adeo ut nul-

A. U. 824. A. C. 71. masque prœlio aut suppliciis peremptorum æternas putant. Hinc generandi amor et moriendi contemptus. Corpora condere, quam cremare, e more Ægyptio: eademque cura, et de infernis persuasio. cœlestium contra. Ægyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur; Judæi mente sola unumque Numen intelligunt. *Profanos, qui Deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant: summum illud et æternum, neque mutabile, neque interiturum.* Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis, sinunt. Non Regibus hæc adulatio, non Cæsaribus honor. Sed, quia Sacerdotes eorum tibia tympanisque concinebant,

iiusmodi partum necare fas; notat ut novum noster. Itaque, quia de liberis, jure addit *hinc generandi amor:* quoniam matres scilicet certæ, prolem tollendam. Simile prorsus, quod de Germanis De moribus 19. *numerum liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare, nefas habetur.* Nam et ibi scribo, *gnatis.* Lips. Defendunt vulgatum Salinerius et Acidalius, sed ita ut *adgnatos* pro *natis* dictos contendant. Immo *adgnati* sunt gentis suæ homines, quos omnes pro fratribus habebant et pro suis. Et hinc securitas et cupido generantium, quod sciebant, sacrosanctam esse vitam in populo suo: et, si tamen vi aliqua perirent, aliam vitam restare. Mox *animos æternos* MS. Agr. ed. pr. quod non spernendum puto. Ern. Nimium argute Petitus Obs. 2, 4. *ex a. d. natis.* i. e. ex ante diem natis.

Corpora condere] Trillerus emendat *condire.* frustra, ut docet Elsnerus in Schediasm. Crit. p. 81. Mos condiendi latet in verbis *eademque cura.* Et, cum de moribus sepeliendi sermo est, cremationi opponitur mos *condendi*, non *condiendi.* Ern.

Eademque cura etc.] Varie hic locus legitur in libris. MS. Agr. *eademque cura de infernis, et persuasio cœlestium contra:* quod miror placuisse Ryckio. MS. Guelf. *eademque c. et d. i. et p. cœlestium. Contra* etc. atque sic edd. Put. Ber. Alc. Sed ed. pr. habet vulgatum, nisi quod male interpungit post *cœlestium:* atque sic edidit (duce Bud.) Rhen. correcta insuper interpunctione. Flor. videtur vulgatum habere, quod nihil varietatis notatum est neque a Pich. neque a J. Gron. *Eadem cura* intelligenda de ratione condiendi. similiter Curtius *curare* de pollinctura dixit 10, 10. de Alexandri mortui cadavere: *Ægyptii jussi corpus suo more curare.* Persuasio Ægyptiorum de infernis qualis fuerit, docet Diodorus Sic. 2, 93. p. 58. Per *cœlestia* intelligit Deos: quos diversos Ægyptii habebant, neque ita, ut Judæi, de Numine Divino sentiebant. Ern. *Eadem cura;* cum grano salis accipe. Condiebant Ægyptii cadavera intrinsecus; extrinsecus Judæi. Cf. Casaub. ad Lact. 7, 12. Huetius quoque malebat *condire*, improbante Broterio. Bud. *amore Ægyptio.*

Judæi mente sola, unumque Numen intelligunt] Bene et vere hæc Tacitus. Ideoque nec statuæ Judæis, et ipsum templum sub dio et apertum. Dico, majus illud et exterius templum: nam *interius clausum*, ut mox dicet. Dio 37, 17. Οὐδ' ἄγαλμα οὐδὲν ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἔσχον· ἄῤῥητον δὲ δὴ καὶ ἀειδῆ Θεὸν νομίζοντες εἶναι, περισσότατα ἀνθρώπων θρησκεύουσι καὶ αὐτῷ νεών τε μέγιστον καὶ περικαλλέστατον, πλὴν καθ' ὅσον ἀχανής τε καὶ ἀνώροφος ἦν, ἐξεποίησαν Sunt hæc verissima, pro Judæorum sano sensu. sed quem illi depravarunt, et, quia sub cœlo et in illud adspicientes precabantur, rati sunt, cœlum ipsum ab iis adorari. Juvenalis 14, 97. *Nil præter nubes et cœli lumen adorant.* Alius Satyricus (Petron. in fragm. p. 683.) *Et cœli summas advocat auriculas.* quasi putarent, cælum aures habere, idque invocarent. Lips. Eadem de Germanis tradit in Germ. c. 9. Ern.

Nulla simulacra urbibus suis] Ego quoque, ut Acidalius, relinquo *suis.* sed ut commode accipere possim, scribo: *Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sinunt.* Nam quicquid congerant hujusmodi, vulgata σολοικίζει. Gron. Ern. Recepere Brot. Lall. Bip. Dottev. Ceterum nulla simulacra, scil. Numinis; nam e præced. *effigiem asini penetrali sacratam* retulit. Cf. c. 9. ubi et de Regibus.

hedera vinciebantur, vitisque aurea templo reperta, *Liberum* A. U.
Patrem coli, domitorem Orientis, quidam arbitrati sunt, nequa- 824.
quam congruentibus institutis. quippe Liber festos lætosque A. C. 71.
ritus posuit; Judæorum mos absurdus sordidusque. Terra 6
finesque, qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur; a meridie Ægyptus objacet; ab occasu Phœnices et mare; septentrionem a latere Syriæ longe prospectant. Corpora hominum salubria et ferentia laborum. rari imbres, uber solum. fruges nostrum ad morem: præterque eas balsamum et palmæ. Palmetis proceritas et decor. Balsamum modica arbor: ut quisque ramus intumuit, si vim ferri adhibeas, pavent venæ; fragmine lapidis aut testa aperiuntur: humor in usu medentium est. Præcipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus. Idem amnem Jordanem alit funditque. Nec Jordanes pelago accipitur: sed unum atque alterum lacum integer perfluit, tertio retinetur. Lacus inmenso

Vitisque aurea] Jos. B. Jud. 5, 5. *vites aureas* in templo fuisse refert, unde botri statura humana, βότρυες ἀνδρομήκεις, dependerent. Et Ant. 15, 11. narrat, in fronte supra fores templi expansam fuisse *vitem auream* cum racemis, ex illa sublime dependentibus, qui magnitudine et arte stuporem incuterent adspicientibus. Cf. Duker ad Flor. 3, 5, 30. De Bacchi cultu Hebræis recepto v. Plut. Sympos. 4. p. 671.

A latere Syriæ] MS. Guelf. edd. ante Rhen. *e lat. S.* Ern. Rhen. e Bud. emendavit. Sic et Flor.

Exuberant fruges] Mihi vero vox ea ipsa exuberare videtur. legamque, *uber solum: fruges nostrum ad morem.* Lips. Ern. Bud. *exuperant.* Sed a Flor. et Agr. abest id verbum. Rejiciendum etiam Brot. autumat. Deleo cum Bip.

Balsamum] Propriam eam arborem Judææ esse, plerique tradiderunt, nec alibi gigni. Justinus 36, 3. *Opes genti ex vectigalibus opobalsami crevere, quod in his tantum regionibus gignitur.* Atque ita sane tunc fuerit. Postea, non dubium, stirpem eam in Ægyptum transisse, atque illic crevisse. Claudianus in Epithal. Palladii 121. *Gemmatis alii per totum Balsama tectum Effudere cadis, duro quæ sancius ungue Niliacus pingui desudat vulnere cortex.* Perseverare etiam illic nostro ævo, qui peregrinati sunt, affirmant. Lips.

Adhibeas, pavent venæ] Sic interpungenda ista: et in *pavendi* verbo, elegans metaphora. Plinius de eadem arbore 12, 25 (54). *Inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis: ferro lædi vitalia odit.* Josephus, qui indigena, ὀξεῖ λίθῳ aut ὀξέσι λίθοις incidi, adserit Ant. 14, 4. Falsus ergo cum Theophrasto 9, 6. Dioscorides, qui ferreis unguibus secari arborem credidit 1, 18. falsus compilator Isidorus, qui 17, 8. *percussum ferreis ungulis corticem.* Pausanias 9, 28. nescio quid de balsamo Arabiæ nugatur et circa eum viperis. Lips. Ed. pr. *intimuit.* MS. Bud. non habebat *si.* Ern.

Libanum erigit] Int. e superioribus *terra:* quod non videns Vertranius, locum temere tentavit. Montes eleganter *attolli, erigi,* dicuntur. Omnino magna est venustas in descriptionibus locorum et rerum naturalium, deligere verba ab animalibus ducta, qualia hic plura posuit Tacitus. Quod deinde e Libano nasci Jordanem dicit, proprie ille quidem ex Antilibano oritur, sed et hic a scriptoribus subinde Libanus dicitur. In sacris quidem libris uterque mons *Libanus* vocatur. Ern.

Unum atque alterum lacum] Ita et Egesippus 3, 26. *Duos lacus victor egressus, tertio retinetur.* At Pausanias repugnat clare, et quidem oculatus, ut ait, testis 5, 7. Ἐν δὲ τῇ γῇ ποταμόν τινα Ἑβραίων καὶ αὐτὸς οἶδα Ἰόρδανον λίμνην, Τιβεριάδα ὀνομαζομένην, διοδεύοντα, ἐς δὲ τὴν λίμνην ἑτέραν, καλουμένην Θάλασσαν νεκρὰν, ἐς ταύτην ἐσιόντα, καὶ ἀπὸ τῆς λίμνης αὐτὸν ἀναλώμενον. Sed Tacito nos jure fidem habemus, qui in Trachonitide lacum minorem esse scimus, quem primo Jordanis ingreditur, cui Samochonitis nomen. Lips.

A. U. 824. A. C. 71. ambitu, specie maris, sapore conruptior, gravitate odoris adcolis pestifer, neque vento inpellitur, neque pisces aut suetas aquis volucres patitur. Incertæ undæ superjacta, ut solido, ferunt: periti inperitique nandi perinde adtolluntur. Certo anni bitumen egerit: cujus legendi usum, ut ceteras artes, experientia docuit. Ater suapte natura liquor, et sparso aceto concretus, innatat. hunc manu captum, quibus ea cura, in summa navis trahunt. Inde, nullo juvante, influit, oneratque, donec abscindas. nec abscindere ære ferrove possis: fugit cruorem vestemque infectam sanguine, quo feminæ per menses exsolvuntur. sic veteres auctores. Sed gnari locorum tradunt, undantes bitumine moles pelli, manuque trahi ad litus: mox, ubi vapore terræ, vi solis, inaruerint, securibus cuneisque, ut trabes aut saxa, discindi.

7 Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos, fulminum jactu arsisse; et ma-

Incertæ undæ superjecta] Emendatio e libris. Vulgo est: *incertum unde.* quod sententiam etiam aptam recipere potest. Vide de tota re Egesippum 4, 18. Lips. *Incertum unde: superjacta* Guelf. edd. inde a Puteol. omnes ante Lips. item ed. Bernecc. Nec id absurdum, modo scribatur *undæ.* nam id idem est, quod *incerta unda* vel *incertæ undæ*, intelligendumque *est.* At Agr. (Bud.) *incerte unde*, quod est *incertæ undæ:* sed tamen super ultima primæ vocis syllaba adscriptum est *tum.* ed. pr. *incertæ undæ.* Atque hinc et MS. Vat. est lectio a Lipsio inducta, cui et Flor. (et Bud.) consentit; unde et ipse servavi. *Incertæ undæ* sunt, quæ eam speciem naturamque habent, ut dubium videri possit, aqua sit an solum, solida loca: ut recte explicat J. F. Gron. ad Senec. Cons. ad Marciam c. 10. Sic *ambigua natura*, *ambiguus vultus*, et alia sæpe apud poetas. Sed ambiguum esse potest, utrum post *undæ* interpungendum sit, nec ne. Nam utrumvis facias, commodus sensus et idem. Sed mihi magis placet interpungi. Ita in sequentibus est explicatio verborum, *incertæ undæ*, quæ in nominativo accipiendæ. Atque veteres libri omnes, etiam ed. pr. sic interpungunt; qui non sine gravi caussa sunt deserendi, præsertim cum et totius orationis structura hanc interpunctionem desideret. Series enim hæc est: Incertæ lacus undæ sunt. Nam primum injecta natant omnia: deinde periti natandi et imperiti eodem modo feruntur, nihil submergitur. Vincula orationis omisit Tacitus. Denique e MSS. Flor. Vatic. ed. pr. edidi *ferunt*, ut volebat etiam J. Gronovius (sic et Bud. et Reg. Lall.). Ita variatur constructio et oratio fit Taciti consuetudini et elegantiæ aptior. *Attolli* de natantibus et c. 14. Vulgo: *feruntur.* Ern. Lectio vulg. inde a Put. omnino bonum sensum offert, eamque restituere Bip. Ast a Flor. et conspirantibus codicibus recedere mihi religio est. Neque nugari puto, qui *incertam undam* eo, quo Gronovius, modo exponunt, quod et Pichenæ sic visum. Heinsius e MS. Spinæ, quod, quale sit, non indicat, profert *inerti undæ.* Id ipsum Grotio et Freinshemio placuerat. Heinsius malebat *inertes undæ—ferunt.* Mox Bud. *attollunt.*

Periti inp. etc.] Id Vespasianum esse expertum, docet Jos. B. Jud. 4, 5 (8).

Certo anni] Ita libri: et phrasis nota et Tacito frequens. vulgati vocem addunt, *certo anni tempore.* Lips. *Tempore* abest ab ed. pr. Ern. Sed Put. Alc. Rhen. item cod. Bud. habent.

Urbibus habitatos] MS. Orosii Periz. edd. Venet. August. *habitos.* Ern. Put. Alc. Rhen. *habitatos.* Sic et c. Bud.

Fulminum jactu] Ex Orosio 1, 5. qui hæc expresso etiam Cornelii nomine transscripsit, legas *fulminum ictu.* Lips. At MSS. optimi et veteres edd. Orosii habent *jactu:* quod et edidit Havercampus. Et *fulminum jactus* Cicero non uno loco dixit, ut docet ad h. l. Pichena. (Cf. Catil. 3, 8. Divin. 2, 18.) Ceterum *fulminum* edidit primus (e Bud.) Rhen. et sic MS. Guelf. Ceteri ante Rhen. *fulminis.* *Fulminum* etiam Orosius. Ern.

nere vestigia, terramque ipsam, specie torridam, vim frugiferam perdidisse. Num cuncta sponte edita, aut manu sata, sive herbæ tenues aut flores, ut solitam in speciem adolevere, atra et inania velut in cinerem vanescunt. Ego sicut inclitas quondam urbes igne cœlesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, conrumpi superfusum spiritum, eoque fœtus segetum et autumni putrescere reor, solo cœloque juxta gravi. Et Belus amnis Judaico mari inlabitur: circa cujus os conlectæ arenæ, ad- A. U. 824. A. C. 71.

Flor. et Bud. *jactu.* Sic et edd. vet. Heinsius volebat *tactu*, ut A. 13, 24.

Terramque specie torridam] In eodem Orosio *terramque ipsam, specie solida.* Lips. *Ipsam* etiam Flor. unde edidit Pichena, Guelf. (Bud.) Agr. ed. pr. et Orosius. *Solidam* Orosii plerique MSS. edd. vett. Sed tamen quidam scr. et edd. etiam *solida.* i. e. integra, ut visu sterilitatem non deprehendas. Certe verbum, quod τῷ *specie* addatur, aliquid boni indicare debet: quamquam *specie* bona est, tamen *vim* frugiferam non habet. Sed tale non est *torridam.* Itaque hoc verbum sanum judicare non possum. Adde notam proxime seq. Ern. Bip. ex cit. Orosii loco exsculpunt *specie solita.* Id mihi non adridet. Non credibile est, Tacitum iisdem verbis tam prope iterum fuisse usurum. Porro autem Strabo 16. p. 764. eam terram τεφρώδη eodem sensu dicit. *Specie* minus recte capit Ern. Notat hic *visu*, qui primus ejus significatus et nativus. Firmat narrationem Taciti etiam cit. a Brot. Hasselquist in Voy. dans le Levant t. 2. p. 86.

Sive herba tenus aut flore] Sic edidit Rhenanus, cum ante legeretur edd. pr. Ber. Alc. *herbas tenues aut flores*, quod in MS. Bud. erat *tenus.* Id sane et a pr. manu habuit Guelf. habet et Puteol. quod non est temere. Itaque Rhenanum bene correxisse puto, nec imiter Ryckium, qui e MS. Agr. edidit: *sive herbæ tenues, aut flores, ut solitam in speciem adolevere*, consentiente tamen ed. pr. nisi quod *herbas* præfert. Nam, quorsum addiderit Tacitus herbas tenues aut flores, quæ sane sunt in rebus sponte natis, aut manu satis. Immo vult dicere, nihil ibi in usum hominum nasci: ne ea quidem, in quibus herba et folia tantum spectantur, aut flores, habere suam utilemque naturam, nedum frugifera: hoc est, cum, pro sua quodque natura, vel herba tenus, vel flore, vel in solitam speciem adolevere etc. Ceterum Salmasius (ad Solin. p. 430.) corrigebat *in solidam speciem*, capiebatque de fructibus: quod ego non adeo spernam: aptum enim contrariis, *inania velut in cinerem vanescunt.* Sed tamen et *solitam* commodum sensum facit. Ac suspicari licet, *solidam* pro *torridam* ap. Orosium hinc natum. Ern. Bene hoc de Orosio monet Ern. Locus Taciti dubius. Pro lectione inde a Rhenano recepta facit, quod et in Flor. legitur *flore.* nec me movet, quod Bip. de particula *tenus* adferunt. Verum idem Flor. habet *herbas tenues*, teste Ryckio, ut Ber. et Alc. Rem conficit, meo arbitratu, testimonium aliorum, cum lectione Agr. concordans. Sane Jos. B. Jud. 4, 27. itidem refert: *fructum plantarum, quum edulibus sit similis, in fumum vanescere.* Eodem *respicit* vox *inania* apud nostrum. Itaque cum Bip. Ryckianam lectionem reducere non dubitavi.

Judaicas quondam urbes] Libri aliquot *inclitas urbes.* nec aliter Orosius. Lips. Sic diserte ed. pr. MS. Agr. Favet et Flor. (et Bud.) habens *indicas:* quo motus Pichena recepit. *Inditus* et *inclitus* confundi supra (ad H. 3, 44.) vidimus; quod non longe ab hac lectione differt. Ern.

Infici terram] MS. Guelf. *interfici:* in margine autem *infici*, man. sec. *Interficere messes* ap. Virgilium G. 4, 330. et similia non ignoro, unde hæc scriptura defendi possit: sed vulgatum h. l. melius puto. Infici terram velut veneno aliquo. Per *superfusum spiritum*, intell. ærem. Ern. Bud. *infici.*

Belus amnis] MS. Guelf. edd. ante Rhen. *Bellus.* Ern.

Conlectæ arenæ, admixto nitro] Non, *conjectæ.* Farnesianus etiam recte, *lectæ arenæ.* Plinium adi 36, 26 (65). Strabonem 16. p. 758. Lips. *Lectæ* etiam Flor. Agr. ed. pr. Ceteræ edd. ante Lips. omnes *conjectæ.* Item omnes ante Rhen. *vitro*, quod ille correxit e Plin. l. c. Ern. Bud. vitiose *lecte—vitro.*

A. U. 824. A. C. 71. mixto nitro, in vitrum excoquuntur, modicum id litus et egerentibus inexhaustum. Magna pars Judææ vicis spergitur. habent et oppida. Hierosolyma genti caput. Illic
8 inmensæ opulentiæ templum, et primis munimentis urbs, dein Regia. templum intimis clausum. ad fores tantum Judæo aditus: limine, præter Sacerdotes, arcebantur. Dum

Modicum id litus etc.] Plin. l. c. auctore *quingentorum passuum* spatio: Josepho B. J. 2, 9 (10). *centum cubitorum*: unde Bochartus Hieroz. 2, 5, 9. in Plinio bene corrigit *quinquaginta*, ut jam monuit Ryckius. nam quinquaginta passus centum cubitos efficiunt. Isidorus 16, 15. *quinque millium*, manifeste confusa totius fluminis mensura ap. Plin. l. c. cum mensura litoris arenosi. *Sed* de conjectura induxit Rhenanus. MSS. (etiam Bud.) et edd. vett. *et*, quod centies pro *sed* apud nostrum occurrit, et frustra passim tentatur, ut sæpe monuimus. Itaque vetus restituimus. V. ad A. 5, 3. Ern.

Genti caput] Edd. ante Rhen. MS. Guelf. et alii *gentis*. Nil interest. Ern. Bud. *genti*.

Primis munimentis urbs] Ex Josepho et Zonara legam *et trinis munimentis*. Nam triplici muro circumdatam eam fuisse, uterque is scriptor te docebit. Josephus Haloseos 6, 1. Zonaras 6, 19. Lips. *Munimentis* MSS. (etiam Bud.) edd. pr. Put. At ed. Ber. vitiose *monumentis* dedit, quod fideliter expressit ed. Basil. Alciati. *Primis mun. urbs* est, urbs et ejus munimenta primum adeunti occurrunt: intra urbem est Regia, et omnium munitissimum templum. Sed vide notam seq. Ern. *Trinis* volebat et Heinsius.

Urbs de jugis] Jure nato, et mecum libri. Farnes. (Flor. Reg. Lall.) *urbs deingia templum clausum*. Vatican. *urbs ob demgia*. At Jos. Mercerus legit: *primis munimentis urbs, dein regia*. Feliciter. Tacitus ipse juvat, infra c. 11. *Alia intus mœnia Regiæ circumjecta*. Lips. Recepit Pichena cum seqq. præter Ryckium. MS. Guelf. ed. pr. ceteræque ante Rhen. *dein jugis*. In ed. Rhen. est *de jugis* divisim, nescio unde, et quo consilio, tacite editum; ut vitium operarum videatur. Et ea lectio tamen constanter ab omnibus servata. Unde apparet, frustra laborare, qui (ut Marc. Donatus) reverentia antiquæ lectionis conantur explicare, quomodo Hierosolyma *urbs dejugis* vocentur. Ern. Bud. *et pr. m. urbs de vigia* (s. *de jugia*). B.p. totum locum ita refingunt: *ex pr. m. urbi, dein vigiliis, ad postremum feminis clausum*. In alia abit Heinsius. Equidem ingenue fateor, mihi non liquere. A Mercero receptam lectionem sat commode reddit Dotteville interpres.

Templum intimis] Quomodo, *intimis?* Ablego eam vocem cum nonnullis libris et lego: *trinis munimentis * urbs, ob dejugia. Templum clausum. ad fores tantum Judæo aditus*. Aut, si retineri placet, scribam apposite, *templum intimum*, sive magis *interius*. Duplex enim templum, exterius et interius, ut Zonaras 6, 23. et Josephus Ant. 6, 9 (4). et 15, 14 (11). et B. Jud. 5, 5. describunt appellantque: et exterius patet, sola interior domus clausa. Rodolphus hæc omnia concinnat (sed ab ingenio, opinor,) *et primis munimentis urbis. alienigenis templum interius clausum*. Lips. Id tamen recepit Ryckius. *Ex pr. m. urbis* probari possit. Nam profecto templum præcipuum urbis munimentum. V. c. 12. Ita sensus sit: templum illud est primarium urbis propugnaculum: proximum est Regia. *Urbis* vestigia in ed. pr. in qua est *ursob*, quod ex *urbis* factum videtur. Deinde punctum esse debet post *regia*. At *alienigenis* insititium manifeste. Nam templum interius non externis magis, quam Judæis non sacerdotibus, clausum. *Templum* hoc loco non ita late sumitur, ut vulgo, sed de interiori æde, *ναῷ*, si *clausum* ad homines referas et ademtam facultatem adeundi. Ita omnibus clausum fuit, ut legere possis, *cunctis*, *adeuntibus*, aut simile quid. Sed refertur *clausum* ad *munimenta*, ut *intimis* moveri non debeat. Ern.

Ad fores tantum Judæo aditus] MS. Guelf. non male, opinor, *tamen:* præsertim, si *intimis* ad eam rationem, quam dixi, corrigatur. Ceterum illustratur hic locus Lucæ 1, 10. ubi, dum Sacerdos intus sacris operatur, populus precatur ἔξω, foris, ad fores. Transire limen nefas omnibus, præter Sacerdotes. Ed. pr. vitiose *Judææ* et *lumine*. Mox pro *arcebantur* legendum *arcentur*, totus contextus clamat. Ern.

Assyrios penes Medosque et Persas Oriens fuit, despectis- A. U.
sima pars servientium: postquam Macedones præpotuere, 824.
Rex Antiochus, demere superstitionem et mores Græco- A. C.
rum dare adnixus, quo minus teterrimam gentem in me- 71.
lius mutaret, Parthorum bello prohibitus est. nam ea tempestate Arsaces desciverat. Tum Judæi, Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis (et Romani procul erant) sibi ipsi Reges inposuere: qui mobilitate vulgi expulsi, resumpta per arma dominatione, fugas civium, urbium eversiones, fratrum, conjugum, parentum neces aliaque solita Regibus ausi, superstitionem fovebant: quia honor Sacerdotii, firmamentum potentiæ, adsumebatur. Romano- 9
rum primus Cn. Pompeius Judæos domuit: templumque jure victoriæ ingressus est. Inde vulgatum, *nulla intus Deum effigie vacuam sedem et inania arcana.* Muri Hierosolymorum diruti, delubrum mansit. Mox, civili inter nos

Desp. p. servientium postquam etc.] Hæc distinctio est a Rhenano, quoad comma hodie est ante *Rex*, cum olim punctum esset: qua ante *postquam* interpungitur, jam est in MSS. ed. pr. Ern. Bud. mox *adnisus*.

Nam ea tempestate] Errare hic Tacitum, convenit: confuso Antiocho Epiphane cum Antiocho, cognomine Θεῷ. Nam sub hoc Arsaces defecit. In quo valde diligentiam tanti scriptoris desideres. Nam satis magnum est intervallum inter utrumque, cum Theus sit tertius, Epiphanes octavus Syriæ Rex, et pueri in elementis discant, sub quo Parthi defecerint, a quo Antiocho maxime Judæi vexati. Accedit, quod epochæ Arsacidarum initium ita clarum et nobile sit, ut nullo modo vel mediocris scriptor in hoc potuerit errare. Itaque credo, verba hæc: *nam ea tempestate Arsaces desciverat*, esse additamentum imperiti hominis, quod e margine in textum venerit, ut alia, de quibus aliis locis vidimus. Parthorum bello sane prohibitus Antiochus Epiphanes dici potest, quo minus Judæos opprimeret. nam, cum maxime premeret Judæos, in Parthos belligeratum abiit, ibique mortuus est. Id non intelligens homo imperitus, credensque, *bellum Parthorum* esse, quod a Parthis illatum sit, hanc stultam et imperitam notulam adjecit, quæ ne in puero quidem ferenda. Nec conveniunt sequentia. Nam, si Tacitus ista dedisset, putassetque de Antiocho Θεῷ esse accipienda, quæ de vexatis Judæis traderentur, an dixisset, ab eo tempore Macedonas invalidos fuisse? cum post fuerit Antiochus M. At post Epiphanem sane invalidi Syri fuere. Itaque verba ista uncis inclusi. Quæ si quis Tacito adserat, feram: ab Tacito quidam nihil gratiæ ferat. Ern. Bip. utcunque vulgatum tuentur, quod Antiochus Epiphanes etiam adversus Parthos bellum infeliciter gesserit, v. Maccab. 2, 9. quodque Arsacidæ inde ex primo *Arsacis* nomen continuarint. Brot. legi jubet *Armenorum bello* et *Artaxias desciverat*, de quo Appian. in Syr. p. 117. et 131. Sed et huic et illis obstat, quod, ea ætate, dici non possit, *Parthos nondum* fuisse *adultos*, quod utique ætati Antiochi Dei convenit. Sic ab errore Tacitus inmunis præstari non poterit, nec quidquam juvat, ista de defectione Arsacis verba uncis inclusisse, quos proinde sustuli.

Romani procul erant] Sic MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. quod recepi. Reliqui libri *aberant*. Ern.

Sibi ipsi Reges imposuere] Eo Brot. refert nummos Simeonis inscriptos A. I. ET 4. REDEMTIONIS ISRAEL vel ZION, de quibus omnium instar Eckhel Doctr. NN. vet. t. 3. p. 465. Sed Regium nomen hic non stricte capiendum.

Judæos domuit] *Judæos* omnes scr. (etiam Flor. et Bud.) et edd. veteres, quos inspexi. Lipsius tacite omisit. Unde Pichena, pro more suo, a vulgatis abesse dicit, restituitque. Sane melius abesset. Sed supra jam monui, nimis multis locis ita poni nomina, ut salvo sensu possent abesse. Mox *nullas effigies* MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Ern. Emendavit Rhen. e Bud.

Mox bello civili interno] Cur hæc

A. U. 824. A. C. 71. bello, postquam in ditionem M. Antonii provinciæ cesserant, Rex Parthorum Pacorus Judæa potitus, interfectusque a P. Ventidio, et Parthi trans Euphraten redacti: Judæos C. Sosius subegit. Regnum, ab Antonio Herodi datum, victor Augustus auxit. Post mortem Herodis, nihil exspectato Cæsare, Simo quidam Regium nomen invaserat. Is a Quinctilio Varo, obtinente Syriam, punitus: et gentem coercitam liberi Herodis tripartito rexere. Sub Tiberio quies. dein jussi a C. Cæsare, *effigiem ejus in templo locare*, arma potius sumsere: quem motum Cæsaris mors diremit. Claudius, defunctis Regibus, aut ad modicum redactis, Judæam provinciam Equitibus Romanis aut libertis permisit. e quibus Antonius Felix, per omnem sævitiam ac libidinem, jus Regium servili ingenio exercuit, Drusilla, Cleopatræ et Antonii nepte, in matrimonium accepta: ut ejusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset.

10 Duravit tamen patientia Judæis usque ad Gessium Florum, Procuratorem. Sub eo bellum ortum. et comprimere cœptantem Cestium Gallum, Syriæ Legatum, varia prœlia ac

geminat civile et internum? placet immo Romana scriptio, *bello civili inter nos*. Lips. MS. Agr. *civili inter nos bello*: concinnius. Per scriptionem Rom. Lipsius aut non intelligit editionem Rom. i. e. Spirensis, aut falso laudat. Nam in meo exemplo est *civili interno bello*, ut in Flor. Et tamen Rom. scripturæ nomine alibi hanc ed. laudat. Etiam alibi falso laudari hunc librum vidimus a Lipsio. Ceterum *inter nos* quidem tolerabilius est quam *interno*, sed tamen et ipsum supervacuum et correctoris manum redolens. Mihi alterutrum *civili* vel *interno* spurium videtur. Ern. Bud. male *civili interno*, omisso *bello*. Prius idem *dirupti*.

Provinciæ cesserant] Utrum *provincia cesserat*, an *Oriens cesserat*. Gron. *Provinciæ* verum. int. *Orientis*, ut Ryckius jubet. Ern. Bud. *provinciæ*.

Rex Pacorus] Proprie Regis filius, scil. Orodis. Sed sic solent, ut supra 2, 25. *Rex Epiphanes*. Nec necesse, quod conjiciebat Brot. *F. Reg. Parth. Pacorus*.

C. Sosius] Sive *Sossius*. Male quidam libri, *Sestius*. Lips. *Sosius* MS. Guelf. ed. pr. ceteræque. Ern. De *Sosio* v. Jos. Ant. 14, 16 (28). et Dio 49, 22. ad a. 718. Dio *Sossium* vocat. Ap. Murat. Inscr. t. 1. p. 295. item in numis memoratur *C. Sosius*. Bud. *G. Sosius*.

Victor Augustus sanxit] Prisci aliquot libri, *auxit*. Lips. Idque verum. *Sanxit* est ab Rhenani ingenio. (Bud. *ausit*.) *Auxit* restituit Pichena. De scriptura *Simo* ad c. 12. de ipso, Herodis servo, Jos. A. 17, 11 (10). Ern. Idem quoque B. Jud. 1, 15 (20). auctum ab Augusto Regnum Herodi narrat.

Tripartito rexere] Archelaus Judæam, Herodes Antipas Galilæam, Philippus (Herodes) Trachonitidem, ut tetrarchæ.

Dein jussi etc.] De quo legenda Philonis Legatio ad Caium, et noster 12, 54. Ern.

Arma potius sumsere] Contra Jos. Ant. 18, 10 (8). et B. Jud. 2, 9 (10). docet, rem intercessione Petronii esse compositam et mox Claudium vita functum.

Ad modicum redactis] Unus tum Herodes, Agrippæ M. frater, regnum Chalcidis occupabat.

Antonius Felix] *Antonianum* potius dicendum disputat Canneg. de mut. sub Imp. nom. rat. p. 54. Is autem nepos fuit Claudii, qui ex Druso Germ. et Antonia min. Antonii filia natus erat.

Comprimere cœptantem] Sic bene editum a Rhenano. MS. Bud. ed. pr. *comprimere receptantem*: temere repetita ultima prioris verbi syllaba, unde factum *reos* in aliis MSS. et edd. ceteris ante Rhen. Ern.

Cestium Gallum] Idem Suetonio narratur Vespas. 4. *Judæi rebellarunt, cæsoque Præposito, Legatum insuper Syriæ*

sæpius adversa excepere. Qui ubi fato, aut tædio occidit, A. U.
missu Neronis Vespasianus fortuna famaque et egregiis mi- 824.
nistris, intra duas æstates, cuncta camporum omnesque, A. C.
præter Hierosolyma, urbes, victore exercitu tenebat. Pro- 71.
ximus annus civili bello intentus, quantum ad Judæos, per
otium transiit. Pace per Italiam parta, et externæ curæ
rediere. Augebat iras, quod soli Judæi non cessissent. Si-
mul manere apud exercitus Titum, ad omnes Principatus
novi eventus casusve utilius videbatur. Igitur castris, uti
diximus, ante mœnia Hierosolymorum positis, instructas
legiones ostentavit. Judæi sub ipsos muros struxere aciem, 11
rebus secundis longius ausuri, et, si pellerentur, parato per-
fugio. Missus in eos eques cum expeditis cohortibus
ambigue certavit. Mox cessere hostes, et sequentibus
diebus crebra pro portis prœlia serebant: donec adsi-
duis damnis intra mœnia pellerentur. Romani ad oppu-
gnandum versi, neque enim dignum videbatur, famem ho-
stium opperiri. poscebantque pericula, pars virtute, multi
ferocia et cupidine præmiorum. Ipsi Tito Roma et opes
voluptatesque ante oculos: ac, ni statim Hierosolyma con-
ciderent, morari videbantur. Sed urbem, arduam situ, ope-
ra molesque firmaverant, quis vel plana satis munirentur.
Nam duos colles, inmensum editos, claudebant muri, per
artem obliqui, aut introrsus sinuati: ut latera oppugnan-
tium ad ictus patescerent. Extrema rupis abrupta: et tur-

Consularem, suppetias ferentem, rapta aquila fugarunt. In Josepho hæc ipsa, et plane omnia vide A. 20, 9 (11). B. Jud. 2, 23 (18). Sed quis tamen *Præpositus* ille *cæsus?* ita enim Suetonius, nec rem tam notabilem vel Josephus, vel Tacitus, dixere. Immo ille plane contra: Florum, qui tunc præpositus, evasisse et bellum iis fecisse. An *cæsoque præsidio?* ita enim Eutropius, qui sua solet ex Tranquillo describere: *Exstinctis Romanis præsidiis, legatum quoque Syriæ suppetias ferentem, rapta aquila fugarunt.* Sunt ipsa, ut vides, Tranquilli. An verius, *Gessiumque Præpositum?* ut hoc dicat, *Gessium Florum* (id ei nomen) fugatum, ac tum etiam Cestium Gallum? interpretes nihil hic pro re dicunt. tu serie historiarum, lector, arbitrare. Lips. Vide dicta a me ad locum Suetonii, item quæ Dukerus et Oudendorpius. Ern. Lipsii notam, in Gron. editionibus versus finem truncatam, integritati suæ restitui.

Adversa excepere] Cod. Bud. *adversa excipere.* Ed. pr. *accipere.* Ern. Rhen. correxit ingenio.

Intra duas æstates] *Intra* edidit (ex ingenio) Rhenanus. Superiores edd. MS. Guelf. *inter.* Mox MSS. Bud. Guelf. (Reg. Lall.) ed. pr. *Hierosolymam.* Vid. supra ad c. 2. Ern. Bud. *duas æstates* sine præpos. In notis Rhen. eam quoque submovendam docet, sed in textu ponit *intra.*

Pace domi parta etc.] MS. Guelf. (Bud.) edd. ante Rhen. *parata,* male. V. ad A. 16, 2. Ex ingenio bene correxit Rhenanus. Mox *et* aut tolli et ad sequentia rejici vult Freinshemius, aut mutari in *ut.* Illud melius, sed tamen non necessarium. Liv. 2, 52. *urbi cum pace etiam laxior annona rediit.* Abesse et hic posset *etiam:* sed propterea non vitiosum est. Infra edd. ante Pich. MSS. Agr. Guelf. *utile.* Flor. (Bud.) *utilis.* Ern.

Uti diximus] Cap. 1.

Ambigue certavit] Secus Jos. qui B. Jud. 5, 2. ferme oppressum Titum et legionem decimam castris pulsam memorat.

Per artem obliqui] Rationem dat Veget 4, 2.

A. U. res, ubi mons juvisset, in sexaginta pedes, inter devexa, in
824. centenos vicenosque adtollebantur: mira specie, ac procul
A. C. intuentibus pares. Alia intus mœnia, Regiæ circumjecta.
71. conspicuoque fastigio turris *Antonia*, in honorem M. Anto-
12 nii ab Herode adpellata. Templum in modum arcis propriique muri, labore et opere ante alios. ipsæ porticus, quis templum ambiebatur, egregium propugnaculum. Fons perennis aquæ, cavati sub terra montes: et piscinæ cisternæque servandis imbribus. præviderant conditores, ex diversitate morum, crebra bella. inde cuncta quamvis adversus longum obsidium: et a Pompeio expugnatis metus atque usus pleraque monstravere. Atque, per avaritiam Claudianorum temporum empto jure muniendi, struxere muros in pace, tamquam ad bellum: magna conluvie et ceterarum urbium clade aucti. nam pervicacissimus quisque illuc perfugerat, eoque seditiosius agebant. Tres Duces, totidem exercitus. Extrema et latissima mœnium Simo, quem et Bargioram vocabant, mediam urbem Joannes, templum Eleazarus, firmaverat. Multitudine et armis Joannes ac Simo, Eleazarus loco, pollebat. Sed prœlia, dolus, incendia inter ipsos, et magna vis frumenti ambusta. Mox Joannes, missis per speciem sacrificandi, qui Eleazarum manumque ejus obtruncarent, templo potitur. ita in duas factiones civitas discessit, donec propinquantibus Romanis, bel-
13 lum externum concordiam pareret. Evenerant prodigia, quæ neque hostiis, neque votis piare fas habet gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa. Visæ per cœlum concurrere acies, rutilantia arma et subito nubium igne conlucere templum. Expassæ repente delubri fores et audita major hu-

In centenos vicenosque attollebantur] MS. Bud. *in centenosque.* Guelf. Oxon. *in centenos quoque.* Mox ed. pr. *circumvecta.* et MS. Oxon. *honore M. Antonii:* quæ phrasis Tacito et alibi usurpata. Ern. Bud. *circumjecta.* dein *in honore.* prius *in immensum.*

Labore et opere] MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. ante Rhen. omnes *opera.* quod videtur natum ex initiali sequentis verbi. Nam *opus* proprium in hac re verbum. Mox Flor. *ambibatur.* Ern. Bud. *opere ambiebatur.*

Præviderant conditores] MS. Agric. (Bud.) ed. pr. Rhen. *providerant:* quod servatum usque ad Lips. qui vetus tacite restituit: quod h. l. melius. Ern.

Ceterarum urbium clade] Alii *exterarum.* Lips. Velut ed. pr. MS. Agr. male. nam intelliguntur urbes Judaicæ. Add. ad G. 32. Ern. Bud. *ceterarum.*

Simo] Ita MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Oxon. ed. pr. sed hæc tamen ut Flor. semel tantum. alii MSS. *Simon.* Ern.

Joannes, quem et Bargioram vocabant] Josepho B. Jud. 2, 23 (19). 4, 7 (9). Simo Gioræ filius vocatur: unde cum Ryckio probo Salinerii conjecturam, qui transpositum hoc incisum putabat, et post *Simo* ponendum. Dein MS. (etiam Bud.) et edd. ante Lips. omnes *Barbagioram.* Pro *Eleazarus* ed. pr. *et Lazarus,* item *Lazarus, Alazarus,* ut MS. Fl. (Bud.) Ern. Ex suffragio Brot. et Lall. quoque reposui suo loco verba ista, forsan a glossatore adjecta. Idem fecere Bip. et uncinis inclusere. Colerus putabat, *Bar Jonam* dicendum.

Evenerant prodigia] Plura enarrat Jos. B. Jud. 6, 12, (5.)

Expassæ repente delubri fores] MS. Flor. *expertæ.* (Bud. *ex parte*). Agr. ed pr. *apertæ:* quod pro glossa habet

mana vox, *Excedere Deos:* simul ingens motus exceden- A. U.
tium. Quæ pauci in metum trahebant: pluribus persuasio 824.
inerat, antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipso tem- A. C.
pore fore, ut valesceret Oriens profectique Judæa rerum 71.
potirentur. quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant. Sed vulgus, more humanæ cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur. Multitudinem obsessorum, omnis ætatis, virile ac muliebre secus, sexcenta millia fuisse accepimus. Arma cunctis, qui ferre possent: et plures, quam pro numero, audebant. Obstinatio viris feminisque par: ac, si transferre sedes cogerentur, major vitæ metus, quam mortis. Hanc adversus urbem gentemque Cæsar Titus, quando impetus et subita belli locus abnueret, aggeribus vineisque certare statuit. Dividuntur legionibus munia, et quies præliorum fuit: donec cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres, aut novis ingeniis, struerentur.

At Civilis, post malam in Treveris pugnam, reparato per 14
Germaniam exercitu, apud Vetera castra consedit: tutus loco, et ut memoria prosperarum illic rerum augescerent

Ryckius. Nec audet J. Gronovius aliquid contra vulgatum e Flor. moliri. Ern.

Profectique Judæa rerum potirentur] V. dicta ad Sueton. Vesp. c. 4. sed etiam quæ monuit Oudendorpius. Mox *prædixerat* MS. Flor. (Bud.) ed. pr. quod quærit J. Gronov. cur mutatum sit. Nam profecto et *ambages* in singulari de vaticiniis dicitur. Ern. De re ipsa pluribus Brot. in ed. majore. Cf. et Jos. B. Jud. 6, 12 (5). *Ambages* ambigua sunt oracula.

Virile ac muliebre secus] Sic MS. Flor. a m. pr. quod recte receptum a J. Gron. Add. ad A. 4, 62. Ceteri libri (in his Bud.) *virilis ac muliebris sexus:* inde a Pichena *virile ac muliebre sexus.* In ed. pr. *sexus*, excidit, ob initium sequentis verbi. Ern. De voce *secus* v. et Charisius ap. Putsch. p. 61.

Sexcenta millia fuisse accepimus] Numerus mihi non certus, et quem (a Rhen.) ex Budensi cod. et Orosio substitutum video parum caute. Nam ille scribit, *sexcenta millia Judæorum interfecta Cornelius et Suetonius referunt.* Sed interfecta ait: cum noster hic universe, de obsessis. qui certe paullo plures. Libri etiam instabiles et quidam (ut Put. Alc.) *ducenta millia.* Fortasse. *dena* aut *undena millia.* quod paullo propius ad Josephum 6, 17 (9). et Zonaram 6, 26. et Jornandem accedat, qui omnes *undecies centena millia* periisse obsidione illa clare tradunt. periisse, inquam, fame, morbo, ferro. Nam Sulpicio Severo fidem vix habeo, qui l. 2. *numerum peremptorum ad undecies centena millia* profert, *capta vero centum millia ac venundata.* Sed peremptos fortasse largius accepit, et nostro illo sensu. Lips. *Sexcenta millia* clare præter Bud. etiam Flor. Agr. ed. pr. Reliquæ ante Rhen. *ducenta:* quod quomodo natum, patet e MS. Guelf. in quo *dc^ta*. Ceterum in numero cæsorum discrepare auctores, frequentissimum est in omni historia. Ern.

Plures, quam pro numero] Id valet, fuere obsessi *sexcenta millia*; credas quartam aut circiter partem (pro communi ratiocinatione) arma tulisse: at hic aliter fuit, et plures impetu atque ardore ceperunt. Qui? infra aut supra legitimam ætatem, pueri senesque. Lips. Paullo post *impetus*, quod e Flor. inductum a Pichena, etiam est in Guelf. (et Bud.) Ceteri *impetum.* Ern.

Major vitæ metus q. m.] Cf. Dio 66, 6.

Post malam in Tr. pugnam] V. 4, 77.

Apud vetera castra consedit] *Castra* abest ab edd. Lipsii. in antiquioribus meis omnibus reperi: ne quis erret, credens Pichenæ, ab editis abesse. Ern.

A. U. 824. A. C. 71. barbarorum animi. Secutus est eodem Cerialis, duplicatis copiis, adventu secundæ et VI. et XIV. legionum. Cohortesque et alæ, jampridem accitæ, post victoriam properaverant. Neuter Ducum cunctator. Sed arcebat latitudo camporum, suopte ingenio humentium. Addiderat Civilis obliquam in Rhenum molem, cujus objectu revolutus amnis adjacentibus superfunderetur. Ea loci forma, incertis vadis subdola et nobis adversa. quippe miles Romanus armis gravis et nandi pavidus; Germanos, fluminibus suetos,

15 levitas armorum et proceritas corporum adtollit. Igitur, lacessentibus Batavis, ferocissimo cuique nostrorum cœptum certamen. deinde orta trepidatio, cum præaltis paludibus arma, equi, haurirentur. Germani notis vadis persultabant, omissa plerumque fronte, latera ac terga circumvenientes. neque, ut in pedestri acie, cominus certabatur; sed, tamquam navali pugna, vagi inter undas, aut, si quid stabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes, vulnerati cum integris, periti nandi cum ignaris in mutuam perniciem inplicabantur. minor tamen, quam pro tumultu, cædes: quia, non ausi egredi paludem Germani, in castra rediere. Ejus prœlii eventus utrumque Ducem, diversis animi motibus, ad maturandum summæ rei discrimen erexit. Civilis instare fortunæ; Cerialis abolere ignominiam. Germani prosperis feroces; Romanos pudor excitaverat. nox apud barbaros cantu aut clamore, nostris per iram et minas, acta.

16 Postera luce, Cerialis equite et auxiliariis cohortibus frontem explet: in secunda acie legiones locatæ: Dux sibi delectos retinuerat ad inprovisa. Civilis haud porrecto agmine, sed cuneis, adstitit. Batavi Gugernique in dextro:

Adventu secundæ et XVI.] Mercerus acute corrigit et *sextæ:* quia XVI. dudum cum Ceriali fuerat, et sexta ex Hispania demum accesserat. Et sic recensentur infra c. 16. *quartadecimani, sexta legio, secundani.* Add. H. 4, 68. Adjuvat forte et ordo numerorum. XIVtam opinor XVItæ præposuisset: quod visum et J. Gronovio. Ern. Cf. mox c. 16. ubi istæ tres legiones sic junctæ.

Arma, equi] Ita J. Gron. e Flor. edidit. Consentiunt MS. Bud. ed. pr. in quis *arme qui. Aurirentur*, quod e Flor. notat J. Gron. sine adspiratione, etiam Guelf. qui frequenter hoc verbum et alia sic exhibet: in quo supra tamen subinde adscripta nota adspirationis. Ern. In Bud. adspiratio non deficit. Qui *arma* potuerint hauriri, se non videre, profitentur Bip. forsan abjecta ab equitibus, ut sese facilius expedirent in paludibus.

Omissa pl. fronte] Bud. *diversa pl. fr.* Rhen. conjicit *dimissa.*

Nec u. i. p. a. cominus certabatur] MS. Flor. (Reg. Lall.) ed. pr. ut Reg. *cominus minus:* unde J. Gron. faciebat *cominus eminus:* quod recepit Broterius. Ego non imiter. *Pedestris* acies h. l. opponitur *navali;* estque adeo terrestris, in qua non modo cominus, sed et eminus pugnatur. Ern. Bud. *cominus cert.*

Rom. pudor excitaverat] Bud. *exercitaverat.* Prius idem *redire.*

Batavi Gugernique] Ita edidi, ne Tacitus in ejusdem populi nomine sibi non constaret. Nam supra 4, 26. *Gugerni* editum, ut apud alios vocantur. Vulgo (et in Bud.) h. l. est *Cugerni.* ed. pr. *Eugenii.* infra c. 18. Guelf. *Gugerni.*

læva ac propiora fluminis Transrhenani tenuere. Exhorta- A. U. 824.
tio Ducum, non more concionis apud universos, sed ut A. C. 71.
quosque suorum advehebantur. Cerialis *veterem Romani nominis gloriam, antiquas recentesque victorias: ut perfidum, ignavum, victum hostem, in æternum exciderent. ultione magis, quam prœlio, opus esse. Pauciores nuper cum pluribus certasse: attamen fusos Germanos, quod roboris fuerit. Superesse, qui fugam animis, qui vulnera tergo, ferant.* Proprios inde stimulos legionibus admovebat, *domitores Britanniæ quartadecimanos* adpellans: *Principem Galbam sextæ legionis auctoritate factum: illa primum acie secundanos nova signa novamque aquilam dicaturos.* Hinc, prævectus ad Germanicum exercitum, manus tendebat, *ut suam ripam, sua castra, sanguine hostium reciperarent.* Alacrior omnium clamor, quis vel e longa pace prœlii cupido, vel fessis bello pacis amor, præmiaque et quies in posterum sperabantur. Nec Civilis 17
silentem struxit aciem, locum pugnæ testem virtutis ciens: *stare Germanos Batavosque super vestigia gloriæ, cineres ossaque legionum calcantes. quocunque oculos Romanus intenderet, captivitatem, cladem que et dira omnia obversari. Ne terrerentur vario Treverici prœlii eventu. suam illic victoriam*

ed. pr. *ecugerni.* Mox *eorum* pro *suorum* edd. vett. inde a Puteol. usque ad Pich. *suorum* MSS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. ed. pr. Post dedi *exciderent* pro *exscinderent*, e MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. idque voluit edere J. Gronovius, sed operæ non paruerunt. MS. Guelf. edd. vett. *excinderent.* Add. ad Agric. 19. Ern.

Attamen fusos Germanos] Melius Flor. *ac tamen*, ut voluit Muretus. ed. pr. male *Romanos.* Ern. *Ac tamen* recepere Bip. Bud. *at tamen.* Sensus idem. Bud. *Germanos.*

Sextæ legionis auctoritate] i. e. initio a sexta legione facto Cæsarem appellandi, quod exemplum ceteras secutas. Mox *novam aquilam* et *nova signa* tribuit secundanis, quod vetera signa in bello civili amiserant. Mox *pervectus* MS. Agr. Ern. Bud. male *prevectos.* Dein *recuperarent. prœliaque. sperabatur.*

Alacrior] Cod. Agr. *alacer.*

Silentem struxit aciem] h. e. quæ non silentio exciperet hortantis voces, sed clamore probaret. Sed, quoniam id post iterum dicitur: *ubi sono armorum etc. approbata sunt dicta:* credo legendum esse *silens* vel *silentio* (vel *silenter*) ut viri docti voluere: sed posterius malim. Mox *omnia* MS. Guelf. edd. Beroaldi seqq. ante Pichenam, qui *omina* edidit e scriptura Flor. *oīa*, quæ est et in ed. Put. *Omina* plane MS. Agr. ed. pr. Scriptura Florentina sane et *omnia* significare potest, estque ejus verbi usitatum compendium: nec id adeo absurdum puto. *Dira* per se possunt infausta omina significare. Deinde ed. pr. *observari.* Denique eadem et MS. Agr. *Treveriani.* Guelf. *Treviri.* Ern. Bud. *silentem*, bene, ut Flor. et Agr. Mox explicatur locus, ubi *sono armorum* etc. Nil ergo mutandum. Dein Bud. *oīa.* Parum, credo, refert, *omina*, an *omnia*, legas. Bud. *obversari. Treverici.* Prius pro *ciens* habet *sciens.*

Suam illic victoriam] Vatic. *suam illic materiam.* quæ lectio involvit aliud verbi, quod nondum educo. certe de avaritia aut cupidine, id dici verius, quam de victoria. Neque enim ea, sed, quod ea per securitatem et insolentiam abusi, cladem dedit. Lips. *Materiam* etiam ed. pr. Acidalius corrigit *avaritiam*, quod et in promptu Lipsio fuisset, si non nimis a vulgata differret. Idem dicere voluisse videtur, quod 4, 78. *obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen, hoste omisso, spolia consectandi.* Videtur ergo requiri, quod respondeat *pravo spoliandi certamini.* Tale quid si quis repererit, non admodum discrepans a lectione librorum, audiam. Nunc liceat credere, Tacitum captasse acumen,

A. U. *Germanis obstitisse, dum, omissis telis, præda manus impediunt.*
824. *sed cuncta mox prospera et hosti contraria evenisse. Quæ pro-*
A. C. *videri astu Ducis oportuerit, provisa: campos madentes et ipsis*
71. *gnaros; paludes hostibus noxias. Rhenum et Germaniæ Deos in adspectu: quorum numine capesserent pugnam, conjugum, parentum, patriæ memores. illum diem aut gloriosissimum inter majores, aut ignominiosum apud posteros, fore.* Ubi sono armorum tripudiisque (ita illis mos) adprobata sunt dicta, saxis glandibusque et ceteris missilibus prœlium incipitur: neque nostro milite paludem ingrediente, et Germanis, ut
18 elicerent, lacessentibus. Absumptis, quæ jaciuntur, et ardescente pugna, procursum ab hoste infestius. inmensis corporibus et prælongis hastis fluitantem labantemque militem eminus fodiebant: simul e mole, quam eductam in Rhenum retulimus, Bructerorum cuneus tranatavit. turbata

et alia sententia uti voluisse, quæ non sit nimis ad vivum resecanda, quales plures in Tacito. Victoria est abusus victoriæ, nimia fiducia e victoria, verbo, vitia victorum. Ern. Flor. et Bud. *victoriam.*

Præda manus impediunt] Hoc sine dubio vitiosum. Saltem *impediant* esse debebat, sed vera lectio est *impedirent*, e necessaria et perpetua ratione Latinitatis. *Ne terrerentur—obstitisse—dum impedirent.* Ern.

Quæ provideri etc.] Sententia nostro aliisque in tali oratione trita. Libri fluctuant inter *providisse*, ut est in vulgatis, inde a Rhenano, (idemque habet MS. Guelf.) et *prævidisse*, quod est in edd. Put. Ber. Alc. et *prævise*, ut habet Flor. (et Reg. Lall.) ed. pr. denique *prævise* in MS. Bud. et *provisa* in MS. Agr. Ed. video viros doctos inclinare in *provisa*, ut Rhen. Pichenam: quod est utique optimum, et sic aliis sæpe locis reperi. *Prævise* autem esse e compendio scribendi pro *prævidisse*: nisi fuit potius *provisa esse*: in quo genere quam sæpe in libris peccatum, ad alium locum notavimus. Ern. Rhen. perperam e Bud. profert *prævisa*; habet is clare *prævise*. Contra Flor. teste Pichena, *provise*. In nota Ern. male hæc relata; sed culpa, quoad Bud. Rhenani est, apud quem forsan error typographi. Bene recentiores recepere *provisa*, ut codicibus suus honos foret.

Paludes hostibus noxias] MS. Agr. *medias*; quod verum videtur Ryckio. Consentit ed. pr. et fuere paludes inter utramque aciem. Sed cur *hostibus medias* vocet, quæ inter utramque aciem? Ern.

Rhenum et Germ. Deos] Huc facere putat Tollius ad Ausonii Mosellam p. 421. numum Neronis Drusi, in quo Numen Rhenus, additque, se vidisse Coloniæ signum Rheni æneum cum litteris DIUS RHENUS.

Quorum numine] i. e. auspiciis, favore, auxilio sublevati ac freti: ut sæpe, apud poetas in primis. Mox verba *inter majores*, si ad vivum resecemus, perinepta sint. nam dies præsens quomodo gloriosus esse inter majores, celebrari, laudari a majoribus potest? Sed acumen quæsivit Tacitus in antithetis *gloriosiss. inter majores* et *ignominios. apud posteros.* Sensus est: illo die aut plus gloriæ consecuturos, quam majores ipsorum antea consecuti sint, aut tantum ignominiæ, ut etiam posteri male de ipsis existimaturi sint. MS. Guelf. habet tantum *gloriosum.* Ern.

Ut elicerent, lacessentibus] *Elicerent* bene Rhen. e Bud. sic et Flor. Agr. Guelf. ed. pr. Primus Puteol. edidit *eluderent.* quod Ber. Alc. secuti. Ern. Probabat hoc Muretus. Acidalius nil mutat. Mox Bud. *assumtis.*

Fluitantem labantemque] Interpunxi et voce addita explevi locum, fide Vaticani. Lips. Nempe *labantem*, quod et in marg. Guelf. et ed. pr. reperi. Mox cum J. Gron. edidi *tranatavit* e MSS. Flor. Agr. eodemque redit, quod corrupte in ed. pr. *renatavit.* sic et alibi apud nostrum exhibetur. Post MSS. Flor. Bud. Agr. Guelf. ed. pr. *æquatur.* quod recepi pro vulgato *exæquatur*: idque legitimum in hac re verbum. Ern. Bud. *fluitantemque*, quo patet, vocem omissam. Idem *transnatavit. equatur.*

Retulimus] C. 14.

ibi res. et pellebatur sociarum cohortium acies, cum legiones pugnam excipiunt, suppressaque hostium ferocia, prœlium æquatur. Inter quæ perfuga Batavus adiit Cerialem, *terga hostium* promittens, *si extremo paludis eques mitteretur: solidum illa, et Gugernos, quibus custodia obvenisset, parum intentos.* Duæ alæ, cum perfuga missæ, incauto hosti circumfunduntur. quod ubi clamore cognitum, legiones a fronte incubuere, pulsique Germani Rhenum fuga petebant. Debellatum eo die foret, si Romana classis sequi maturasset. Ne eques quidem institit, repente fusis imbribus
et propinqua nocte. Postera die, quartadecima legio in 19
superiorem provinciam Gallo Annio missa: Cerialis exercitum decima ex Hispania legio supplevit. Civili Chaucorum auxilia venere. Non tamen ausus oppida Batavorum armis tueri, raptis, quæ ferri poterant, ceteris injecto igni, in insulam concessit: gnarus, deesse naves efficiendo ponti, neque exercitum Romanum aliter transmissurum. quin et diruit molem, a Druso Germanico factam, Rhenumque, prono alveo in Galliam ruentem, disjectis, quæ morabantur, effudit. Sic velut abacto amne, tenuis alveus, insulam inter Germanosque, continentium terrarum speciem fecerat. Transiere Rhenum Tutor quoque et Classicus et centum tredecim Treverorum Senatores: in quis fuit Alpinus Montanus, quem a Primo Antonio missum in Gallias supe-

A. U. 824.
A. C. 71.

Solidum illa] MS. Oxon. *solidam illam* sc. paludum partem. Vulgatum melius et verum est. MS. Agr. *solida illa.* Ern. Bud. *solidum illa.*

Debellatum eo die foret] Cf. c. 21.

Ex Hispania] Bud. *Spagna.* ubi 2. m. præposuit *Ys.* Ab Italo homine scriptum codicem dixeris. *Spaniam* olim et Latinis dictam, ostendi ad Vibium seq. p. 398.

Oppidum Batavorum] Quod oppidum? nominare enim certe debuit. An *Batavodurum* scribendum? an cum Rom. codice legimus, *oppida Batavorum?* Et intellegam tunc ea oppida, quæ extra insulam. Nam Batavorum veterum sedes non dubie supra et extra etiam insulam, in ora Gallica. Tacitus clare, supra 4, 12. *Extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam occupavere.* Lips. Sententias Cluverii, qui *Bateburgum* intelligebat, et Pontani, qui *Noviomagum,* examinat Ryckius ad h. l. Quia *oppida* est in MS. Reg. ed. pr. recepi, ut Alem. et Brot. (et Bip.) fecere. Ern. Bud. vulgatum habet, *oppidum.* Agr. et Reg. Lall. *oppida.*

Molem a Druso Germanico factam] Fuit agger, Rheno, in ripa Gallica, humiliori, et in quam Rhenus magno impetu rueret, oppositus, ut coerceret flumen; et quidem ea in parte Insulæ Batavorum, qua proxime intratur venientibus a Batavorum oppido. Ejus aggeris auctor Drusus, qui opus instituit anno vitæ ultimo h. e. U. C. 745. Id opus continuavit Paullinus, auctore Tacito A. 13, 53. Adde Altingium in Notit. Bat. et Fris. Ant. t. 1. p. 54. Ern. Ipse quoque olim hac de re egi in Jungend. mar. fluv.que omnis ævi moliminibus. Arg. 1773 sq. Bud. male *diluit.*

Sic velut abacto amne] *Abacto* MS. Guelf. (Bud.) edd. inde a Rhen. omnes. MS. Agr. *amoto.* ed. pr. *ab amoto.* edd. Puteol. Ber. Alc. *ablato.* Ern.

Et centum tredecim Tr. Senatores] Vox *senatores* aberat a MS. Bud. nec est in Guelf. Mox *in quis* Flor. ed. pr. Ceteri libri ante Pich. (Bud. quoque) *quibus.* Ern.

Quem a primo Antonio—memoravimus] Hæc verba absunt a MS. Oxon. Cum 3, 35. 4, 31. in Germaniam missus dicatur, non in Gallias: J. Gronovius

A. U. 824. A. C. 71. rius memoravimus. Comitabatur eum frater D. Alpinus. Simul ceteri miseratione ac donis auxilia concibant, inter gentes periculorum avidas. Tantumque belli superfuit, ut præsidia
20 cohortium, alarum, legionum, uno die Civilis quadripartito invaserit: decimam legionem Arenaci, secundam Batavoduri, et Grinnes Vadamque, cohortium alarumque castra; ita divisis copiis, ut ipse et Verax, sorore ejus genitus, Classicusque ac Tutor suam quisque manum traherent: nec omnia patrandi fiducia; sed *multa ausis aliqua in parte fortunam adfore. Simul Cerialem neque satis cautum, et pluribus nuntiis huc illuc cursantem, posse medio intercipi.* Quibus obvenerant castra decumanorum, oppugnationem legionis arduam rati, egressum militem, et cædendis materiis operatum, turbavere, occiso Præfecto castrorum et quinque primoribus Centurionum paucisque militibus. Ceteri se munimentis defendere. Et interim Germanorum manus Batavoduri rum-
21 pere inchoatum pontem nitebantur. Ambiguum prœlium

spuria hæc verba judicabat. Qui hoc nolent, legendum putabunt *Germaniam*. Mox *D. Alpinus* (*Alpinius* Flor. et Bud.) omnes libri, præter Agr. in quo *Dr.* i. e. Drusus. Ern.

Una die Civilis quadripartita invaserit] Sic scribendum e MS. Agr. putavit Ryckius. Quia consentit ed. pr. et *Civilis* post *quadrip.* etiam a Guelf. abest: denique in eodem codice et edd. ceteris ante Rhen. *modicis villis:* id recepi. MSS. Flor. ' ud. edd. Rhen. sqq. omnes *modicis vicis*: quod contra Ryckium defendit quidem J. Gronovius, sed nullo alio argumento, quam antiquitate MS. Flor. cum multis aliis locis ejus lectionibus alias prætulerit. Vellem docuisset, quid esset *præsidia modicis vicis quadripartita* et quæ forma loquendi. non urgebo id, quod Ryckius, oppida fuisse, non modicos vicos: quorsum et quo consilio additum putabimus *modicis vicis?* Fateor, *una die* potuisse intelligi, si abesset; sed id tamen valet ad clarius perspiciendum magnitudinem reliquiarum Germanicarum, et aliis quoque locis brevitas temporis eodem consilio additur, nempe rei augendæ caussa. Ceterum ne sic quidem locum persanatum puto. Corrigendum insuper *quadripartito invaserit*: qui modus loquendi frequens Livio v. c. 21, 7, urbem *tripartito adgrediuntur*. Cæs. B. G. 1, 25. *signa bipartito intulerunt*: ubi vid. Oudend. Observationum autem, librarios in hoc et similibus verbis valde proclives fuisse ad terminationem mutandam, ut proxime substantivo congrueret. Sic ap. eundem Liv. 4, 59. cum esset, *tripartito ad devastandos fines discessere,* librarius Vossiani pr. fecit *tripartitos,* referens ad *fines.* In loco ante laudato alius addidit *loco.* Ap. Cæsarem l. c. in variantibus e pluribus codd. notatum in margine habeo *bipartita,* quod debetur librario genus ad *signa* accommodanti. Et sic sæpe turbatum. Quo minus dubitavi hanc correctionem in textum recipere. Ceterum in MS. Guelf. est *legionem m. v. quadripartitam invaserint.* Ern. Hic iterum lectio Bud. male refertur. In eo legitur *modis civilis,* ubi dubio procul *modis* ortum ex *uno die,* tum Civilis egregie, ut in Agr. Rhenanus nil hic notavit, sed ex ingenio dedit *modicis vicis.* Porro Bud. *quadripartita.* Cum Ern. faciunt Brot. Lall. Bip. Mox in Bud. *Arenaque,* omissis intermediis. Addo, in Bud. vocem *Civilis* post *quadripartita* non legi.

Verax, s. e. genitus] In Beroaldi ed. est *vera:* haud dubie operarum vitio, quod, ut alia conservavit ed. Basil. Alciati. *Verax* Rhen. restituit. Ern. E Bud.

P. m. Ceteri se munimentis def.] MS. Bud. *mil. eminentis def.* Ed. pr. *ceteris imminentibus defendere.* Ern.

Irrumpere inch. pontem nitebantur] *Irrumpere pontem* nihili esse, quivis animadvertat. Itaque tentabam *abrumpere*; quod in ed. pr. aliisque libris antiquis passim reperi *arrumpere* pro *abrumpere,* ut *assumere* pro *absumere* et similia: sed cum e MS. Oxon. *rumpere* notatum a J. Gron. reperissem, id probavi, secu-

nox diremit. Plus discriminis apud Grinnes Vadamque. Vadam Civilis, Grinnes Classicus, oppugnabant. nec sisti poterant, interfecto fortissimo quoque: in quis Briganticus, Præfectus alæ, ceciderat; quem fidum Romanis et Civili, avunculo, infensum diximus. Sed, ubi Cerialis cum delecta equitum manu subvenit, versa fortuna, præcipites Germani in amnem aguntur. Civilis, dum fugientes retentat, agnitus petitusque telis, relicto equo, tranatavit. idem Veracis effugium. Tutorem Classicumque adpulsæ lintres vexere. Ne tum quidem Romana classis pugnæ adfuit, ut jussum erat. sed obstitit formido et remiges per alia militiæ munia dispersi. Sane Cerialis parum temporis ad exsequenda imperia dabat: subitus consiliis, sed eventu clarus. Aderat fortuna, etiam ubi artes defuissent. hinc ipsi exercituique minor cura disciplinæ. Et paucos post dies, quamquam periculum captivitatis evasisset, infamiam non vitavit.

A. U. 824. A. C. 71.

22 Profectus Novesium Bonnamque ad visenda castra, quæ hiematuris legionibus erigebantur, navibus remeabat: disjecto agmine, incuriosis vigiliis. Animadversum id Germanis: et insidias composuere. electa nox atra nubibus, et prono amne rapti, nullo prohibente, vallum ineunt. Prima cædes astu adjuta. incisis tabernaculorum funibus, suismet

tusque exemplum est Alemannus. Sed Broter. notat in MSS. Oxon. esse *irrumpere.* Sed tamen *rumpere* servavi, quia *irrumpere p.* non dicitur, et sine dubio vitium ortum est e finali in verbo præcedente. Ern. Bud. *irrumpere.*

Nec sisti poterant] Sic omnes libri, quos vidi. (item Bud.) Suspicatus sum olim, legendum esse *nec sisti poterat* sc. res, malum: actum erat de castris et obsessis: sed nunc credo, vulgatum verum esse, et defendi posse ex H. 3, 71. ubi eadem forma. ibi refertur ad *scandentes,* hic ad Civilem et Classicum, qui oppugnabant. Mox *ceciderat* est in omnibus libris; sed rem e consuetudine Taciti æstimanti videtur hoc verbum esse a mala manu. Etiam supra c. 19. *in quis fuit,* languet τὸ *fuit;* sed est tamen tolerabilius, quam h. l. *ceciderat,* nec illius generis exempla desunt. Nam præcedit verbum diversæ significationis: hic autem synonymum. H. 3, 77. *Sex Liburnicæ in primo tumultu evasere; in quis præfectus classis Apollinaris.* Agric. 37. *nostrorum trecenti quadraginta cecidere: in quis Atticus, Præfectus cohortis.* et sic sæpe alibi. Ern.

Diximus] Supra 4, 70. Cf. 2, 22.

Tranatavit] V. ad c. 18. Ed. pr. *transnavit.* Ern. Bud. *tranatavit.*

Idem Germanis effugium] De militum fato jam dixit. sequebatur, ut de Ducum casibus diceret. Tres comparent, quartus, Verax, abest. Unde prona conjectura legendum esse *Veracis;* quod jam in mentem venit J. Gronovio. In ed. pr. est *idem germani transfugium.* Si Verax eadem matre potius, quam e sorore Civilis natus fuisset, *germani* teneremus. *Transfugium* sic dici, ut in scriptura illa, nondum reperi. Ern. Bud. *Germani.* Recte Gronovianam conjecturam probant et Bip. unice vera est et recipienda. Germani milites modo in amnem acti dicuntur.

Infamiam non vitavit] Bud. *mutavit.*

Disjecto agmine] Cum alio loco classis, alio castra militum terrestri itinere, Cerialem prosequerentur. Ern.

Prono amne rapti] Difficultatem movet Pichena ex eo, quod, quemadmodum Cerialis adverso amne Bonnam profectus est, sic Germani quoque ita occurrere regredienti debuerint. Quasi fugati eodem loco manserint, ac non per ambages in loca superiora venire potuerint, ut eum persequi defluentem amne possent. Per *vallum* deinde intelligenda castra nocturna prope flumen, ubi classis stabat. Ern.

Suismet coriis] *Tentoriis* MSS. Vatic. Agr. (et Reg. Lall.) Guelf. ed. pr. Et-

A. U. 824. A. C. 71. tentoriis coopertos trucidabant. Aliud agmen turbare classem: injicere vincla: trahere puppes. Utque ad fallendum silentio, ita, cœpta cæde, quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant. Romani, vulneribus exciti, quærunt arma, ruunt per vias, pauci ornatu militari, plerique circum brachia torta veste et strictis mucronibus. Dux semisomnus ac prope intectus errore hostium servatur. Namque Prætoriam navem vexillo insignem, illic Ducem rati, abripiunt. Cerialis alibi noctem egerat, ut plerique credidere, ob stuprum Claudiæ Sacratæ, mulieris Ubiæ. vigiles flagitium suum Ducis dedecore excusabant, tamquam *jussi silere, ne quietem ejus turbarent. ita, intermisso signo et vocibus, se quoque in somnum lapsos.* Multa luce revecti hostes, captivis navibus, Prætoriam triremem flumine Luppia donum
23 Veledæ traxere. Civilem cupido incessit navalem aciem ostentandi. Complet, quod biremium, quæque simplici ordine agebantur. Adjecta ingens lintrium vis, tricenos

iam Flor. non longe abludit, in quo *toriis.* Itaque, cum nuspiam *coria* pro tentoriis dicantur, ne *pelles* quidem, nisi in una illa formula *sub pellibus*, *tentoriis* edidi pro vulgato *coriis.* Ern. Bud. *coriis.*

Quo plus terroris] Copula *et*, quam auctore MS. Flor. sustulit ante *quo* Pichena, etiam ab ed. pr. abest. Mox *ornatu militari* ex eodem Flor. dedit Pichena pro *ornati militariter.* In Flor. est *ornati militari:* in ed. pr. plane *ornatu militari.* Sed nec alteram lectionem spernam, cum etiam H. 2, 80. *sit loqui militariter.* Ern. Bud. male *et ut quo plus.* Dein *ornati militariter.*

Dux semisomnus] Ita cum J. Gron. edidi e Flor. Agr. Guelf. ed. pr. (sic et Bud.). Ceteræ *semisomnis*, quod sæpe illi a librariis substituitur. Paullo post pro *Ubiæ. vigiles* MS. Guelf. edd. omnes ante Rhen. *ubi et vigiles.* Ern. Sic et Bud. Rhenanus scite et tacite *Ubiæ* dedit.

Signo et vocibus] Heins. volebat *vicibus* scil. vigiliarum, ut 2, 29.

Prætoriam triremem] MS. Agr. (et Reg. Lall.) ed. pr. *biremem.* (Bud. *triremem.*) Post Rhenanus *flumine Luppia* se restituisse ait e lectione MS. Bud. *flumine impia*, quod et in Guelf. ed. Put. unde factum in ed. Ber. *inpio.* Sed ante jam ed. pr. plane *Lupia.* Pro *donum* porro ed. Puteol. Ber. (Alc.) *domum.* (Correxit Rhen. e Bud.) In ed. pr. nihil est nisi *flumine Lupia detraxit.* Ern.

Civilem cupido incessit] Flor. *C. c. invasi incessi.* Unde Pichena corrigit *C. c. inanis incessit:* frustra. *Invasit* fuit glossa τοῦ *incessit:* eaque antiquitus in textum venit: aut, cum fluctuarent libri inter utrumque verbum, librarius utrumque posuit, ut et alibi factum in Tacito. V. ad H. 2, 1. 3, 13. et centies in aliis. V. Drakenb. ad Liv. 3, 44. et quos ibi laudat. Etiam ed. pr. *cupido invasit, cessit.* In seqq. *biremium, quæque* etc. est clarum testimonium, biremes, triremes etc. ordinibus remigum censeri. Ern. Veram Flor. lectionem e Pichena initio notæ restitui. Bud. habet *invasi incessit.* Heins. e MS. Spinæ dat *invasit.*

Complet quod bir.] Bud. *et quod bir.* quod se recepisse ait Rhen. sed in textu non legitur.

Quæque simpl. ord. ageb.] Græce *moneres.* Liv. 38, 38.

Adjecta ingens lintrium vis] Locum vitiatum et mutilum correxi et auxi e Vatic. qui sic: *Armamenta liburnicis solite et simul capte lintres sagulis versicoloribus haut indecore pro telis juvabantur.* Hegesippi verba commode adtexam et corrigam 2, 9. de Rheno: *Itaque jam non copiis Germanorum repletur, sed Romanorum Liburnis.* Vetus lectio, *copolis Germanorum.* quæ recta est, sive *caupulis:* et cape exiguas illas lintres. Quam vocem Agellio 10, 25. etiam restituimus in Electis 1, 7. At hic insignis locus tunc me fugit. Lips. Locus hic in omnibus libris mire corruptus, ut frustra ejus correctio tentari videatur. MS. Flor. *tricenos quadragenosque se et armamenta Liburnicis solita.* Omninoque in accusa-

quadragenosque ferentium: armamenta Liburnicis solita: et simul aptæ lintres sagulis versicoloribus haud indecore pro velis juvabantur. Spatium velut æquoris electum, quo Mosæ fluminis os amnem Rhenum Oceano adfundit. Caussa instruendæ classis, super insitam genti vanitatem, ut eo terrore commeatus Gallia adventantes interciperent. Cerialis miraculo magis, quam metu, direxit classem, numero inparem, usu remigum, gubernatorum arte, navium magnitudine potiorem. His flumen secundum; illi vento agebantur. Sic prævecti, tentato levium telorum jactu, dirimuntur. Civilis, nihil ultra ausus, trans Rhenum concessit. Cerialis, insulam Batavorum hostiliter populatus, agros villasque Civilis intactos, nota arte Ducum, sinebat:

A. U. 824.
A. C. 71.

tivis numerorum consentiunt Reg. (Bud.) Guelf. Agr. ed. pr. omnesque ante Lipsium, qui *tricenis quadragenisque* induxit, utrum e Vat. an e superiore aliqua mihi non visa editione, nescio. sed hoc videtur. Itaque accusativi haud dubie tenendi. Post *fere* s. *ferre* MSS. Reg. Agr. ed. pr. ita tamen, ut in isto *armamenta:* in illo *armatos*, in hac *arma* sequatur. *Liburnicæ* solus cod. Agr. at *solitæ* præter ipsum iidem libri. Edd. ceteræ ante Rhen. MS. Guelf. *Liburnicas soli*, at Rhen. *liburnicas olim.* Unde sane probabilis fit lectio MS. Agr. quam Ryckius in textum recepit: *tricenos quadragenosque ferre armatos Liburnicæ solitæ.* Reliqua scriptura cod. Vaticani *et simul* etc. itidem est in ed. pr. *pro telis* etiam MSS. Reg. Agr. at ceteræ edd. et scr. tantum *haud indecore pro velis juvabant*, omissis præcedentibus in hodie vulgato sex vocibus. Sed nihil attinet laborare in loco, sine melioribus libris insanabili. Ern. Bud. *tricenos quadrigenosque seu armente taliburnicis soli haud* etc. in quo nil boni, nisi quod accusativos habeat ab initio. In seq. lineam totam omissam, clare patet. Particula *seu* in Flor. exprimitur per *set*, in aliis per *fere* vel *ferre.* Hinc Bip. effingunt *ferentium* et locum ita concinnant, ut ego posui. Recepi autem ideo, quod proxime ad Flor. accedit, etsi non negem, Ryckianam lectionem e cod. Agr. commodum sensum dare, eamque admisit Lall. Contra Brot. vulgatum servat: *tricenis quadragenisque armamenta Liburnicis solita;* intelligit quippe cum Huetio, XXX vel XL. ex illis lintribus armatas fuisse in modum Liburnicarum. Ita locum quoque Gallice reddidit Dotteville. Porro pro *captæ lintres* Bip. reponunt *aptæ*, quod et mihi videtur aptius, ut A. 2, 6. Demum Bud. *pro velis juvabantur.*

Spatium velut æquoris electum] *Electum* MS. Guelf. ed. pr. ceteræ ante Rhen. quo alludit etiam Flor. lectio *ejectum:* idque restituit Pich. cum a Rhenano inde fuisset *captum* e MS. Bud. in quo *ceptum.* Ern.

Quo Mosæ fluminis amnem Rhenus O. a.] Probe, nec improbe in libris quibusdam, *Mosæ fluminis os amnem Rhenum.* Res quidem ipsa eadem, aliter elata. Lips. *Quo Mos.* MSS. et edd. ante Rhen. qui dedit *ubi* e Bud. in quo *ut* erat. Illud restituit Pichena. Lectio a Lipsio laudata est in Flor. Reg. Agr. (et Reg. Lall.) ed. pr. et congruit cum alio loco Taciti de Rheni cursu, Ann. 2, 6. unde hanc potius secutus sum, ut etiam J. Gron. fecit. Præterea ed. pr. (item e Bud. et Reg. Lall.) *effundit.* Ern. Bud. male, *ut mos est fluminis amnem* etc. non, ut Rhen. refert, *ut Mosæ.* Quod ad *os fluminis*, cf. c. 7. et Liv. 22, 19.

Miraculo magis, quam metu] Magis, quia mirabatur, Civilem hoc audere, quam quod timeret. Nam revera Romanis hic peritissimis nihil periculi: et nondum Batavi in mari aut aquis, quales nunc miramur. Lips. Bip. exponunt sic: magis ut mirabile fecisse videretur hostibus, quam eos metuens, conjectantque leg. *metui.*

Magnitudine potiorem] Hic desinit textus hujus libri in ed. pr. Ern.

His flumen secundum] Edd. ante Pich. *is flumine secundo.* Mox *provecti* edd. ante Rhen. *Prævecti* est prætervecti, ut alibi. Ern. Pich. emendavit e Flor. Sed sic et Bud. *Is* (pro *iis*) *flumen secundum*, quod Rhen. se profitetur recepisse, sed in textu vulg. habet. Dein Bud. *prævecti*, inde Rhen.

Tentato lævium t. j.] *Levium* Flor. addit teste Ryckio. Recepere et Bip.

A. U. 824. A. C. 71. cum interim, flexu autumni et crebris per hiemem imbribus, superfusus amnis palustrem humilemque insulam in faciem stagni opplevit. nec classis aut commeatus aderant: 24 castraque in plano sita, vi fluminis differebantur. *Potuisse tunc opprimi legiones, et voluisse Germanos, sed dolo a se flexos,* inputavit Civilis. Neque abhorret vero, quando paucis post diebus deditio insecuta est. Nam Cerialis per occultos nuntios *Batavis pacem, Civili veniam,* ostentans, Veledam, propinquosque monebat, *fortunam belli, tot cladibus adversam, opportuno erga Populum Romanum merito mutare. Cæsos Treveros, receptos Ubios, ereptam Batavis patriam: neque aliud Civilis amicitia paratum, quam vulnera, fugas, luctus. exulem eum et extorrem recipientibus oneri: et satis peccavisse, quod totiens Rhenum transscenderint. si quid ultra moliantur, inde* 25 *injuriam et culpam, hinc ultionem et Deos fore.* Miscebantur minis promissa. Et, concussa Transrhenanorum fide, inter Batavos quoque sermones orti: *non prorogandam ultra ruinam: nec posse ab una natione totius orbis servitium depelli. quid perfectum cæde et incendiis legionum, nisi ut plures validioresque accirentur? Si Vespasiano bellum navaverint, Vespasianum rerum potiri; sin Populum Romanum armis provocent, quotam partem generis humani Batavos esse? respicerent Rhætos Noricosque et ceterorum onera sociorum: sibi non tributa, sed virtutem et viros indici. proximum id libertati: et, si dominorum electio sit, honestius Principes Romanorum, quam Germanorum feminas tolerari.* hæc vulgus. Proceres: *atrociore Civilis rabie semet in arma trusos: illum domesticis malis excidium gentis opposuisse. tunc infensos Batavis Deos, cum obsiderentur legiones, interficerentur Legati, bellum uni necessarium, ferale ipsis sumeretur. Ventum ad extrema, ni resipiscere incipiant, et noxii capitis pœna pœnitentiam fateantur.*

26 Non fefellit Civilem ea inclinatio, et prævenire statuit:

Flexu autumni] Edd. ante Rhen. vitiose *fluxu.* Flexus autumni eleganter posterior ejus pars, vergens in hiemem. Unde ducta loquendi forma, docui in Clave Cicer. Mox Flor. *et crebris per hiemem imbribus.* Ern. *Flexu* Rhen. e Bud. Sic A. 1, 16. *flexo in vesperam die.* Cic. pro Cœlio 31. *In hoc flexu quasi ætatis.* Mox et Reg. Lall. *per hiemem,* quod rectius. Recepere et Bip. Cf. et A. 4, 25.

Nec classis aderat] Nempe dimissa, cum plana Batavorum loca populandi caussa peteret. Mox *deferebantur* MS. Guelf. edd. ante Rhen. male. Ern. Is e Bud. conrexit.

Neque aliud—paratum] Hic *paratum* edidi e Guelf. pro vulg. *peractum,* quod hic alienum. Sæpe illa verba confusa scimus. Imitatus est Brot. Ern. Et Lall. item Bip. *Paratum* habet etiam Bud. quod miror a Rhen. neglectum. In aliis contra Bud. hic peccat, sic in seq. *profectum* pro *perfectum. fures* pro *plures. vocent* pro *provocent.*

Et ceterorum o. s.] Copulam, ab Alciato omissam, e Bud. restituit Rhen.

Virtutes et viros] Rhenanum audiebam corrigentem, *juventutem et viros:* nunc magis cum Flor. legam *virtutem*. id est bellicum ab iis robur exigi, non pecuniam aut opes. Lips. Bud. *virtutes.* Muretus et Acid. ejiciendas putabant duas voces *virtutem et.* Mox *Germ. feminas.* intellige Velledam similesque. Cf. 4, 61.

super tædium malorum, etiam spe vitæ, quæ plerumque magnos animos infringit. Petito conloquio, scinditur Nabaliæ fluminis pons. in cujus abrupta progressi Duces: et Civilis ita cœpit: *si apud Vitellii Legatum defenderer; neque facto meo venia, neque dictis fides, debebatur. Cuncta inter nos inimica, hostilia, ab illo cœpta, a me aucta erant. Erga Vespasianum vetus mihi observantia: et, cum privatus esset, amici vocabamur. Hoc Primo Antonio notum, cujus epistolis ad bellum accitus sum, ne Germanicæ legiones, et Gallica juventus Alpes transscenderet. Quæ Antonius epistolis, Hordeonius Flaccus præsens monebat, arma in Germania movi, quæ Mucianus in Syria, Aponius in Mœsia, Flavianus in Pannonia.*

A. U. 824.
A. C. 71.

Nabaliæ fluminis] Nusquam id fluminis in hoc tractu. An oppidum eo nomine? Quod Junio Hadriano videtur, legitque *Navaliæ.* et urbem Campos ita indigitat, ad sinum hodie australem, Ptolemæo parum firmiter innixus. Ego ambigo, ne *Vahalis* corrigendum sit. Pontem quidem aliquem cœptum a Romanis paullo supra legas, sed Batavoduri: de quo hæc non vane intellegas, nisi quod Batavodurum ad Rhenum fuisse volunt, quos arguat hic locus. Lips. Idem visum ante Rhenano (quia in Bud. *flabalie*). Aliis aliter: quæ commemorare, cum incerta sint omnia, nihil refert. Ern. *Vahalis* hic locum habere nequit. Civilis in Transrhenanam concesserat; Cerialis agebat in Batavis. Cluverius G. A. 3, 17. et Alting. t. 1. p. 67. intelligunt alveum Rheni, qui vulgo fossa Drusi, qua Isala Rheno committitur. Pontanus *Navam* volebat, sed ea nimis a castris Romanis remota. Cellarius nil definit 2, 3, 19.

Et civilis ita cœpit] Conjunctionem e Flor. præfixit Pich. Bud. non habet.

Et cum privatus esset] De hoc loco sensit Sidonius in Epistolis 4, 14. *Caius Tacitus e majoribus unus tuis, sub verbis cujusdam Germanici Ducis in historia sua retulit: Cum Vespasiano mihi vetus amicitia, et, dum privatus esset, amici vocabamur.* Lips.

Quæ Antonius epistolis] *Epistolis* e Flor. edidit Pichena. Ante edd. omnes *absens.* Mox in ed. Rhen. vitio operarum factum *movebat:* id fideliter ab omnibus conservatum usque ad Pichenam, qui a Flor. admonitus, correxit. Ern. *Absens* glossæ debetur. Bud. ita: *Quæ Antonius præsens monebat,* omissis intermediis. Cum hoc loco conferri meretur 4, 13.

Fabianus] Lego *Flavianus.* Lips. Consentit Florent. (et Bud.) unde edidit Pichena. Ern. Bud. in fine male *in Parma.*

C. CORN. TACITUS

DE

SITU, MORIBUS ET POPULIS GERMANIÆ.

BREVIARIUM LIBELLI.

Cap. 1. *Germaniæ situs,* 2. *incolæ indigenæ. auctores gentis. nominis origo. Hercules.* 3. *barritus. ara Ulixis.* 4. *Germani, gens sincera. habitus corporum.* 5. *Terræ natura. non aurum, non argentum, nec æstimatum.* 6. *Germanorum arma, equitatus, peditatus, ordo militiæ:* 7. *Reges, Duces, Sacerdotes:* 8. *feminarum virtus et veneratio. Veleda. Aurinia.* 9. *Dii, sacra, simulacra nulla.* 10. *Auspicia, sortes. ex equis, e captivo præsagia.* 11. *Consultationes publicæ et conventus.* 12. *Adcusationes, pœnæ, jus redditum.* 13. *Scuto frameaque ornati juvenes, Principum comites, eorum virtus et fama.* 14. *Gentis bellica studia.* 15. *In pace, venatio, otium. Collata Principibus munera. Urbes nullæ. vici, domus, specus suffugium hiemi et receptaculum frugibus.* 17. *Vestitus hominum, feminarum.* 18. *Matrimonia severa. Dos a marito oblata.* 19. *Pudicitia. Adulterii pœna. Monogamia. Liberorum numerus non finitus.* 20. *Liberorum educatio. Successionis leges.* 21. *Patris, propinqui, amicitiæ, inimicitiæque susceptæ. homicidii pretium. Hospitalitas.* 22. *Lotio, victus, ebriorum rixæ. consultatio in conviviis.* 23. *Potus, cibus.* 24. *Spectacula. aleæ furor.* 25. *Servi, libertini.* 26. *Fenus ignotum. Agricultura. Anni tempora.* 27. *Funera, sepulcra, luctus.*

28. *Singularum gentium instituta. Galli, olim valida gens, in Germaniam transgressi, Helvetii, Boii. Aravisci, Osi, incertum genus. Germanicæ originis populi Treveri, Nervii, Vangiones, Triboci, Nemetes, Ubii.* 29. *Batavi, Cattorum proles. Mattiaci. Decumates agri.* 30. 31. *Cattorum regio, habitus, disciplina militaris; vota, virtutis incentiva.* 32. *Usipii, Tencteri, equitatu præstantes.* 33. *Bructerorum sedes, a Chamavis et Angrivariis occupatæ.* 34. *Dulgibini. Chasvari. Frisii.* 35. *Chauci, pacis studio, justitia et virtute nobiles.* 36. *Cherusci et Fosi, a Cattis victi.* 37. *Cimbrorum parva civitas, gloria ingens. Romanorum clades. Germani triumphati magis quam victi.* 38. *Suevorum numerus, mores.* 39. *Semnonum religio, victimæ humanæ.* 40. *Longobardi. Reudigni. Aviones. Angli. Varini. Eudoses. Suardones. Nuithones. Herthæ cultus communis.* 41. *Hermunduri.* 42. *Narisci. Marcomanni. Quadi.* 43. *Marsigni. Gothini. Osi. Burii. Lygiorum civitates, Arii, Helvecones, Manimi, Elysii, Naharvali; horum numen Alcis. Gothones. Rugii. Lemovii.* 44. *Suiones,*

classibus valentes. 45. *Mare pigrum. Æstyi, Matris Deum cultores, succinum legunt. Sitonibus fœmina imperat.* 46. *Peucini, Venedi, Fenni, Germani an Sarmatæ? Eorum feritas, paupertas. Hominum monstra, Hellusii, Oxiones.*

1 GERMANIA omnis a Gallis Rhætisque et Pannoniis Rheno et Danubio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus, separatur. Cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum inmensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus ac Regibus, quos bellum aperuit. Rhenus, Rhæticarum Alpium inaccesso ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in Occidentem versus, septentrionali Oceano miscetur. Danubius, molli et clementer edito montis Abnobæ jugo effusus, plures populos adit,

Ordinem scriptionis si sequimur, ante Historias et Annales sibi locum vindicet hic libellus. Scriptus enim est Trajano secundum Consule, id est Nerva adhuc vivo. Ipse ostendit c. 37. *Cæcilio Metello ac Papirio Carbone* coss. *Ex quo si ad alterum Trajani Consulatum computemus, ducenti fere et decem anni colliguntur.* At Historiæ cœptæ Nerva jam mortuo et inter Divos, ut docui. LIPS.

A Galliis Rhætiisque] MSS. et edd. vet. (etiam Romana Joh. Gensbergii et Norimbergensis Frid. Creussneri) *a Gallis Rhætiisque.* Lipsius editione sexta dedit *a Galliis,* unde in ceteras fluxit. Restituimus veterem lectionem, itemque cum Broterio Rhætis, quia et in altero membro non regionum, sed populorum, nomina. Decepit editores, ut videtur, nomen *Pannoniis* itemque recentior adpellatio Rhætiarum. Sed Rhætiæ et Pannoniæ sunt inferiores Taciti ætate, ut monuit dudum Cellarius. ERN. Editiones a morte Lipsii cum ejus notis curatæ fol. Paris. 1608. et Antw. 1627. habent *a Gallis Rhætiisque.*

Mutuo metu aut montibus] Vitiat acutam sententiam Bambergense exemplar, *mutuo victu.* Immo vero *metu:* qui inter æque potentes pro termino et repagulo. Thucydides 3, 11. bene et apposite: Τὸ δὲ ἀντίπαλον δέος, μόνον πιστὸν ἐς ξυμμαχίαν. LIPS.

Nuper cognitis] Domitiani imperio, opinor. cui bella cum Cattis, Suevis, Sarmatis, et ea occasione illustratæ magis vicinæ gentes. LIPS. Colerus potius de Drusi Germ. bellis accipit, testibus Strabone l. 7. p. 291. Plinio 2, 67. Suetonio Claud. 1. Egregie rem illustrat monumentum Plautii Silvani Æliani apud Grut. p. 453.

In Occidentem versus] Pleonasmus elegans, Ciceroni aliisque usurpatus. V. Clav. Cic. in *versus.* Adde Manut. ad Cic. Ep. 8, 15. Cautio est, ne eum iis locis quæramus, ubi *versus* participium est, ut bene monet Dukerus, exquisitæ vir doctrinæ, ad Liv. 38, 51. Hoc loco participium agnoscere non licet. Nam copula deberet esse post ortus, sic: *et modico flexu* etc. *Modico fl. i. O. v.* est: ubi modice versus Occidentem se flexit. Mox *molli et clementer edito jugo* synonymice: ne Tacitum, brevitatis auctorem, talia refugere putes, ubi exquisita verba in promtu sunt. ERN.

Montis Abnobæ] Plinius nominat 4, 12. (24.) sed ibi quoque infida scriptura. Alii enim libri, *Arnobæ.* Bambergensis hic: *Anribæ.* Roman. *Arbonæ.* Ptolemæo sunt Αὐνοβοὶ montes. LIPS. *Arnobæ* cod. Kapp. *Arnobæ.* Pogg. Rhag. Puteol. ceteri ante Rhen. Ast MS. Arundel. *Arnibæ,* ut Bamb. nam in eo sic, non *Anribæ* credo fuisse. Rhenanus ex ed. ab Artolpho, medico, secum communicata prodidit *Abnobæ* et quidem in ed. 1533. nam in ed. 1519. hujus libelli adhuc est *Arbonæ.* Ex quibus patet, lectionem *Abnobæ* h. l. niti sola illa editione vetere, quam Artolphi librum vocat Rhenanus. Si cod. Artolphi est idem, quem nos Kapp. vocamus, ut mihi visum est propter summum consensum in ceteris lectionibus inde prolatis, aliud hic egit Rhenanus. In Plinio 4, 12 (24). lectionem *Abnoba* non certam esse, Lipsius monuit. Ego *Arnoba* reperi in edd. primis omnibus, quas habeo e sec. XV. In ed. a. 1497. in margine primum *Abnoba,* sc. e conjectura Hermolai Barb. e cujus castigatione est illa ed. In textu primum reperi in edd. Benedict. ut 1507. sed post eam etiam in Germanicis et Paris. 1526. in textu *Arnoba,* inter-

donec in Ponticum mare sex meatibus erumpit. septimum 2
enim os paludibus hauritur. Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos; quia nec terra olim, sed classibus, advehebantur, qui mutare sedes quærebant: et inmensus ultra, utque sic dixerim, adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porro, præter periculum horridi et ignoti maris, Asia aut Africa aut Italia relicta, Germaniam peteret? informem terris, asperam cœlo, tristem cultu adspectuque, nisi si patria sit. Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ et annalium genus

dum in margine *Abnoba* est. Ill. tamen Rezzonico in MS. reperit *Abnova*, ejusdemque lectionis vestigia in alio, quam lectionem veram putat. Sed nil interest inter *Abnobam* et *Abnovam;* sicut Ptolemæus babet Αὔνοβ. cujus etiam testimonium firmat lectionem *Abnoba* apud Plinium et nostrum. Ern. Apud Ptol. 2, 11. dicuntur Ἀβνοβαῖα ὄρη, item Ἄβνοβα vel Αὔνοβα. Ed. Rom. habet *Arnobe*, Norimb. editio, quæ dicitur codex Kappii item Artolphi, *Arnobæ*. Rhenanus hic in limine statim humani quid passus, qui e sic dicto codice isto Artolphi profert *Abnobæ*. Eum quippe a. 1533. nota fugientibus litteris margini exemplaris adlita decepit, ut monui in præfatione. Ceterum *Abnobæ* nomen verum esse, monumenta haud ita pridem reperta abunde confirmant. Scilicet in ipsa Nigra silva sive monte Abnoba reperta est a. 1778 ara, inscripta hoc titulo: IN H. D. D. DEANAE ABNOBAE CASSIANVS CASSATIVS L L M ET ATIANVS FRATER FALCONE ET CLARO COSS. quæ proinde A. U. C. 946. A. C. 193. posita fuerat. Sistit eam decus, dum viveret, eximium S. Blasianum, Abbas Gerbertus in Hist. silvæ nigræ t. 1. p. 7. Tum vero a. 1784. Badavillæ in jugo ejus montis sitæ e ruderibus thermarum Romanarum extracta est ara vel basis columnæ sive statuæ inscripta DIANAE ABNOB. de qua vid. laudatus Gerbertus t. 2. p. 243. et Aug. Gottl. Preuschen in Denkm. von alt. phys. u. polit. Revolutionem in Deutschland, bes. in den Rheingegenden. 8. Frf. 1787.

Erumpit] Cod. Kapp. (s. ed. Norib. item Rom.) *erumpat*, itemque edd. Rhen. seqq. ante Pichenam, qui ex ed. Put. edidit *erumpit*, quod et ceteri mei veteres habent. Ceterum utrumque rectum. Ern.

Utque sic dixerim, adversus] Haud satis capio. An *adversum* dicit oppositum et contrarium? An *obversus* verius sit legi, idque ex situ ipso? An vox aliqua durior aut remotior fuit, præsertim quam præfatione ea leniit? Tamen haud male *adversum* ceperis, quasi mari Italico et Tyrrheno oppositum: eodemque sensu etiam, *diversus*. Sic in Agricola scripsit c. 23. *Glota et Bodotria diversi maris æstu in immensum revecti, angusto terrarum spatio dirimuntur.* Lips. Quomodo *adversus Oceanus?* numquid aliter quam *secundum* et *adversum mare*, 2, 98. *Mare quoque Etesiarum flatu in orientem navigantibus secundum, inde adversum, erat.* Sumtum inde, quod *secundo flumine*, *amni secundo*, et vicissim *adverso flumine* vel *fluvio*, *adversa aqua per flumen* dixere. Sic etiam, qui ex Italia Oceanum, per Germaniam proprie dictam, ingreditur, *adversa aqua* videtur vehi, sive æstu contrario: præcipue versus septemtriones: ibi enim *consurgere mundum*, qui in austros Libyæ *premeretur;* ibi *erectum borean*, ex opposito *notum jacentem* credebant. Plinius 2, 70. *Navigantium hac maxime cursus deprehendunt, in alia adverso, in alia prono mari, subitoque conspicuis, atque ut e freto emergentibus, quæ in amfractu pilæ latuere, sideribus.* Gron. Nil opus Acidalii *aversus*. Inprobabile prorsus Crusii *abstrusus* in Prob. crit. p. 33.

Nisi si patria sit] MS. Turic. *nisi sibi p. s.* Ern. *Nisi si* ed. Rom. et Nor. Sic et alibi. V. Dukerus ad Flor. 4, 7, 15. In depingenda imagine terræ consentit Seneca de Provid. c. 4.

Quod unum apud illos] Uti apud barbaros fere omnes et rudes litterarum. Nec Hispani aliter compererre apud novos Indos. Eginhartus in Vita Caroli Magni c. 29. *Barbara et antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus et bella canebantur, scripsit, memoriæque mandavit.* Jornandes de Gothis c. 5.

est) *Tuisconem Deum, terra editum, et filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tris filios* adsignant, *e quorum nominibus proximi Oceano Ingævones, medii Hermiones, ceteri Istævones vocentur.* Quidam autem, licentia vetustatis, *plures Deo ortos pluresque gentis adpellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos, Vandalios* adfirmant: *eaque vera et antiqua nomina. Ceterum Germaniæ vocabulum recens et nuper additum; quoniam, qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ac, nunc Tungri, tunc Germani vocati sint. ita natio-*

In priscis eorum carminibus pæne historico ritu recolitur, etc. At proprie de Germanis, noster A. 2, 88. de Arminio: *Caniturque adhuc barbaras apud gentes.* Julianus egregie in Antiochico ab initio, qui hæc, *ἄγρια μέλη* vocat, *παραπλήσια ταῖς κλαγγαῖς τῶν τραχὺ βοώντων ὀρνίθων: agrestia carmina, similia clangoribus avium aspere clamantium.* Lips. In hoc loco alii legunt *τοῖς κρωγμοῖς.*

Tuisconem] Ita edidi e MS. Turic. cod. Kapp. ed. Rhag. ut dudum voluere viri docti (in his Conring.). Ceteræ edd. meæ inde a pr. Spirensis *Tuistonem.* In vett. edd. autem sæpe observavi *st* esse pro *sc.* Sic mox c. 3. in edd. Spir. et Pogg. *stutis* pro *scutis.* In MS. Turic. ante abest etiam *est.* bene, ut opinor. In ed. Rhag. *sit* reperi. Post liber Artolph. *ei filium:* MS. Arund. *ejus f. M. o. g. conditoremque:* quod favet conjecturæ Rhenani: *Ei f. M. o. g. conditoremque: Manno tres filios adsignant.* Ed. Pogg. *conditorisque,* item Spirens. Ern. Ed. Rom. et Nor. *Tuisconem—ei filium—conditorisque.* Wachterus volebat *Tutisconem;* Cluverius *Tuitonem,* quod et placebat Perizonio. Scheidius in præf. ad Eccardum de orig. Germ. p. 28. suadet legendum *Thiudans* datque *et terra editum.* Ceterum hic non quæritur, quod nomen hominis verum fuerit, sed quale a Tacito scriptum, quod dubium esse nemo non sentit. Gebaverum si audias in Vestig. juris Germ. antiq. p. 926. Tacitus scripserit *Tutiscottem Deum, terra editum ei* (vel *et*) *filium Mannum.* Derivat scil. vocem a *thiud,* gens, et *cott* sive *Gott* Deus, ut sit gentis Deum.

Herminones] Cod. Vat. Kapp. edd. Puteol. Rhag. *Hermiones,* ut fere in libris Plinii scribuntur. Mox ed. Alc. vitiose *Deos.* Ern. Ed. Rom. et Nor. *Hermiones.* Recepere et Bipontini, qui pro *Deo ortos* mallent *de eo* (Manno) *ortos.*

Licentia vetustatis] Cod. Kapp. *ut in licentia vet.* plane ut e cod. Art. laudat Rhenanus, et est in duobus Vatic. ap. Broterium. Ern. Sic et ed. Nor. qui est iste cod. Kappii et Artolphi, sed omisso *autem.* Sic porro et ed. Rom. Eam lectionem probat Zinzerling in Crit. juv. prom. c. 51.

Vandalios] Cod. Kapp. (s. Norimb. ed.) *Vandilios.* (Sic et ed. Rom.) MS. Arund. edd. Rhag. Ber. *Vandalos.* Ergo vulg. non ita firmum, ut Harduino visum ad Plin. 4, 14 (28). Ern.

Recens et nuper additum] Nos *auditum* maluimus legi (ut c. 41.) quam *additum.* Quod ait, *nuper,* non Hercules ita nuper: quippe cum ab ævo Julii Cæsaris, quo constat Germanos Galliam irrupisse. Lips. Multo magis *additum* demulcet quam *auditum.* Intellige, datum, inditum, impositum. Virgilius 1, 267. *Puer Ascanius, cui nunc cognomen Julo Additur.* Seneca Herc. Fur. 1237. *Quis nomen unquam sceleris errori addidit?* ut ex Flor. restituimus. Claudianus Cons. Olybrii et Probini v. 9. *nam sæpe soles ductoribus illis Instaurare vias et cursibus addere nomen* Gron. *Nuper* de satis longo tempore uno alterove etiam sæculo dici, hodie satis constat inter Latine doctos. V. dicta in Clave Cicer. in h. v. *Auditum* placebat etiam Pighio in Hercule Prod. p. m. 9. Ern. Germanorum nomen in Fastis Capitolinis jam occurrit ad a. u. 531. Eos scite æri incisos dedit Piranesius.

Nunc Tungri, nunc Germani] Valde amplector Bambergensem scripturam, quam et Pichena repperit in veteri editione Bononiensi: *ac nunc Tungri, tunc Germani.* atque ita evolvam me ex obscura origine nominis, quod hodieque hæret in pace et bello optima gente. Sententiam enim hanc reor (quidquid dissertum aliis) eos qui transgressi primitus Rhenum sint, esse eum ipsum populum, qui nunc Tungri appellentur, at tunc Germani. quod tamen unius nationis peculiare nomen, paullatim

nis nomen in nomen gentis evaluisse paullatim, ut omnes, primum
a victore ob metum, mox a seipsis invento nomine, Germani *voca-*
rentur. Fuisse apud eos et Herculem memorant, primum- 3
que omnium virorum fortium ituri in prœlia canunt.

transfusum ad omnes. LIPS. *Tunc* MS. Turic. edd. Bonon. 1472. ap. Pichenam, Spirensis, Pogg. Ceteri edd. mei ante Pich. bis *nunc*. Cod. Kapp. (s. ed. Norib.) inverse *ac tunc Tungri, nunc G.* ut Acidalio placebat. *Sunt* edd. Rhag. Rhen. 1519. Post pro *non gentis* Acidalius malebat *in nomen gentis evaluisse*: quod non displicet. Est enim hæc legitima verbi *evalescere* constructio, ut H. 1, 80. et alibi. ERN. Recipio cum Bip. Ex hoc loco patet, editionem veterem, qua usus J. E. Kappius, non esse Romanam; hæc enim habet *ac nunc Tungeri tunc Germani*. Joh. Kappius in editione sua Germaniæ a. 1788. secutus alteram editionem istam reposuit *ac tunc Tungri, nunc G.* Ita quoque visum fuerat Acidalio. Longolius τὸ *ac* recidendum putabat. Ceterum Bononiensis editio a. 1472. est eadem, quæ Poggii, quod et alibi monitum. In sequentibus Wachterus in alia omnia abit. Servat vulgatum *non gentis* et nomen nationis intelligit *Germanorum*; gentis, *Theotiscorum*; istud, non hoc, prævaluisse paullatim censet.

A victore ob metum] Vox *Germani* eidem Bamberg. recte abest. Ista ipsa enim noviter interpretari posse videor, et præter mentem omnium, etsi non præter verum. Censeo eum hoc dicere. Factum, ut omnes, qui Rhenum accolerent, nomen ab ista victrice natione invenirent, ob metum scilicet recentem Gallorum: qui, quoties de transgressu vel adventu Transrhenanæ nationis audirent, aiebant trepidi adventare Germanos. at isti proprie Germani, novum nomen invenirent a se ipsis, discriminandi nimirum caussa, et dicerent se Tungros. Possim vulgatam tueri et explicare. sed cur nuger? hæc mera veritas. LIPS. Vir doctus (de la Bleterie) apud Broterium corrigit *ad metum*, quod est facilius, sed *ob m.* idem significare posset. ERN.

Mox a se ipsis] *Mox* pro postea est et apud Flor. 3, 10, 8. ubi vid. Dukerus.

A seipsis invento nomine Germani] Si mordicus hanc retines, legam, *a re ipsa invento*. Germani enim etymo prisco bellaces viri sunt. *Gerra*, bellum. invenere ergo id nomen, ab ipsa re, quia tales. Vulgatam quomodo expedies? aut qui a seipsis nomen hoc invenere, quod antea in Tungris? Sane interpretes hic fluctuant, et fluctuabunt æternum. LIPS. Locus ex illis, in quibus majore cum fiducia destruas aliena, quam moliaris et struas tua. Utrumque autem defendi possit *a victore*, malim tamen *a victrice*, ut referatur ad *nationem*. Deinde utrobique admitto scripturam Bambergensem. Sensus: ut transrhenanæ gentes, inter Gallos, et ab his ad Romanos Græcosque potissimum per Massilienses propagata communi appellatione, a victrice natione, metu dictante, omnes *Germani* (quod primis experimentis virtutis appellabantur, qui postea *Tungri* dici maluere) mox, postquam non metus, sed ratio, valuit, et interius eæ Transrhenanæ gentes sunt cognitæ, proprio et a seipsis invento nomine, velut Suevi, Catti, Sicambri, Cherusci, Usipetes etc. vocarentur. GRON. MS. Arund. *mox et a se i. i.* ERN. Quæritur hic: quis *victor* sit intelligendus? Tungros vulgo putant, quorum pristinum nomen ob metum aliis quoque sit datum, ut Germani dicerentur. Longolio, quem cum Kappio Bipontini sequuntur, secus videtur. His *victor* est Populus Romanus. qui, etsi non domitos a se Germanos, victos tamen, crepabant, ut Florus habet 4, 12. Metuisse vero, satis constat. Alii, Muretus, Cluverius, Harlæus, et nuper Lallem. conjiciebant legendum *a victis*, quod bonum sensum fundit; verum, refragantibus codicibus, haud admittendum.

Virorum fortium. Ituri] Recte distinxi. Non enim ea mens, quod Herculem canant; sed quod alacres et cum cantu incipiant pugnas. Tacitus H. 2, 22. *Temere subeuntes cohortes Germanorum, cantu truci et more patrio nudis corporibus.* Lib. 4, 18. *Ut virorum cantu, fœminarum ululatu sonuit acies.* Noto autem, etiam Hispanos præliis præcinuisse, ex Silio 10, 230.—*ritu jam moris Iberi Carmina pulsata fundentem barbara cetra.* Diodorus Siculus, de Lusitanis 5, 34. Ἐν τοῖς πολέμοις πρὸς ῥυθμὸν ἐμβαίνουσι, καὶ παιᾶνας ᾄδουσιν, ὅταν ἐπίωσι τοῖς ἀντιτεταγμένοις. Similia in

Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem *barritum* vocant, accendunt animos, futuræque pugnæ fortunam ipso cantu augurantur. terrent enim trepidantve, prout sonuit acies. Nec tam vocis ille, quam virtutis, concentus videntur. Adfectatur præcipue asperitas soni et fractum murmur, objectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat. Ceterum et *Ulixem*, quidam opinantur, *longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum delatum, adisse Germaniæ terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur, ab illo constitutum no-*

Thracibus aliisque barbaris fuisse, notavi ad A. 4, 47. Lips. Antiquam distinctionem revocavit Pichena. Ern.

Barditum vocant] Ita Farnes. et scio, Bardos Gallos dictos cantores sive poetas. Placet tamen nunc magis *baritum*: quæ mera vox nostras, quibus *beren* aut *bæren*, clamare, vocem tollere. Errabit enim, qui ab elephantis barritu deducet, Germanis tunc ignoti. Althamerus *blaritum* vellet, Germanico item verbo. Quidquid de nomine sit, Ammianus hunc describit 16, 12 (30). *clamorem fuisse maximum, qui ipso fervore certaminum exoriens identidem, paullatimque adolescens, ritu extollitur fluctuum cantibus illisorum.* Lips. *Barditum* etiam MS. Arund. cod. Kapp. (s. ed. Nor.) Ceteri libri mei omnes *baritum*. *Relatum* vocat ipsum cantum, ut poetæ *referre* de quocumque genere orationis dicunt. Ern. *Barditum* et liber Artolphi s. ed. Nor. item ed. Rom. Ammianus *barritum* 26, 7. et 31, 7. et Veget. 3, 18. habent. Verosimilius etiam apud Tacitum sic fuisse scriptum. Etymon incertum. Car. Gottl. Anton notis ad vers. Germ. Taciti libelli ducat ex *War-lied*, quod belli cantum significat. Perizonius legit *baritum*, quasi, a *baer*, *baar*, ursorum murmur.

Nec tam voces illæ] Sic MS. Tur. et cod. Kapp. edd. Spirensis, Pogg. Rhag. Put. Bonon. Ber. Rhen. 1519. at post edidit: *nec tam vocis ille*: quod omnes ante Pichenam edd. servant: idque præferrem, si a libris firmaretur. Ern. Ed. Rom. et Nor. *voces ille*. Verum mire blanditur lectio ista Rhenani *vocis ille*, quæ et Heinsio placuit, qui tamen perperam ad vetustiores editiones provocat, et recepta est a Bip. quos sequor.

Quam virtutis concentus videtur] Bamberg. *quam mentis concentus*. quod haud præferam vulgatæ. Lips. *Mentis* etiam MS. Arund. quæ vox sane bonum sensum facit. sed et *virtutis concentus* bene habet. Etiam Cicero *virtutum concentum* dixit, sed alio sensu, ut *concentum doctrinæ*, *naturæ* etc. Ern. *Mentis* probat Colerus.

Ulixem quidam] Interque eos Strabo, magni et directi judicii scriptor, lib. 3. p. 149. qui adfirmate tradit, Ulysseam Lusitaniæ (Ulyssiponem aliter dicimus) Homerici Ulyssis monumentum esse. Sed et in Britanniam eum venisse, ex ara Græcis litteris inscripta collegit Solinus c. 25. itemque Mela. Cui miræ et blandiendi opinioni si indulgemus, quidni Ulissinga nostra in Zelandia, ab eodem sit? quidni Circzea a Circe? Sed vani et lascivi, vereor, lusus isti ingeniorum sunt: quibus tamen hodie nonnemo se ostentat et superbit. Jo. Brodæus hæc de Ulyssis errore in Miscellaneis 3, 4. scite coarguit: Brodæus, vir, sive adolescens potius, acris ingenii, probi judicii, lectionis diffusæ, quem non magis in ore famæ esse miror, immo indignor. Lips. Mox *adisse* vett. edd. non *adiisse*. Ern. Mela male hic citatur.

Hodieque incolitur] MS. Turic. edd. Spir. Puteol. Rhag. *hodie*. Ern. Ed. Rom. et Nor. item Rhen. *hodieque*. Meminit *Asciburgii* Marcianus Heracleota, item Ptolemæus, licet loco alieno. Contra in Tabula Theod. occurrit ad Rhenum inter Novesium et Vetera, eique respondet hodie vicus *Asburg*. Sic Cellarius, D'Anville, alii. Contra J. H. M. Ernesti in hodierno *Essenberg* prope Mors rectius quæri autumat.

Nominatumque ἀσκιπύργιον] Vel, ut Rhenanus, ἀστυπύργιον. etsi abesse vox ea potest, incolumi sensu. Præcessit enim. At libri quidam magis hic diversi, qui ἀκρινίπριον referunt. ex quo placet quibusdam ἀκρινήριτον, a Nerito, ut volunt, Ithacæ monte. locus quidem hic ipse, quem indicari putamus, clivosus est, haud procul Veteribus vicus, *Aschelburg* nunc dictus. Lips. MS. Arund. ἀστυτειάγιον. Cod. Artolphi, Kapp. (s. ed. Nor.) ed. Rhen. 1519.

minatumque. Aram quin etiam Ulixi consecratam, adjecto Laertæ patris nomine, eodem loco olim repertam, monumentaque et tumulos quosdam, Græcis litteris inscriptos, in confinio Germaniæ Rhætiæque adhuc exstare. quæ neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat, vel addat fidem. Ipse eorum opinionibus 4
accedo, qui *Germaniæ populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos, propriam et sinceram et tantum sui similem gentem exstitisse*, arbitrantur. unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces et cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora et

Acriniprion. A ceteris meis ante Rhen. abest: sed in quibusdam, velut Spir. Put. Ber. ut lacuna sit, signum vocis Græcæ, quam exprimere typis non possent. Rhenani lectio servata est in omnibus ante Lipsium, qui recte delevit. scripserat aliquis Græce nomen in margine: inde corrupte in textum venit. Restituit in textum ἀσκιπύργιον Broterius: quod forma orationis non sinit imitari. Si pro *Asciburgium* esset *oppidum*, locum haberet nomen Græcum. Ern. Expungunt iteratum nomen Pichena, Colerus, alii. Contra, servandum altero loco et Græce scribendum Ἀσκιπύργιον, Altmannus judicat. Hagenbuchius inde exsculpsit Ἀσκινίπυργον, quasi Ascanii arcem, in quo sibi mire placet. Bipontini spatium vacuum reliquere. Ceterum hoc loco Rhenanus in notis abusu vocum turbat lectorem. In exemplari, quocum a. 1519. contulerat codicem suum, adserit scriptum fuisse *acriniprion.* ubi per *exemplar* intelligit codicem, quem vocare solet, Artolphi sive editionem Noribergensem; contra *codex* hic ei est editio Beroaldina, in qua, ut in editione Romana, lacuna est relicta.

Ulixi consecratam] Intelligo, ab Ulixe, ut ap. Sueton. Aug. 1. *ara Octavio consecrata*, accipiunt quidam viri docti. Tacit. A. 15, 41. *ædes Statoris Jovis vota Romulo.* Ern.

Græcis litteris] Litteris fortasse, vix credo lingua. Quid autem mirum de illis, cum etiam Helvetii et Galli litteratura Græca usi sint, Romanis characteribus juxta cum imperio ignotis? Lips. Græcarum literarum usum etiam Gallis tribuit Cæsar B. G. 6, 14. ubi v. Davies et Oudend. lectionem vulgatam recte defendentes. Ern.

Neque confirmare argumentis] Scriptus olim Bil. Pircheimeri *adfirmare*, ut monuimus ad Liv. 22, 13. Gron. Libri mei omnes vulgatum habent. Sed non modo *adfirmare* probo, verum et *argumentis* suspectum habeo. quorsum addat scriptor brevitatis amans, cum non addat copiosus ille Livius, a quo etiam totum hoc sumtum est, e præf. *ea nec adfirmare, nec refellere in animo est.* Etiam sequentia e Livio sumta. Ern.

Ipse e. o. accedo] Livium si sequi voluisset, dixisset *accedam.* Ern.

Aliis] Redundat. Lips. Recte. Pichena conjicit *nullis alienigenarum.* Ern.

Propriam et sinceram] Bamberg. *perpetuam et sinceram.* Lips. Τὸ *perpetuam* huic rei accommodatum non videtur. Tria enim, quæ ponit hic Tacitus, nihil aliud sunt, quam idem alio modo, majoris affirmationis et ἐμφάσεως χάριν. Ita et *proprius* suus, οἰκεῖος, cum pluribus non communis, eoque impermixtus, *sincerus et tantum sui similis.* Gron. MS. Arund. *propterea*, male. Sed mihi *tantum* suspectum est: neque enim intelligi potest *tantum sui similem esse.* quis sic dixit unquam? scripserim *totam.* Error forte natus est e mox sequentibus, *et tantum ad impetum valida.* Ern. *Perpetuam* placebat Conringio et Colero; *propterea* Bipontinis.

Rutilæ comæ] Sive flavæ et colore auri. Ideo auricomi Batavi Silio 3, 608. *At puer auricomo jam formidate Batavo.* Wandali χρυσοειδεῖς Procopio dicti. Rufum Seneca dixit 3, 26. De Ira: *Non est Æthiopis inter suos insignitus color, nec rufus crinis et coactus in nodum apud Germanos.* Et Martialis Ruffum ea mente Batavum Epigr. 176. *Sum figuli lusus, ruffi persona Batavi.* Græci plerumque ξανθὸν verterunt: etsi Galenus Commentario ad Polybum De victu c. 6. velit, Germanos magis proprie πυῤῥοὺς dici, quam ξανθούς. Calpurnius Flaccus Declamat. 2. de hoc Germanorum conna-

tantum ad inpetum valida. laboris atque operum non eadem patientia: minimeque sitim æstumque tolerare, frigora atque inediam cœlo solove adsueverunt. Terra, etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida, aut paludibus fœda: humidior, qua Gallias; ventosior, qua Noricum ac Pannoniam adspicit: satis ferax: frugiferarum arborum inpatiens: pecorum fœcunda, sed plerumque in-

to habitu: *Miramur hanc legem esse naturæ, ut in subolem transeant formæ, quas quasi descriptas species custodiunt? Sua cuique genti etiam facies manet. Rutili sunt Germaniæ vultus, et flava proceritas Hispaniæ. non eodem omnes colore tinguntur. . . . Diversa sunt mortalium genera, nemo tamen est suo generi dissimilis.* Quem obiter emendo: *et flava proceritas.* (apage enim hoc de Hispanis.) *Hispani an non eodem omnes colore tinguntur?* Nec a natura solum rutilus hic crinis, etiam ab arte. Lavabant enim crebro et medicamento rutilabant. Ammianus: *Videbat* (Germanos) *lavantes alios, quosdam comas rutilantes ex more.* Medicamentum, sapo. Martialis 14, 26. *Caustica Theutonicos accendit spuma capillos.* Plinius 28, 12 (51). *Prodest et sapo. Galliarum hoc invêntum rutilandis capillis, ex sevo et cinere.* Ita Caligula procerissimum quemque e Gallis ad Germanicum triumphum legit: *coegitque rutilare et submittere comam;* ut Germani scilicet germani viderentur. Suet. narrat cap. 47. Herodianus item de Antonino Germanos æmulante 4, 12. *Κόμας τε τῇ κεφαλῇ ἐπετίθετο ξανθὰς, καὶ εἰς κουρὰν Γερμανῶν ἠσκημένας.* Caussam huic coloris studio adsignat Clemens Pæd. 3, 3. p. 98. terrorem. Τῶν ἐθνῶν, inquit, *οἱ Κελτοὶ καὶ οἱ Σκύθαι κομῶσιν, ἀλλ' οὐ κοσμοῦνται. ἔχει τὶ φοβερὸν, τὸ εὔτριχον τοῦ βαρβάρου, καὶ τὸ ξανθὸν αὐτοῦ πόλεμον ἀπειλεῖ, συγγενές τι χρῶμα τῷ αἵματι.* (Cf. porro Diod. Sic. 5, 28.) Romanæ etiam matronæ veteres amavere hunc colorem, *et summa diligentia capillos cinere rutilabant,* ait Valerius 2, 1, 5. Posteriores magis avide, quæ capillicium ipsum emebant a Germanis, et pro comis suis supponebant. Ovidius ad puellam Am. 1, 14, 45. *Jam tibi captivos mittet Germania crines, Culta triumphatæ munere gentis eris.* Quamquam Servium notare video in 4. Virgilii 698. *matronis nigram comam, meretricibus flavam probatam fuisse.* Quo videatur Satyricus respexisse de Messallina matronam sedulo dissimulante (Juven. 6, 120). *Et nigrum flavo crinem abscondente galero.* De hac ipsa re doctissimus Tertullianus de Cultu 2, 6. *Video quasdam et capillum croco vertere. pudet eas etiam nationis suæ, quod non Germanæ aut Gallæ procreatæ sint: ita patriam capillo transferunt. Male ac pessime sibi auspicantur flammeo capite.* Nam quod mali auspicii ait flammeum caput: intelligit omen ad flammas æternas. Lips.

Magna corpora et tantum] Mutilus, me judice, Bambergensis, qui spreta priori voce scribit: *corpora tantum impetu valida.* Nam proceritas etiam inter Germanorum proprias notas. Lips. *Et* accipe dictum pro *sed,* ut sæpe: ne tentes cum Acidalio corrigere *sed.* Bambergensi consentit MS. Arund. Res ipsa multis Taciti, Livii, Cæsaris aliorumque testimoniis nota. Ern. Adde supra A. 2, 14. et Plut. in Mario c. 14. p. 411.

Cœlo solove] Perizon. mallet *soloque.*

Et si aliquanto specie differt] Nescio, quid idem liber sibi velit, *etsi aliquando specie aret.* An, *variet?* Lips. *Aliquanto,* i. e. non parum. V. ad Sueton. Cæs. 86. etsi debebat esse *aliquantum.* Ern. Bip. *τὸ aret* explicant per *arefit* calore solis superficies soli.

Ventosior, qua Noricum] Vix fides. Loca certe, quæ humida et ad mare, magis obnoxia ventis, quam sicca et mediterranea, quod utique verissimum experimur in omni Germaniæ isto tractu, qui ad septemtrionem. Sed nec ventorum proprie hic res est: de humore agitur, aut siccitate. Anne *verticosior,* ausim legere? id est magis alta et montana? Mela quidem ita disparat, in hac ipsa terra describenda 3, 3. *Terra multis impedita fluminibus, multis montibus aspera et magna ex parte silvis aut lapidibus invia.* An frustra angimur? et ventosam accipi, pro sicca atque aerea, simplicius et verius sit? Lips. Colerus non male defendit vulgatum, *ventosum,* pro silvestri, pro montano, dictum dicens. Ern. Scil. Alpibus connexum.

Satis ferax] Sive segetibus. Cluver. et Conring. mallent *sati.*

Plerumque improcera] Malo, *plera-*

procera. ne armentis quidem suus honor, aut gloria frontis. numero gaudent. eæque solæ et gratissimæ opes sunt. Argentum et aurum propitii an irati Dii negaverint, dubito. Nec tamen adfirmaverim, nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere. quis enim scrutatus est? possessione et usu haud perinde adficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa, legatis et Principibus eorum muneri data, non in alia vilitate, quam quæ humo finguntur: quamquam proximi, ob usum commerciorum, aurum et argentum in pretio habent, formasque quasdam nostræ pecuniæ agnoscunt atque eligunt: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem et diu notam, serratos, bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla adfectione

que. De reipsa autem, ita hodie contra est, ut armenta nostra Bataviæ aut Frisiæ palmam poscere audeant contra omnia Europæ. LIPS. Sed ad armenta non videtur pertinere, quæ satis clare excipit Tacitus: *ne armentis quidem:* in quibus solum nitorem et cornuum magnitudinem desiderat. ERN.

Suus honor aut gloria frontis] *Honor* est pulchritudo e pinguedine et nitore. *Gloriam frontis* poetice cornua vocavit. ERN.

Nullam Germ. venam] Respice tamen A. 11, 20.

Possessione et usu haud perinde adficiuntur] Subaudienda particula, quasi esset: *sed possessione haud perinde*, puta, ac nos Romani, et omnes fere aliæ nationes. GRON. Ceterum veteres quidam libri ut MS. Tur. cod. Kapp. (s. ed. Norimb.) etc. *proinde:* cujus confusionis jam supra exempla vidimus. ERN. Edit. Rom. *perinde.* Rhen. *perinde* e Beroaldina. Sed Put. *proinde.*

Non in alia vilitate] i. e. pari, non minori. Rhen. 1519. edidit *utilitate*, sed post *vilitate. Utilitate* tamen et Lipsius edidit. Si *utilitas* pro usu diceretur, et libri faverent, præferrem: apud nos in alio usu vasa argentea, h. e. diebus festis, in epulis utimur, non vulgo: at illi non ita. ERN. Perizon. particulam *quam* expungendam putabat. In ed. Rom. conruptus est locus. Ed. Nor. *vilitate.* Sic et Beroaldi.

Serratos, bigatosque] Diu hos *serratos* numos quæro, homo alias non appetens valde numum. Nam vulgo leviter defunguntur. Et *serrati*, inquiunt, numi, quibus serræ forma impressa sive incusa, ut bigati, quibus bigarum. et de his quidem clarum est. oculi me docent cottidie. at de serratis, quis obsecro, in tanta ista copia numorum veterum, unum aliquem protulit, aut proferet cum serra? Non vidi, non legi. Fulvius sane Ursinus, in gente Manlia numum repræsentat, cujus in postica parte caput urbis, et inscriptum ROMA. SER. quod ipse interpretatur *serratum.* sed quo argumento? Mille numi cum illo capite, in quis nihil tale. et potius id referendum ad Serrani cognomen, quod ex alia gente hærere huic potuit per adoptionem. An lectio solicitanda in Tacito? an *æratos*, aut *ratitos*, aut *Servianos* legendum? De prioribus quid fuerint, clarum: Servianos autem interpreter veteres Regios, quos in pretio fuisse, notat Suetonius Augusto 75. Servius certe primus Regum æs signavit. Adde, quod in codice Bambergensi *servatos.* An servamus lectionem, et capimus serratos eos, quorum ambitus dentatus atque asper sit in modum seræ? quæ proba nota, et nihil periisse longo usu aut resectione. Numos ego quosdam argenteos ita formatos usurpasse his oculis, sum certus. Spectasse autem id eos in numis vulgo, ratio et Tertullianus de Pœnit. 6. addocent: *Qui venditant, prius numum, quo paciscantur, examinant, ne scalptus, neve rasus, ne adulter sit.* Sed tu, erudite lector, cogita. nam de me Tullianum illud habe, *Cedo, eja manum tollo.* LIPS. *Serratos* numos esse denarios, quorum exterior ora in serræ modum est incisa, docet clare Eckhel in D. NN. vet. in prolegom. ad NN. fam. §. 16.

Nulla affectione] Cod. Kapp. (s. ed. Norib.) edd. Rhen. sqq. ante Lips. *affectatione.* ERN. Sic et ed. Rom.

animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est pro-
6 miscua ac vilia mercantibus. Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis, aut majoribus lanceis utuntur. hastas, vel ipsorum vocabulo *frameas*, gerunt, angusto et brevi ferro, sed ita acri, et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus vel eminus pugnent. et eques quidem scuto frameaque contentus est: pedites et missilia spargunt, plura singuli, atque in inmensum vibrant, nudi aut sagulo leves. nulla cultus jactatio: scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt: paucis loricæ: vix uni alterive cassis, aut galea. Equi non forma, non velocitate conspicui. sed nec variare gyros, in morem nostrum, docentur. In rectum, aut uno flexu dextros agunt, ita conjuncto orbe, ut nemo posterior sit. In

Numerus arg. facilior usui est] *Facilior* omnes libri mei præter ed. Lips. in qua est *faciliori*, nescio unde. Illud verum est. Argentei numi opportuniores sunt ad usum eorum hominum, qui res viles mercantur, quia varia genera, varii pretii etiam perparvi numos argenteos habemus, quod secus est in aureis. Ern.

Rari gladiis utuntur] Iisque grandibus et oblongis. Plutarchus de Cimbris in Mario c. 41. p. 420. *Μεγάλαις ἐχρῶντο καὶ βαρείαις μαχαίραις.* Cæsar item, Livius, et Historici passim. Illud dignum nota e Widichindo Annal. 1. ab initio. *Erat illis diebus Saxonibus longorum cultellorum usus, quibus usque hodie Angli utuntur morem gentis antiquæ sectantes.... Cultelli autem nostra lingua sahs dicuntur: ideoque aiunt quidam Saxones nuncupatos.* De veritate etymi nescio: illud scio, falces oblongas et grandes frumentarias eo nomine etiam hodie nobis dici. Lips. De armis Germanorum veterum fuse egit G. Achenwall 4. Gött. 1755. Inserta est diss. Notitiæ Hermundurorum. 8. Norimb. 1793.

Majoribus lanceis] Mirum, quod hic rarum id telum facit: at in Annalibus vulgat. Ut 1, 64. de Cheruscis: *Hastæ ingentes, ad vulnera quamvis procul facienda.* Et 2, 14. universe de Germanis: *Immensa barbarorum scuta, enormes hastas.* Iterumque c. 21. *Artis locis prælongas hastas non protendere, non colligere.* Nusquam de istis brevibus, quas frameas vocat. Lips.

Ipsorum vocabulo frameas] Quod genus teli fuerit, quæro. Isidorus vult gladium fuisse. *Framea*, inquit, *gladius ex utraque parte acutus, quam vulgo spatham vocant. Ipsa est et romphæa.* Valde a Tacito abit, qui clare appellat hastam: et addit, eodem telo cominus eminusque pugnasse. Non ergo gladius. Numquid romphæa? nam et hoc addidit. pariterque Glossæ veteres, *Framea, ῥομφαῖα.* Ambigo, nec facile inducor credere, si Valerii quidem descriptio hæc proba: Argonaut. 6, 98. *Æquaque, nec ferro brevior, nec romphia ligno.* (Burm. *rumpia.*) Facit enim genus teli, in quo hastile et mucro pari fuerint longitudinis modo. Tacitus autem aliud fuisse in sua framea docet, quam statuit *brevi et angusto ferro.* Itaque magis est, ut ad exemplum hastæ sive *Spiesse* nostræ fuerit, breviore tamen ligno. Lips. Reperta est *framea* in thesauro sepulcrali Merovingico prope Virodunum a. 1740. et in Museo Schoepfliniano apud nos servatur. Exhibui totam supellectilem et, quid *framea* differat ab *hasta*, ostendi in Laudati Musei descriptione p. 146. Plane eandem formam habet cum instrumento, quod hodieque *Pfriem* dicitur.

Plura singuli] Sic MS. Turic. edd. Spir. Pogg. Ber. Puteol. Rhag. idque melius, quam aliorum *pluraque*, ut quivis facile sentiet. Ern. *Plura* habet ed. Rom. *Pluraque* Norimb. Pro *vibrant* Heinsius malebat *librant.*

Cassis aut galea] Cod. Kapp. (s. ed. Norib.) edd. (Rom.) Spir. ceteræque ante Rhen. ed. 1533. *galeæ.* Rhenanus correxit *galea* ex ingenio, odoratus e adhæsisse e verbo sequente. MS. Turic. *galea.* Mox idem liber *varietate*, ut edd. Spir. Pogg. Ern. Item ed. Rom. Norimb. Contra Ber. Put. Rhen. *variare.*

Ita conjuncto orbe, ut nemo posterior

universum æstimanti, plus penes peditem roboris: eoque mixti prœliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni juventute delectos, ante aciem locant. Definitur et numerus. *centeni* ex singulis pagis sunt: idque ipsum inter suos vocantur: et quod primo numerus fuit, jam nomen et honor est. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodò rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubiis prœliis referunt. Scutum reliquisse, præcipuum flagitium. nec aut sacris adesse, aut concilium inire, ignominioso fas. multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt. Reges ex nobilitate; Duces ex virtute sumunt. 7
Nec Regibus infinita aut libera potestas: et Duces exemplo potius, quam imperio: si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione præsunt. Ceterum, neque animadvertere, neque vincire, ne verberare quidem, nisi Sacerdotibus permissum: non quasi in pœnam, nec Ducis jussu, sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt. effigiesque et signa quædam, detracta lucis, in prœlium ferunt. Quodque præcipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiæ et propinquitates, et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium. hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad conjuges vulnera ferunt: nec illæ numerare, aut

sit] Primum eleganter, pro *in orbem*, *ut orbis fiat*. Formula Plinio majori usurpata. Sed hic simpliciter *orbem conjungere* dicit: alterum per se intelligitur. Nam in orbe nihil prius aut posterius esse, quis nescit. Ern.

Centeni ex singulis pagis] Cod. Artolph. Kapp. *centum*. Ac nescio, an *sunt* melius abesset. Ern. Ed. Norimb. *centim*. Rom. *centum*. Put. Rhen. *centeni*.

Concilium inire ignominioso fas] Cod. Kapp. (ed. Nor.) *Consilium*. Vulgatum verum. Ignominiosus est, ob flagitium bello commissum infamis. Ern. Rom. *consilium*.

Aut libera] Edd. Spir. seqq. *ac*, usque ad ed. Rhen. In sequentibus interpunctionem correxi et colon feci post *imperio*. Duces exemplo potius se Duces præstant, quam imperio. Si præ ceteris fortes se probant, cum admiratione Ducatum obtinent. Ante colon erat post *conspicui*. Ern. Ed. Rom. Norimb. Rhen. 1533. 1544. *aut*. Put. Rhen. 2519. *ac*.

Neque animadvertere] Repugnare Cæsar videtur 6, 22. *Cum bellum civitas aut illatum defendit aut infert, magistratus, qui ei bello præsint, et vitæ necisque habeant potestatem, deliguntur*. Sed Cæsar de belli tempore tantum: noster in pace intellexit. Lips. Sed sequentia obstant apud nostrum, ut recte monuit Acidalius. Est vero major in his Taciti, quam Cæsaris, auctoritas. Ceterum vide, quid ad hæc moneant Fr. W. Pestel in Adjectis ad Notit. Hermundur. t. 1. p. 37. et Gebaver in Vestig. juris Germ. ant. p. 607.

Neque verberare quidem] Scribe, *ne verberare quidem*. Gron. Ego sic recripsi, ut alibi. Et sic habet MS. Arund. Idem liber mox *Deo inspirante*. Ern. Editi omnes *neque*. Id Gebaverus p. 608. putabat restituendum, quia a leviori ad gravius adscendat oratio. Mihi secus videtur. Gravius erat vinciri, levius verbera pati.

Effigiesque et signa quædam] Int. ferarum. Vid. H. 4, 22. Detracta lucis, indicat, ea signa, ubi pax esset, in lucis servata. Ern.

Pignora] Vid. Quinctil. 6, 1, 24.

Nec illæ numerare, aut exsugere pla-

exigere plagas, pavent. cibosque et hortamina pugnantibus gestant.
8 Memoriæ proditur, quasdam acies, inclinatas jam et labantes, a feminis restitutas, constantia precum et objectu pectorum, et monstrata cominus captivitate, quam longe inpatientius feminarum suarum nomine timent: adeo, ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellæ quoque nobiles imperantur. Inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant: nec aut consilia earum adspernantur, aut responsa negli-

gas, pavent] Ita Rhenanus: spectatque suctus ille ad medicinam, Homero etiam non ignotam: qui de Machaone Iliad. δ. vers. 218.

Αἷμ' ἐκμυζήσας, ἐπ' ἄρ' ἤπια φάρμακα εἰδὼς

Πάσσε.

Farnes. tamen codex et Rom. (it. ed. Rom. et Norib.) *exigere*. quod robur fœmineum magis exprimere videtur, tamquam illæ non numeraverint solum plagas, sed exegerint; expostularintque cum suis, si illæsi redissent, tamquam ignavi et vitæ suæ parci. LIPS. Placet *exigere*, sed ut *sarta texta exigere, ad summam veritatem jus exigere*. Quasi taxare ac plus aut minus in illis virtutis agnoscere. Vide Observ. 1, 8. GRON. Idque nos restituimus, repertum in omnibus præter MS. Arundel. libris ante Rhenanum, qui ex ingenio *exsugere* scripsit et contra libros. Verbum *pavent* non convenit τῷ *exsugere*: in quo misericordia potius est, quam fortitudo. MS. Turic. insuper *nec exig.* ut et in ed. Spir. Pogg. Rhag. Put. Ber. Sed MS. Arundel. etiam ante *mirari*. ERN. Mire hic dissentiunt critici et interpretes. Mihi verbum *pavent* utrique τῷ *exigere* et *exsugere* convenire videtur. Istud erit examinare sollicite, comparare, quod est itidem fortis animi. Itaque nihil muto. Alteram recepere Bip. Probabant et Colerus et Conringius.

Cibosque et hortamina] Nugatur strenue Colerus (qui de potu vini loco accipit *hortamina*) non videns Tacitum ludere in verbo *gestare*, quod aliter accipitur quum refertur ad *cibos*, aliter cum ad *hortamina*. Hæc enim sic *gestantur*, ut *fertur salus*, ut *portatur ave*. Plautus Pœn. 3, 3, 7. *Salutamus te, Lyce, quanquam hanc salutem ferimus inviti tibi*. Martialis 1, 56. *Et matutinum portat ineptus ave*. Et cibos eis ministrant, inquit, et verbis stimulos ad virtutem addunt. GRON. Et tamen nuper aliquis adeo corrigere tentavit *hordei vina*, male acceptus ab Elsnero in Spec. Crit. p. 80. ERN. Is aliquis Trillerus est in Obs. crit. p. 196.

Quam longe impatientius] Ab his verbis usque ad c. 16. verba: *solent et subterraneos specus aperire*, est lacuna in MS. Turic. ERN. Hanc notam integritati restitui, in nupera editione turpiter truncatam.

Inter obsides puellæ quoque] Igitur ad Germanos referam, quod generatim a Suetonio scriptum, in Augusto cap. 21. *A quibusdam novum genus obsidum fœminas exigere tentavit, quod negligere marium pignora sciebat*. Etsi cur id Tranquillo novum? Romani ipsi virgines obsides Porsenæ olim dederunt, interque eas Clœliam. Athenæus id primum inventum Cleonymo Spartano vult, parum vere, 13, 28. Ἐμοὶ γὰρ, inquit, κατὰ φύσιν δοκεῖ πεποιηκέναι Κλεώνυμος ὁ Σπαρτιάτης, πρῶτος ἄνθρωπος εἰς ὁμηρίαν λαβὼν παρὰ Μεταποντίνων γυναῖκας παρθένους τὰς ἐνδοξοτάτας καὶ καλλίςας διακοσίας. Ubi discis, Metapontinos, immo credo ceteros Italiæ populos, habuisse antiquitus hunc morem. LIPS.

Puellæ quoque nobiles] Heins. conjicit *nubiles*.

Sanctum aliquid et providum] i. e. Divinum et futura præsentiens. Sanctitatem pro Divinitate, majestate, dici, ad Suetonium dictum, Cæs. c. 6. ERN.

Nec consilia earum] Hocne supererat? heu ipsos parum firma mente, qui eam quæsivere apud amentem sexum! Et tamen adeo vera Taciti adfirmatio, ut Plutarchus narret, consultationibus omnibus apud Celtas (ita Germanos Græci vocant) de pace deque bello, fœminas adhiberi, et lites cum fœderatis aut sociis populis exortas earum interventu decidi. Verba ipsa in re parum credibili dabo. In libello De Virtutibus mulierum p. 246. Ἐκ τούτου διετέλουν, inquit, περί τε πολέμου καὶ εἰρήνης βουλευόμενοι μετὰ τῶν γυναικῶν, καὶ τὰ πρὸς τοὺς

gunt. Vidimus, sub divo Vespasiano, Veledam, diu apud plerosque Numinis loco habitam. Sed et olim Auriniam et compluris alias venerati sunt, non adulatione, nec tamquam facerent Deas. Deorum maxime Mercurium colunt, cui 9
certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem ac Martem concessis animalibus placant: pars Suevorum et Isidi sacrificat. Unde caussa et origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum, in modum liburnæ figuratum, docet, advectam religionem.

συμμάχους ἀμφίβολα δι' ἐκείνων βραβεύοντες. Lips.

Veledam] De qua multa noster H. 4, 61. 65. quam captivam et in triumpho postea ductam colligas ex Statio Silv. 1, 4, 89. *Non vacat Arctoas acies Rhenumque rebellem Captivæque preces Veledæ.* qui nomen tamen id corripit: cujus germanam scripturam fuisse censeo *Weldam.* Huic successit in dignatione et divinatione *Gauna*, sub Domitiano celebris. Dio in Fragm. XLIX. (67, 5.) Καὶ Γαύνα παρθένος μετὰ τὴν Βελῆδαν ἐν τῇ Κελτικῇ θειάζουσα. Addit: ad Domitianum venisse, et præmiis ab eo affectam. Quæ ipsa ex Dione Suidas (tacito nomine, ut solet) in voce θειάζουσα. Lips. Egregie de Veleda egit Gebaverus l. c. p. 939. Quæ hic *Gauna* vocatur, rectius *Ganna* dicitur, ut et Suidas habet. De mulieribus fatidicis veterum cf. Keysler in Antiq. Sept. p. 456. In Plutarchi Mario mulier est Syra, *Martha*, quam is circumducebat c. 17. p. 503. Sic et Vitellius *Cattæ* vaticinanti velut oraculo acquiescebat, teste Suet. c. 14.

Auriniam] Farnes. liber *Fluriniam.* Putem fuisse, *Aluriniam.* Quod Jornandes mihi auctor in rebus Gothicis c. 24. non proprium nomen, sed commune omnium sagarum fuisse. *Repperit*, inquit, *in populo quasdam magas mulieres, quas patrio sermone Aliorunas ipse cognominat.* De fatidicis autem fœminis Germanorum, præter Cæsarem B. G. 1, 50. Plutarchum in Mario et Cæsare c. 19. p. 121. Strabonem l. 7. p. 294. Vide etiam Clementem Stromate 1. p. 131. Lips. Notæ sunt *Alrunæ* Septentrionalium, de quibus vid. Schilterus in Glossario, item Sam. Schmid in peculiari Diss. 8. Halæ 1739. et G. Chr. Roth 8. Helmst. 1737.

Mercurium colunt] Plura igitur ac certiora de religione Germanorum Tacito nota, quam Cæsari, qui contra scribit 6, 2. *Deorum numero eos solos ducunt quos vident, Solem, Vulcanum et Lunam; reliquos ne fama quidem acceperunt.* Falso. Nam noster etiam A. 13, 57. scriptum reliquit: *ab Hermunduris diversam aciem Marti ac Mercurio sacratam.* Paullus Diaconus 1, 9. notat, Longobardis (ii autem Germani) *Wodam* Mercurium appellari. ego legerim *Wondam.* vel *Wonstam:* a lucro scilicet, cui præest. Majoribus quidem nostris ita dictum, claret vel ex Mercurii die, qui veteri et gentili appellatione nobis *Wonstdach.* Lips. Nempe, quicquid noster de Diis in Germania cultis dicit, intelligendum, ut infra ait, interpretatione Romana. Appellat Deos Germanorum nominibus Romanis, similitudine eorum, quæ de Diis tradebantur, ductus. Id semel monuisse sat erit, idque et ad ceteros Deos, Herculem, Martem, Isidem pertinet. Ern. Ad h. l. de hoc cultu Deorum videri meretur Gebaverus in Vestig. juris Germ. vet. p. 838.

Humanis quoque hostiis] Quod Gallis Germanisque commune: et priscis testatum crebro. Illud noto, mansisse eam diritatem etiam inferiori ævo. Procopius 2, 25. De Bello Goth. ait, Francos, etsi Christum jam colerent, humanis tamen ad suum ævum hostiis usos. Ditmarus lib. 1. Nortmanos et Danos quotannis mense Januario Dis suis immolasse XCIX. homines, totidem equos cum canibus et gallis: ab eaque barbarie Henricum Aucupem primum eos abduxisse. Lips.

Martem concessis animalibus] Non certe Gothi: de quibus Jornandes c. 5. *Martem semper asperrima placavere cultura: nam victimæ ejus mortes fuere captorum.* Lips. Concessa animalia vocat, quibus aliæ humaniores gentes sacrificant, humanis victimis litera nefas putantes, ut est. Ern.

In modum liburnæ figuratum] Qui aliquid sui moris reperire volunt, aut caussas rerum incognitarum indagant et nomina, sæpe plus vident, quam alii, aut

Ceterum, nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem adsimulare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur. lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus adpellant secretum illud, quod sola reverentia vident.

10 Auspicia, sortesque, ut qui maxime, observant. Sortium consuetudo simplex. virgam, frugiferæ arbori decisam, in surculos amputant, eosque, notis quibusdam discretos, super candidam vestem temere ac fortuito spargunt. mox, si pu-

quam in re est. In numis subinde vidi, antiquarios videre, quæ mei aliorumque oculi non viderent: et physici per microscopia sæpe cernunt, quæ nemo alius. Tale quid Tacito, sive aliis, ista indagantibus accidere potuit. Ego lignum informe fuisse crediderim, temere in eam figuram factum, in qua Romani liburnæ aliquam similitudinem agnoscerent; e qua nihil aliud colligere liceat, nisi antiquitatem signi, et ruditatem illorum temporum. V. dicta ad 2, 3. Quis unquam legit, originem religionis novæ figura statuæ esse expressam et significatam? Nam *signum* est nihil, nisi statua Deæ, quam Romani Isidem interpretabantur. Multæ navibus advectæ religiones apud Græcos et Romanos: nunquam tamen propterea ejus Dei vel Deæ signum in navigii figuram factum. Aliud esset, si Deæ signum liburnæ impositum fuisset, aut liburnam in humero gestasset. Ceterum, ut e sequentibus patet, super ruditate signorum suorum etiam sententias loquebantur. Mox edd. Spir. Pogg. Puteol. Ber. Rhag. *adjectam.* Ceteri libri mei *advectam.* Ern. Sic et Rom. Norib. Rhen. In monumentis Romanis Isidi, navigationis inventrici et præsidi, navigium, vela, gubernaculum tribui, satis notum. Quid sibi hoc loco commentum Taciti velit, non æque patet. De conjecturis eruditorum v. Gebaverus l. c. p. 859. et Borhek. in prolusione ad Programma Duisburgi emissum a. 1790.

Assimulare] Omnes libri habent *assimilare.* Ego *assimulare* rescripsi: cum hodie certum sit, *assimilare* esse verbum nihili, quod inscitiæ librariorum imperitorum debeatur. Et illa vera scriptura jam est in vulgatis A. 15, 39. 16, 17. et ex h. l. quoque proditur in Indice Bern. Adde dicta ad Agric. 10. Ern. Index Bernegg. habet *assimilare.*

Lucos ac nemora consecrant] Fatuam religionem, quam Claudianus item iis opprobrat de laudib. Stil. 1, 228. *Ut procul Hercyniæ per vasta silentia silvæ Venari tuto liceat, lucosque vetusta Religione truces, et robora Numinis instar Barbarici, nostræ feriant impune secures.* Sed et Lucanus apposite, in obsidione Massiliæ 3, 399. *Lucus erat, longo numquam violatus ab ævo.—hic barbara ritu Sacra Deum, structæ diris altaribus aræ, Omnisque humanis lustrata cruoribus arbos.* Bene ergo et merito *religione truces* eos fecit Claudianus: quoniam victimæ, imo et homines, ad arbores has (e Lucano hauries) immolatæ. Ait etiam, *robora Numinis instar.* Illustrabit Tyrius Maximus Diss. 38. qui *Celtas excelsam quercum coluisse* ait, *et Jovis nomine sollenniter appellasse.* Atque adeo posteriori etiam ævo mansit hic cultus. Luitprandi Regis Longobardorum lex est tit. 38. de ariolis. *Qui ad arborem, quam rustici Sanctivum vocant atque ad fontanas adoraverit, aut sacrilegium vel incantationes fecerit, componat medietatem pretii sui in sacro palatio.* Tacitus hunc ipsum ritum saltem indicatum H. 4, 14. voluit, cum scripsit, Civilem Batavos *specie epularum sacrum in nemus vocasse:* nec putaverim sane *sacri* vocem illic peculiare aut proprium silvæ nomen. Hæc in Germanis merito nos ridemus. sed cur Romani? illi in eadem navi. Plinius de arboribus 12, 1 (2). *Hæc fuere numinum templa, priscoque ritu etiam nunc simplicia rura Deo præcellentem arborem dicant.* Seneca epistola 41. *Si tibi occurrit vetustis arboribus et solitam altitudinem egressis frequens lucus .. illa proceritas silvæ et secretum loci et admiratio umbræ, fidem Numinis facit.* Lips.

Temere ac fortuito] Cod. Kapp. *fortuitu,* quod non spernam: cum ei centies *fortuito* substitutum, hodie constet. V. Oudend. ad Sueton. Tib. 39. In primis in conjunctione cum alia ejusdem sensus voce reperitur. Cic. Off. 1, 29. *temere ac fortuitu.* Ern. In cod. MS. Taciti, quem describit Hummel, legitur *vestem tenent: Fortuitu* habent ed. Rom. et Norimb. *fortuito* Puteol. Rhen.

Si publice consulatur] Cod. K. (s. ed. Norimb.) edd. omnes ante Rhen. 1532.

blice consuletur, Sacerdos civitatis, sin privatim, ipse paterfamiliæ, precatus Deos, cœlumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos, secundum impressam ante notam, interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio; sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hic notum, avium voces volatusque interrogare: proprium gentis, equorum quoque præsagia ac monitus experiri. publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis candidi, et nullo mortali opere contacti: quos pressos sacro curru Sacerdos, ac Rex, vel Princeps civitatis, comitantur, hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio major fides, non solum apud plebem, sed apud proceres, apud Sacerdotes. Se enim ministros Deorum, illos conscios putant. Est et alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant. Ejus gentis, cum qua bellum est, captivum, quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committunt. victoria hujus vel illius pro præjudicio accipitur.
11
De minoribus rebus Principes consultant; de majoribus omnes: ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud Principes pertractentur. Coeunt, nisi quid fortuitum et subitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur luna, aut inpletur. nam agendis rebus hoc auspica-

Consuletur: quod nescio quare mutatum sit, cum hoc tempus sit in ista structura usitatissimum. *Ante focum, si frigus erit; si messis, in umbra.* Itaque restitui. Ceterum et *consulatur* et *consulitur* rectum foret. ERN. Ed. Rom. *consoletur.* Rhen. 1519. *consulatur.* Muretus, probante Broterio, conjiciebat *consultatur.*

Equorum quoque præsagia] Ditmarus l. 6. Luizicis (qui veterem superstitionem adhuc retinebant) hoc idem præsagium equinum adtribuit: sed diversa paullum forma: *Equum, inquit, qui maximus inter alios habetur, et ut sacer ab his veneratur, super fixas in terram duorum cuspides hastilium inter se transmissorum, supplici obsequio ducunt: et præmissis sortibus, quibus id exploravere prius, per hunc quasi Divinum denuo augurantur.* LIPS. *Monitus* vocat ipsa præsagia. Id verbum de omni genere significandæ voluntatis Divinæ dici, hodie satis notum est. ERN.

Pressos sacro curru] J. Fr. Gronovius corrigebat *prensos,* ut aliis locis in hac forma, Diatr. in Stat. c. 9. explicans *junctos.* Sed eam rationem late et bene refellit Marklandus ad Statium p. 18, 19, 20. exemplis Markl. adde Ovid. Met. 1, 124. *pressique jugo gemuere juvenci:* ubi omnes libri *pressi,* nec verbum *gemuere* aliter patitur. ERN.

Illos conscios putant] Sc. Deorum. Similiter locutus est Tibull. 1. 9, 3. *conscia fibra Deorum.* ERN.

Apud Principes pertractentur] Muretus, Grotius, Acidalius, Boxhornius corrigunt magna cum veri specie *prætractentur* e Græco verbo προβουλεύεσθαι. Suetonius dixit *ante tractare.* Aug. 35. *instituit sibi consilia sortiri semestria, cum quibus de negotiis ad Senatum referendis ante tractaret.* Sed tamen id verbum alibi in scriptore Romano non reperitur. ERN. Τὸ *prætractentur* arrisit quoque Conringio, Bleterio, Lallemando, aliis. Contra vulgatum tuetur Gebaverus l. c. p. 165. estque illi *pertractare* idem ac diligenter rem tractare, a populo firmandam. Sic et Bip. Kappius etiam pro vulgato stat, sed *pertractare* minus recte reddit ad finem tractare, decidere.

Hoc auspicatissimum initium] Cod. Kapp. (s. ed. Norimb.) edd. Spir. Pogg. Put. Rhag. *auspicacissimum.* Primus *auspicatiss.* dedit Beroaldus, dubium an e libro: recte tamen. Nec enim quisquam illa forma usus est: quæ alias analogiæ non repugnat, cum

tissimum initium credunt. Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt. nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul, nec ut jussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coeuntium absumitur. Ut turbæ placuit, considunt armati. Silentium per Sacerdotes, quibus tum et coercendi jus est, imperatur. Mox Rex, vel Princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis, quam jubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu adspernantur; sin placuit, frameas concutiunt. Hono-
12 ratissimum adsensus genus est, armis laudare. Licet apud

et *perspicax* habeamus. Sed usus audiendus. Ern. Ed. Rom. *auspicatissimum.*

Sed noctium] De hoc ritu v. plura in Scherzii Gloss. Germanico medii ævi. v. *Nacht.*

Sic constituunt, sic condicunt] Sunt verba forensia, quæ illustrantur a Gronovio Obs. 1, 1. Vult dicere in rebus forensibus, cum tempus certum constituendum est, ut in vadimoniis et similibus, noctes finiunt, non dies: neque diei apud illos, sed noctis dictio. Add. Cæsar B. G. 6, 18. Mox *nox diem ducere videtur*, est nox prior die, dies sequi noctem, ut Cæsar ait. Ern.

Non simul, nec jussi] Bambergensis, *jussu.* Rhenanus in veteri codice (ed. Norimb.) legi ait, *nec injussi.* ex quo bene etiam scripseris, *nec ut jussi.* Lips. MS. quondam Pirckheimeri, dein Comitis Arondelii *nec ut jussu conveniunt.* Et sic legendum, aut, quemadmodum Lipsius, *ut jussi.* Hoc est, non tanquam ex lege et imperio, ut ad diem edictum religiosa observatione occurrant; non quasi parentes imperio indicentis vel indicentium, sed velut commodo et arbitrio suo. Ut illi advocati Plautini Pœn. 3, 1, 19. qui *liberos homines per urbem modico, magis par esse, gradu ire, censebant.* Gron. Nihil aliud fuit in libro, unde cod. K. editus est, qui habet *injussi.* Ego *ut jussi* edere non dubitavi, quod et Burmannus probabat. Habuisse videtur in animo locum Virgil. Æn. 8, 236. *haud secus ac jussi faciunt.* Paullo post cod. Kapp. pro *coeuntium* habet *cœtium.* Ern. MS. Longolii *nec injussi.* Sic et ed. Rom. Gebaverus l. c. p. 30. perinde putat, sive legas *nec jussi,* sive *nec ut jussi.* Sensum esse: *etiamsi jussi fuerint,* extra ordinem scilicet et ad repentina comitia vocati. Dein MS. Longolii *cœtium* plane ut cod. Kappii s. ed. Norimb. ad quod Longolius: "quid si pro *cœtuum?*" Ed. Rom. habet *cœtuum.* Put. *coeuntium.*

Ut turbæ placuit, considunt armati] Scripsit omnino Tacitus: *Ut turba placuit.* sua ipsis scilicet. Postquam satis frequentes convenisse sibi visi sunt. Et habet *τὸ placuit* suam Venerem. Sic Livius 33, 31. *Antiochum transgressurum in Europam quum primum ei res suæ placuissent, non dubitabant.* Liv. 39, 30. *Ubi satis placuere vires, et jam miles quoque ad delendam priorem ignominiam hostem poscebat.* Velleius 2, 112. *Ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium, ut ubicunque Cæsar esset, nihil in se reponerent.* Seneca epist. 42. *non minus ausura, cum illi vires suæ placuerint.* Statius 2, 326. Thebaid. de tauro: *Quum profugo placuere tori, cervixque recepto Sanguine magna redit.* Gron. Recepit *turba* Alemannus. Nec dubito melius esse vulgato. Ern. Lallem. non recepit, probavit tamen, sicut et Brot. Bleterius, alii. Bipontinis vulgatum placet.

Quibus tum et coercendi jus] Ex Artolphi codice: *quibus tamen coercendi,* Rhenanus notat. In cod. Kapp. quem a cod. Artolphi non diversum puto, est *tñ.* quod Rhenanus legit *tamen.* Mihi videtur esse operarum vitium pro *tũ.* Ern. Ed. Norimb. *tñ et.* Ed. Rom. et MS. Longolii *tamen et.* Hoc recepit Longol. Puteol. *tum.*

Prout ætas cuique] Claudianus hoc etiam in Getico consessu notat de bello Getico 479.—*primosque suorum Consultare jubet, bellis annisque verendos. Crinigeri sedere patres.* Lips.

Sin placuit, frameas concutiunt] Add. H. 5, 17. Ern.

concilium adcusare quoque et discrimen capitis intendere. Distinctio pœnarum ex delicto. proditores et transfugas arboribus suspendunt: ignavos et inbelles et corpore infames cœno ac palude, injecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed et levioribus delictis, pro modo, pœna. equorum pecorumque numero convicti multantur. pars multæ Regi, vel civitati, pars ipsi, qui vindicatur, vel propinquis ejus exsolvitur. Eliguntur in iisdem conciliis et Principes, qui jura per pagos vicosque reddant. Centeni singulis ex plebe comi-

Imbelles et corpore infames] Hoc lego de Germanis? feri illi et horridi, fœmineo morbo et mollitie corporis infames? Numquam credam, et Quinctilianus certe eos purgat in Declam. 3, 16. pro Milite, cujus pudicitia tentata a Tribuno: *Nihil tale novere Germani, et sanctius apud Oceanum vivitur.* Scribamus igitur (gratiam mihi age magna patria) *et torpore infames.* Non enim alia mens hic Taciti, quam quod ignavos, torpentes, bello inutiles, crate imposita merserint. Idem in eodem verbo vitium apud Agellium 19, 12. in extremo: *Omnibus vehementioribus (vehementioris) animi officiis amputatis, in corpore ignavæ et quasi enervatæ vitæ consenescunt.* scribe, *torpore.* Hoc mihi certum. quatit tamen nonnihil Athenæus 13, 8. qui fœdum illud vitium, remotum a me, rursus imponit Germanis. Κελτοὶ δὲ τῶν Βαρβάρων, inquit, *καί τοι καλλίστας ἔχοντες γυναῖκας, παιδικοῖς μᾶλλον χαίρουσιν, ὡς πολλάκις ἐνίους ἐπὶ ταῖς δοραῖς μετὰ δύο ἐρωμένων ἀναπαύεσθαι.* Quem falli tamen scio: nec urtica illa umquam tetigit majores nostros. Austri et Orientis ista infamia sit: quæ ne nunc quidem Septemtriones habitat, aut frigidum castumque hunc orbem. Hæc labefacere conati alii, sed firmavimus in excursu A. Lips. *Corpore infames* haud dubie, non vitiis omnibus commaculati, (ut placet Pichenæ) sed detestabilis patientiæ. *Nescimus ista*, Deo gratias, *et sanctius vivitur ad Oceanum.* non, quod nunquam contigerint, contingantve, sed quod raro, raroque sint impunita. Sic Ælianus 2. var. 31. disputat, *ὅτι μηδεὶς τῶν βαρβάρων ἄθεος.* Hoc satis ad Fabium cum Tacito in concordiam redigendum. Nam illa Salinerii *nimis addictos* et *gentes eo nomine infames cum flagitioso contendi*, vana sunt et intolerabilia, denique Germaniam ignorantis. Nec vero militem stupraverat Tribunus, sed in conatu stuprandi a milite occisus erat. Gron. Montesquieu Espr. d. loix 30, 19. intelligit eos, qui corpore se truncassent, ut bello forent inhabiles. Antonius in vers. Germ. *enervatos* reddit. Bahrdt, in fuga tergo saucios. Verum vidit Gronovius, cui adstipulatur Broterius. Gebaverus l. c. p. 714. *corpore informes* legendum ratus est, quem refutat Longolius in Auctario diss. de Hermund. p. 98.

Sed et levioribus delictis, pro modo, pœna] Sic scribendum esse res ipsa docet, et vidit Acidalius. Syllaba ultima in vulgato *pœnarum* adhæsit e sequentibus verbis, ut alias in Tacito factum aliquoties notavimus. Forte tamen fuit *pœnæ*, quod eodem redit. Ern. *Pœnarum* ed. veteres item MS. Longolii. Hic ipse id probat. Sic et Gebaverus l. c. p. 732.

Qui jura per pagos vicosque reddunt] In alia verba et sententiam it Bambergensis liber, *qui vita per pagos vicosque excellunt.* Sed non avellor a vulgata. Lips. Sic et MS. Arundel. Elegantius deinde foret *reddant:* et sic Tacitum dedisse puto. Eliguntur enim, ut reddant, non ii, qui reddunt: illud est, *qui reddant.* Et sæpissime in talibus peccavere librarii inscitia Latini sermonis, qua etiam vulgo hodie sic peccant. Ern. Colerus legendum præcipit; *qui vita excellunt, qui jura per p. v. q. reddunt.* Bipontini bene recepere *reddant.* sequor.

Centeni singulis] Hoc est, quod in lege Alamannorum prisca lego t. 36. *Conventus autem, secundum consuetudinem antiquam, fiat in omni Centena, coram Comite, aut suo Misso, et coram Centenario ipsum placitum fiat.* Lips. Legem Alam. huc non pertinere, bene monet Gebaverus l. c. p. 594. Censet autem, vocem *centeni* esse glossema, quod mihi satis fit verisimile. Minus probandum, quod forsan *duodeni* substi-

13 tes, consilium simul et auctoritas, adsunt. Nihil autem neque publicæ neque privatæ rei, nisi armati agunt. Sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio, vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus, scuto frameaque juvenem ornant. hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos: ante hoc domus pars videntur, mox Reipublicæ. Insignis nobilitas, aut magna patrum merita, Principis dignationem etiam adolescentulis adsignant: ceteris robustio-

tuendum conjicit, quod duodecimviralia judicia sint antiquissima. Brummerus cum aliis legi jubebat *certi;* Ditmarus *septeni.* De quibus vid. Gebaverus l. c. Glossa forsan e cap. 6. male huc adplicato orta. Longolium si audias, Tacitus aliquid de judiciis Germanorum, adpellatis *Zent, Zentgerichte,* comperit, quod Berneggero jam venerat in mentem. Consentiunt et Bip.

Nisi armati agunt] Quem eundem morem Græcis priscis fuisse, eosque solitos *σιδηροφορεῖσθαι*, Thucydides notavit 1, 6. Idemque de Gallis Livius 21, 20. *In his nova terribilisque species visa est, quod armati (ita mos gentis) in consilium venerunt.* Quin convivia etiam Germani adibant in armis. Tacitus hoc ipso libro c. 22. *Tum ad negotia, nec minus sæpe ad convivia, procedunt armati.* Athenæus 4, 13. famulos adstitisse vel adsedisse convivantibus iis vult, cum scuto, lancea et justis armis. *Καὶ οἱ μὲν*, ait, *τοὺς θυρεοὺς ὁπλοφοροῦντες ἐκ τῶν ὀπίσω παρεστᾶσιν, οἱ δὲ δορυφόροι, κατὰ τὴν ἀντικρὺ καθήμενοι κύκλῳ, καθάπερ οἱ δεσπόται συνευωχοῦνται.* Denique templa ipsa adiere armati. Panegyristes: *Ne majores vestri templa ingrediebantur, nisi armati.* Lips.

Quam civitas suff. probaverit] Int. quam civitas eum probaverit, ut suffecturum armis gerendis ac tuendis. Sed mihi locus vix sanus videtur. Conjeci: *quam civitati se maturum probaverit.* Ern. Nil mutandum. Subaudi *armis gestandis suffecturum.* Sic et Longolius.

In ipso concilio] Sic edidi, Latinitate jubente, et addicente cod. Kapp. (s. ed. Nor. it. ed. Rom. et) vett. omnibus. recentiores quædam male *consilio.* Sed MS. Ar. et edd. ante Rhen. addunt *eum* post *tum*; quod sequens deinde *juvenem* non patitur, nisi hoc deleas. Cod. K. (s. ed. Nor. it. ed. Rom.) habet: *cum in ipso c.* pro *tum:* quæ verba sæpe confusa. atque hinc *eum* natum videtur. Deinde pro *vel pater* cod. Artolph. (Kapp.) *vel ipsi.* Ern. Ed. 1519 ex Beroaldo habet *Tum eum.* Et in seq. editione Rhenanus notat: "exemplar illud (i. e. ed. Norimb.) habebat *tum in ipso.*" Credo, fugientes litteras in margine suggessisse Rhenano id *tum.* male quoque Ernesti tribuit *eum* codici Artolphi, quod factum ex confusione *exemplaris* et *codicis* apud Rhen. Dein ed. Rom. et Norimb. *vel ipsi.* Puteol. *vel pater,* sic et Beroaldus.

Scuto frameaque] Originem moris vides avis nostris ad insaniam amati, Equites creandi. Fallor, aut tangit eumpse Diaconus in Longobardicis 1, 15 (23). *Scitis, non esse apud nos consuetudinem, ut Regis filius cum patre prandeat, nisi prius a Rege gentis exteræ arma susceperit.* Adde, si lubet, caput sequens. Lips.

Hæc apud illos toga] MS. Longol. *Nec.*

Ceteris robustioribus] Lege, *ceteri.* statim liber vetus. *aggregant.* non *aggregantur.* quod Taciti et veterum phrasim olet. Lips. Frustra Lipsio obloquuntur in *ceteri* Pichena, Salinerius, et alii. Nam, si de iisdem hæc intelligenda forent, sensusque: et hos, quamquam Principibus dignitate pares, tamen aliorum comites fieri: deberet esse *ceterum,* non *ceteris.* Tum res non patitur. Si Principum loco sunt et habentur, quomodo aliorum comites fiant. Immo ipsi comitatum habent; unde apparet, eos Principum numero haberi, nec ex ulla alia re. Et clarum est, discrimina Equitum tradi. Alii ipsi Principes, alii Principum comites. In hac evidentia *ceteri* rescribere non dubitavi: probavitque ill. Gebaverus in Diatr. de Comitatu Principum Germ. 1754. et imitatus me est Broterius. obfuit sequens dativus, ut supra c. 12. genitivus, præcedenti verbo. *Aggregantur* omnes mei. Ern. Liv. 2, 16. *Appius, inter Patres lectus, haud ita multo post in Principum dignationem pervenit.* In loco hoc Taciti malim cum Bip. restitu-

ribus ac jam pridem probatis adgregantur. nec rubor, inter comites adspici. Gradus quin etiam et ipse comitatus habet, judicio ejus, quem sectantur: magnaque et comitum æmulatio, quibus primus apud Principem suum locus: et Principum, cui plurimi et acerrimi comites. Hæc dignitas, hæ vires, magno semper electorum juvenum globo circumdari, in pace decus, in bello præsidium. Nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat. expetuntur enim legationibus et muneribus ornantur et ipsa plerumque fama bella profligant. Cum ventum in 14
aciem, turpe Principi, virtute vinci, turpe comitatui, virtutem Principis non adæquare. Jam vero infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem Principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ ejus adsignare, præcipuum sacramentum est. Principes pro victoria pugnant; comites pro Principe. Si civitas, in qua orti sunt, longa pace et otio torpeat; plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt; quia et ingrata genti quies, et faci-

ere *ceteris*, quod et codices et editiones veteres omnes exhibent. Dignatio Principis non ipsos statim adolescentulos faciebat Principes, sed Principes pridem probatos sequebantur ad munia bellica.

Nec rubor, inter comites adspici] Licet suspicari, Tacitum dedisse *rubori*, et ultimam literam a sequente absorptam. Nam hæc est forma legitima, et Tacitus alibi sic locutus est. A. 11, 17. *nec patrem illi rubori.* 14, 55. *unde etiam rubori mihi est.* Vulgata defendi potest ex eo, quod etiam *pudor est* dicitur ap. Ovidium pluribus locis. Igitur sine libris nil mutem. Ern.

Quibus primus apud Pr. locus] Acidalius malebat *cui:* quod præferrem et ipse, si libri addicerent. In primo comitum gradu plures possunt intelligi. Similiter Tiberius tres classes comitum suorum faciebat, auctore Sueton. c. 46. nec propterea in primo gradu unus tantum. Ern.

Electorum juvenum] MS. Art. cod. Kapp. (s. ed. Norimb. it. Rom.) *et electorum.* Videtur fuisse *et lectorum:* quamquam et alterum probum. nec copulam hic spernam. Nam et mox distinguit utrumque, *si numero ac virtute comitatus emineat.* Infra *bella profligant.* V. ad H. 2, 4. Ern.

Non adæquare] Edd. Spirens. Put. Pogg. Rhag. Ber. *æquare.* Ern. Ed. Rom. et Norimb. item MS. Hummelii et Longolii *adæquare.*

Ex acie recessisse] Exemplum dat Ammianus Marc. 16, 12.

Præcipuum sacramentum] Liber scriptus, *principum sacramentum.* Lips. Hoc ita observant, ut religiosius non possent, si primum ac præcipuum caput sacramenti, quo rogati sunt, quoque se Principibus devovere vitam fuisset. Male liber ille, qui *Principum.* id enim foret, quo Principes quasi a populo rogati essent, non a Principibus clientes. Gron. *Principum* etiam ed. Spirensis et post ceteræ ante Rhen. Sed cod. Kapp. (s. ed. Norimb.) *præcipuum.* Ea verba et alibi permutata vidi in Taciti libris, aliisque. etiam *princeps*, et *præceps* permutari solent. *Præcipuum sacramentum* verum puto. Neque tamen verum, quod Gronovius ait, *principum sacramentum* esse, quo ipsi a populo rogati essent, quod populo præstitissent. Vir summus non meminerat tum, apud Livium occurrere *sacramentum Consulis* h. e. quo milites Consuli obstringuntur s. quo Consul milites sibi obstringit. Atque etiam apud Tacitum hæc forma non uno loco. ut H. 1, 76. *sacramentum Othonis.* 2, 55. *sacramentum Vitellii.* Ern. *Præcipuum* habent et ed. Rom. et MS. Long. et Humm.

Et facilius i. a. clarescunt] Sic cod. Kapp. (s. ed. Nor.) quam scripturam

lius inter ancipitia clarescant, magnumque comitatum non nisi vi belloque tueantur. exigunt enim Principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam. Nam epulæ, et, quamquam incompti, largi tamen adparatus pro stipendio cedunt. materia munificentiæ per bella et raptus. Nec arare terram, aut exspectare annum, tam facile persuaseris, quam vocare hostes et vulnera mereri. pigrum quinimmo et iners videtur, sudore adquirere, quod possis sanguine parare. Quotiens bella non ineunt, multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno ciboque. Fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata domus et Penatium et agrorum cura fe-

rursus induxit Rhenanus. *et ut clarescant* Puteol. Rhag. Ber. (ed. 1519.) At Spirensis, Pogg. *et facilius—clarescant:* quod non spernam, quia etiam sequitur *tueare*, quod idem est ac *tueantur*. Hinc etiam apparet, unde *ut* natum sit. Non intelligebant, unde conjunctivus penderet. Ern. Bip. bene Spirensem sequuntur. sequor et ipse. Ed. Rom. habet *clarescunt*.

Tueantur] Scriptus, *tueare*. Lips. Haud dubie *tueare* elegantius: et sic etiam habetur in Arondeliano. Ipse Tacitus 6, 8. *Abditos Principis sensus exquirere inlicitum, anceps: nec ideo adsequare.* Hoc opusculo c. 36. *Inter impotentes et validos falso quiescas.* Gron. *Tueare* etiam (MS. Humm.) edd. Spir. Pogg. Puteol. Beroaldi. Groslotio placebat *tutantur*. Ern. *Tueantur* ed. Norib. quod recte restituere Bip. Nec enim res ad universos pertinet. Ed. Rom. *tuare*. Rhen. 1519. *tueare*. in seq. *tueantur*.

Bellatorem equum] Genus loquendi illustrat Broukhus. ad Tibull. p. 202. Ern.

Nam epulæ et q.] Ita edidit Rhen. a. 1533. ita et cod. Kapp. Sed ed. Spir. sequentes *et convictus*. Ern. Sic Puteol. Rhen. 1519. Contra in MS. Humm. et Long. item in ed. Rom. et Norib. ea desunt. Recepere iterum Bip. Pichenæ judicium secuti, qui tum *largi adparatus* genitivo casu positum putat.

Exspectare annum] i. e. dum maturæ sint fruges, quas severis, ut inde habeas victum. *Vocare hostes*, et *vulnera mereri*, sunt phrases Virgilianæ. Illam ad H. 4, 80. illustravimus. hæc est: fortiter pugnare, ubi acerrima pugna est, unde sine vulnere vix discedas. Similiter Silius 4, 141. *petere vulnus* et *invenire*. Ern.

Non multum venatibus] Pugnam cum Cæsare hic video, imo cum usu et ratione. Cæsar ait B. G. 6, 21. *Vita Germanorum omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consumitur.* Iterum de Suevis 4, 1. *multum sunt in venationibus.* Usus etiam et ratio suadent gentes acres, feras, ubi silvarum copia, venatui addictas. Nec aliter in hac ipsa gente hodie. Pacem vera emendatio faciet: *quoties bella non ineunt, multum venatibus.* negatione ejecta, quæ haud dubie male geminata et petita e prioribus verbis. Lips. Recte. Nugantur Salinerius et Colerus, qui Lipsio obloquuntur. Ern. Negatio omnino tollenda. Sic Cluv. Conring. Periz. Bip.

Per otium transigunt] Benignior hujus otii apud Ælianum est interpretatio 10. Var. 14. Σωκράτης ἔλεγεν, ὅτι ἡ ἀργία ἀδελφὴ τῆς ἐλευθερίας ἐστὶ, καὶ μαρτύριον ἔλεγεν ἀνδρειοτάτους καὶ ἐλευθεριωτάτους Ἰνδοὺς καὶ Πέρσας. ἀμφοτέρους δὲ πρὸς χρηματισμὸν ἀργοτάτους εἶναι· Φρύγας δὲ καὶ Λυδοὺς ἐργαστικωτέρους, δουλεύειν δέ. Plutarchus Lycurgo c. 24. p. 117. καὶ γὰρ ἕν τι τοῦτο τῶν καλῶν ἦν καὶ μακαρίων ἃ παρεσκεύασε τοῖς ἑαυτοῦ πολίταις ὁ Λύκουργος, ἀφθονίαν σχολῆς· quibus interdixerat artibus sordidis, et pecuniæ quærendæ nulla erat cura, et agrum colebant Ilotes. Itaque Laco quidam Athenis πυθόμενός τινα δίκην ἀργίας ὠφληκότα, rogat proximos δεῖξαι αὐτῷ, τίς ἐστιν ὁ τὴν ἐλευθερίας ἑαλωκὼς δίκην. Cicero de Orat. 2, 2. *Mihi liber non videtur, qui non aliquando nihil agit: in qua permaneo sententia, meque, cum huc veni, hoc ipsum nihil agere et plane cessare delectat.* Gron. *Transigere* absolute dici, intellecto substantivo, quod negabat Colerus, ipse Tacitus doceat, qui modo *transigere bella* dixit, modo *transigere* eodem sensu, intell. bella. Ern.

minis senibusque et infirmissimo cuique ex familia: ipsi hebent: mira diversitate naturæ, cum iidem homines sic ament inertiam et oderint quietem. Mos est civitatibus, ultro ac viritim conferre Principibus, vel armentorum, vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit. Gaudent præcipue finitimarum gentium donis, quæ non modo a singulis, sed publice mittuntur: electi equi, magna arma, phaleræ, torquesque. Jam et pecuniam accipere docuimus. Nullas Germanorum populis urbes ha- 16
bitari, satis notum est: ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem, connexis et cohærentibus ædificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive in-

Ipsi hebent: mira] Expressi Farnes. scripturam, nec, quin ea germana sit, dubitaveris. Vulgati, *ipsi habent miram diversitatem.* Lips. Eadem scriptura cod. Kapp. (s. ed. Norib.) jam prodita a Rhenano, qui tamen non induxit in textum. Ed. Spir. *ipsi habent mira div.* unde Puteol. fecit *habent miram diversitatem.* Ita unus error peperit alterum. *Diversitas naturæ.* est quasi repugnantia: nam *diversa* ap. Tacitum sæpe contraria. Ern. Ed. Rom. quoque *ipsi hebent mira d. n.*

Ultro ac viritim conferre] Imminutum locum esse, res et sermo ipse clamant. Rhenanus ex vestigiis, ut ait, libri, *ultro equitium conferre.* Et scio vocem equitii probam, Jurisconsultis usurpatam: et morem ipsum in Armeniis etiam obtinuisse, qui equos Regi alebant in tributum. Xenophon id me docuit 4, 5. De expeditione Cyri. At ne sic quidem pendentia verba firmaveris, quæ sequuntur. An equitium armentorum dices? an frugum? ridiculum. mihi nota excidisse videbatur X. quæ decimam significat, vel decimas: sicut eadem geminata XX. vigesimam, in lapidibus sæpe. scribesque meo sensu: *ultro ac viritim X. conferre.* Quin mos quidem ille etiam hodie obtineat apud plerosque, de conferendis decimis in nobilitatis usum, negari non potest. Vel explere etiam possis: *vel frugum, quod pro.* Lips. Brevitas Taciti haudquaquam sollicitanda. Talia sunt Varronis RR. 3, 16. *Si ex alvo minus frequenter evadunt ac subsidit aliqua pars, suffumigandum et prope apponendum bene olentium herbarum, maxime apiastrum et thymum.* Et Horatii Serm. 2, 6, 83. *neque illi Sepositi ciceris, nec longæ invidit avenæ.* Ælianus 11. ποικιλ. 5. Τούτοις ἐπιβουλεύοντες Δελφοὶ εἰς τὰ κανὰ, ἔνθα ἦν αὐτοῖς ὅ τε λιβανωτὸς καὶ τὰ πόπανα, ἐνέβαλον τῶν ἱερῶν χρημάτων λάθρα. Idem de animal. 5, 13. εἰ δὲ αὐτῇ παρὰ δόξαν γένοιτο τὸ τοῦ πνεύματος, ὄψει φέρουσαν λίθον ἑκάστην ἄκροις τοῖς ποσίν. Apuleius lib. 5. met. *Sic ille novæ nuptæ precibus veniam tribuit, et insuper quibuscumque vellet eas auri vel monilium donare concessit.* Ipse Tacitus A. 15, 53. *Tribuni et Centuriones et cæterorum ut quisque audentiæ habuisset, accurrerent trucidarentque.* Gron. Liber ille Rhenani, quem Artolphi cod. vocat, est is, quem ego Kapp. vocavi. In hoc autem exemplo, mundo illo et bene conservato, non est *ac virium* sed *ac jurium:* quod est sine dubio natum e *viritim.* Locum corruptelæ fecit inversio primæ syllabæ, qua nil frequentius est in edd. priscis, ut sæpe ex ed. Taciti prima indicavi. Ern. Ed. Rom. Put. Rhen. *ac viritim.* Ed. Norimb. *ac jurium.* Notarat sibi hoc Rhen. in margine libri sui, verum ita supine, ut, quum ad curandum Tacitum rursus accederet ex litteris evanescentibus exsculperet *ac virium* vel *ecuirium,* unde somniavit *equitium.* Servavit tamen in textu *ac viritim.* Bip. inde fecere *auctarium.* Mihi Lipsius verum vidisse videtur, quod et Groslotio placuit et Rhen. expressit, pendere genitivos a pronomine *quod,* unde tollendum distinctionis majoris signum.

A singulis] Perizonius præpositionem *a* deletam volebat, ut dativum habeas.

Sed publice] MS. Art. cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *sed et.* Ern. Sic ed. Rom.

Non in n. morem] MS. Arund. *nostro more.* Ern.

scitia ædificandi. Ne cæmentorum quidem apud illos aut tegularum usus: materia ad omnia utuntur informi et citra speciem aut delectationem. Quædam loca diligentius inlinunt terra, ita pura ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. Solent, et subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi et receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliunt: et, si quando hostis advenit, aperta populatur, abdita autem et defossa aut ignorantur, aut eo ipso fal-
17 lunt, quod quærenda sunt. Tegumen omnibus sagum, fibula, aut, si desit, spina consertum: cetera intecti totos dies juxta focum atque ignem agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatæ ac Parthi, sed

Imitetur] Ed. Seb. Gryph. *invitet:* vitio operarum, ut opinor. Tum vett. edd. fere *liniamenta.* ERN. Sed ed. Rom. et Norimb. *lineamenta.*

Subterraneos specus aperire] Idem Pomp. Mela de Sarmatis 2, 1. *Atque ob sæva hiemis adsiduæ, demersis in humum sedibus, specus aut suffossa habitant.* Xenophon de frigida Armeniorum regione, Expedit. Cyri 4, 5. Αἱ δ' οἰκίαι ἦσαν κατάγειοι, τὸ μὲν στόμα ὥσπερ φρέατος, κάτω δὲ εὐρεῖαι. αἱ δὲ εἴσοδοι τοῖς μὲν ὑποζυγίοις ὀρυκταὶ, οἱ δὲ ἄνθρωποι κατὰ κλίμακας κατέβαινον· ἐν δὲ ταῖς οἰκίαις ἦσαν αἶγες, βόες, ὄϊες, ὄρνιθες καὶ τὰ ἔκγονα τούτων. Frustra autem originem stubarum (ita Ditmarus et illa ætas appellant) petunt istinc. quid enim simile? Quæ tamen antiquæ: et, nisi fallor, Juliano intellectæ in Antiochico post init. ubi de Lutetia urbe: Ἐθάλπετο δὲ τὸ δωμάτιον οὐδαμῶς, οὗπερ ἐκάθευδον. ὅνπερ εἰώθει τρόπον ὑπὸ τοῖς καμίνοις τὰ πολλὰ τῶν οἰκημάτων ἐκεῖ θερμαίνεσθαι. Quamquam et Romanos, ævo Senecæ, nescio quid tale commentos reperio; effectu quidem pari cum stubis, non prorsus forma. Seneca de Providentia cap. 4. *Quem specularia semper a flatu vindicarunt ... cujus cænationes subditus et parietibus circumfusus calor temperavit.* Quod fieri solitum per ambientes quosdam tubos. Idem epistola 91 (90). *Quædam nostra demum prodisse memoria scimus, ut speculariorum usum. .. ut suspensuras balneorum et impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul et summa foveret æqualiter.* Quos tubos vidisse et notasse me in ruinis balnearum Romæ, probe memini. Ceterum quod hic legitur, *fimo onerant:* in Bambergensi est, *fimo operiunt.* LIPS. Sic et MS. Arundel. Vix credam, Tacitum eodem versiculo scripsisse *aperire* et *operiunt.* Sed illud huic inducendo locum fecisse videtur. ERN. Ed. Rom. et Norimb. *onerant.*

Aperta populatur] Cod. Kapp. (s. ed. Norimb.) *aperta populatio.* ERN. Sic et ed. Rom. et MS. Long.

Spina consertum] Cur spina proprie et quæsite? an non aptius *pinna?* Sive e pisce, sive e ligno, aut alia materie fuit. Certe hodieque ita a tenuibus aut sordidis factitatur. LIPS. Immo *spina* rudibus hominibus erat in locis incultis pro fibula. Sic Achæmenidi ap. Virg. Æn. 3, 594. *Consertum tegmen spinis* tribuitur. ERN.

Cetera intecti] Cf. Gebaver de nuditate corporum Germanis temere adficta, in Vestigiis p. 364.

Non fluitante] Proprium et elegans verbum de vestitu laxo, sinuosoque. V. Gronov. Observ. 2, 7. ERN.

Sed stricta et singulos artus exprimente] Exprimit vero egregie vestitum hunc nostrum, qui a nobilitate Germanica diffusus non dubie per Europam. Describit et Sidonius eleganter, in Paneg. Majoriani v. 243. *Strictius assuetæ vestes, procera coercent Membra virum: patet iis arctato* (al. *altato*) *tegmine poples.* Pars tamen etiam quædam Germaniæ olim in laxis vestibus, Sarmatico ritu, sive braccis. Lucanus Batavis et Vangionibus hoc tribuit 1, 430. *Et, qui te laxis imitantur, Sarmata, braccis, Vangiones, Batavique truces.* Quamquam de plebe id tantum ceperim. Ceterum ad adstrictas, et Sidonii verbo assutas, Germanorum vestes, facit Dionis locus 49, 36. me quidem interprete: ubi Pannonios dictos affirmat, ὅτι τοὺς χιτῶνας τοὺς χειριδωτοὺς ἐξ ἱματίων τινῶν ἐς πάννους ἐπιχωρίως πως καὶ κατατέμνοντες;

stricta et singulos artus exprimente. Gerunt et ferarum pelles, proximi ripæ negligenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras et detracta velamina spargunt maculis pellibusque belluarum, quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit. Nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod feminæ sæpius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant, partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos. sed et proxima pars pectoris patet:

καὶ προσαγορεύοντες συῤῥάπτουσι: *quod tunicas manuleatas ex centonibus quibusdam et pannis* (*ita appellant*) *patrio more conscindunt et coaptant.* Certum mihi est describi nostram tunicam, quam etiam nunc ab istis pannis *Pantrock* vocamus, veterum Germanorum et Pannonum ipsam vestem. Ea sane, quod Dio ait, e variis panniculis, præter Romanum et Græcum morem, ad singula membra aptata. Lips. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *arctus.* et sic semper. Ern. Sic et ed. Rom.

Proximi ripæ negligenter, ulteriores exquisitius] Si vera lectio hæc, quam certe libri omnes exhibent, sensus est: Proximi ripæ Rheni utuntur illi quidem pellibus ad vestitum, sed nullo delectu, nullo ornatu; quia commercia habent cum provinciis Rom. eoque utuntur vestibus melioribus ad modum provincialium. At remotiores a Rheno, quia aliis vestibus carent, quas e commerciis cum nostris provinciis habeant, in pelliceo vestitu artem et cultum adhibent. Sic explicat Berneccerus. At Muretus, Carrio Antiq. Lect. 3, 2. aliique adverbia transponunt sic: *proximi ripæ exquisitius, ulteriores negligenter.* Mihi vulgatum placet. Nam sequentia haud dubie pertinent ad exquisitiorem e pellibus cultum, et ad posteriori loco positos, h. e. ulteriores. Quod intellexit Cluverius, qui tota membra permutabat, *ulteriores negligenter, quibus proximi —ripæ exquisitius eligunt feras*: quod est vim facere. Et quam frigidum foret *exquisitius eligere.* Illud *exquisitius* explicatur sequentibus. Adde dicta nota prox. Ern. Berneggeri explicationem jam occuparat Lipsius in Dispunct. not. cod. Mirand.

Spargunt maculis pellibusque] Suspectus mihi locus. nec sat scio, quomodo detractas feris pelles, sparserint maculis, et pellibus aliis piscium. An Tacitus ipse hæc parum intellexit? an *maculæ* vox non sine macula? Ego de mastrucis aliquid libens supposuissem, si velificata mihi libri alicujus aura. Isidorus 19, 23. *Mastruca, vestis Germanica ex pelliculis ferarum.* Prudentius in Symm. 2, 698.—*Mastrucis proceres vestire togatos.* Cicero fragm. pro Scauro: Sardis etiam tribuit: *Sardorum mastruca tentavit.* Ceterum non dubium, quin duplici ornatu eos usos Tacitus velit, sive e feris, sive e piscibus. Justinus 2, 2. clarius paullo idem tradidit de Scythis: *Lanæ iis usus ac vestium ignotus . . . pellibus tantum ferinis aut marinis vestiuntur.* Lips. In verbis *spargunt maculis* non hæream. Ars est pelles v. c. albas, nigris maculis variegare; quod hodie quoque fieri apud nos vidi. Istis rudibus temporibus forte factum adsutis alius coloris segmentis. Mastruca sordidior est, quam ut ei exquisiti vestitus nomen conveniat. Pelles porro belluarum, quas exterior Oceanus gignit, atque ignotum mare, non intelligam de piscibus. Pelles quis tribuat piscibus: et duræ piscium membranæ quomodo vestibus aptæ? Locus Justini e vitioso libro sumtus est. Boni libri habent *murinis*, quod verum est. Immo intelligendæ pelles transmarinarum ferarum, quales hodie zibellinæ. Tales pelles a Suionibus potuerunt accipere, qui Oceanum accolebant, et per quos etiam Romani postea eas pelles accepere. V. Voss. ad Catull. p. 190. ubi de zibellinis digna lecta. Ern.

Feminæ sæpius lineis] Plinius 19, 1. *Jam quidem et Transrhenani hostes vela e lino texunt, nec pulchriorem aliam vestem eorum fœminæ novere.* Linigeræ igitur fœminæ, nec tamen solæ. Bene ait, *sæpius.* Diaconus in viris agnoscit, 4, 7 (23). *Vestimenta eis* (de priscis Longobardis ait, indubie Germanis) *erant laxa et maxime linea, qualia Angli-Saxones habere solent, ornata institis latioribus, vario colore contextis.* Sed profecto quæ hic de variegatis latisque institis dicit, nos qui vidimus, scimus etiam nunc proprium amictum esse Germanicarum mulierum. Lips.

18 quamquam severa illic matrimonia: nec ullam morum partem magis laudaveris. nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem, plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito, sed uxori maritus, offert. Intersunt parentes et propinqui, ac munera probant. munera non ad delicias muliebres quæsita, nec quibus nova nupta comatur; sed boves et frenatum equum et scutum cum framea gladioque. In hæc munera uxor accipitur. atque invicem ipsa armorum aliquid viro adfert. hoc maximum vinculum, hæc arcana sacra, hos conjugales Deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in prœlio passuram ausuramque. hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. Sic vivendum, sic pereundum: accipere se, quæ liberis invio-

Uxor marito] Illud, *marito*, abest Bambergensi, et sine fraude. Lips. Item ab Arundel. Sed Venus sententiæ perierit, si tollas, etsi salva sententia restet. Ern. Dubium a Salmasio de modo usur. c. 4. p. 185. motum ad hæc nostri verba, de dote uxori a marito oblata, solvit Gebaverus l. c. p. 252. In ed. Rom. deest *uxor*.

Delicias muliebres] Intell. monilia, armillas et similia ornamenta exquisitiora: et mox *comatur* accipe pro ornetur, ne de hasta cælibari cum Colero cogites. Terentius Heaut. 2, 2, 11. *dum moliuntur, dum comuntur, annus est.* Hinc *incomti* pro horridis, non ornatis et supra, *incomti apparatus*, c. 14. Ern.

Sed boves et frenatum equum] Pichena suspicatur excidisse vocem, *sed binos boves.* nam infra, ubi hæc dona recenset, ait, *hoc juncti boves, hoc paratus equus.* Ern.

In hæc munera accipitur] E Græco sumta loquendi forma, ἐπὶ τούτοις δώροις. his muneribus datis, sub conditione veluti talium munerum, talis dotis. Ern.

Hoc data arma denuntiant] Cod. Kapp. (s. ed. Nor. item Rom.). *renunciant*, ut jam notavit Rhen. qui non improbat. Frustra. *Denunciant* refertur ad ea, quæ ante dixerat de societate laborum et periculorum; in qua re proprium verbum est *denunciare*, (non *renunciare*.) quod inde accepit etiam vim minandi. Permutata autem et alibi hæc verba in libris vett. Ern.

Sic vivendum sic pereundum] Pendet ab *denunciant*. *Sic* est, eadem lege atque conditione, qua maritos. Vivendum laboriose, moriendum fortiter. Cod. Kapp. (s. ed. Nor. item Rom.) *sic viventes, sic parientes*, quod accipit Rhen. Vulgatum verum. Ern. Colerus conjicit, *si vivendum, si pereundum* i. e. sive viv. sive per. sit. Rhenanus, si leg. *viventes, parientes*, tum quoque emendandum tradit, *reddant*. Bipontinis videtur leg. *patientes*, nisi oratio a singulari *mulier* flecteret ad pluralem. Verum recte vulgatum probant. Phrasis *inviolata ac digna reddat* occurrit et apud Liv. 26, 50. Bipontini verba hæc *inv. ac digna* pro nominativis accipiunt et ad *mulierem* referunt, non ad *munera*. Mihi secus videtur, ac nodus in scirpo quæri.

Quæ lib.—ac digna reddat] Vox, *digna*, non sincera videtur. Sed et paullo ante Rhenanus *sic viventes sic parientes*, alibi legisse ait. Lips. Nisi tamen non mendum hic, sed specimen brevitatis Taciti, qua fit, ut vox *liberis*, ceu bis posita intelligi debeat; et quidem relata ad τὸ *reddat* dandi, ad τὸ *digna* auferendi casu. Sensus enim, quæ salva et honesta liberis atque iisdem digna (generosæ scilicet matris dignum magna indole ac spe filiorum donum) olim restituat, quæque ab his aliquando sponsis ac speratis suis rursus dotis vicem ferant nurus et suis filiis, illius nepotibus, pari cura sarta tecta præstent perhibeantque. Gron. Cod. K. ed. Spir. ceteræque ante Rhen. 1533. *rursus quæ.* Ern. Ed. Rom. *que*. Norimb. *quæ*. hæc enim diphthongis utitur.

lata ac digna reddat, quæ nurus accipiant, rursusque ad ne-
potes referant. Ergo septæ pudicitia agunt, nullis specta- 19
culorum inlecebris, nullis conviviorum inritationibus conru-
ptæ. Litterarum secreta viri pariter ac feminæ ignorant.
Paucissima in tam numerosa gente adulteria; quorum
pœna præsens, et maritis permissa. Accisis crinibus, nu-
datam, coram propinquis, expellit domo maritus, ac per
omnem vicum verbere agit. publicatæ enim pudicitiæ
nulla venia. non forma, non ætate, non opibus mari-
tum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet: nec, con-
rumpere et conrumpi, sæculum vocatur: Melius quidem

Septa pudicitia agunt] Livium imitatur 3, 44. *postquam omnia pudore septa animadverterat*. Est autem *septa pudicitia* tuta et inexpugnabilis, sive custodiis, sive moribus gentis, sive ingeniis ipsarum. GRON. MS. Arund. *septæ pudicitia*. Turic. *separata*. ERN. Bip. recepere *septæ*. Recte, sequor. Ed. Rom. et Norimb. *septa*. Acid. *certa* conjicit, incassum.

Litterarum secreta] Quare hoc matrimoniis aut pudicitiæ interserit? mireris. Nimirum, quia et litteris occulte missis corrumpi fœminæ solent, sicut de ludis et conviviis præivit. At eæ non sunt. LIPS. Hoc vult Tacitus: Scribere ac per epistolas suspecta secreta fovere atque exercere nesciunt. Suetonius de Nicia (III. Gram. c. 14.) *quum codicillos Memmii ad Pompeii uxorem de stupro pertulisset*. Notum (ex Plut. in Cat. min. c. 24. p. 238. δελτάριον μικρὸν ἔξωθεν εἰσκομισθὲν altercanti cum Catone Cæsari, quod ille cum poposcisset, quærens inde adversario invidiam, Σερουιλίας τῆς ἀδελφῆς ἐπιστόλιον ἀκόλαστον, πρὸς τὸν Καίσαρα γεγραμμένον, ἐρώσης καὶ διεφθαρμένης ὑπ' αὐτοῦ, agnovit. Martialis 14, 6. *Tunc triplices nostros non vilia dona putabis, Cum se venturam scribet amica tibi*. Centum alii. GRON. Mirandum est, potuisse viris doctis in mentem venire de scriptura universa. Quis ista *secreta* unquam appellavit. *Secreta litterarum* per Latinitatem nil aliud esse possunt, quam *literæ secretæ*: hæ, nisi forte ubi de Ægyptiorum arcana scriptura sermo sit, nil nisi epistolæ furtivæ, quarum passim in rebus amatoriis, ut apud Ovid. in Arte Am. mentio. ERN. Planissima videtur esse hæc verborum interpretatio; non video profecto, quomodo ad spectacula et convivia referri queant, quod Longolio venit in mentem. Sunt, qui de secretis Magiæ exponant, de quibus vid. Dithmarus ad h. l.

Quorum pœna præsens] Ad jus et Romanos mores propius in Bambergensi scriptum, *quorum pœna parentibus et maritis*. Nam maritos solos hic esse arbitros, satis crudum. Tamen e Tacito non aliter apparet. LIPS. Consentit Arundel. ERN. Prætulere Bip. *parentibus*. Sed librorum consensus est in *præsens*, et noster eo verbo uti amat. Vid. index.

Accisis crinibus] Pœna duplex. Crines accisi, et fustigatio. Quam reperio etiam alias usurpatam Germanis in hoc sexu. In Legibus Luitprandi Regis Longobardorum, hæc est in fœminas violentas et quæ sæviunt aut feriunt, 1, 17, 5. *Publicus, in quo loco factum fuerit, comprehendat ipsas mulieres, et faciat eas decalvare et fustare* (ita lego: vulgo, *frustrare*) *per vicos vicinantes ipsius loci*. Paullo aliam et magis sævam adulterii pœnam tribuit priscis Saxonibus Bonifacius Archiep. Epistola 19. ad Ethelbaldum Anglorum Regem: *In antiqua*, inquit, *Saxonia, ubi nulla Christi cognitio, si virgo in materna domo, vel maritata sub conjuge sit adulterata: manu propria strangulatam cremant*. (et addit, quod huc magis facit) *aut cingulo tenus vestibus abscissis flagellant eam castæ matronæ, et de villa in villam missæ occurrunt novæ flagellantes, et cultellis pungunt, donec interimant*. LIPS. Mox MS. Arund. *verberans agit*. Male. ERN.

Publicatæ enim] Scribam, *publicatæ etiam*. Non enim hoc ad adulteras refero: sed ad eas, quæ adhuc injuges, vulgo tamen se vulgabant. LIPS. *Enim* accipio pro particula transeundi. Nam, quod ad pudicitiam publicatam attinet, omnino nulla venia est. Sed præferrem *etiam*, si libri addicerent. ERN.

Invenerit] Sic ed. Rom. et Norimb. Sed Put. *invenit*.

Sæculum vocatur] Gravis et acuta sententia. Seneca similiter. *Desinit esse*

adhuc eæ civitates, in quibus tantum virgines nubunt, et cum spe votoque uxoris semel transigitur. Sic unum accipiunt maritum, quo modo unum corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum, sed tamquam matrimonium, ament. Numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur. plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges. In omni domo nudi ac sordidi, in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excrescunt. Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas. Inter eadem pecora, in eadem humo degunt: donec ætas separet

remedio locus, ubi, quæ fuerant vitia, mores sunt. Lips. Cod. Kapp. (s. ed. Norimb.) *vocantur:* quod jam notavit Rhen. Ern. Sed ed. Rom. *vocatur.*

Melius eæ civitates] Inter quas civitates fuisse Erulos reperio: apud quos adeo secundo matrimonio non locus, uti uxor marito mortuo laqueo sese statim juxta sepulchrum indueret: nisi invisa vivere mallet et infamis. Procopius tradit 2, 14. De bello Gothorum. Lips.

Ne ulla cogitatio] Groslotius ter volebat *nec*, e vet. cod. Primo loco facile probem, non reliquis: nisi etiam corrigas *amant:* quod probarem, si libri faverent. Ern. Ed. Rom. et Norib. et Put. *ne, ne, ne.*

Tamquam maritum] In Lips. tertia est *meritum*, quod, ut in aliis forte, est vitium operarum. In ultima est *maritum:* quod in omnibus meis ante Lips. est. Ern.

Numerum liberorum finire] V. Lipsium ep. 85. Cent. 1. ad Belgas. Ern.

Ex agnatis necare] Agnatos hic accipies non ἀγχιστεῖς, aut συγγενεῖς, sed liberos, qui adnascuntur. etsi mallem omnino scribi, *gnatis*. Illud autem mirum, Tacitum omittere insignitum illum ritum et peculiarem Germanis, de exploratione liberorum. Prolem enim natam ad Rhenum ferebant, clypeoque imponebant. si undis abriperetur, notham censebant; si innataret, vere suam. Claudianus in Rufinum 2, 112. *Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.* Julianus in epistola 16. ad Maximum: Πάντως οὐδὲ ὁ Ῥῆνος ἀδικεῖ τοὺς Κελτοὺς, ὃς τὰ μὲν νόθα τῶν βρεφῶν ὑποβρύχια ταῖς δίναις πέμπει, καθάπερ ἀκολάστου λέχους τιμωρὸς πρέπων. Ὅσα δ' ἂν ἐπιγνῷ καθαροῦ σπέρματος, ὑπεράνω τοῦ ὕδατος αἰωρεῖ, καὶ τῇ μητρὶ τρεμούσῃ πάλιν εἰς χεῖρας δίδωσιν, ὥσπερ ἀδέκαστόν τινα μαρτυρίαν αὐτῇ καθαρῶν καὶ ἀμέμπτων γάμων τὴν τοῦ παιδὸς σωτηρίαν ἀντιδωρούμενος. Meminit et Galenus De sanitate tuenda 1, 10. et Nazianzenus carm. 49. ad Nicob. v. 142. Nonnus in Dionysiacis 46, 55. ab hac caussa Rhenum ἐλεγχιγάμον agnominat, velut judicem vindicemque conjugii: et vidi, qui Rheni etymon hinc petendum adseveraret, quasi purgatoris. Purus quidem sermone nostro *reyn* dicitur. Sed addo, Valerium Flaccum 6, 336. ad Scythas et ad Phasim hunc ritum (nescio an ex vero) transferre. Ita enim ibi quispiam:—*subitam sævi duravimus amne Progeniem, natosque rudes?* Lips. *Adgnati,* supra numerum nati, ἐπίγονοι. Sic et Perizon. ad Melam 1, 8. in Misc. Obs. crit. t. 8. p. 118. Juliani loco cit. adde ejus Orat. 2. de laud. Constantii in med. Quæ de exploratione ista liberorum traduntur, fabulosa esse, jure a Tacito prætermissa, putat Amelang in opusculo subjuncto versioni Germ. Taciti de M. G. editæ ab J. H. M. Ernesti; fabulam autem inde ortam, quod infantes flumini immergere sint soliti Germani ad duranda eorum corpora.

Nec ancillis et nutricibus delegantur] Insignem elegantiam observent tirones in verbo *delegantur*. Sumta metaphora ab iis, qui creditoribus, omninoque quibus debent, non ipsi solvunt ex arca, sed ad alios amandant, a quibus, suo nomine, pecuniam accipiant, quod dicitur etiam *solvere per delegationem*. Omnino Cicero et elegantissimus quisque tropico hujus verbi usu delectatur. Vid. v. c. Clav. Cic. in h. v. et Gron. Obs. 1, 20. Ern.

Dignoscas] Antiquissimi libri *dinoscas*. cod. Kapp. ed. Spir. Ern. Ed. Norimb. omnino *dinoscas*. contra ed. Rom. *noscas*. Put. *dignoscas*.

Donec ætas separet ingenuos, virtus agnoscat] Vide, si libet, observ. nostras

ingenuos, virtus agnoscat. Sera juvenum Venus; eoque inexhausta pubertas. nec virgines festinantur; eadem juventa, similis proceritas. pares validæque miscentur. ac robora parentum liberi referunt. Sororum filiis idem apud avunculum, qui apud patrem honor. Quidam sanctiorem arctioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur, et in accipiendis obsidibus magis exigunt; tamquam ii et animum firmius, et domum latius, teneant. Heredes tamen successoresque sui cuique liberi: et nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, avunculi. Quanto plus propinquorum, quo major adfinium numerus, tanto gratiosior senectus, nec ulla orbitatis pretia.
Suscipere tam inimicitias, seu patris, seu propinqui, quam 21
amicitias, necesse est. nec inplacabiles durant. Luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem universa domus: utiliter in publicum; quia periculosiores sunt inimicitiæ juxta libertatem. Convictibus et hospitiis non alia gens effusius indulget. Quemcumque mortalium arcere tecto, nefas habetur: pro fortuna quisque adparatis epulis excipit. Cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes, proximam domum non invitati adeunt. nec interest: pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumque, quantum ad jus hospitii, nemo discernit. Abeunti, si quid poposcerit, concedere

1, 4. *Separet* est, faciat, ut separentur: *agnoscat*, faciat, ut agnoscantur. Gron. *Agnoscere* eo sensu apud Sen. ep. 120. et Plin. ep. 5, 17.

Inexhausta pubertas] Is. Vossius ad Melam 3. explicat *ἀναφροδισίαν*, quæ ibi *pueritia*. Pueritiam recte accipit; sed pubertas aliud est: nempe, vis juvenilis generandi. quæ sero consumitur. Ern.

Pares validique] Cod. Kapp. (s. ed. Nor. item Rom.) edd. Bonon. Sprirens. omnesque ceteri mei ante Lips. magno consensu *validæque*: quod restitui. In Lipsianam, ut alia quædam, venit ex obscura editione. Intellige, pares maritis ætate aliisque rebus ducuntur, in primisque validæ. Paullo post pro *magis* MS. Arund. *maxime*. Ern. Pichenæ placebat *validique*. sed recte cum Ernestio faciunt Lall. Brot. Bip.

Apud patrem] Cod. Kappii (quem Joh. Kappius hic iterum male MS. vocat) sive ed. Norimb. item Rom. et ed. Rhagii *ad patrem*. Sic Cic. ad Att. 2, 16. et 10, 16. *ad me* pro *apud me*. Mox MS. Long. *obsidiis*. Dein pro *ii* male legitur *in* in ed. Nor. Rom. Rhag. et in MS. Long. et Humm.

Nec ulla orbitatis pretia] Non sunt, qui senes orbos captent, ut apud Romanos. Respice A. 15, 19. Cf. Ammian. Marc. 14. 6. Sen. Cons. ad Marc. c. 19. Paullo ante Put. *tanto gratior*. sed Rom. et Norib. ed. *gratiosior*.

Utiliter in publicum] Solus cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *utilitate*. Mox *juxta libertatem* est inter liberos homines, in civitate libera. Ern. Ed. Rom. et Put, *utiliter*.

Cum defecere] Sc. epulæ: cum epulas amplius præbere hospiti non possunt. Infra c. 24. *cum omnia defecerunt*, sc. quæ ludendo perdere possint. Edd. vett. meæ ante Lips. omnes *defecere*. quod restituit Pichena. *Defecerit* est in ed. Lips. quod eodem modo intelligere licet. Sed illud verum puto. Vid. tamen ad c. 24. Ern. Bip. præferunt *defecerit* scil. hospes.

Si quid poposcerit] Sic MS. Arund. edd. ante Rhen. 1532. omnes. Is invexit, sive potius error operarum, *poposceris*, quod miror tamdiu toleratum, cum illud Latinitas desideret. Ern. Ed. Norib. *poposcerit*. In Rom. ea vox deest.

moris: et poscendi invicem eadem facilitas. Gaudent muneribus: sed nec data inputant, nec acceptis obligantur.
22 Victus inter hospites comis. Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur, sæpius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. Lauti cibum capiunt: separatæ singulis sedes et sua cuique mensa. tum ad negotia, nec minus sæpe ad convivia, procedunt armati. Diem noctemque continuare potando, nulli probrum. Crebræ, ut inter vinolentos, rixæ, raro conviciis, sæpius cæde et vulneribus transiguntur. Sed et de reconciliandis invicem inimicis et jungendis adfinitatibus et adsciscendis Principibus, de pace denique ac bello, plerumque in conviviis consultant: tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. Gens non astuta, nec callida, aperit adhuc secreta pectoris licentia joci. Ergo

Victus inter hosp. comis] Hæc pro spuriis omisit in versione Francica de la Bleterie. Et sunt sane suspecta saltem de loco. Ern. Omnino glossema redolent.

Separatæ singulis sedes] Quæ sedes e gramine aut frondibus, et proprie thori. Strabo suggerit, qui de Gallis p. 197. *καθεζόμενοι δειπνοῦσιν ἐν στιβάσι.* Posidonius apud Athenæum 4, 13. fœnum sibi substravisse scribit, ab eadem mente: *Κελτοὶ τὰς χοὰς προτίθενται, χόρτον ὑποβάλλοντες, καὶ ἐπὶ τραπεζῶν ξυλίνων, μικρὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἐπηρμένων*, etc. Plura de ratione Germanici victus ibi vide. Lips.

Sua cuique mensa] Herelius *über einige Stellen im Tacitus*. 4. Erf. 1796. conjicit *sua sexui cuique mensa.* quo trahi possit, quod c. 19. refertur, *nec ullis conviviorum inritationibus conruptas esse mulieres.* Contra Antonius h. l. de feminis plane non esse sermonem observat, suamque singulis viris sedem sive mensam, scamnum scil. fuisse putat. Quicquid sit, ingeniosa saltem est Herelii conjectura.

Diem noctemque] Uti et de Persis Xenophon scribit in Pædia 8, 8. extremo. qui mirum (studiose enim notavi et comparavi) quam in pleraque omni ratione vitæ, immo et lingua, consentiant cum Germanis. Lips.

Ut inter vinolentos] Frustra Rhenanus tentat *violentos*, quod ulteriores Germani vino caruerint. Intelligendum vinum hordeaceum, *κρίθινος οἶνος*, non *ἀμπέλινος*. Vett. edd. *vinulentos*. Mox bene Rhenanus edidit *sed et de reconciliandis*. Sic MSS. Turic. cod. Kapp. (s. ed. Nor.) At MSS. Arund. edd. ante Rhen. *sed de reconciliatis*. male. Ern. Ed. Rom. *reconciliandis*. Sic et MS. Humm. et Long. sed Put. *reconciliatis*. Prius Colerus malebat *transigunt* ex formula juris Romani.

Simplices cogitationes] i. e. faciles, lenes, refer ad ea, quæ dixerat de inimicitiis ponendis, amicitiis adfinitatibusque jungendis, item de pace. *Magnæ* pertinent ad bellum. Ern. *Simplices*, nudas, non fucatas, forsan et minoris momenti.

Nec callida] Vet. cod. apud Groslotium *aut callida.*

Aperit adhuc secreta pectoris licentia joci] MS. Arundel. cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *ad hoc;* vetus ed. ap. Jac. Gron. *ad hæc:* quorum alterutrum reponendum videbatur Groslotio, illud Colero. *Adhuc* verum puto, quod et MS. Turic. habet. Id dupliciter licet interpretari: vel *insuper, etiam*, vel *nunc quoque*, nondum edocta artes dissimulandi et fingendi alia, quam sentiat. Deinde cod. Kapp. (s. ed. Nor. item Rom.) ed. Spir. omnesque mei libri ante Lips. ed. *licentia joci*, quod merito restitui. In Lipsianam *loci* venit aut operarum vitio, aut potius ex alia ignobili ed. in qua ipsa vitium operarum fuit. Non enim tacitus veterem lectionem mutasset. Et id tamen temere ab omnibus servatum est. *Jocum* latius accipe, dictum, qua opponitur rebus seriis, deque carminibus, conviviis similibusque dicitur, ut sæpe apud poetas in primis. Pro *jocus* centies librarii et operæ dederunt *locus.* V. Burm. ad Sueton. Calig. 9. Ern. Ed. Rom. *ad hec.* MS. Long. *ad hoc.* MS. Humm. *adhuc.* Dein MS. Long. etiam

detecta et nuda omnium mens postera die retractatur, et salva utriusque temporis ratio est. Deliberant, dum fingere nesciunt: constituunt, dum errare non possunt. Potui hu- 23
mor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem

joci. Rhenanus in ed. prima consulto et ex ingenio dedit *loci*, quia in conviviis sermonis libertas sit. Restituerunt hoc Bip. Ad rem, perinde est, sed codicum et editionum veterum rationem habendam puto.

Et salva utriusque temporis ratio est] Ego scribo, *et sua utriusque temporis*. Interpretor: Germani in conviviis et compotationibus deliberant quidem agitantque res graves: sed easdem sobrii recoquunt et retractant. utrique rei sua quædam ratio est. Rationem autem addit, *deliberant, dum fingere nesciunt: constituunt, dum errare non possunt*. Ex quo discimus, Germanos in convivii illa licentia proposuisse quidem seria: sed eadem conclusisse et finisse, non nisi matutinos et serios. Persarum similis mos, qui, ut Strabo ait 15. p. 734. ἐν οἴνῳ τὰ μέγιστα βουλεύονται, καὶ ταῦτα βεβαιότερα τῶν ἐν νήψει τίθενται. idemque de iis Ammianus 18, 5. Sed et Cretensium ex Athenæo 4, 10. Græcorum omnium veterum ex Homero Il. 9, 225 sq. et Plutarcho diffuse Symposiacorum lib. 7. Q. 9. Propius ad Tacitum Herodotus 1, 133. *Quæ Persæ in conviviis deliberaverint, postridie proponi sobriis: et si tunc placuerint, rata esse*. LIPS. *Rationem constare* et *rationem salvam esse* sensu eodem dicuntur: et proprie in pecuniæ rationibus domicilium habent. *Constat* enim et *salva est ratio*, quæ non conturbata et implicita, sed explicata vel expedita, est; ubi accepta et expensa quadrantur, ubi paria fiunt aut fieri possunt, ubi nulla reliqua, nec plus erogati est, quam accepti. Sic *constare* ac *salvum esse* dicitur, quicquid utiliter expensum vel impensum est, ut ejus nomine actio vel crimen non detur, neque oriatur dolor, aut pœnitentia; cujus nihil male collocatum vel insumptum. Ita Plinius in Paneg. cap. 92. *salva diligentiæ tuæ ratione*, id est, ut tibi ratio diligentiæ tuæ constet, ut nihil tibi videaris contra consuetam diligentiam tuam fecisse. Defendimus adversus optimum Buchnerum eidem Plinio epist. 2, 17. *salvo et composito die*, ad Senecam de ira 3, 36. Ergo et apud Tacitum, *Et salva utriusque temporis ratio est*, accipiendum, ut sit: et utrumque tempus non omnino otiose atque inutiliter, et sic, ut nullam ejus operam edant, agunt: et utrumque tempus non male collocant aut sibi collocare videntur. Quum Romani et Græci convivantes εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα proferant, et sic eis alterius temporis ratio non constet, nec salva sit, quippe quod et per merum lusum et lasciviam trahatur; boni Germani temperant, inquit, suas ferias utili negotio derant, inquit, suas ferias utili negotio deliberandi, atque adeo non tantummodo, cum retractant consulta sobrii, sed etiam, dum consultant uvidi ac saucii, temporis salvam rationem habent. Allusit ad dictum Catonis, quod Justinus in præfatione ac pro Plancio 27. refert Cicero, *clarorum virorum atque magnorum non minus otii quam negotii rationem constare oportere*. GRON. Mihi, qui et ipse *salva* probo, simplicius videtur, sic accipere: quæ in conviviis dicta, non pro ratis statim habentur: neque enim seria proprie conveniunt temporibus convivandi. Ita salva est ratio illius temporis; quam perturbes, si, quæ inter vina dicta sunt, pro certis et firmis habeas, et quæ revocare non liceat. Iterum ergo in deliberationem a sobriis vocantur, et, ut tum constitutum est, ita ratum habetur. merito. nam sobrii in potestate mentem et libertatem habent. Ita et huic tempori sua salva est ratio, nec quod ei convenit, alteri tribuitur. Atque hanc interpretationem sequentia videntur confirmare. Salvam temporum rationem relinquit, qui ea non perturbat, nihil alieno tempore agit. ERN. *Ratio salva* est integra. Nemini fraudi est, in convivio hoc velle, idem postero die nolle. sic Longolius.

In qu. sim. vini corruptus] *Corruptus* hactenus dici potest ille humor, qua omnia naturalia per artem in suavius, ad sensum hominum, mutata, dicuntur corrumpi: ut ap. Virgil. G. 2, 466. *corrumpitur usus olivi*, unguentis sc. adfusis. Sic quæ Callim. H. in Lav. Pall. 16. ἔλαια μικτὰ dicit, opponitque λιτοῖς, ea dicuntur a Græcis φθείρεσθαι, συμφθείρεσθαι. de quo v. Kuster. ad Aristoph. Plut. 530. et Hemsterhusium τὸν πάνυ ad Lucian. Prometh. p. 31. et quos ibi laudat. Sed potest etiam respexisse eo, quod Romanis, vino vero et aquæ adsuetis, vinum illud fœdam putredinem olere videbatur, ut patet e

vini corruptus. Proximi ripæ et vinum mercantur. Cibi
simplices: agrestia poma, recens fera, aut lac concretum.
Sine adparatu, sine blandimentis, expellunt famem. Adver-
sus sitim non eadem temperantia. Si indulseris ebrietati,
suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis,
24 quam armis, vincentur. Genus spectaculorum unum atque
in omni cœtu idem. Nudi juvenes, quibus id ludicrum est,
inter gladios se atque infestas frameas saltu jaciunt. Exer-
citatio artem paravit, ars decorem. non in quæstum tamen,
aut mercedem. quamvis audacis lasciviæ pretium est, volu-
ptas spectantium. Aleam (quod mirere) sobrii inter seria
exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut, cum
omnia defecerunt, extremo ac novissimo jactu de libertate
et de corpore contendant. Victus voluntariam servitutem
adit. quamvis juvenior, quamvis robustior, adligari se ac

noto Juliani Cæs. epigrammate in cerevisiam. Verum illud melius: MS. Arundel. *corrupti*. Ern. *Corrumpi* hic potius nativo suo et proprio sensu sumi Longolius autumat. Epigramma Juliani videsis in Brunkii Anal. vet. poet. t. 2. p. 403.

Vitiis, quam] Bambergensis, *vino quam armis*. Lips. Vix est, ut *τὸ vino* non sit a mala scholiastæ manu. Nam *vitiis* prorsus est nimio vino, et hoc amplius *τὴν οἰνοφλυγίαν* consequentibus malis. Justinus de Philippo et Alexandro 9, 8. *Vini nimis uterque avidus, sed ebrietatis diversa vitia.* Quorum et Horatius quædam decantat Ep. 1, 5, 16. *Quid non ebrietas* etc. *Vinci* autem suis eos *vitiis* dicit, ut apud eundem Justinum 1, 8. Scythæ *prius ebrietate, quam bello vincuntur.* Et Antiochus Floro 2, 8. *Rex jam luxuria sua debellatus.* Neque enim invictos et vino et armis significari puto, (nam si vino invicti, cur crebræ inter vinolentos rixæ? cur cædes? vino utique sunt hæc succumbentium, ἡττόνων non κρειττόνων) neque tamen etiam facile armis vinci Germanos; sed, si quis ea irretire possit eos illecebra, juxta facile victum iri hoc genere vitiorum quam inexsuperabili vi armorum, quam *armis*, id est, ea mole armorum, quibus vinci possunt. Gron. *Vino* convenientius videbatur Conringio. *Vitiis* MS. Long. Humm. et editiones veteres.

Inter gladios se] Similem ludum describit Sidon. Apoll. carm. 5. v. 246. *clypeosque rotare ludus et intortas præcedere saltibus hastas.*

Artem paravit] Edd. Spirens. seqq. ante Rhen. *parat*. At cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *paravit*, unde Rhen. dedit. Ern. Ed. Rom. etiam *paravit*. Put. *parat*. hoc placet Bipontinis. Parum interest.

Cum omnia defecerunt] Bene vulgata habet. Adde supra c. 21. sed tamen magis placet lectio MS. Turic. *defecerint*, in hoc contextu. Ern.

De libertate et de corpore] Hoc aleæ studium pertinax Hunnis adtribuit D. Ambrosius, de Tobia cap. 11. *Ferunt Hunnos, cum sine legibus vivant, aleæ solius legibus obedire, in procinctu ludere, tesseras simul et arma portare, et plures suis, quam hostilibus ictibus, interire. in victoria sua captivos fieri et spolia suorum perpeti, quæ pati ab hoste nequiverint.* Et statim: *frequenter autem tanto ardore rapi, ut, cum ea quæ sola magna æstimant, arma victus tradiderit, ad unum aleæ jactum vitam suam potestati vel victoris, vel fæneratoris, addicat. Denique constat, quod quidam et Imperatori Romano cognitus, in fide pretium servitutis, quod sibi tali forte superatus intulerat, suppliciis imperatæ mortis exsolverit.* O fœda, o barbara. et scio apud quosdam Septemtrionalium hodie hanc insaniam pro parte vigere. Lips. Heumannus, diss. peculiari hunc Taciti locum emendare conatus, expungi jubet *extremo ac*, tanquam superflua, et *tradunt* mutat in *reddunt*, ne Tacitus Germanos calumniasse videretur. Respondit viro docto et dubia solvit Gebaverus in Vestig. p. 487.

Quamvis junior] Cod. Kapp. (s. ed. Nor. item Rom.) *juvenior*. Mox *alligari*,

venire patitur. ea est in re prava pervicacia: ipsi fidem vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut
se quoque pudore victoriæ exsolvant. Ceteris servis, non 25
in nostrum morem, descriptis per familiam ministeriis, utuntur. Suam quisque sedem, suos Penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono, injungit: et servus hactenus paret. Cetera domus officia uxor ac liberi exsequuntur. Verberare servum ac vinculis et opere coercere, rarum. Occidere solent, non disciplina et severitate, sed inpetu et ira, ut inimicum, nisi quod inpune. Libertini non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, numquam in civitate; exceptis dumtaxat iis gentibus, quæ regnantur. Ibi enim et super ingenuos et super nobiles ascendunt: apud ceteros inpares libertini libertatis argumentum sunt. Fenus agitare et in usuras extende- 26
re, ignotum: ideoque magis servatur, quam si vetitum esset. Agri, pro numero cultorum, ab universis in vices occupan-

pro vinciri, sic fere Cic. Tusc. 2, 17. *vulnus alligari.* V. plura in Clav. Cic. et, quem ibi laudavi, Gronovius ad Liv. 7, 24. Ern. *Juvenior* habent et MS. Long. et Humm. Restituo cum Bip. et Longolio. Sic et Plin. Ep. 4, 8.

Verberare servum] Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) sic: *verberant servum, ac vinculis et opere coercere, rarum occidere solent.* Ern.

Impetu et ira] Hoc ita in Septemtrionis tractu, ut Holsatia atque alibi, etiam hodie Germani; et per mores licet. Lips. MS. Turic. mox *impune est.* Ern. Receperunt Bip.

Liberti] Sic vulgati omnes. At nos castigavimus *libertini.* Ultima syllaba absorpta est a sequente verbo. Nam de ordine hominum loquitur, qui est libertinorum, non libertorum. Cicer. Verr. 1, 47. deinde mox diserte *libertini* in omnibus libris: denique non ad singulas domos, sed ad civitates referuntur. Similiter infra c. 44. in simili argumento, *libertinus,* non *libertus.* Similis est etiam locus Livii 4, 3. *et proinde hoc valet —tamquam servum aut libertinum aliquis Consulem fore dicat.* Nam quod in Agric. c. 19. Agricola dicitur *nihil per libertos servosque publicæ rei egisse;* sermo est de libertis et servis Agricolæ, non de ordine hominum in genere. Ern.

Raro aliquod momentum i. d.] MS. Arund. *aliquid momenti.* Vulgatum melius. Supra in Hist. 1, 59. habuimus *grande momentum,* de homine. Ern.

Impares libertini libertatis argumentum sunt] i. e. ex hoc ipso apparet libertas populi, quod libertini inferiores sunt ingenuis et nobilibus. Ern.

Fenus agitare] Hæc de fenore spuria videntur nonnullis, in his Antonio in notis ad versionem suam Germanicam.

In usuras extendere] *Fenus* de pecunia dici, quæ sub usuris collocatur, facile cuivis patet, monuitque Salmas. de Usur. p. 24. et sic alibi centies. *In usuras extendere* intelligo dictum, pro *per usuras extendere,* ut apud Virgil. 10, 468. *famamque extendere factis.* Forte etiam fuit *et usuris* vel *per usuras extendere,* ut mox confunduntur *in vices* et *per vices.* Nam profecto fenus non augetur in usuras, sed usuris fenus. Ern.

Ideoque magis servatur] Quid servatur? immo non servatur fenus, nec est ejus usus. Aliquid in hac scriptura vitii: an *spernitur,* vel *spernatur?* ac tale sententia petit. Aut pro sensu capiendum, quasi de interdicto præivisset. Lips. Salmasius l. c. corrigit *aversantur.* Quomodo aversari possunt, quod ignorant? non magis, quam appetere. Recte Heraldus in Salmasii Observ. ad jus Att. et Rom. p. 583. monuit, ex antecedentibus esse ἀπὸ κοινοῦ intelligendum aliquid, ad quod *servatur* referatur, nempe ut abstineant a fenore exercendo, abstinentia ab fenore agitando. Ern.

Agri ab universis] Bambergensis, *ab universis vicis occupantur.* longe alia, nec deteriore sententia. Lips. Satis placet *per vices.* Cæsar B. Gall. 6, 22. *Agriculturæ non student . . neque quisquam agri modum certum ac fines pro-*

tur, quos mox inter se, secundum dignationem, partiuntur. facilitatem partiendi camporum spatia præstant. Arva per annos mutant: et superest ager. nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant et prata separent et hortos rigent. sola terræ seges imperatur. Unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species: hiems et ver et æstas intellectum ac vocabula ha-
27 bent: autumni perinde nomen ac bona ignorantur. Funerum nulla ambitio. id solum observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur. Struem rogi nec vestibus, nec odoribus, cumulant. sua cuique arma, quorundam igni et equus adjicitur. Sepulcrum cespes erigit. Monumentorum arduum et operosum honorem, ut gravem defunctis, adspernantur. Lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde, ponunt. Feminis lugere honestum est; viris meminisse. Hæc in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. nunc singularum

prios habet: sed magistratus in annos singulos gentibus nationibusque hominum, qui una coierunt, quantum eis et quo loco visum est, attribuunt agri, atque anno post alio transire cogunt. Ergo, quia nulla perpetua possessio, et quotannis alius tribus patrisvefamilias in alterius arationem successio, *vices.* Sic *vices excipere*, succedere, Phædro 2, 8. Idem de veteribus Ægyptiis Herodotus 2, 168. *Ταῦτα μὲν (τὰ ἱερέων γέρα, ἄρουραι) δὴ τοῖσι ἅπασι, ἦν ἐξαραιρημένα· τάδε ἐν περιτροπῇ ἐκαρποῦντο, καὶ οὐδαμὰ ὡϋτοί·* Scilicet *ἐν περιτροπῇ per vices* est, *ἐκ περιόδου.* Simile quid de Dalmatis Strabo, etsi vices istæ octo annorum essent libro 7. p. 315. "*Ἴδιον δὲ τῶν Δαλματέων, τὸ διὰ τῆς ὀκταετηρίδος χώρας ἀναδασμὸν ποιεῖσθαι.* Gron. Recte Gronovius vulgatum defendit. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *in vices.* In ed. Spir. *vices* sine præpositione. Frustra tentant *per vicos. Per vices* primum reperi in ed. Puteol. Ern. *In vices* etiam ed. Rom. Recipio cum Bip. MS. Humm. *vice*, quod præfert Longolius. Alii, Lall. Brot. Ern. in ed. 1. dederant *per vices.*

Amplitudine soli labore contendunt] Columella RR. 1, 3. *Acutissimam gentem Pœnos dixisse convenit, imbecilliorem agrum, quam agricolam, esse debere: quoniam, cum sit colluctandum cum eo, si fundus prævaleat, allidi dominum.* Gron. Edd. Bonon. Spirens. Put. Rhag. Beroald. Put. Rhen. 1519. *laborare:* sed post *labore* edidit. Ern. Sic et ed. Norib. et Rom. it. MS. Humm. et Long.

Prata separent] Sic vett. edd. Rhenanus a. 1533. edidit *sepiant*, e libro nescio quo. Illud restituit Pichena. Si libri plures faverent, *sepiant* non spernerem. Virgil. G. 1, 270. *segeti prætendere sepem*, inter labores rusticos ponit et rigandi curæ jungit. Ern. *Sepiant* Cluverio et aliis placuit. Ortum vero est ex negligentia Rhenani, qui in margine libri sui ex ed. Norib. notarat *seperent*, sed litteras non amplius satis dignoscere postmodum potuit. Patet hoc ex nota: "Nisi fallant annotatiunculæ quondam excerptæ, legitur illic *et prata sepiant.*" Vitiosum illud *seperent* habet et ed. Rom. item MS. Long. et Humm. In hujus etiam margine librarius addidit *secent.*

Intellectum habent] Tres partes tantum ab iis intelliguntur, tres tantum sciunt. Ern.

Operosum honorem] *Peroperosum* edd. Spir. Put. Ber. *Operosum* e cod. Kapp. (s. ed. Nor.) edidit Rhenanus, ut mox, *ut gravem defunctis*, pro *et gr.* quod in Beroaldi ed. vitio operarum irrepserat. nam priores omnes *ut gr.* item MS. Turic. Mox *deponunt* MS. Arund. quod e repetitione præcedentis syllabæ ortum. Ern. Ed. Rom. etiam *operosum.*

Viris meminisse] Acute. Seneca communiter ita præcipit, epistola 100 (99). *Vir prudens meminisse perseveret, lugere desinat.* Lips.

gentium instituta ritusque, quatenus differant, quæ nationes e Germania in Gallias commigraverint, expediam.

Validiores olim Gallorum res fuisse, summus auctorum 28.
D. Julius tradit: eoque credibile est, etiam Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim amnis obstabat, quo minus, ut quæque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes, promiscuas adhuc et nulla regnorum potentia divisas? Igitur inter Hercyniam silvam Rhenumque et Mœnum amnes Helvetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens, tenuere. Manet adhuc *Boihemi* nomen, significatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus. Sed utrum Aravisci in Pannoniam ab Osis, Germanorum natione, an Osi ab Araviscis in Germaniam, commigraverint, cum eodem adhuc sermone, institutis, moribus utantur, incertum est: quia, pari olim inopia ac libertate, eadem utriusque ripæ bona malaque erant. Treveri et Nervii circa

Divus Julius tradit] Bell. Gall. 6, 24. Ern.

Potentia divisas] Codex ille ipse, *diversas*. quod probum scio. Lips. Sic et ed. Spirens. ceteræque ante Rhen. Is primum a. 1519. pro varia lectione in margine, deinde a. 1533. in textu edidit *divisas* e cod. Artolphi, quem nos Kapp. vocamus. Ern. Est editio Norib. quacum consentit et Romana. Conringius planius putat *divisas*. Sic et Lall. Brot. Longol. Contra Bip. placet *diversas* i. e. disjunctas.

Mœnumque] MS. Arund. *Mœnim*; quam terminationem a Mela 3, 3. firmari notat J. Gronovius. Et sic edidit Rhen. a. 1533. cum sequentibus. At Spir. Put. Ber. (et Rhen. 1519.) *Mœni*. Primus Lipsius e meis edidit *Mœnum*, nescio an casu: quod tamen est in cod. Kapp. Itaque servavi *Mœnum*, etsi magis inclino h. l. in *Mœnim*. Certe hoc loco pro altera terminatione non licebit uti cum Cellario in Geogr. Antiqua. Ern. Lipsius *Mœnum* hausit e Farnesio, quod ipse indicat in notis ad ed. 1. Ita et ed. Rom. habet et Nor. Scrupulum jure heic movent Schwarzius et Longolius, unquamne ad Mœnum usque habitarint Helvetii? Itaque ille in designatione veteris Helvetiæ finium longius protrahendorum legi jubet *Œnum*; hic in Diss. 42. de Hermunduris et in Collect. Diss. p. 365. substituit *Lemanum*, conjectura eo magis probabili, quod et Cæsar, quem ipse Tacitus laudat, Lemanum nominat B. G. 1, 2.

Manet adhuc Boiemi nomen] Latere aliud videtur in scriptura Bambergensi, *manet adhuc Boiis e munere nomen*. Scribo, *manet adhuc Boiiasmi e re nomen*, vel *Boyasmum e re*. Apte ad hæc vestigia, et rem ipsam. Strabo quidem 7. p. 290. clare Βουΐασμον regiam Marobodui nominat: quam dictam a Boiis vult nunc noster. Possis et *Boyaimum* scribere, verius propiusque ad etymon, quasi Boiorum domum. Lips. Omnes edd. *Boiemi*. solus cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *Boihemi*. Ern. Ed. Rom. *Bohiemi*. Recte Bip. recepere *Boihemi*. Vell. Pat. 2, 109. habet *Boiohemum*.

Loci veterem memoriam] Voculam inserit Bambergens. *veterem viæ memoriam*: qua quid faciam, sum incertus. Lips. Colerus inde facit: *et veterem viciniæ memoriam*. Ern.

Aravisci .. ab Osis] *Arabiscos* in Pannonia inf. locat Ptolem. 2, 16. *Osos* heic noster Germanorum nationem dicit, infra c. 43. negat. Longolius in Humm. MS. reperit *aboiis*, in suo *abois*, mox etiam Humm. MS. habebat in margine *boi*, secunda manu obliteratum. Non dubitavit proinde Longolius in textum recipere *à Boiis* et deinceps *an Boii*. Verum sic secum pugnaret ipso hoc capite Tacitus, quum minimo intervallo Boios Gallicam Germanicamque nationem diceret. Quin locus ægrotet, vix mihi dubium; medicina Longolii ad sanandum non sufficit.

Treveri et Nervii etc.] Edd. ante Rhen. 1533. omnes *Neruli*. Mox ed. Kapp. (s. ed. Nor.) *affectionem*: quo verbo noster etiam supra usus est. Item edd. ante Rhen. *Germaniæ*. Ern. Ed. Norib. *Neruli*. Sic et ed. Rom. unde

adfectationem Germanicæ originis ultro ambitiosi sunt, tamquam, per hanc gloriam sanguinis, a similitudine et inertia Gallorum separentur. Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Triboci, Nemetes. Ne Ubii quidem quamquam Romana colonia esse meruerint, ac libentius *Agrippinenses*, conditoris sui nomine, vocentur, origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni ripam conlocati, ut arcerent, non ut custodirentur.
29 Omnium harum gentium virtute præcipui Batavi, non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis, colunt, Cattorum quondam populus et seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani Imperii fierent. Manet honos et antiquæ societatis insigne. nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus

manus recentior fecit *Heruli.* Rhenanus in ed. 1519. ad marginem posuit: "leg. *Nervii*, quos Tornacenses putamus esse." Dein ed. Rom. *affectationem.* Treverorum patriam veram fuisse trans Rhenum ad utramque Loganam, docent Crollius et Chr. Jac. Kremerus. V. Bip. notam ad H. 4, 37.

Triboci] Male vulgo *Treboci.* Ed. Rom. et Nor. *Triboci.* De nomine ipso v. Schoepflinus Als. ill. t. 1. p. 1. 134.

Ubii quidem erubescunt] Immo vero, *non erubescunt.* Quamvis, inquit, Ubii nomen mutarint, colonico jam jure libentius Agrippinenses dicantur, a conditore: tamen nec Germanicæ originis eos pudet, libenterque se iis inserunt. Lips. Meo judicio Gruterus hic *πέπνυται. τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι.* Sic et ipsi olim conjeceramus. *Origo* sine dubio est avita statio et incolatus Germaniæ, antequam colonia fierent. Nam pudere quemquam populum, quod coloniæ Romanæ honorem adeptus esset, præsertim Ubios (qui essent sponte translati, *ut arcerent, non ut custodirentur;* non ut essent in obsidione ipsi, sed ut seque commodius tuerentur ac fines Romanos, et virium imperantis populi pars, non servientium accessio, forent: qui inter Vitellii et Vespasiani arma Galliarum simul et Batavorum defectione et conjuratione grassante tam constantes in fide atque integri manserint et specioso nomini libertatis præsentia prætulerint: qui denique Agrippinenses quam Ubii vocari mallent) nemo Romanorum, illo utique seculo, diceret. Necessario igitur requiritur negandi particula: quam melius poni a fronte hujus orationis, quam ubi Lipsius inseruit, non obscurum esse censeo consideranti *τὸ quidem.* Hoc libro: *ne fratribus quidem mansuram concordiam.* Ne Ubii quidem, inquit, patriam ejurant aut Germanum sanguinem sedemque veterem diffitentur: etsi ad id nobilitatis evecti, ut jus coloniæ meritis et beneficiis erga Populum Romanum impetraverint, placeantque sibi magis, cum Agrippinenses, quam cum Ubii, salutantur. Est autem hæc nimium vulgaris vanitas et hominum et populorum, ut successibus suis deesse auctoritatem existiment, si humiliora prima incrementa confiteantur. Gron. Nempe Gruterus legi volebat *Ne Ubii quidem,* e vestigiis ed. Spirens. in qua *Nubii.* Quia sic etiam MS. Turic. cod. Kapp. (s. ed. Nor.) ed. Pogg. resque per se evidens: eam correctionem merito recepi. Ern. Frustra negationem respuit Longolius. Totus loci nexus eam requirit. Ed. Rom. quoque, item MS. Long. et a rec. manu Hummelii habent *Nubii.*

Conditoris sui nomine] Agrippam intellegit, qui Rhenum eos primus traduxit et in iis sedibus collocavit. Ille tamen non est Coloniæ conditor, neque auctor nominis: sed ab Agrippina id habent, ejus filia, ut Tacitus clare A. 12, 27. scripsit. Itaque dubitavi, num *conditoris suæ* legerem: neque novum, ejus flexus verba in fœmineum etiam genus usurpari, Virgilius de Junone 12, 159. *Auctor ego audendi.* Ovidius de Venere Heroid. 16, 114. *Sponsor conjugii stat Dea picta sui.* Et plura sunt ejusmodi. Lips. Mox MS. Turic. *custodirent.* Ern. De Colonia Agrippina v. et H. 4, 28.

Ant. soc. insigne] Apud Grut. p. 73, 9. CIV. BATAVI. FRATRES. ET. AMICI. P. R.

Nec tributis contemnuntur] Sive con-

adterit. exempti oneribus et conlationibus, et tantum in usum prœliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur. Est in eodem obsequio et Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo Populi Romani ultra Rhenum, ultraque veteres terminos, Imperii reverentiam. Ita sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum, agunt, cetera similes Batavis, nisi quod ipso adhuc terræ suæ solo et cœlo acrius animantur. Non numeraverim inter Germaniæ populos, quamquam trans Rhenum Danubiumque consederint, eos, qui Decumates agros exercent. Levissimus

tinentur. In promptu erat, *conteruntur.* sed parum elegans, cum idem verbi statim sequatur, *nec publicanus atterit.* Ferri et vulgata potest. Nam, quibus tributa imponuntur, hoc ipso, ut victi, pro contemtis habentur et despretis. Steph. Pighius in Hercule Prodicio (p. m. 13.) mallet, *contenuantur.* LIPS. Post omnes τὸ ἐπὶ φακῇ μύρον Lud. Aurelius, *consternantur.* Recte Colerus, (qui vulgatum eleganter dictum putat) et δεύτεραι φροντίδες Lipsii. Placuit antiquis verba λόγον τόν τε σιγώμενον καὶ ἔνδον ἐπιστρεφόμενον καὶ τὸν προφερόμενόν τε καὶ ἀκουόμενον, oris puta vocem aut animi sensum significantia ita transferre interdum, ut facta demonstrent. Ut *objurgare ferula, colapho, flagris, laudare armis* supra hoc libro, *increpare saltu* apud Florum 1, 1. *petauroque jubente modo superior* (ubi male conjiciunt *juvante*) apud Petronium (Fragm. p. 674. ed. Burm.) *jussum æs spirare caminis* Statio et similia. *Laudare armis* est in honorem alicujus collisis armis sonitum edere, quod valet atque est pro laude. *Increpare saltu,* transsilire, quod signum est arguentis atque improbantis et opus et vetitum. *Objurgare flagro,* severe atque aspere accipere verbere, ut verbis et vultu fit in jurgio. Sic *tributis contemnere* est tributa imponere, quod est insultantium victis et pro vilibus, ignavis, obnoxiis eos tractantium et contemnentium. Velleius 2, 39. de Galliis: *quippe ejus ductu auspiciisque infractæ pæne idem, quod totus terrarum orbis, ignavum conferunt stipendium.* quod etiam frustra tentatur. *Ignavum stipendium,* quod argumentum est in bello segnes minusque fortes constantesque fuisse atque esse, quod non facerent, si viri essent. Ipsum verbum etiam sic Cicero 4. ad Attic. 16. *In monumentum illud, quod tu tollere laudibus solebas, ut forum laxaremus et usque ad atrium Libertatis explicaremus, contempsimus sexcenties sestertium.* id est, vile habuimus, et libenter erogavimus, impendimus, unde apparet, tantum pecuniæ præ istius monumenti adjectione ad aream fori Cæsariani vile nobis et contemptum fuisse. Simillimum Claudian. de bello Get. 178. *facili contemptum Strymona saltu.* GRON. Alterum, *nec publicanus atterit,* pertinet ad vectigalia, quæ publicanis locantur: Sensus ergo est, a tributis et vectigalibus liberi sunt. MS. tamen Turic. *conteruntur.* ERN. Lips. in marg. ed. quintæ habet *contunduntur.* Crusius volebat *consumuntur,* Rhen. *condemnantur. Conteruntur* placebat Ursino.

Mattiacorum] Leibnitio videbatur legendum *Marsaciorum* vel *Marsacorum,* de quibus supra H. 4, 56.

Ultra Rhenum] Ergo non sunt *Mattiaci* (ut doctis viris visum) qui nunc Zelandi appellantur: etsi *Matiorum* vox, familiari appellatione, inter eos duret. Taciti hæc lustra: abnuet, atque ultra Rhenum propinqui Batavis, an ubi pars *Northollandiæ* nunc est et vicini sinus? LIPS. Cf. Cluver. Germ. vet. 3, 7.

Acrius animantur] Quia mari et frigori propiores. Neque opinor equidem vel ex hoc Taciti loco, Zelandos esse, sed *ultra Rhenum,* Septemtrionem versus populos: qui nunc in Frisiis, aut *Northollandis* censentur. At mare multa abrasit. LIPS. *Acrius anim.* i. e. animosiores ferocioresque sunt. ERN.

Non numeraverim] Edd. Spir. et seqq. ante Rhen. *numeramus.* Is *numeraverim* e cod. Kapp. edidit. ERN. Sive ed. Nor. Sic et ed. Rom. et MS. Long. Rhenanus in marg. ed. 1519. "alias *connumeraverim.*" vitio typographi, puto, ni fugientes litteræ in margine deceperint istum.

Qui Decumates agros] Errare censeo, qui proprium hic gentis aut loci nomen quærunt. Quomodo vero iidem populi sive agri, trans Rhenum et Danubium simul sint? quod tamen ponit noster.

quisque Gallorum, et inopia audax, dubiæ possessionis solum occupavere. Mox limite acto, promotisque præsidiis, sinus Imperii et pars provinciæ habentur. Ultra hos Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis ut ceteræ civitates, in quas Germania patescit. durant siquidem colles, paullatimque rarescunt: et Cattos suos saltus Hercynius prosequitur simul

Ego communiter Decumates agros interpreter, qui decumas solvunt. Cicero Decumanos dixit Verr. 3, 6. *Omnis*, inquit, *ager Siciliæ decumanus est.* Nam hi agri non aliud sunt, quam trans limitem capti ab hoste, et militibus dati, si qui ex iis fructus. Qui haud multi aut uberes, quoniam hostibus expositi, et, ut ipse ait, dubiæ possessionis id solum. Tacitum de his ipsis loqui ego sentio A. 13, 54. *Frisii imbellem ætatem admovere ripæ, agrosque vacuos et militum usui sepositos insedere.* Hos ipsos agros non fructu tantum, sed mancipio militum esse jussit Imp. Alexander. de quo Lampridius c. 58. *Sola, quæ de hostibus capta sunt, limitaneis Ducibus et militibus donavit, ita ut heredum essent, si heredes militarent; nec unquam ad privatos pertinerent. Addidit sane his animalia et servos, ut possent colere quod acceperant.* Videntur autem id securitatis caussa fecisse Romani, et ne hostes aut suspecti prope colerent. Itaque vacua loca, ad multa milliaria, sæpe relinquebant. In Fragm. Dionis LXXIV. (72, 3.) Commodus Imp. Buris populis Germaniæ ea lege, inter alias, pacem dat: "Ωστε μὴ ἐνοικήσειν ποτὲ, μήτε ἐννέμειν τεσσαράκοντα στάδια τῆς χώρας σφῶν, τῆς πρὸς τῇ Δακίᾳ οὔσης. De Germanis priscis Cæsar simile 6, 23. LIPS.

Mox limite acto promotisque præsidiis] Certe *promotis præsidiis* dixit Tacitus, et tamen *limite acto.* non *aucto.* Proprium enim id verbum, et non potest sine culpa mutari. Agrimensores pag. 3. *Sabinorum ager, qui dicitur Quæstorius, cum limitibus actis diviserunt.* Pag. 19. *Itaque limitibus actis cum centuriæ eximerentur.* Pag. 162. habes *limites actuarios* et *lineares.* Et, *hi qui sunt per viam publicam militarem acti.* Pag. 187. *Multi perpetuos limites egerunt.* Et sequenti: *plurimum enim agentibus præstat acti limitis perpetua rectura.* Pag. 263. *quem actis limitibus quibusque laterculis quinquagena jugera incluserunt.* Frontinus 1. Strateg. 3, 10. *limitibus per* 120000. *passuum actis.* et cap. 5, 10. *ab altera limitem agere cœpit, tanquam per eum erupturus.* Sic utrobique recte P. Scriverius. Alludunt Virgilius 10, 513. *latumque per agmen Ardens limitem agit ferro.* Ovidius de arte 3, 558. *idem limes agendus erit.* Et imitati Silius 9, 379. ac Statius. Quid autem hic proprie sit Tacito *limes*, cognosces ex dictis ad A. 1, 50. Hoc ergo significat, extra præsidia Romana, quippe trans Rhenum Danubiumque, jacuisse spatium campi diu incultum, dum et Romani omittunt, neque barbari, quippe nimis vicinum castellis et præsidiis ripensibus, vindicare audent: donec ab hominibus quibusdam temerariis et inopia audacibus occuparetur concessu quodam et conniventia hinc Romanorum, inde Germanorum: tandem transgressos utrumque amnem Romanos, nec contentos naturalibus terminis vindicasse alteram ripam, et, quatenus ipsis visum fuit, limitem egisse manu, qui barbaricum a Romano discerneret, ac promovisse præsidia; quem intra limitem quæque intra præsidia recepti decumates isti agri cultoresque pars provinciæ Germaniæ Romanis et *sinus Imperii*, hoc est, extremum et quasi reconditum aliquid habeantur. GRON. De *sinu* add. Obs. 1, 4. *Aucto* Lipsius tantum pro conjectura in margine posuit: male recepit Pichena. Ne Latine quidem dici puto *limitem augere*, sed *proferre*, *promovere.* ERN.

Durant siquidem etc.] Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) edd. Spir. ceteræque ante Rhen. ed. 1533. interpungunt post *durant*, idque ad præcedentia referunt: quomodo et Alb. Kranzium (in præf. ad Saxon.) laudasse hunc locum monet Colerus; et deinde exhibent *paullatim* sine *que.* Rhenanum sic ex ingenio edidisse patet. Ceterum, etsi illa quoque vetus interpunctio et lectio bonum sensum facit; tamen ei recentiorem præfero, quod in illa deberet esse copula ante *non.* ERN. Ed. Rom. quoque post *durant* punctum majus locat. *Paullatim* sine *que* Rhenanus ex Beroaldina ed. dedit, sic et Put. item ed. Rom. et Norib.

atque deponit. Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus et major animi vigor. Multum (ut inter Germanos) rationis ac solertiæ: præponere electos, audire præpositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre inpetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinæ concessum, plus reponere in Duce, quam in exercitu. Omne robur in pedite, quem, super arma, ferramentis quoque et copiis onerant. Alios ad prœlium ire videas, Cattos ad bellum. rari excursus et fortuita pugna. Equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere. Velocitas juxta formidinem, cunctatio

Disponere diem] Persius Sat. 5, 43. *Una opus et requiem pariter disponimus ambo.* Plinius ep. 9, 36. *Quæris, quemadmodum in Thuscis diem æstate disponam.* Idem *ordinare diem* Senecæ ep. 12. GRON.

Nec nisi ratione disciplinæ] Bambergensis, *nec nisi Romanæ disciplinæ.* Et neutram sane lectionem jure spernas. LIPS. Teneo mordicus, ut olim, Bambergensem. *Concessum* est a fatis datum. Ut 13, 46. *sibi concessam dictans nobilitatem, pulcritudinem, vota omnium et gaudia felicium.* Silius 1, 13. *propiusque fuere periclum, Queis superare datum.* Nec mirum, Romanos scriptores fatorum erga se indulgentiam prædicare. Livius in persona Asdrubalis 30, 42. *Raro simul hominibus bonam fortunam bonamque mentem dari. Populum Romanum invictum esse, quod in secundis rebus sapere ac consulere didicisset.* Tacitus A. 13, 56. *Id Diis, quos implorarent, placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret.* Ita ergo, ait, etiam Romanæ disciplinæ a fatis maximum telum ad res gerendas datum, ut scirent plus referre qui regerent, quam quot regerentur. Livius 2, 39. *ut facile appareret Ducibus validiorem quam exercitu rem Romanam esse.* Eodem pertinet Severi dictum in Britannia ap. Spart. 18. *Tandem sentitis caput imperare, non pedes.* Imitatur autem et Livii 24, 37. *vir acer et qui plus in eo, ne posset decipi, quam in fide sociorum, reponeret.* GRON. *Romanæ* etiam MS. Arundel. idque et ipse verum puto. Vulgati sensus est: nec cuiquam nisi per disciplinam contingit: quod quorsum additur, cum per se intelligatur? Schelius emendabat *ratione ac disciplina;* eodem sensu: ad Hygin. p. 110. Infra c. 32. *disciplinæ ars.* ERN. *Ratione* ed. Rom. Norimb. Put. quod Longolius verum arbitratur. Bipontini ambigunt. *Romane* habet quoque MS. Humm. *Dux acer* est ap. Liv. 2, 42.

Copiis coonerant] Certe per *copias* intelligit et cibaria et quæ salubris in castris cura corporis desiderat, et, si necesse sit, vallum. Id onus barbaræ nationes detrectabant. Cur enim potissimum Virgilius G. 3, 347. *Non secus ac patriis acer Romanus in armis Injusto sub fasce viam dum carpit.* Cur potissimum *acer* Romanus sub injusto fasce, si nihil hoc apud quasvis gentes novi? Eundem in Romano milite imputat declamator apud Fabium 3, 16. *Nemo nostrum recusat itinerum laborem, nec injustum super arma fascem.* ut ibi legendum docebamus. Jam *copidis* (ut corrigit Barthius Adv. 23, 16.) quasi a *copido*, quæ *κοπὶς* est, quale? copides vocem veteris linguæ Gallorum esse? atque hoc tradere Plutarchum, apud quem hoc tantum est: *τοῦ μὲν ἔφθασε διηρμένου κοπίδα τῷ ξίφει τὴν δεξιὰν ἀποκόψας.* GRON. *Coonerant* edd. Spirens. et seqq. omnes ante Lipsium, qui tacite edidit *onerant:* cui vetus statim substituit Pichena, a quo ad sequentes propagatum est. Quia cod. Kapp. (s. ed. Nor.) habet *onerant;* deinde *coonerare* nullo exemplo dicitur; denique frigidus pleonasmus esset, cum jam *quoque* abundet (non tamen contra morem Taciti elegantiorumque *onerant* restitui, ut supra H. 1, 5. *adspernantes,* pro *coadspernari,* ad quod frustra Pichena provocat. Syllaba *co* nata est e voce præcedente. ERN. In simplici *onerant* consentiunt MS. Long. et Humm. item ed. Rom. Barthii *copidis* nihili est.

Cito cedere] Intell. *victoriam,* non hosti: ne tirones errent. mox *velocitas juxta formidinem,* est, similis formidini; ut alibi *juxta libertatem* esse dixit Imperium Romanum. ERN.

propior constantiæ est. Et aliis Germanorum populis usurpatum rara et privata cujusque audentia, apud Cattos in consensum vertit, ut primum adoleverint; crinem barbamque submittere, nec, nisi hoste cæso, exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Super sanguinem et spolia revelant frontem, seque *tum demum pretia nascendi retulisse, dignosque patria ac parentibus* ferunt. Ignavis et inbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper annulum (ignominiosum id genti) velut vinculum gestat, donec se cæde hostis absolvat. Plurimis Cattorum hic placet habitus. Jamque canent insignes, et hostibus simul suisque monstrati. omnium penes hos initia pugnarum. hæc prima semper acies, visu torva. Nam ne in pace quidem vultu mi-

Rara est privata aud.] MS. Turic. *raro*. Ern. Sic et ed. Rom. Contra ed. Nor. Put. Rhen. *rara*.

In consensum vertit] Groslotius e vetere cod. laudat *conventum*. Ern. Ed. Rom. Norib. Put. *consensum*.

Nec nisi hoste cæso] Hoc teneo, præ eo quod scriptis, *nec non hoste*. At de more ipso, supra dixi. Lips. Ad II. 4, 61. ubi exemplum Cl. Civilis.

Frontem] Sic ed. Rom. et Nor. Contra Put. Rhen. 1519. *frontes*, sed in marg. al. *frontem*.

Ignominiosum] *Sit ominosum* mallet Herelius. Placeret id Antonio in notis ad vers. Germ. si, quæ sequuntur de servato habitu, etiam ad ferreum annulum pertinerent. Verum hæc oris habitum modo respiciunt, ut et Ernestio visum. Contra Bip. *insignes* maxime *annulo* isto votivo fuisse putant. Sic jam Dithmarus senserat.

Plurimis hic placet habitus] i. e. conservant hunc habitum oris atque squalorem, velut perpetuo voto obligati et in omnem vitam, non in unam pugnam. Vid. not. seq. Ern.

Jamque canent insignes] Conjiciebam: *Jamque canent insignibus his hostibus simul suisque monstrati*. Et sunt, inquit, jam cruda senectute quidam canescentes, *his insignibus*, nempe squalore crinium et annulo ferreo ex voto tali sumptis, conspecti ac notabiles tam suis quam hostibus. Non enim tantum eam adolescentium disciplinam esse significat, sed et provectioris ætatis, quoties scilicet hostis exoriri visus, et bellum exspectatur? aut etiam quoties libuit sumere superbiam meritis quæsitam aut fiduciam ostentare. Gron. Sensum commodum Gronoviana emendatio facit. sed auribus meis durum est *insignibus his hostibus*. Vide an mollius sit: *Itaque canent insignes et host.* i. e. et ita, hoc squalore, hoc oris habitu, insignes ad canitiem manent, etiam canentes videre licet. Sequentia explicant τὸ *insignes*. Possis etiam insuper conjicere *manent*: quod tamen necessarium non puto. *Itaque* et *jamque* confundi in libris docet Drakenb. ad Livium 7, 40. Heinsius ep. ad Græv. t. 4. p. 164. Coll. Burm. *Jamque cani* (i. e. canuntur) *ut insignes, et—monstrari*: quod probat Grævius p. 170. non ego. Ern. Bip. conjiciunt *jamque calent—monstrari*. i. e. vehementer optant. ut ap. Stat. Theb. 4, 261. *tubas audire calens*. Ed. Rhag. habet *cavent . . . monstrari*. Medicinam loco depravato jam Lipsius optabat in notis ad ed. 1.

Visu nova] Ratio adjecta videtur poscere, *visu non nova*. Quare? quia eodem cultu habituque, barbis puta ac crinibus submissis annulisque ferreis, virtutem promittentes et ante bellum visi sunt, neque alio vitæ genere, quam armis tractandis, se mitiores mansuetioresque præstiterunt. Gron. Eadem mens Freinshemii, qui corrigit *nota*. Ern. Hiller. Racem. 4. *sæva* volebat; Bernegg. *torva*. hoc recepere Bip. bene, sequor. Sic Curt. 3, 2. *Macedonum acies torva*. Conringio *nova* erat *mira*. Sed *torvo* melius respondet *vultus mitior*.

Vultu mitiore mansuescunt] MS. Arund. *cultu*, ut placebat Pichenæ. Quia tamen sermo de habitu oris, quod efferabatur submittenda barba, et *mitior* aptius verbum vultui, quam cultui, vulgatum servandum puto, cui et alibi *cultum* in libris substitui vidimus. Illud forte probabilius conjicias: *in vultum*

tiore mansuescunt. Nulli domus, aut ager, aut aliqua cura:
prout ad quemque venere, aluntur: prodigi alieni, contem-
ptores sui: donec exsanguis senectus tam duræ virtuti inpa-
res faciat. Proximi Cattis certum jam alveo Rhenum, qui- 32
que terminus esse sufficiat, Usipii ac Tencteri, colunt.
Tencteri, super solitum bellorum decus, equestris disciplinæ
arte præcellunt. Nec major apud Cattos peditum laus,
quam Tencteris equitum. Sic instituere majores, posteri
imitantur. Hi lusus infantium, hæc juvenum æmulatio,
perseverant senes. inter familiam et Penates et jura suc-
cessionum equi traduntur: excipit filius, non, ut cetera,
maximus natu, sed prout ferox bello et melior. Juxta 33
Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamavos et
Angrivarios inmigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus
excisis, vicinarum consensu nationum: seu superbiæ odio,
seu prædæ dulcedine, seu favore quodam erga nos Deorum.
nam ne spectaculo quidem prœlii invidere. super LX.
millia, non armis telisque Romanis, sed, quod magnificen-
tius est, oblectationi oculisque ceciderunt. Maneat, quæso,
duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui:
quando, urgentibus Imperii fatis, nihil jam præstare for-
tuna majus potest, quam hostium discordiam. Angrivarios 34

mitiorem mansuescunt: saltem Tacito non indignum sit. Ceterum et vulgatum ferri potest. Ern.

Aut aliqua cura] Heins. volebat *aut alia.* Herelius *aut thalami.* Eos quippe annuligerulos cælibes fuisse verosimile putat.

Alveo] H. malebat *alvei.*

Non ut cetera] MS. Turic. *non ut extat,* quod vulgato præfero. et sæpe observavi in verbis ab istis syllabis incipientibus confusionem in libris antiquis: ut in *ceteri, exteri,* Ed. Spir. quoque hic habet *extera.* Ern. Ed. Rhag. *extra.* Sed. ed. Rom. et Norib. item MS. Long. et Humm. *cetera.*

Ferox bello et melior] Acidalius bene, *ferox et bello melior.* Ern. Emendadatione non opus. *bello* ad utrumque pertinet *ferox* et *melior.* Sic recte Longol. Cf. et Cort. ad Sall. Jug. 13.

Penitus excisis] Hoc falsum. Occurrunt Bructeri sequentibus sæculis, ut apud Claudianum de IV. Cons. Honorii v. 452. Cf. Cluver. G. Ant. 3, 13.

Nam ne spectaculo quidem prœlii invidere] Int. Dii. Sensus est: Dii non modo hoc nobis dedere, ut Germanos vinceremus ipsi, sed etiam hoc nobis voluptatis concessere, ut spectatores otiosi esse potuerimus prœlii, in quo LX. amplius millia hostium suis armis cecidere, ut eo spectaculo possemus oculos pascere, sicut, cum gladiatorum pugnas in amphitheatro delectationis caussa videmus. de forma loquendi *invidere spectaculo* ad Annales dictum. Ern.

Urgentibus Imperii fatis] Scriptus liber non male, *vergentibus.* Lips. MS. Arund. *quando in vergentibus:* MS. Turic. ed. Spir. cum seqq. ante Rhen. *quando in urgentibus.* J. Gronovius e vet. ed. citat *quando jam urgentibus:* putatque legendum, *qu. jam vergentibus,* ut A. 12, 44. *vergentibus jam annis.* Vulgatum est a Rhen. qui e vetere ed. (nos vocamus cod. Kapp.) duxit. Nec, quid in eo displiceat, video. V. ad A. 5, 3. ubi similiter Lipsius *vergens* præfert *τῷ urgens.* Sed tamen *urgens fatum* etiam Livius dixit 5, 36. *jam urgentibus Rom. urbem fatis.* V. Duker. ad 22, 43. et similiter centies alii. Itaque nihil mutandum puto. Ern. *Urgentibus* ed. Rom. et Nor. item MS. Long. et Humm. Huetius conjiciebat *vigentibus,* quod expressit in versione Gallica Bleterius, quia, cum ea scriberet Tacitus, vigebat Imperium Rom. Sed votum ipsum auctoris sollicitudinem prodit, ex urgentium Imperii fatorum contemplatione prognatam.

et Chamavos a tergo Dulgibini et Chasuari cludunt aliæque gentes, haud perinde memoratæ. A fronte Frisii excipiunt. *Majoribus minoribusque Frisiis* vocabulum est ex modo virium. utræque nationes usque ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntque inmensos insuper lacus et Romanis classibus navigatos. Ipsum quin etiam Oceanum illa tentavimus. et superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit: sive adiit Hercules, seu, quidquid ubique magnificum est, in claritatem ejus referre consensimus. Nec defuit audentia Druso Germanico: sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri. Mox nemo tentavit: sanctiusque ac reverentius visum, de actis Deorum credere, quam scire.

35 Hactenus in Occidentem Germaniam novimus. In Septemtrionem ingenti flexu redit. Ac primo statim Chaucorum gens, quamquam incipiat a Frisiis, ac partem litoris occupet, omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos usque sinuetur. Tam inmensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed et inplent: populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit justitia tueri. sine cupiditate, sine inpotentia, quieti secretique, nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Idque præcipuum virtutis ac virium argumentum est, quod, ut superiores agant, non per injurias adsequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac, si res poscat, exercitus; plurimum virorum equorumque:

Dulgibini et Chasuari] Istos Ptol. 2, 11. *Dulgumnios* vocat; hos *Casuarios*, Strabo l. 7. p. 291. *Chattuarios*, Vell. 2, 105. *Attuarios*. Ammian. Marc. 20, 10. *Attuarios Francos*.

Utræque nationes] MS. Turic. *Jureque nationis*. Ern.

Rom. classibus etc.] Respicit ad expeditionem Germanici, de qua A. 2. initio tradidit, et Drusi patris. Mox MS. Turic. *illac*. Ern. Ed. Nor. et Rom. et Put. *illa*.

Herculis columnas] Ad instar earum, quas ad fretum Gaditanum finxere veteres, in Septentrione etiam quærebant. Eo referunt quidam montem *Sevo* Norvagiæ, memoratum Plinio H. N. 4, 13. (27.) cui respondeat alius in Cimbria.

Referre consensimus] Scriptus liber, *referre consuevimus*. Lips. Recepit Pichena. At ceteri libri vett. mei omnes *consensimus*: quos non deseram: cum etiam *consensimus* commode dicatur, faciliusque librarius e *consensimus* fecerit *consuevimus*, quam ex hoc illud. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) ante etiam habet *magnum*, non *magnificum*. Ern. *Consensimus* ed. Rom. et Nor. item MS. Long. Contra MS. Humm. et ed. vetus apud Groslot. *consuevimus*, quod recepere Bip. cum Berneggero. *Magnum* habet et ed. Rom. et alia vetus ap. Groslot. item MS. Longolii. Idque forsan verius.

Druso Germanico] Freinshemius conjicit *Druso et Germanico*. At Germanicus Oceanum tantum tentavit, ut per eum ingrederetur hostium fines, non ut inquireret de famæ veritate. *Obstitit inquiri* fortasse defendi aliquo alterius scriptoris loco poterit, dicique potest eadem analogia, qua *impediit inquiri*, pro, *quo minus inqu*. Sed tamen valde pronus sum in hanc partem, ut Tacitum dedisse putem *inquirenti*, et illud e compendio scribendi natum esse. Ern.

Ac primo] MS. Long. *A primo*. quod Long. probat. De *Chaucis* s. Caucis ex professo egit Joh. Schild. 8. Auricæ 1742.

Exercitus: plurimum vir.] MS. Turic. *exercitus plurimus vir. e.* Oratio sane durior est, et abruptior, etsi ea non est insolens Tacito. An *plurimum* factum est e *plurium: exercitus plurium virorum equ*. Ern.

et quiescentibus eadem fama. In latere Chaucorum Cat- 36
torumque Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem inlacessiti nutrierunt. idque jucundius, quam tutius, fuit: quia inter inpotentes et validos falso quiescas; ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita, qui olim *boni æquique Cherusci*, nunc *inertes ac stulti* vocantur: Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. Tracti ruina Cheruscorum et Fosi, contermina gens, adversarum rerum

Inter impotentes] i. e. vicinos cum habeas, qui propter indomitam imperandi cupiditatem non vident, quid æquum justumque sit, neque dubitant, minus validum per injuriam opprimere. Sic supra de Cattis: *sine cupiditate, sine impotentia*. MS. Turic. habet *impetentes:* quod fortasse nonnullis placeat. Sed inferioris ætatis verbum hoc puto. Laudari quidem etiamnum video in lexicis auctores ejus verbi Varr. R. R. 3, 16. sed ibi recte editur hodie *insectantes:* et Senec. Hippol. 255. ubi verum est *impotens*, quod, a Gronovio editum, ego quoque in Juntina aliisque vett. edd. reperi. Librarii medii ævi, quo in usu erat *impetere* (v. Cangii Gloss. Lat. med. in *impechiare*) libenter hoc verbum, ut alia sibi trita, auctoribus priscis obtrusere. Ern. Ed. Rom. et Nor. *inter impotentis.*

Modestia et probitas nomina superioris sunt] J. Fr. Gronovius in nota proxima hæc verba sic παραφράζει: cum res vi agitur, non ii modesti et probi censentur, qui nihil agunt, sed qui sibi temperant tum, cum plus valent et superiores sunt. Quæ sententia est commoda et contextui apta: sed ea desiderat, ut verba *ubi m. agitur*, ad antecedentia referantur, et post ea interpungatur. Alii ad sequentia referunt, et sic fere accipiunt: tum, cum vi opus est (ut adversus hostem, in bello) stultum est, nihil agere, sub specie modestiæ et probitatis, quæ ab illo tempore est aliena. Sed ei sententiæ sane non convenit *superioris.* Unde Tan. Faber P. 1. ep. 22. p. 74. ingeniose *sequioris*, si modo id verbum ita diceretur. Heinsius ad Vellei. 2, 30. 4. corrigit *nomina superiori sunt*, i. e. a potentiore ut inania nomina spernuntur. Adde ep. ad Græv. T. 4. Coll. Burm. p. 539. Ceterum cod. Kapp. ed. Spir. *nomine sup.* MS. Turic. *nomine superiores sunt:* si corrigas *nomine*, sensus commodus exoritur. Ern. Ed. Rom. et Nor. *nomine superioris.* Crenius Animadv. P. IX. p. 230. inprobat expositionem Fabri, et locum ita explicat: ubi vi agitur, quiescentes a superioribus modestos vocari ac probos; sed a fine suo potitis inertes et stultos. Mihi videtur sensus hic esse: victoribus laus modestiæ, et probitatis tribuitur; victis contraria vitia inputantur.

Inertes ac stulti] Cheruscos ait pace longa et a nemine turbata in torporem segnitiamque solutos, armorum curam intermisisse, imprudenter et majore cum sua voluptate ad tempus, quam in perpetuum securitate. Nam, qui circumdatus hominibus ad injuriam promptis et robustis marcet, nec se parat adversus ea, quæ nec opinanti possunt ingruere, non tam quietus est quam obnoxius. Igitur in his quoque tum bonitas videbatur et modestia, contentos suis et nemini graves esse. Et mansisset illis ea existimatio, si post diuturnum illud otium tandem lacessiti fortiter restitissent, et statum tenuissent. Postquam vero succubuerunt, ne prius quidem bene considerata ratione ac tranquillitate insita, sed pravitate consilii et tædio belli laborum quiesse feruntur. Etenim, ubi majorem partem res vi tractantur (ut inter bellicosos Germaniæ populos) non qui sedent, incerto possintne an nequeant μέγα τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι patrare, probi et modesti censentur, sed qui, cum plus valeant et superiores sint, sibi temperant. *Ita* factum, ut *qui olim boni æquique Cherusci* (dum rebus secundis in alta pace fruuntur et ferociam dediscunt) vocabantur, *nunc* (postquam prosperis corrupti et emolliti atque ad vim sustinendam imparati Cattis cesserunt,) *inertes ac stulti vocentur.* Gron.

Tacti ruina] Sic in omnibus libris reperi: nisi quod MS. Turic. habet *Chatti.* At mihi nullum dubium est, legendum *tracti*, ut placuit etiam Burmanno ad Lucan. 7, 655. Nam legitima formula est *tracti ruina;* ut etiam ex h. l. video laudari in Ind. Bernec. Noster H. 3, 29. *ruina traxit pinnas.* Ern. *Tracti* voluit et Pichena et recepere Lall. Brot. Bip. Cf. quoque A. 6, 26. H. 3, 29.

Fosi] Leibnitius ad Fusam amnem

37 ex æquo socii, cum in secundis minores fuissent. Eundem Germaniæ sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens. veterisque famæ lata vestigia manent, utraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis, et tam magni exitus fidem. Sexcentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone coss. Ex quo si ad alterum Imperatoris Trajani Consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur. Tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi ævi spatio, multa invicem damna. non Samnis, non Pœni, non Hispaniæ Galliæve, ne Parthi quidem sæpius admonuere. quippe Regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid

locatos putat. Cluverius 3, 21. credit, *Saxones* intelligendos, quos hoc loco Ptolemæus habet 2, 11. quum *Fosi* nusquam præterea compareant. Kirchmaierus librariorum mendo irrepsisse judicat *Fosos* pro *Sasis*. Cf. Cellar. G. A. 2, 5. §. 59.

Eumdem Germaniæ sinum] Vellem, quorum in manu MSS. librorum copia, attentiores hic fuissent. Nam, quin *eumdem Germaniæ sinum* bene dicatur, nemo ambigit: sed, si calamo exarati et fide digni codices *eundem Germaniæ situm* habuere, male omnino mutatum est, nec translaticiæ propinationis sermo est. Vide quæ notavimus ad Plinii hist. nat. 21, 13. Gron. *Situm* habent MS. Vat. Arundel. et codex ap. Rhen. h. e. Kapp. noster (s. ed. Nor.) alia vetus ed. ap. J. Gronov. Nullius sinus ante facta mentio: nec ille sinus Germaniæ, quem descripsit. Eundem situm dicit habere, h. e. versus septentrionem. Itaque sic rescripsi. Mox *lata vestigia* MS. Vat. et edd. vett. quod præfert Broterius. Ern. *Situm* quoque ed. Rom. et MS. Long. *Sinum* Puteol. et sequentes. Hoc præferunt, præter Lall. Brot. et Ern. fere omnes inde a Rhenano, quia et verbum ei est aptius, et *sinum Germaniæ* dicere noster commode potest *Germaniam in Septentrionem ingenti flexu redeuntem*, ut habet c. 35. His motus *sinum* reposui. Dein et *lata vestigia* ob consensum MS. Vatic. Long. Humm. et ed. Nor. Rom. Put. etsi non inficier, mihi *late* elegantius multo videri.

Tam magni exercitus fidem] A conjectura reposui: cum in libris sit, *magni exitus*. Lips. *Exitus* constanter MS. et ed. vet. Restituo cum Longolio et Bip. Sed cave, intelligas casum, quem tandem habuere Cimbri. *Exitus* est migratio, quæ magna, prodigiosa, fuit. Sic apud Cic. parad. 4. *exitus calamitosus* opponitur *reditui glorioso*. Sic et *exitum sibi parere* Cæsar B. C. 3, 69. Bene Anton. in vers. Germ. reddidit *grosse Wanderung*.

Non Samnis] MS. Turic. *Samnites*. Ern.

Sæpius admonuere] Recta, immo et sapiens scriptura est. Admonemur in felicitate sortis humanæ per adversa: hoc, inquit, Parthi nobis fecere, ne invictos nos putaremus; neque tamen sæpius, quam Germani. Lips. MS. Turic. *admovere*, plane ut Rhenanus conjiciebat, intellecto *exercitum*. Certe in vulgato interpretando est aliquid contorti et nimis acuti. Ern. *Admonuere* ed. Rom. Norimb. Put. etc. intellige, cladibus, ut alias verberibus, flagro.

Regno Arsacis acrior est G. l.] i. e. Germani multo acrius pugnant, quia pro libertate sua pugnant, cujus acerrimi sunt stimuli, quam Parthi, qui pro regno Arsacidarum arma gerunt. Mox cod. Kapp. (s. ed. Nor.) edd. Spir. Put. Ber. *amisso et ipso et ipse*. Prius *et ipso* delevit Rhenanus. Apparet duplicem lectionem in libris fuisse, quæ a librariis conjuncta est: cujus generis jam aliquot exempla vidimus. MS. Turic. quidem habet *amisso et ipso Pacora:* quod conjecturæ Rhenani prætuli: non quo *ipse* me offenderet, quod elegantius puto; sed quod *et* in illa lectione nimis friget, non in nostra. Ern. Cum ed. Nor. conspirat et ed. Rom. Lall. et Brot. ut Gron. *amisso et ipse Pacoro*. Bip.

enim aliud nobis, quam cædem Crassi, amisso et ipso Pa-
coro, infra Ventidium dejectus Oriens objecerit? At Ger-
mani Carbone et Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Cæ-
pione, Cn. quoque Manlio fusis, vel captis, quinque simul
Consulares exercitus Populo Romano, Varum, tresque cum
eo legiones, etiam Cæsari abstulerunt. nec inpune C. Ma-
rius in Italia, D. Julius in Gallia, Drusus ac Nero et Ger-
manicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C.
Cæsaris minæ in ludibrium versæ. Inde otium, donec oc-
casione discordiæ nostræ et civilium armorum, expugnatis
legionum hibernis, etiam Gallias adfectavere: ac rursus
pulsi inde, proximis temporibus triumphati magis quam vi-
cti sunt. Nunc de Suevis dicendum est, quorum non una, 38
ut Cattorum Tencterorumve, gens: majorem enim Germa-
niæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nomini-
busque discreti, quamquam in commune *Suevi* vocentur.
Insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere. Sic

amisso ipso Pacoro et ipse i. V. d. O. obi. De Ventidio vide Gell. 15, 4.

Cassio et Scauro Aurelio etc.] Duplex difficultas ex h. l. nectitur. Prima (quam movet Freinsh. ad Flor. 3, 3.) e dissensu Cæsaris B. G. 1, 7, 12. qui Cassium ab Helvetiis, nominatim Tigurinis, pulsum et sub jugum missum tradit. Ei occurrit Pighius in Annal. ad a. V. 646. Add. Oudendorp. ad Cæs. 1, 12. qui bene docet, Gallos sub Germanorum nomine contineri. Altera est e temporis ratione. Nam, cum Scaurus ante Cassium Consul fuerit, e Fastis Cassiodori, Scauri clades Cassiana prior videtur Sigonio in Fastis. Contra quem disputat diligenter Cellarius in Diss. de Cimbris et Teut. §. 17. sqq. qui cladem Aurelii Scauri acceptam putat, Scauro legato, non Consule, adstipulante Epit. Liv. 67. et post Cassii Consulatum. Ern.

M. Manlio] Freinshemius corrigebat *C.* e Liv. epit. 67. Male. Verum prænomen est Cn. quod ei tribuitur ap. Ciceronem, consentientibus bonis libris, (loca vid. in Clave Cicer.) inscr. antiqu. ap. Grut. p. 207. In epitome Liviana libri modo *M.* modo *C.* habent, quidam tamen *Cn.* idque recte ibi restituit Drakenb. qui bene monet, huic prænomini sæpe *M.* et *C.* substitui. Consentiunt alii viri docti, ut Cort. ad Sall. Jug. 114. qui tamen *M.* servavit; non bene, cum etiam cod. scr. haberet, in quo *Cn.* esset. Ego verum et minime dubium prænomen, quod Tacitus ignorare nullo modo potuit, (ut nec illud ignoravit, Manlios prænomine *M.* plane abstinuisse) reponere non dubitavi. Secutus exemplum nostrum est Broterius. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *Mallio:* quod sæpe est in libris scr. et edd. pro *Manlio.* Idem mox *populi Romani,* male. Ern. Forte tamen nihil mutandum monet Conring. quod talia ἁμαρτήματα μνημονικὰ etiam optimis auctoribus interdum obrepant. MS. Long. expressis litteris *Marco Manlio.* Ed. Rom. *Marco Mallio,* forma Græca, dein et *populi Romani.* Ceterum de prænomine isto v. Cic. Phil. 1, 13. Cf. et interpr. ad Vell. 2, 12. de nomine ipso.

Proximis temporibus] Referendum ad Domitiani tempora, qui de *Cattis* triumphum duxit: sed vanum et irrisum. Suetonius c. 6. et noster Tacitus in Agricola 39. *Inerat conscientia, derisui nuper fuisse falsum e Germania triumphum.* Lips.

Obliquare crinem] Obliquare crinem, quin significare possit, crispare, non dubito. Sed id non est h. l. ut sequentia verba indicant, quibus hæc explicantur. Obliquantur crines, cum ex ipsis fit nodus, ut bene Salmasius ad Solin. p. 535. Ern. MS. Humm. *obligare.*

Nodoque substringere] Quod Suevis proprie tribuit noster, alii Germanis vulgo. Seneca de Ira 3, 26. *Non est Æthiopis insignitus inter suos color, nec crinis ruffus et in nodum coactus apud Germanos virum dedecet.* Idem ep. 124. *Quid capillum ingenti diligentia comis? cum illum vel effuderis more Parthorum, vel nodo Germanorum vinxeris, vel, ut*

Suevi a ceteris Germanis, sic Suevorum ingenui a servis, separantur. In aliis gentibus, seu cognatione aliqua Suevorum, seu (quod sæpe accidit) imitatione, rarum, et intra juventæ spatium; apud Suevos, usque ad canitiem, horrentem capillum retro sequuntur, ac sæpe in solo vertice religant. Principes et ornatiorem habent. ea cura formæ, sed innoxia. Neque enim ut ament amenturve; in altitudinem

Scythæ solent, sparseris. Martialis etiam Sigambris de Spectac. 3. *Crinibus in nodum tortis venere Sigambri.* Idem universe alibi 5, 38. *Rhenique nodos.* Tertullianus cirros in Germanis agnoscit, fortasse ab hac crinium obliquatione et flexu. De virginibus velandis c. 10. *Debebunt et ipsi aliqua insignia sibi defendere, aut pennas Garamantum, aut crobylos barbarorum, aut cicadas Atheniensium, aut cirros Germanorum.* ideo quia, ut hic scriptum, crinem obliquabant. Juvenalis 13, 164. *Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam Cæsariem et madido torquentem cornua cirro?* Taciti tamen locum huncce de obliquando crine, fateor, ita etiam capi posse, ut crinem non in rectum passi sint descendere, sed reduxerint in posteriorem verticem et obliquarint. Lips. Mox male et per vitium operarum *sic* repetitur post *separantur* in edd. Rhen. 1519. sqq. omnibus ante Pichenam: unde nota nata Acidalio. Nam ab antiquioribus et MS. Turic. abest. Ern. Abest et ab ed. Rom. Nor. Put. Acidalius legendum putabat *si in aliis g.*

Quod accidit] MS. Arund. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) edd. Spir. ceteræque veteres (etiam Rom.) addunt *sæpe:* quod casu omissum restitui. Ern.

Retro sequuntur] Si quid video, discrimen non est in numero nodorum, (ut placet Conringio) sed in loco, ubi firmantur nodi. nempe aliis *retrosecus,* sive circa occiput, aliis *in vertice ipso.* Et in vertice autem et retrosecus collecti et renodati vel religati capilli, *cirri;* non posterius tantum modo genus. *Cornua* autem nihil aliud sunt, quam *nodi* capillorum et implicationes. Vide Salmasium ad Solinum pag. 762. (535.) Gron. Nempe idem Conringius putabat, plures nodos capillorum esse *cirros* et *cornua* Germanorum priscis scriptoribus memoratos. *Retrosecus* est ex emendatione Jos. Scaligeri (ad Martial.), quæ et Freinshemio et Conringio placebat. Sed libri veteres in h. l. non consentiunt. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) interpungit post *sequuntur,* et mox habet: *ac sæpe in solo vertice religatur.* (Sic et ed. Rom.) Unde confirmatur suspicio, alterutrum e verbis *ipso solo* esse spurium. Et apparet, *ipso* nasci potuisse facile inter *in* et *solo.* Forte etiam variarunt codd. inter has duas voces, et dein utraque in textu est conjuncta: quod jam aliquoties accidisse in Tacito vidimus. Sed utrumque verbum jam reperitur in ed. Spir. sed eadem cum edd. Put. Ber. (Rhag.) habet *ligant.* Primus Rhenanus edidit tacite *religant* a. 1533. cum a. 1519. *ligant* edidisset, et in margine pro var. lect. notasset *religant,* nescio unde sumtum. Jam locus varie tentatus est. Scaligeri emendationem vidimus. Marcilius sic corrigebat; *retrorsum, ac sæpe in solo vertice ligant.* Ern. *Ipso* deest in ed. Rom. Nor. et MS. Long. Omnino tollendum videtur. Heinsius expungebat *solo.* Groslotius volebat *summo.* Cum Marcilio facit Colerus. Bip. mallent *retrorsum comantur.* Rhenanus ex ed. Nor. in margine libri sui notarat *religatur,* hinc sumsit suum *religant.* Ritus ipsius documenta extant in capitibus æneis antiquis apud Smetium in Antiquit. Neomag. ad p. 70.

Religant. Principes] Colerus ornatum Principum de cirris explicat, eoque refert verba Juven. 13, 164. modo citata. Ante *Principes* interpungunt editiones veteres. Freinshemius punctum tollit, legitque *religant Principes et ornatorem habent.* Id cum prisca simplicitate non convenire judicat Conringius. Ast *ornatores* et *ornatrices* ipsis Romanis fuisse in usu, monumenta antiqua loquuntur. Cf. Bianccini Camera ed inscriz. sepulcr. de' liberti, servi ed ufficiali della casa di Augusto. fol. in Roma 1727. n. 60. Persarum aliorumque barbarorum Reges cincinnatos numi et alia monumenta sistunt; iis ergo ornatoribus fuit opus. De Germanis idem sequentia apud nostrum suadent.

Sed innoxiæ] Muretus et Acidalius corrigunt *innoxia;* recte, ut facile patet e sequentibus: idque et probasse J. Fr. Gronovium, ejus paraphrasis nota proxima docet. Cura noxia esse, malo

quandam et terrorem, adituri bella, compti, ut hostium oculis, ornantur. *Vetustissimos se nobilissimosque Suevorum* 39
Semnones memorant. Fides antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in silvam, auguriis patrum et prisca formidine sacram, omnes ejusdem sanguinis populi legationibus coeunt, cæsoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Est et alia luco reverentia. Ne-

consilio suscepta esse potest; formæ illud attributum non convenit: sæpeque apud poetas querelæ de mala formæ cura. Sæpe jam vidimus, librarios terminationes adjectivorum temere conformasse substantivo proximo. Ern. Reposui cum Bip. *innoxia.*

Comti, ut hostium oculis, ornantur] Placet Bambergensis *armentur.* Lips. Possis suspicari *comati:* sed hæc sententia est: hoc unum formæ adhibent lenocinium, sed innocens. haudquaquam enim, ut vel suam eo pudicitiam prostituant, vel alienæ insidias struant: sed ut staturæ aliquid adjiciant et terrorem sui augeant, hostiumque oculis formidabiliores occurrant, tum maxime comuntur et ornantur, quum in aciem ituri sunt. *Ut hostium oculis ornantur,* id est tanquam hostibus approbaturi terrificam speciem. Gron. *Armantur* etiam cod. Kapp. (s. ed. Nor.) Ceteri libri mei omnes *ornantur;* quod verum puto. Mihi autem *comti* pro spurio suspectum est. redundat enim. et si illam redundantiam concoquamus maxime: nimis tamen duram orationem facit: quæ mollissima fiet, si legas: *in alt. q. et terrorem, adituri bella, veluti hostium oculis, ornantur.* Probat Broterius. Ern. Ed. Rom. etiam *armantur.* Bip. ita locum refingunt: *ea cura formæ (sed innoxia. neque enim, ut ament amenturve, sed adituri bella) in alt. q. et t. comti, ut hostium oculis ornentur.* Colerus quoque *adituri bella* eo loco locabat.

Semnones] Recte. etsi in Velleio 2, 106. *Senones* scriptum legas, qui eos cum Hermunduris conjungit. In Dionis Fragmentis Electo LXXI. (71, 20.) probissime scriptum erat: Πρὸς Σέμνονας ἐπιχειρῆσαι: de Antonini bello in Quados et Marcomannos. Item Electo XLIX. (67, 5.) Μάσυος ὁ Σεμνόνων βασιλεύς. Late errat vir doctus (Ursinus) qui utrobique Nasamones substituit et edidit, Africæ nimirum gentem. At isti Semnones ad Albim sunt: et manifesto illa Dionis spectant ad Germanica bella. Lips. Hodie et ap. Velleium *Semnones* eduntur. An etiam Floro 4, 12, 4. hæc scriptura debeatur, ut placet viris doctis, dubium est. V. Duker. ad illum locum. Ptolemæus 2, 11. vocat σέμνωνας. Ern.

Fides antiqu. rel. firmatur] i. e. ut credamus gentem antiquam esse, etiam religionis ratio suadet. *Stato* cod. Kapp. (s. ed. Nor.) Rhen. sqq. Mediæ, *statuto.* Ern. Ed. Rom. *stato.*

Auguriis patrum et prisca formidine sacram] Legitimus versus longus est (monuit me G. Falckenburgius) sponte effusus, an a veteri Poeta? Lips. Fortuitus videtur Colero. Et sunt sane et alii tales hexametri in libris Taciti, ut notavimus ad A. 1, 1. sed hunc credo esse e poeta, adscriptumque in margine in textum venisse, ut supra verba Lucretii et versus e Senecæ Octavia. Scriptores prosaici neque *auguria* pro consecratione dicunt, ut h. l. dicuntur, neque *patres* de majoribus, nec denique *formidinem,* præsertim absolute, pro religione. Ceterum versus poetæ cujuscunque ductus est e Virgilii locis. Æn. 7, 172. 608. Locum autem interpolationi dedit forte imperitis librariis, quod existimabant, *silvam* aliquo epitheto egere, nescii id verbum et similia, *lucum, nemus,* simpliciter sæpe dici; sanctitatem e ceteris, quæ tradantur, intelligi. Ap. Virgil. Æn. 8, 104. *solennem rex Arcas honorem Amphitryoniadæ magno Divisque ferebat ante urbem in luco.* Sic noster *silvas* et *lucos* simpliciter dixit supra c. 7. 10. Hist. 4, 22. Sed forte illa tantum verba insititia *religione patrum et prisca formidine.* Ceterum cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *patrium,* et deinde *sacrum.* Post MS. Arund. *nominis ejusdemque s.* Copula etiam est in cod. Kapp. Edd. Spir. sqq. *omnis ejusdem s. p. l. cohærent.* Rhenanus 1533. edidit *coeunt* e cod. Kapp. (s. ed. Nor.) Ern. Ed. Rom. ubivis cum Norib. conspirat. Lucanus 3, 11. egregie: *Arboribus suus horror inest.* Cf. et supra c. 9.

Horrenda primordia] *Primordia* dixit, ut *initia,* μυστήρια. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *horrentia.* Mox post *prolapsus* in MS. Turic. non reperitur *est:* infra idem habet *adducit* pro *adjicit.* Ern.

mo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor, et potestatem Numinis præ se ferens. si forte prolapsus est, attolli et insurgere haud licitum. per humum evolvuntur: eoque omnis superstitio respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus, cetera subjecta atque parentia. Adjicit auctoritatem fortuna Semnonum, centum pagis habitantium: magnoque corpore efficitur, ut se Suevorum caput credant. Contra Langobardos paucitas nobilitat. plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed prœliis et periclitando tuti sunt. Reudigni deinde et Aviones et Angli et Varini et Eudoses et Suardones et Nuithones fluminibus aut silvis muniuntur. nec quidquam notabile in singulis, nisi quod in commune Hertham, id est,

MS. Long. *horrentia*. Ed. Rom. vitiose *brotentia*. Eadem *adiciit*. Nor. *adicit*.

Centum pagis habitantur] *Habitantur* veteres ante Rhenanum, qui ex ingenio *habitatur* dedit. Vetus restituit Pichena. Aut *habitatur* verum est, aut *habitant* potius. Nam *habitantur* nominativum loci desiderat. Livius 2, 62. *vicis frequenter habitabatur*: 9, 28. *frequenter ibi habitabatur*. ubi v. Drakenb. Broterius conjicit *pagi iis habitantur*: quod est durius. malim *c. pagi habitantur*. si tamen *habitantur* servandum sit. Ern. Bip. ingeniose et vere, puto, *habitantium*. sequor. Sic c. 46. *viventibus*. Immo sic Agr. 11.

Magnoque corpore efficitur] Mihi hoc durius et nequaquam Tacito dignum videtur, qui dixisset potius *tantoque*, vel *et magnitudine corporis*. Sed, quo modo corrigendum sit, nondum reperire potui. MSS. duo Vatic. habent *tempore*. Ern. Ed. Rom. et Nor. *corpore*. MS. Humm. *numero*, glossema.

Paucitas nobilitat quod] Ita Farnesianus. Vulgo erat, *paucitas nobilitasque*. Lips. MS. Turic. cod. Kapp. (s. ed. Nor.) edd. Spir. Rhen. 1519. *paucitas nobilitas. plurimis* etc. Post Puteol. Ber. edidere *p. nobilitasque. plurimis* etc. Rhenanus deinde edidit *paucitas nobilitasque, quod pl.* ex ingenio. *Nobilitas* verum *Quod* ob consensum librorum vett. delevimus: et haud dubie elegantius abest. Ern. Ed. Rom. et Nor. *Longobardos paucitas nobilitas*. Put. *Longobardis paucitas nobilitasque*, id posse admitti judicat Longolius. Sic et ed. Rhag. *Quod* a Rhen. intrusum servat Lall. cum Lipsio, qui bene dedit *nobilitat*. Habet tamen *quod* et Farnes.

Reudigni etc.] Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *Vendigni* — *Anglii*, — *Suarines*. *Anglii* etiam Spir. Put. Ber. Pro *Nuithones* Anchersen in Origg. Danic. p. 152. corrigit *Tuithones*, quos Teutonas accipit: quem bene refellit Elsnerus in Comment. Acad. Berolin. a. 1748. p. 459. ipse non magis certa conjectura *Gutthones*, qui et Giothones, Jutones. Ern. Male Rhen. lectionem ed. Nor. s. cod. Artolphi in exemplari suo notarat, fugientibus scil. litteris. Patet ex ejus his verbis: "Pro *Reudigni* videbatur esse *Vendigni*." Verum ista editio, ut MS. Long. clare habet *Veudigni*. Contra Rom. *Reudigni*. Cluver. *Deuringos* s. *Thoringos* intelligebat, ut pro *Avionibus* malebat *Caviones*. V. Germ. Ant. Utrumque probat Lacarrius. Porro ed. Rom. et Nor. et ed. vet. Groslotii *Anglii* item *Suarines*. Dein *Varinos* Procop. B. Goth. 3, 35. 4, 20. *Varnos*, Ptolem. 2, 11. *Virunos*, Lex vetus ap. Lindenbrog. *Werinos* dicit. Pro *Nuithones* MS. Humm. habet *Vuithones*.

Nec quidquam etc.] De situ horum septem populorum fœderatorum v. Speneri not. G. A. 5, 4.

In commune Herthum] Libri alii *Nerthum*, aut *Verthum*. ego veram vocem censeo, *Ærthum*. Ita enim nostratem eam vocem efferimus scribimusque. Cum adspiratione, focum nobis signet, non terram. Martianus Capella an huc adspexerit, dum Heroes ab Hera derivat, id est terra, nescio. Verba ejus libro 2. *A meditate aeris usque in montium terræque confinia Hemithei Heroesque versantur, qui ex eo, quod Heram Terram veteres dixerunt, Heroes nuncupati.* Nam alias certe a crasso errore eum non excuses. Lips. *Nerthum* cod. Kapp. (s. ed. Nor.) edd. Spir. Put. Ber. *Herthum* Rhen. a. 1519. in margine pro conjectura, mox in textu edidit. Alii

Terram matrem, colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis, arbitrantur. Est in insula Oceani castum nemus, dicatumque in eo vehiculum, veste contectum. adtingere uni Sacerdoti concessum. Is adesse penetrali Deam intelligit, vectamque bubus feminis multa cum veneratione prosequitur. Læti tunc dies, festa loca, quæcunque adventu hospitioque dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt; clausum omne ferrum: pax et quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem Sacerdos satiatam conversatione mortalium Deam templo reddat. mox vehiculum et vestes, et, si credere velis, Numen ipsum se-

volunt *Hertam* vel *Hertham*, feminino genere, quo post de hoc Numine loquitur Tacitus, Deam clare faciens: quod verum puto. Elsnerus autem in Comment. cit. a. 1747. probans hanc formam, negat pro terminatione accusativi habendam ultimam syllabam, sed esse verbum Germanicum indeclinabile *Erdamm* i. e. *Erdamme*, ex *Erd*, terra, et *Amme* mater, nutrix (Hesych. *ἄμμα, μήτηρ, τροφὸς*, ubi v. Intt. et in *ἄμμας*,) quia Tacitus interpretatur *terra mater*. Mirum est, viro elegantis doctrinæ hoc inventum adeo placuisse. Nam primo, Tacitus semper verbis barbaris Latinam formam induit, ut omnes scriptores elegantes fecere: deinde *Erdamm* ex analogia linguæ Germ. non esset *terra mater*, sed *terræ mater*: denique Tacitus *terram matrem* interpretatur, more loquens Romano, non subtilitate grammatica usus et etymologiam secutus. Ern. *Nerthum* habent et cod. MS. Humm. et ed. Rom. Tacitum scripsisse *Hertham* vel *Ærtham*, admodum est verisimile. Terram matrem certe feminini generis admittebat terminatione congrua. Nec dubito sic reponere, consentiunt Bleterius, Lacarrius, alii. Gebauerus l. c. p. 899. probat Coleri conjecturam, qui ad priscæ linguæ Teutonicæ terminationem scribendum putat *Erthun*. Bip. conjiciunt *Ærthcunne* a *cunne*, mater s. genetrix.

In insula Oceani] Kraus in Orig. Mansfeld. selectis capit. p. 16. vel delendam vocem *Oceani* præcipit, vel legendum *in silva Baceni*. Hujus silvæ meminit Cæsar B. G. 6, 10. crediturque pars fuisse Hercyniæ. Alii insulam Rugiam hic intelligunt.

Castum nemus] Tentant viri docti *sacrum* vel *vastum*. Senserunt scil. *castum* non satis commodum epithetou esse. Nam *castus* dicitur illud quidem de sanctitate, sed non ea, quæ est a consecratione aliqua, sed quæ ab animo et vita hominis venit: unde *casti* opponuntur sceleratis, culpa aliqua sua aliorumve pollutis, qui et incesti dicuntur, et *casta* sunt pura, nulla re polluta aut corrupta. Igitur, ut silva, non consecrata Diis, non statim incesta, sic nec ea, quæ consecrata sit, proprie *casta* dicitur: et *aqua casta* non est sacra, sed pura, quæ sacris adhiberi possit, ut *incesta* contra, quæ non possit, impura. Potuit tamen fieri, ut, quia sacra debent caste coli, casta servari, id verbum etiam cum altero illo permutaretur. Si quid tamen tentandum, pronior sim ad credendum, hanc quoque vocem e margine in textum venisse. nam profecto commode abfuerit. Quid occasionem interpolationi dare potuerit, dictum ad c. 39. Ern. Ed. Rom. habet *castum* sine *nemus*. Nor. *castum nemus*, *nemus*. Cluv. vult *sacrum*. Freinsh. et Conr. *vastum*. Albinus in Meissn. Land-Chronick *varstum*, unde *forst*, satis inepte. Copulam in *dicatumque*, omissam a Lipsio, restituit Pichena. Habent eam ed. Rom. Nor. Put.

Adesse penetrali] Per penetrale ipsum vehiculum veste contectum intelligi, facile liquet attendenti. Mox MS. Tur. *multa veneratione*. Ern.

Quæcunque adventu etc.] Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *quemcunque*: quod non spernam. Pro *adventu* Rhenanus conjiciebat *advectu*. male. V. ad H. 4, 84. De *ἐπιδημίᾳ* Deæ h. l. sermo, qui est *adventus*. Ern. *Quemcunque* MS. Long. et ed. Rom.

Templo reddat] i. e. sacro nemori. Latinis *templum* omnis locus sacer. V. dicta in Clave Cicer. in h. v. Sic et Græcis *ἱερόν*. Aliud *ædes*, *ναός*. Ern.

Numen ipsum] Frustra Elsnerus de

creto lacu abluitur. Servi ministrant; quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror sanctaque ignorantia,
41 quid sit illud, quod tantum perituri vident. Et hæc quidem pars Suevorum in secretiora Germaniæ porrigitur. Propior (ut, quo modo paullo ante Rhenum, sic nunc Danubium sequar) Hermundurorum civitas, fida Romanis, eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus, atque in splendidissima Rhætiæ provinciæ colonia. passim et sine custode transeunt: et, cum ceteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus, non concupiscentibus. In Hermunduris Albis oritur, flumen inclitum et notum olim; nunc tantum
42 auditur. Juxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomanni et Quadi agunt. Præcipua Marcomannorum gloria viresque, atque ipsa etiam sedes, pulsis olim Boiis, virtute parta. Nec Narisci Quadive degenerant. Eaque Germaniæ velut frons est, quatenus Danubio protegitur. Mar-

simulacro Deæ hic cogitare nos jubet, idque credere *lapidem nigrum*, quale signum Deæ Pessinuntiæ fuit. Quorsum Tacitus addidisset, si credere velis? nam signa Deorum ablui, notissimum. Putabant Germani ipsam Deam, quæ accessisset mortales, velut sordibus inde susceptis, purgari. Infra pro *quid sit illud* MS. Turic. *quid sit id*. Placet Broterio, qui et in textum recepit. (Sic et Bip.) Sed auribus meis durius est *quid sit id, quod*, malim *illud* deleri. Et aliis quoque veterum scriptorum locis reperi pronomina hæc inculcata esse. Ern.

Servi ministrant] Ed. Nor. male *Suevi*.

Hermundurorum civitas] Fuse de his in Notitia Hermundurorum 8. Norimb. 1793.

Eoque solis Germ.] MS. Turic. *eaque sola G*. Ern.

Colonia passim sine custode] Distingue, *colonia. passim sine custode transeunt*. Quod ait, sine custode: morem ingerit rarum et notabilem. Romani enim in limite Imperii hoc servabant, ut externum neminem admitterent acciperentve, nisi custode dato et arbitro actionum. Discis ex hoc loco, et H. 4, 64. ubi acris querela de hac re Germanorum, ad Ubios: *Nam ad hunc diem flumina ac terras et quodammodo cœlum ipsum clauserant Romani, ut colloquia congressusque nostros arcerent: vel, quod contumeliosius est viris ad arma natis, inermes ac prope nudi sub custode et pretio coiremus*. Et in responso Agrippinensium 65. *Sint transitus incustoditi, sed diurni et inermes*. fuit alioqui et alia Romanorum cautio in hac re, ne conventus haberent suspecti populi, nisi certo loco et numero: idque coram aliquo Romano. Fragmentum Dionis LXXIII. (72, 2.) Commodus pacem Marcomannis et Quadis dedit, sed cum lege, *Ne sæpe aut pluribus locis conventus haberent*: Ἀλλ' ἅπαξ ἐν ἑκάστῳ μηνὶ, καὶ ἐς τόπον ἕνα, ἑκατοντάρχου τινὸς Ῥωμαίου παρόντος: Sed semel in mense dumtaxat et in uno certo loco, idque Centurione aliquo Romano præsente. Lips. Copula *et*, a Pichena e vett. libris addita, est et in Turic. MS. Mox idem liber *c. nostra commendamus his* etc. Colonia Rhætiæ prov. putatur esse *Augusta*, quam vulgo *Vindelicorum* appellant. Ern. Copula *et* deest in ed. Rom. Norib. Rhen.

Non concupiscentibus] Refer ad id, quod dixerat, fidos Romanis esse Hermunduros. Scimus eos, etiamsi viderint nostra, tamen fideles mansuros, nec ea, quæ viderint, cupituros. Ern.

Notum olim] Quod Romani ipsi vidissent, cognovissent, cum expeditiones in eas regiones susceptæ essent sub Druso et aliis. MS. Turic. *novum*. Ern.

Narisci] Ita in Capitolini M. Antonino c. 22. dicuntur: Ptolemæo 2, 11. Οὐαρισταί. Lips. In cod. Augustano Capitolini *Varistæ* dicuntur. Apud Dionem in excerptis (71, 21.) Ναρισταί.

Danubio prætexitur] Scriptus liber, *peragitur*. Male. Quidam, *pergitur*:

comannis Quadisque usque ad nostram memoriam Reges
manserunt ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri ge-
nus: jam et externos patiuntur. Sed vis et potentia Regi-
bus ex auctoritate Romana. raro armis nostris, sæpius pe-
cunia, juvantur. Nec minus valent retro Marsigni, Go- 43
thini, Osi, Burii. terga Marcomannorum Quadorumque
claudunt. e quibus Marsigni, et Burii sermone cultuque
Suevos referunt. Gothinos Gallica, Osos Pannonica lin-
gua, coarguit, non esse Germanos, et quod tributa patiun-
tur. partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi, ut alieni-
genis, inponunt. Gothini, quo magis pudeat, et ferrum
effodiunt. omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum
saltus et vertices montium jugumque, insederunt. Dirimit
enim scinditque Sueviam continuum montium jugum, ultra
quod plurimæ gentes agunt. ex quibus latissime patet Ly-
giorum nomen in plures civitates diffusum. Valentissimas
nominasse sufficiet, Arios, Helveconas, Manimos, Elysios,
Naharvalos. Apud Naharvalos antiquæ religionis lucus
ostenditur. Præsidet Sacerdos muliebri ornatu: sed *Deos,
interpretatione Romana, Castorem Pollucemque* memorant.

nec id tam probe. Lips. *Peragitur* etiam MSS. Bamberg. Turic. cod. Kapp. ed. Spir. Ast *pergitur* Puteol. seqq. ante Lipsium: qui unde hauserit *prætexitur*, nescio. *Pergitur* restituit Pichena. Quid! si *pergitur* est natum e *porgitur*, quod per compendium poeticum erat pro *porrigitur*. Id magis convenit lectioni veteri *peragitur*. Mox *Quadisque* cod. Kapp. (s. ed. Nor.) ut correxit Pichena: ceteri *Quadisve*. Ern. *Prætexitur* recepit et Cluver. *Peragitur* ed. Rom. et Nor. Bip. verosimili conjectura *protegitur*, ut A. 15, 43. *porticibus, quæ frontem insularum protegerent*. Ed. Rom. *Quadisque*.

Tudri] Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *Trudi*: quod non displicebat Rhenano. Ern. Ed. Rom. quoque *Trudi*. Sic et MS. Long. Hoc rectius esse videtur. Saltem *trut* Germanicum nomen, fidum signans. De eo genere altum ubivis silentium. De Maroboduo A. 2, 44. sq. 62. sq. Vell. 2, 108. De Vannio Quadorum Rege A. 2, 63. 12, 29.

Nec minus] *Nec* delendum putabat Lallem. et in vers. Gall. omisit Bleterius.

Gothini] *Gothuni* semper Claudiano. Lips. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *Gotini*. Mox Groslotius corrigit, *Buri: ii terga M. Q. c.* quod non probo, quia mox sequitur: *e quibus*. Sed *Buri* tamen bis cod. K. (s. ed. Nor.) Ex quo punctum post *Burii* feci: ut est etiam in edd. Spir. Puteol. Ern. Ed. Rom. *Gotini. . Buri.* De *Osis* c. 28. *Buriorum* nomen plurimis Bavariæ ac Sueviæ locis hodieque adhæret.

Quo magis pudeat] Sc. tributa pati, nec armis se in libertatem vindicare. Ern.

Vertices montium jugumque] MS. Arund. *jugaque*. Acidálius *jugumque* insititium putat, male huc relatum e sequentibus. Sed tamen et in Agric. c. 10. *juga et montes* junguntur. An fuit *jugorumque?* A MS. Turic. abest *montium*. Ern.

Lygiorum nomen] Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *Legiorum*: sed mox *Lygios* habet. Eadem varietas in ed. Spir. Ern. Ed. Rom. *legiorum*.

Arios etc.] Cod. K. (s. ed. Nor.) *Harios, Helvetonas, Mammos, Helisios, Nahanarvalos*. Post tamen *Naharvalos*. In ultimo similiter variant ed. Spir. Puteol. At MS. Turic. constanter *Nahanarvalos* vocat. Ern. Ed. Rom. *Harios . . Manimos*. MS. Humm. *Harios . . Lanimos*.

Interpretatione Romana] Ita MS. Turic. cod. K. (s. ed. Nor.) edd. Spir. Bonon. Puteol. Beroald. *Romani* primum editum a Rhen. 1519. quod ab omnibus ante Pichenam servatum. Ern. Ed. Rom. *Romana*.

Ea vis numini: nomen *Alcis*. nulla simulacra, nullum peregrinæ superstitionis vestigium. ut fratres tamen, ut juvenes, venerantur. Ceterum Arii super vires, quibus enumeratos paullo ante populos antecedunt, truces, insitæ feritati arte ac tempore lenocinantur. nigra scuta, tincta corpora. atras ad prœlia noctes legunt: ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum adspectum. nam primi in omnibus prœliis oculi vincuntur. Trans Lygios Gotones regnantur, paullo jam adductius, quam ceteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugii, et Lemovii: omniumque harum gentium insigne, rotunda scuta, breves gladii, et erga Re-
44 ges obsequium. Suionum hinc civitates, ipso in Oceano, præter viros armaque classibus valent. forma navium eo differt, quod utrimque prora paratam semper adpulsui frontem agit. nec velis ministrant, nec remos in ordinem lateri-

Ejus Numinis nomen A.] Cod. K. (s. ed. Nor.) sic habet: *ea vis numini. nomen Alcis.* Quod nescio cur spretum Rhenano, qui illo libro usus est. Reddit rationem, quare Castorem et Pollucem interpretetur. quia ea vis illius Numinis apud Naharvalos, quæ Castorum apud Romanos: sed aliud apud illos nomen. Corruptelæ locum fecit, quod scriptum fuit *ea jus n.* inversis literis in *vis*, ut sæpe. Inde factum *ejus*. Non dubitavi ita in textu corrigere. Usitatissimum est apud Latinos, *vim* et *nomen* conjungi. Groslotius verba, *ejus n. n. Alcis* poni volebat, post *ornatu*. Ea res ipsi non venisset in mentem, si priscam illam lectionem cognitam habuisset. Ceterum *Alcis* est dativus numeri pluralis. Ern. Ed. Rom. *ea vis numini.* Sic et MS. Humm. Nomen *Alcis* e Slavonica lingua exponit Anton. ubi *holcz*, puer. *holczy*, pueri.

Tincta corpora] Post *corpora* punctum feci, ut est in edd. vett. Ern.

Regnant, paullo jam addictius] Bambergens. et Rom. *adductius.* etiam recte. et dixi de eo verbo supra ad H. 3, 7. Lips. Male Colerus interpretatur, quasi esset *addictius regnant*, quod aliqua ex parte subierint jugum Rom. nam *regnantur* (inquit, non *regnant*) *adductius*, i. e. adductioribus habenis, minori specie libertatis, et majore solutioreque potestate Regia. Gron. *Adductius* cod. etiam Kapp. (s. ed. Nor.) edd. Bonon. Puteol. Beroald. Rhen. 1519. *Addictius* primum reperi in ed. Rhen. 1533. in quam vitio operarum irrepsisse puto. Vetus restituit Pichena. Ego vero etiam restitui *regnant*, quod in iisdem libris omnibus et MS. Arund. duobusque Vatic. reperitur. Primus Rhenanus eodem libro tacite edidit *regnantur* ex H. 1, 16. ut opinor, ubi est *gentes regnantur*. *Regnare* etiam populi dicuntur. ni fallor, apud quos Regium imperium est. Mox MS. Turic. *exteræ*. V. ad c. 5. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *protenus*. Ern. Ed. Rom. *regnant . . adductius*. sed mox *protinus*. Rhen. 1519. *regnant*. 1533. *regnantur*, quod rectius. restituo cum Bip. qui et *Gotones* malunt sine adspiratione, ut A. 2, 62. et Plin. 4, 14. (28.) *Guttones*. Ptol. 3, 5. Γύθωνες.

Ipso in Oceano] Ita primus tacite et ex ingenio edidit Rhenanus a. 1533. ante omnes et MS. Arund. *ipsæ*. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) etiam *in Oceanum*. Ern. Ed. Rom. Nor. Put. Rhen. 1519. *ipse, ipsæ*. In ed. Rhen. 1533. *ipso* forsan per vitium typographi inrepsit. Rhen. conjiciebat *sitæ in Oceano*. Ed. Rom. *in Oceanum*.

Utrimque prora] Hujus generis navium A. 2, 6. H. 3, 47. jam facta mentio. Hyginus fab. 168. *biproras* vocat: de quibus alibi dictum a nobis. Schefferus et Munkerus ad Hyginum negabant, se earum navium rationem intelligere. Ern.

Nec velis ministrantur] Melius *ministrant*. Virgilianum est ex Æn. 6, 302. —*velisque ministrant.* Lips. Add. Broukhus. ad Propert. 3, 14. 15. ubi hunc Taciti locum non præterit. Mox

bus adjungunt. Solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut ut res poscit, hinc vel illinc remigium. Est apud illos et opibus honos: eoque unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi. nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode et quidem servo: quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus, otiosæ porro armatorum manus facile lasciviunt. enimvero neque nobilem, neque ingenuum, ne libertinum quidem, armis præponere Regia utilitas est. Trans 45
Suionas aliud mare, pigrum ac prope inmotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides; quod extremus cadentis jam solis fulgor in ortus edurat adeo clarus, ut sidera hebetet; sonum insuper audiri, formasque Deorum et ra-

cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *hinc vel hinc.* Ern. Ed. Rom. Put. Rhen. *hinc vel illinc.* Bip. recepere *ministrant*, ut et ap. Lucan. 3, 691. Edd. veteres *ministrantur.* Alterum rectius.

Est apud illos et op. h.] Bleterius mavult *Est et apud illos op. h.*

In promiscuo] MS. Turic. *neque promiscuo.* Ern. Sic et ed. Rhagii.

Oceanus;] Sic Bip. non male; quia sequitur altera ratio, cur clausa arma.

Extremus cadentis jam solis fulgor] Sic omnes edd. præter cod. K. (s. ed. Nor.) in quo corrupte *extranius catientis.* Is. Vossius ad Melam 3, 3. p. m. 534. e vetere libro (non nominat) profert: *extremum radens—adeo clare:* idque probat: quod in istis regionibus sol non cadit, ut in sphæra recta, aut non admodum obliqua, sed tantum circuit horizontem et lambit. Id est verum, ad subtilitatem mathematicam. Nec ignoravit Tacitus, ut patet ex Agric. c. 12. Sed vulgarem consuetudinem loquendi secutus est, neglecta subtili Astronomiæ ratione, ut solent scriptores populares. Ac mirum, quem *cadens sol* offenderit, eum non offendisse *ortum solis.* Nam, ad veram rationem, sol ibi non magis oritur, quam occidit. Nec credam, Tacitum loqui de populis sub ipso cœli axe: nam illa loca non habitantur: sed de propinquis, in quibus sane solis species aufertur oculis, sed ad breve tempus, et residua multa luce. V. Agricol. l. c. Ern. Ed. Rom. *cadentis.*

In ortus edurat] Pichena, quem sequitur Kirchmaier. malebat *ortum.* Sed intelligendi sunt ortus diurni s. dierum initia.

Ut sidera hebetet] Id non mirum, judice Kirchm. ubi, cum vix infra horizontem mersus sol est, jam mox adfuturus iterum, relictis, queis sidera stringit, radiis, caliginem facile omnem arcet fugatque.

Sonum insuper emergentis] Malim *se mergentis.* Nam hæc persuasio rudis et cascæ plebis fuit, solem, dum in Oceanum cadit, stridorem edere non aliter, quam si ignitum ferrum condatur in aquam. Posidonius apud Strabonem lib. 3. p. 138. *Λέγειν, φησὶ Ποσειδώνιος, τοὺς πολλοὺς, μείζω δύνειν τὸν ἥλιον ἐν τῇ παρωκεανίτιδι μετὰ ψόφου παραπλησίως, ὡσανεὶ σίζοντος τοῦ πελάγους κατὰ σβέσιν αὐτοῦ, διὰ τὸ ἐμπίπτειν εἰς τὸν βυθόν.* Florus de Decimo Bruto in Hispaniis bellante 2, 17. *Non prius signa convertit, quam cadentem in maria solem, obrutumque aquis ignem, non sine quodam sacrilegii metu et horrore, deprehendit.* Juvenalis ab illo ævo 14, 280. *Audiet Herculeo stridentem gurgite solem.* Quid D. Hieronymus, nonne in eodem errore, aut sermone? In Eccles. c. 1. *Sol ipse, postquam ardentem rotam Oceano tinxerit, per incognitas nobis vias, ad locum unde exierat regreditur.* Lips. *Emergentis* abest ab MS. Turic. edd. Bonon. Spir. Puteol. Beroald. (Rhag.) Sed Rhenanus jam a. 1519. edidit e cod. quem nos Kapp. ille Artolphi vocat (s. ed. Nor.). Atque, secundum illam opinionem, strepitus solis non minus emergentis, quam occidentis, intelligi potest. Si de occidente tantum loquitur, intelligi cadens sol ex antecedentibus potest. Itaque tanto facilius credo spuriam vocem esse. Ern. Gruterus etiam vocem hanc delet, inepte a sciolo quodam intrusam. Ipse quoque deleo cum Bip. et aptius ante *sonum* interpungo. *Sonus* is refertur ad *solem cadentem*, qui præcedit. Colerus volebat

dios capitis adspici, persuasio adjicit. Illuc usque (et fama vera) tantum natura. Ergo jam dextro Suevici maris litore Æstyorum gentes adluuntur: quibus ritus habitusque Suevorum; lingua Britannicæ propior. Matrem Deum venerantur. insigne superstitionis, formas aprorum gestant. Id pro armis omnique tutela: securum Deæ cultorem etiam inter hostes præstat. Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta ceterosque fructus patientius, quam pro solita Germanorum inertia, laborant. Sed et mare scrutantur, ac soli omnium succinum, quod ipsi *Glesum* vocant, inter vada

immergentis; plures *se mergentis.* Broterius redundare vocem sentiebat. In ed. Rom. comparet *emergentis.*

Formasque Deorum] Colerus, *formasque equorum:* T. Faber, *formas equorum:* quod melius. Etiam MS. Turicens. *formas* sine copula. At Heinsius ad Vellei. 1, 17. init. *formæque decorum* s. *decorem:* ubi et Lipsii correctionem *se mergentis* probat. Vulgatum quidem vitiosum est. Ern. Heinsii conjectura stare nequit, quia nil ibi superstitiosi foret. Eandem tamen profert et Schefferus in Misc. Obs. t. 8. p. 292. ubi vitiose legitur *formæque Deorum* pro *decorum,* ut ex toto nexu patet. Broterius probat *formasque equorum,* ni forte *formas Deorum* accipias de Neptuno aliisque Diis marinis solem excipientibus. Bipontini tuentur vulgatum, quod et veteres editiones habent, existimantque, effigies animalium inpressos soli, unde deciduis seminibus præcipue in mari monstrificæ gignantur effigies, ut est apud Plin. H. N. 2. 3. credidisse et illas gentes. Forsan et ad auroram borealem hæc referenda putant, cujus miri lusus et luminis vibrationes et apud alios barbaros et apud ipsos Græcos Deorum formas radiantemque Superorum cœtum repræsentare sint visæ. Conjecturam hanc egregio loco, ex De Pauw Rech. sur les Americains t. 1. sect. 2. repetito, firmant. Kirchmaierus intelligebat spectra et Dæmonum adparitiones tributas credulitati plebeiæ. Cf. A. 2, 24. Longolius referebat ad astra, duce Ovidio Met. 1, 73.

Illuc usque (et fama vera) tantum natura] Aiunt corruptum locum, si quem alium in his libris. At ego silentio transieram, ut purum et liquentem. Et sane est. Loquitur ut Physicus, sed illius ævi: qui censebant, Oceanum finem rerum, neque ultra Naturam (hanc inferam) esse. Avitus declamator (apud Senecam Suas. 1.) *Ita est rerum Natura. post omnia Oceanus, post Oceanum nihil.* Albutius Alexandrum Magnum compellans: *Eundem fortuna victoriæ tuæ, quem Natura, finem facit:* de hoc ipso Oceano. Fabianus ad eundem, dissuadens tentare Oceanum: *Sine potius rerum Naturam, quam Fortunam tuam deficere.* Pedo Albinovanus carmine, quo Germanicum revocat ab Oceano v. 20. *Dii revocant, rerumque vetant cognoscere finem.* Crassuli fuerunt, nec orbem hunc vere orbem esse satis sciverunt. Facit, quod jam nunc de sole in Oceanum lapso dixit. Lips. Varie locum tentant. Vossius e libro vetere, l. c. profert probatque: *illuc usque, ut fama, non tamen natura:* quod esse dicit: ibi terminari famam, non rerum naturam. Sensus bonus, sed non ex verbis istis. Grotius: *i. u. si fama vera, t. n.* Sed vix attinet ceteras conjecturas referre. Ern. Lipsii interpretationem sequuntur vernaculi interpretes. Heinsius dabat: *Illuc usque it fama vera tantum naturæ.* Bipontini paullo aliter: *Illuc usque it fama: vera tantum natura.* i. e. vera sunt, quæ de cadentis et orientis solis confini fulgore dicta, et naturæ sive rei ipsi conveniunt: longe alia, quæ fama addidit credentium. Ego hæsito.

Æstyorum] Sic bene Rhen. ex ed. Nor. Sic et ed. Rom. Prius erat apud Put. *Effluorum.* Apud Eginhardum c. 12. dicuntur *Aisti.*

Matrem Deum] Sic bene ed. Rom. et Nor. Contra Put. et Rhag. *m. Deam.*

Omniumque tutela] Fortasse melius, *omnique tutela.* Lips. Sed major interpunctio esse debet post *tutela,* sic: *id pro armis omnique tutela: securum Deæ c.* etc. Et, quia MS. Turic. plane exhibet *omnique tutela,* ita rescripsi. Secuti sunt Allemannus et Broterius. Ern.

Succinum legunt] Hic locus est, quem

atque in ipso litore legunt. Nec, quæ natura, quæve ratio gignat, ut barbaris, quæsitum compertumve. Diu quin etiam inter cetera ejectamenta maris jacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. ipsis in nullo usu: rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. Succum tamen arborum esse intelligas, quia terrena quædam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quæ inplicata humore, mox, durescente materia, cluduntur. Fecundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis secretis, ubi thura balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis terrisque inesse, crediderim; quæ vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa litora exundant. Si naturam succini admoto igne tentes, in modum tedæ accenditur, alitque flammam pinguem et olentem: mox ut in picem resinamve lentescit. Suionibus Sitonum gentes continuantur. Cetera similes, uno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant. Hic Sueviæ finis. Peu- 46
cinorum Venedorumque et Fennorum nationes Germanis

Cassiodorus indicatum voluit 5, epist. 2. *Hoc succinum, quodam Cornelio scribente, legitur in interioribus insulis Oceani, ex arboris succo defluens, unde et succinum dicitur, paullatim solis ardore coalescens.* Sed itane contemptim ille de nostro, *quodam Cornelio?* non scripsit, sed *quondam*. Quod autem inscriptione ejus epistolæ est, *Hæstis Theodericus rex:* e Tacito esset, *Æstyis*, qui appellat *Æstyorum gentes*, succinum hoc legentes. Lips.

Quod ipsi Glesum vocant] Salmasius ad Solin. p. 165. scribendum putat *glæsum*, atque etiam *Glæsarias insulas*, quas inde dictas Plinius 4, 16. (30.) arguit, et sic scriptas in libris Solini se reperisse testatur: ducto nomine a Germanico *Glas*, vitro, quia pellucet succinum illud. Ern.

In nullo usu: rude etc.] Sic interpunximus e cod. Kapp. (s. ed. Nor.) aliisque vett. edd. recentiores cum sequentibus jungunt, sicut ed. Spirens. Mox frustra Groslotius (e vet. cod.) *profertur*. Immo intellige, *Romam, s. ad nos*. Ern. *Profertur* etiam ed. Rom. et Norib.

Succum tamen arborum] Hæc vulgaris opinio in dubium adducitur a Wigando in vera succini historia, et aliis, qui de succino scripsere. Succinorum, quibus insecta aliaque animalia interlucent, dives thesaurus ostenditur Dresdæ inter ceteras naturæ, congestas in Regiæ porticus, opes. Eorum exquisitior pars edita est Lipsiæ 1742: quæ utinam elegantiorem et disertiorem interpretem nacta fuisset. Ern. Cf. Plin. 37, 3 (11). et inter recentiores Schlœzer in Nord. Gesch.

Crediderim, quæ—labuntur,—exundant] Hæc non credo bene Latina esse et Tacito digna. Ratio Latinitatis postulat certe *labantur*, et *exundent*. Ern.

Non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant] Degenerant a libertate, quia ceteri Germani fere omnes liberi, hi servi. Degenerant a servitute, quia servientes populi, Regibus, ideoque hominibus, servire solent, hi feminis. Sic Pichena. Fortasse recte. Ego tamen ambigebam mecum, an non scripsisset Tacitus: *non modo a libertate, sed etiam in servitute degenerant.* Gron. Sufficit Pichenæ expositio. Ita et apud Vell. 2, 83. *infra servos cliens.* Quæ hic narrantur de *Sitonibus*, rectius omnino ad finem capitis præcedentis referenda videntur, ut bene Bip. monent.

Hic Sueviæ finis] MS. Turic. cod. Kapp. (s. ed. Nor.) ed. Spirens. *fines:* quod ipsum quoque ferri posset: sed illud usitatius ac melius. Gryph. vitio operarum *hinc*. Ern. Ed. Rom. quoque *fines*.

Et Fennorum nationes] Sic e cod. Artolph. (s. ed. Nor.) edidit Rhenanus:

an Sarmatis adscribam, dubito: quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede ac domiciliis, ut Germani agunt. sordes omnium ac torpor procerum: connubiis mixtis, nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur. Venedi multum ex moribus traxerunt. Nam quicquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos fingunt et scuta gestant et pedum usu ac pernicitate gaudent; quæ omnia diversa Sarmatis sunt, in plaustro equoque viventibus. Fennis mira feritas, fœda paupertas: non arma, non equi, non Penates: victui herba, vestitui pelles, cubile humus. sola in sagittis spes, quas, inopia ferri, ossibus asperant. Idemque venatus viros pariter ac feminas alit. Passim enim comitantur, partemque prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. huc redeunt juvenes, hoc senum receptaculum. Sed beatius arbitrantur, quam ingemere agris, inlaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque ver-

sic constanter MS. Turic. Ed. Spir. *Femiorum* ceteræque ante Rhen. Ille tamen mox *Fennosque*, et *Fennis*, ut ed. Puteol. *Fennis* etiam Beroaldi. At Rhag. constanter *Femios* habet. ERN. Ed. Rom. etiam *Fennorum*.

Procerum connubiis mixtis] Rhenanus conjicit sic fuisse scriptum, *Cæterum connubiis mixtis* etc. consentientibus Althamero, Mureto. Quod et mihi placet. Quare enim inter proceres tantum connubia fingamus. *Connubia mixta* forent promiscua. Sed quis ita locutus est? legendum potius *mixti*, ut Colerus voluit. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *mistos*, et ante *omniumque*. ERN. *Mistos* etiam ed. Rom. sed *omnium* absque copula. *Procerum* tuentur Pichena et Conring. sed male sejungunt a præcedentibus. restituo locum fere ut Bip. *torpor procerum* opponitur *sordibus omnium*. Ita jam Acidalius. Ut legas *mixti* cum Colero et aliis, non opus; sensus idem. Crusius in Prob. crit. perperam *fœderantur*.

Domos figunt] Sic ex meis libris primæ Lipsii edd. Sed id est vitium operarum, quod fuit in editione ignobili, cujus exemplum Lipsius accommodavit prælis typographorum. et tamen id ab omnibus seqq. editoribus Taciti servatum est: Colerus etiam explicavit. Edd. veteres (in his Rom. et Nor.) et bonæ ante Lipsium omnes, quibus usus sum, habent *fingunt*: quod restitui. *Fingunt ædes* hi populi, e luto scilicet, ut rustici nostri; cum Sarmatæ in plaustris figant vehantque, a quibus illos populos hoc nomine diserte distinguit. Sic ap. Ovid. Fast. 1, 158. hirundo sub trabe celsa *luteum fingit opus*, omninoque aves *fingere nidos* apud Ciceronem dicuntur de Or. 2, 6. ERN. *Fingunt* recepere Lall. Brot. Bip.

Peditum usu etc.] *Peditum* omnes edd. vett. *Pedum* in Lipsianis primum reperi: quod, e correctione nescio cujus natum alibi, in has venit. Nec dubito, veram esse correctionem: sed, quia tamen et altera utcunque ferri et explicari potest, eam potius exhibendam, alteram recentiorem, et e Lipsianis ad omnes recentiores propagatam pro conjectura, sed bona et vera, apponendam censui. ERN. *Pedum* omnino rectius. Restituo cum Lall. Brot. Bip.

Quæ omnia diversa Sarmatis] Vide H. 1, 79.

Huc redeunt] Cod. K. (s. ed. Nor.) *Nunc*, ut supra *Nerthum* pro *Herthum*. Post *sed* vett. edd. Rhenanus a. 1533. ex ingenio correxit *id*: bene fortasse: sed illud quoque bonum, nec de conjectura tollendum. Forte fuit a Tacito *sed id*. Sed τὸ *id* commode intelligi potest. ERN. Ed. Rom. *huc*. Eadem cum Nor. *Sed*.

sare. Securi adversus homines, securi adversus Deos, rem difficillimam adsecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus esset. Cetera jam fabulosa: *Hellusios et Oxionas ora hominum vultusque, corpora atque artus ferarum, gerere.* quod ego, ut incompertum, in medium relinquam.

Securi adversus Deos] Non quo nullos credant, sed quod nihil habentibus adimere Dii nihil possunt. Sed est vel sic parum decora majestati Deorum sententia. Ern.

Ut illis n. v. q. opus esset] Sic omnes edd. ante Rhenanum, qui, judicium suum secutus, edidit *opus sit;* quasi non et illud rectum esset. Si potuit dicere *assecuti sunt* pro *assequuntur*, cur non et *opus esset?* Atque, secundum ἀκρίβειαν grammaticam, perfectum excipere debet imperfectum, non præsens. Et sunt multa talia apud veteres, in quibus, si rem vernaculo nostro loquendi modo, aut hodierna Latine scribentium consuetudine judices, præsens imperfecto substituendum sit. Itaque vetus jure restituimus. Ern. Rhen. conjicit: *ut illis ne voto quidem opus. Sed...*

Hellusios et Oxionas] Turnebus Adv. 6, 19. conjicit *Panotios* vel *Hollotios et Oobios.* Schlözer in Anm. zu Schönings alt. Nord. Gesch. p. 127. intelligi putat *Oæonas, Hippopodas, Panotos.* Provocant ad Melam 3, 6. Plin. H. N. 4, 13 (27). Isidor. Etym. 11, 3.